

**Monumenta paedagogica Societatis Iesu / edidit, ex integro refecit  
novisque textibus auxit Ladislaus Lukács.**

Romae : Apud "Monumenta Historica Soc. Iesu", 1965-[1992 ]

<http://hdl.handle.net/2027/inu.30000004160168>

# HathiTrust



[www.hathitrust.org](http://www.hathitrust.org)

**Creative Commons Attribution-NonCommercial-NoDerivatives**

[http://www.hathitrust.org/access\\_use#cc-by-nc-nd-4.0](http://www.hathitrust.org/access_use#cc-by-nc-nd-4.0)

This work is protected by copyright law (which includes certain exceptions to the rights of the copyright holder that users may make, such as fair use where applicable under U.S. law), but made available under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-NoDerivatives license. You must attribute this work in the manner specified by the author or licensor (but not in any way that suggests that they endorse you or your use of the work). Only verbatim copies of this work may be made, distributed, displayed, and performed, not derivative works based upon it. Copies that are made may only be used for non-commercial purposes. Please check the terms of the specific Creative Commons license as indicated at the item level. For details, see the full license deed at <http://creativecommons.org/licenses/by-nc-nd/4.0>.

MONUMENTA HISTORICA SOCIETATIS IESU

Vol. 140

MONUMENTA PAEDAGOGICA  
SOCIETATIS IESU

NOVA EDITIO PENITUS RETRACTATA

EDIDIT

LADISLAUS LUKÁCS S.I.

VI

COLLECTANEA  
DE RATIONE STUDIORUM SOCIETATIS IESU  
(1582–1587)




ROMAE

INSTITUTUM HISTORICUM SOCIETATIS IESU  
VIA DEI PENITENZIERI 20

1992











MI<sup>677</sup><sub>23</sub>

9.7  
A1312





**MONUMENTA HISTORICA SOCIETATIS IESU  
A PATRIBUS EIUSDEM SOCIETATIS EDITA  
VOLUMEN 140**

---

**MONUMENTA PAEDAGOGICA  
SOCIETATIS IESU**

**VI**

**COLLECTANEA  
DE RATIONE STUDIORUM SOCIETATIS IESU  
(1582–1587)**



MONUMENTA HISTORICA SOCIETATIS IESU  
A PATRIBUS EIUSDEM SOCIETATIS EDITA  
VOLUMEN 140

MONUMENTA PAEDAGOGICA  
SOCIETATIS IESU

NOVA EDITIO PENITUS RETRACTATA

VI

COLLECTANEA  
DE RATIONE STUDIORUM SOCIETATIS IESU  
(1582–1587)

R O M A E  
INSTITUTUM HISTORICUM SOCIETATIS IESU  
VIA DEI PENITENZIERI 20

1992

# MONUMENTA PAEDAGOGICA SOCIETATIS IESU

NOVA EDITIO PENITUS RETRACTATA

EDIDIT

LADISLAUS LUKÁCS S.I.

VI

COLLECTANEA  
DE RATIONE STUDIORUM SOCIETATIS IESU

(1582–1587)



BX  
3701  
M21  
v. 140

R O M A E

INSTITUTUM HISTORICUM SOCIETATIS IESU


Anno 1992

CENTESIMO

ab opere Monumenta Historica S.I. constituto

166





© Institutum Historicum Societatis Iesu – 1992  
Via dei Penitenzieri 20 – Roma.  
ISBN 88-7041-140-0

9-17-92

## INDEX GENERALIS

Index operum impressorum . . . . .	X
Notae compendiariae . . . . .	XII

## INTRODUCTIO GENERALIS

Caput I – Collectanea quae praeparationem ac examen Rationis studiorum 1586 illustrent . . . . .	1*
1. Nonnulli tractatus praevii de doctrina Societatis Iesu in philosophia et theologia tenenda et de sententiis S. Thomae sequendis . . . . .	1*
2. Adiuncta historica de examine Rationis studiorum 1586 in provinciis . . . . .	3*
Caput II – Collectanea quae praeparationem et examen Rationis studiorum 1591 et 1599 illustrent . . . . .	23*
1. Documenta quae studia superiora (philosophia et theologia) spectant . . . . .	23*
2. Documenta quae litteras humaniores respiciunt . . . . .	25*
3. De stylo peregrino seu Lipsiano vitando . . . . .	27*
4. Adaptatio Rationis studiorum 1599 . . . . .	28*
Caput III – Notitia codicum manuscriptorum . . . . .	32*

## INDEX MONUMENTORUM

### PARS PRIOR

#### SCRIPTA QUAE CONFICIENDAE RATIONI STUDIORUM NONNULLA CONTULERE

1. Quae doctores Collegii Romani responderunt circa rationem docendi theologia ad vitandas novas opiniones et quaestiones (1582) . . . . .	3
2. Benedictus Sardi S.I. – Ratio distribuendi S. Scripturam et controversias auditoribus (1582) . . . . .	11
3. Robertus Bellarmino S.I. – De doctrina S. Thomae sequenda (1582) . . . .	12
4. Stephanus Tuccio S.I. – Responsio ad id quod propositum est de D. Thomae doctrina sequenda (1582) . . . . .	15
5. Ioannes Maldonado S.I. – Iudicium de sequenda doctrina S. Thomae (1582) . .	20
6. Alfonsus Salmerón S.I. – Sententia circa rationem tenendam in theologia et philosophia docenda (1582) . . . . .	21
7. Claudius Acquaviva S.I. praep. gen. – Quaedam de ratione studiorum in genere (1582) . . . . .	25
8. Iudicium theologorum Collegii Romani de delectu opinionum (1584) . . . .	27
9. Professores Collegii Romani – An cursus philosophiae ac theologiae conscribendus sit (1585) . . . . .	34

### PARS ALTERA

#### IUDICIA PATRUM, IN PROVINCIIIS DEPUTATORUM, DE RATIONE STUDIORUM 1586

##### A – De studiis superioribus

10. Examen tractatum, qui «De opinionum delectu» et «Commentariolus» inscribuntur. . . . .	47
11. Iudicia congregationum, in provinciis constitutarum, de tractatu (Rat. stud. 1586) «De Scripturis» . . . . .	127
12. Iudicia congregationum de tractatu «De theologia scholastica» . . . . .	140
13. Iudicia patrum, in provinciis deputatorum, de Rationis studiorum (1586) tractatu, qui inscribitur «De controversiis praelegendis» . . . . .	232
14. Iudicia patrum, in provinciis deputatorum, de tractatu Rationis studiorum (1586), qui inscribitur « De casibus conscientiae» . . . . .	242
15. Iudicia patrum, in provinciis deputatorum, de tractatu Rationis studiorum (1586), qui inscribitur «De lingua hebraea». . . . .	254
16. Iudicia patrum, in provinciis deputatorum, de Ratione studiorum (1586) tractatu, qui inscribitur «De studio philosophiae» . . . . .	260
17. Iudicia patrum, in provinciis deputatorum, ad examinandum Rationis studiorum (1586) tractatum, qui inscribitur «De mathematicis disciplinis» . . .	293

## B – Studia inferiora seu humanitatis

18. Iudicia patrum, in provinciis deputatorum, de Rationis studiorum (1586) tractatu, qui inscribitur «De studiis humanitatis» . . . . .	298
19. Iudicia patrum, in provinciis deputatorum, de Rationis studiorum (1586) tractatu, qui inscribitur «Separandane sint humaniorum et superiorum facultatum seminaria» . . . . .	303
20. Iudicia patrum, in provinciis deputatorum, de Rationis studiorum (1586) tractatu «Humanitatis doctores quos et quales oporteat esse» . . . . .	305
21. Iudicia patrum, in provinciis deputatorum, de Rationis studiorum (1586) tractatu, qui inscribitur «Quantum referat optima nostros uti grammatica» . . . . .	319
22. Iudicia patrum, in provinciis deputatorum, de Rationis studiorum (1586) tractatu «An cum primis ferme latinae grammaticae elementis graecae etiam literae discendae sint». . . . .	332
23. Iudicia patrum, in provinciis deputatorum, de Rationis studiorum (1586) tractatu «Quonam modo instituenda sint exercitationum genera, quibus latinae graecaeque literae perdisci solent» . . . . .	339
24. Iudicia patrum, in provinciis deputatorum, de Rationis studiorum (1586) tractatu «Quibus adiumentis adolescentum studia ad bonas artes capessendas excitari atque inflammari possint». . . . .	349
25. Iudicia patrum, in provinciis deputatorum, de Rationis studiorum (1586) tractatu «Ratio promovendi pueros ex inferiori ad superiorem classem et promovendorum examen» . . . . .	358
26. Iudicia patrum in provinciis deputatorum, de Rationis studiorum (1586) tractatu, qui inscribitur «De libris» . . . . .	363
27. Iudicia patrum, in provinciis deputatorum, de Rationis studiorum (1586) tractatu «De vacationibus inferiorum classium» . . . . .	371
28. Iudicia patrum, in provinciis deputatorum, de Rationis studiorum (1586) tractatu «De tuenda puerorum disciplina ac pietate». . . . .	375
29. Iudicia patrum, in provinciis deputatorum, de Ratione studiorum (1586) tractatu «Fines atque exercitationes scholarum grammaticae et humanitatis». . . . .	382
30. Iudicia patrum, in provinciis deputatorum, de Ratione studiorum (1586) tractatu «Generalis distributio horarum toto anno» . . . . .	409
31. Iudicia patrum, in provinciis deputatorum, de sex capitibus, quae extra volumen de Ratione studiorum (1586) ad provincias missa sunt . . . . .	430

## APPENDIX

Nicolaus Orlandini S.I. – Ordine delle scuole per il collegio di Napoli (Ad an. 1582) . . . . .	515
---	-----



## INDEX OPERUM IMPRESSORUM

- ASTRAIN, Antonio, S.I. – *Historia de la Compañía de Jesús en la Asistencia de España* I–VII. Madrid 1902–1925.
- BACHELET, M. M. le, S.I. – *Bellarmin avant son cardinalat 1542–1598*. Paris 1911.
- BRAUNSBERGER, Otto, S.I. – *Beati Petri Canisii S.I. epistolae et acta* I–VIII. Friburgi im Br. 1896–1923.
- Cat. Prov. Austr.* = *Catalogi personarum et officiorum provinciae Austriae S.I.* I–V. Romae 1978–1990.
- Catechismus ex decreto Concilii Tridentini ad parochos Pii V pontifici maximi iussu editus*. Romae 1566.
- COEMANS, Auguste, S.I. – *Breves notitiae de instituto, historia, bibliographia Societatis*. Bruxellis 1937.
- Conciliorum Oecumenicorum Decreta*. Bologna 1962 1973.
- DELATTRE, Pierre, S.I. – *Les établissements de Jésuites en France depuis quatre siècles* I–V. Enghien–Wetteren 1949–1957.
- Dizionario Biografico degli Italiani* XVIII. Roma 1975.
- DUHR, Bernhard, S.I. – *Geschichte der Jesuiten in den Ländern deutscher Zunge* I. Freiburg im Br. 1907.
- Enciclopedia Cattolica* I–XII. Romae 1948–1954.
- ESTREICHER, Karol – *Bibliografia Polska* I–XXVII. Kraków 1870–1929.
- FEJÉR, Iosephus, S.I. – *Defuncti primi saeculi S.I. (1540–1640)* – I. Assistentia Italiae et Germaniae. II. Assistentia Hispaniae, Lusitaniae et Galliae. Romae 1971 1976.
- Defuncti secundi saeculi S.I. (1641–1740)* – I. A–C II. D–H III. I–M IV. N–R V. S–Z. Romae 1985 1986 1988 1990.
- GERL, *Catalogus generalis Provinciae Germaniae Superioris*. Monachii 1968.
- GILMONT, J. Fr. – *Les écrits spirituels des premiers Jésuites*. Romae 1961 (= *Subsidia ad historiam S.I.* 3).
- HENGST, Karl – *Jesuiten an Universitäten und Jesuitenuniversitäten*. Paderborn 1981.
- Institutum Societatis Iesu* I–III. Florentiae 1892–1893.
- Jesuiten–Lexikon. Die Gesellschaft Jesu einst und jetzt*. Ed. Ludwig Koch S.I. Paderborn 1934.
- KROESS, Alois, S.I. – *Geschichte der böhmischen Provinz der Gesellschaft Jesu* I. Wien 1910.
- LUKÁCS, Ladislaus, S.I. – *De graduum diversitate inter sacerdotes in S.I.* AHSI 37 (1968) 237–316.
- *De origine collegiorum externorum deque controversiis circa eorum paupertatem obortis (1539–1608)*. AHSI 29 (1690) 189–245; 30 (1931) 3–89.
- MANCIA, Anita – *La Controversia con i protestanti e i programmi degli studi teologici nella Compagnia di Gesù*. AHSI 54 (1985) 3–43 et 209–66.
- MI Const. = *Monumenta Ignatiana. Series tertia. Constitutiones et regulae S.I.* Vol. III *Constitutiones S.I. Textus latinus*. Romae 1938 (= MHSI).
- MHSI *Epp. Salm.* (= *Epistolae Salmeronis*) II (1565–1585). Matriti 1907 (= MHSI).
- Mon. Paed.* (1901) = *Monumenta paedagogica S.I. quae primam Rationem studiorum anno 1586 editam praecessere*. Matriti 1901 (= MHSI).
- MP = *Monumenta paedagogica S.I.* Nova editio I–V (11540–1556 1557–1572 1573–1580 1586–1599). Romae 1965 1974 1981 1986 (= MHSI).
- Ouvr. péd.* = *Répertoire des ouvrages pédagogiques du XVI<sup>e</sup> siècle*. Paris 1886.
- PACHTLER, Georg Michael, S.I. – *Ratio studiorum et institutiones scholasticae S.I. per Germaniam olim vigentes* I–IV. Berlin 1887–1894 (= *Monumenta Germaniae Paedagogica* vol 2 5 9 16).
- PERIN, Iosephus – *Onomasticon totius latinitatis* I–II. Patavii 1913 1920.
- Regulae Societatis Iesu* (Romae 1582).

- ROCHEMONTEIX, Camille de- *Un collège de jésuites aux XVII et XVIII siècles: Le collège Henri IV de la Flèche* I-IV. Le Mans 1889.
- RODRIGUES, Francisco, S.I. - *História da Companhia de Jesus na Assistencia de Portugal* I-IV. Porto 1931-1950.
- SCADUTO, Mario, S.I. - *Catalogo dei gesuiti d'Italia 1540-1565*. Roma 1968. (= *Subsidia ad historiam* S.I. n. 7).
- SCHWEIGER, Franc L. A., *Handbuch der klassischen Bibliographie*. Leipzig 1830-34.
- SCORAILLE, Raul de, S.I. - *François Suarez de la Compagnie de Jésus* I-II. Paris 1913.
- SOMMERVOGEL, Carlos, S.I. - *Bibliothèque de la Compagnie de Jésus* I-X. Paris 1890-1909.
- SPECHT, Thomas - *Geschichte der ehemaligen Universität Dillingen 1549-1808*. Freiburg im Br. 1902.
- Synopsis historiae Societatis Iesu*. Lovanii 1950.
- VILLOSLADA, Ricardo, S.I. - *Storia del Collegio Romano dal suo inizio (1551) alla soppressione della Compagnia (1773)*. Roma 1954.

# NOTAE COMPENDIARIAE

a. = annus, anni etc.	n = numerus
a. corr. = ante correctionem	om = omittitur, omisit, omisum etc.
add. = addit. addidit, additum, etc.	p. = pagina
adnot. = adnotatio	P., PP. = Pater, Patres etc.
AHSI = Archivum Historicum Societatis Iesu	p. corr. = post correctionem
ARSI = Archivum Romanum Societatis Iesu	prius = ante correctionem
c., cc. = caput, capita etc.	R. = Reverendus
cf. = confer, conferatur etc.	RA, RB, R 91, R 99 = Ratio studiorum
cod. = codex	a. 1586 A, 1586 B, 1591 1599
corr. ex = correctum ex	r = recto
del. = delevit, deletum etc.	rep. = repetit etc.
ed. = edidit, editor etc.	S. = Sanctus
ex comm. = ex commissione	sequ. = sequitur
f., ff. = folium, folia etc.	S. I. = Societas Iesu
fasc. = fasciculus	sup. = supra
ib. = ibidem	sq., sqq. = sequens, sequentes
id. = idem	t1, t2 = textus primus, secundus etc.
i. e. = id est	tA, tB, tC, tD = textus Rationis stud.
in marg. = in margine	1591 A B C D
lect. dub. = lectio dubia	t99 - t1616 = textus Rat. st. 1599 et eius
MHSI = Monumenta Historica Societatis Iesu	anno 1616 textus retractatus
MP = Monumenta Paedagogica Societatis Iesu	v. = vide
ms. = manuscriptum	v = verso
m1, m2 etc. = manus prima, secunda etc.	vol. = volumen
	[ ] = claudit ea quae nos ipsi introduximus in textu
	] = lectio varians

## INTRODUCTIO GENERALIS

Novam monumentorum paedagogicorum S.I. editionem incepimus anno 1956. Ab eo tempore in lucem prodierunt quinque volumina. Primum eorum (1541–1556) continet imprimis Constitutionum quartam partem, quae est de studiis; praeterea documenta quae primorum collegiorum (Padova, Gandia, Messina, Collegium Romanum et Germanicum) initia respiciunt; demum selectas epistolas, nec non varia acta de studiis et scholis.

In secundo, tertio et quarto volumine (1557–1580) similiter exhibentur variae regularum collectiones, tractatus singulorum, acta congregationum et visitationum, necnon epistolae et acta quae illis annis conscripta sunt, quando scilicet Societatem rexerunt Patres Láinez, Borja et Mercurian. Inter haec eminet prima universalis S.I. Ratio studiorum (1565), Romae composita<sup>1</sup>. Eius pars de humanioribus litteris missa est anno 1567 a P. Generali in provincias, ut in collegiis studia iuxta illam regerentur. Pars philosophica et theologica quoque parata est, sed philosophica data est, tempore congregationis generalis tertiae (1573) solum iis patribus, qui eam petierunt. Pars vero theologica solum in Collegio Romano probata est<sup>2</sup>.

Anno ergo 1581, quando P. Acquaviva<sup>3</sup> praepositus generalis electus est, Ratio studiorum communis, universalis, vi legis communicata, ante annum quadraginta in Constitutionibus promissa, nondum redacta erat, licet ex provinciis petitiones usque plures atque urgentiores pervenissent, ut Ratio adeo necessaria tandem mitteretur<sup>4</sup>.

### Caput I – Collectanea documentorum quae praeparationem ac examen Rationis studiorum 1586 illustrent

#### 1. Nonnulli tractatus praevis de doctrina S.I. in philosophia et theologia tenenda et de sententiis S. Thomae sequendis

Congregatio generalis quarta (1581) conscribendam esse Rationem studiorum decrevit. Ad hunc finem deputavit duodecim patres ex congregatis; qui tamen parum aut nihil peregerunt<sup>5</sup>. Prorsus aliter se gessit novus praepositus generalis, P. Acquaviva, qui hoc negotium tanquam unum ex urgentissimis considerabat; et licet in aliis rebus admodum occupatus fuisset, rem Rationis studiorum semper maxima cum industria promovit. Quae tamen, ut ad finem optatum perduceretur, viginti octo annos requisivit.

Vicissitudines huius diuturni et acris laboris in introductione ad volumen quantum iam breviter perstrinximus<sup>6</sup>. Ibidemque textus diversos Rationis studiorum (1586/A et B, 1591, 1599) typis exscribi curavimus. Hoc tamen volumen magnam documentorum copiam, quae ad parandam Rationem studiorum conscripta sunt, continere non valuit; quare

<sup>1</sup> Vide *Ratio studiorum S.I. (1565–1572)*; in MP II 181–287.

<sup>2</sup> Vide *De prima Societatis Ratione studiorum sancto Francisco Borgia praeposito generali constituta (1565–1569)*; in AHSI 27 (1958) 209–32.

<sup>3</sup> Cursum vitae Patris Acquaviva vide in MP V p. 10\*.

<sup>4</sup> Vide acta congregationum provinciae romanae, neapolitanae, siculae, venetae, aragon., aquitan. et polonicae; inferius, p. 288–91 vol. VII.

<sup>5</sup> Vide inferius, p. 293 vol. VII.

<sup>6</sup> Vide MP V p. 10\*–36\*.

necesse fuit ea alii volumini demandare; et cum huius generis documenta progressu temporis valde multiplicata sint, etiam tertium volumen adhibendum fuit. Haec duo nova volumina offerimus nunc historiae rerum paedagogicarum cultoribus.

Quoniam vero amborum documenta sunt eiusdem naturae, communem titulum: Collectanea de Ratione studiorum obtinuerunt (vol. VI: 1581–1587 et vol. VII: 1588–1616). Ob eandem rationem unica et communi introductione et indice generali rerum, personarum et locorum instructa sunt. Introductio communis initio sexti, index generalis autem ad calcem septimi reperiuntur.

Iam, cuius generis scripta in his duobus novis voluminibus contineantur, exponemus. Documenta quae vol. VI amplectitur, praeparationem ac examen Rat. stud. 1586 respiciunt. In priore eius parte habentur nonnulli tractatus praevii, in quibus Collegii Romani et alii (inter quos nomina etiam illustria: Salmerón, Bellarmino, Maldonado, Suárez) sententiam dixerunt de doctrina S.I., de delectu opinionum et de S. Thoma sequendo in theologia. De his quaestionibus voluit P. Acquaviva quam primum aliquid certi constituere. Vedit enim magnum Societati periculum imminere, si diu nimis magna diversitas doctrinae et opinandi licentia singulorum toleraretur. Ut igitur remedium efficax malo adhiberetur, doctissimos in re theologica peritos consuluit<sup>7</sup>. Maior eorum pars doctrinam S. Thomae a nostris professoribus sequendam esse declaravit, sed cum iudicio. Non semel recurrunt ad dictum Horatii: Non iurare in verba magistri.

Postquam ergo mentem eorum cognovit, P. Acquaviva edidit decretum: «Quaedam de ratione studiorum in genere»<sup>8</sup>. Documentum est admodum breve, nonnullae solum regulae seu normae dantur ad directionem professorum de modo sequendi S. Thomam. Non recensentur catalogi propositionum definitarum ac liberarum, prout fecerat anno 1565 P. Borja praep. gen.<sup>9</sup>, P. Ledesma, praefecto Collegii Romani suasore<sup>10</sup>. P. Acquaviva hunc procedendi modum explicuit in quadam epistola, diei 8 martii 1583, ad Patrem Priscianese, professorem theologiae Dilingae:

«Ho letto molto volentieri quanto V. R. mi scrive intorno al promuovere il buon stato di cotesto collegio. Massime nel negozio dell' opinioni. Il quale quanto da se è importante, et a me molto a cuore, tanto mi furono grati gli avisi da lei in questa materia datimi. Non ho però giudicato necessario di far alcuna nuova dichiarazione, poichè il prohibire nominatim tutte le opinioni inconvenienti sarebbe cosa lunga, et se ben s'intende quel nostro generale ordine, assai in quello tutte se comprendono. Resta dunque solo che tutti i superiori per quello zelo con che debbono abbracciar una cosa sì grave, procurino con ogni diligenza l'esecutione di quello; come già l'ho di nuovo raccomandato con tutto il calor possibile al P. Provinciale, hora lo raccomando molto a V. R. che per quello che a lei tocca secondo l'ufficio che tiene, cooperi al medesimo et promovendolo da se quanto potrà, et in quello che non potrà, rappresentandolo a suoi superiori, et anco dandone a noi particolar avviso se sarà il bisogno»<sup>11</sup>.

P. Acquaviva aliquot post annos sententiam mutavit, patribusque ad conscribendam Rationem studiorum deputatis permisit, ut Catalogum propositionum exararent, una cum

<sup>7</sup> Vide «*Quae doctores Collegii Romani responderunt circa rationem docendi theologia ad vitandas novas opiniones et quaestiones (1582)*»; infra, mon. 1 vol. VI; vide etiam ib. etiam mon. 2–6.

<sup>8</sup> Vide infra, mon. 8 vol. VI.

<sup>9</sup> Vide *Decretum de opinionibus in philosophia et theologia tenendis*; in MP III 382–85.

<sup>10</sup> Vide scriptum Patris Ledesma *Tractatio brevis de propositionibus philosophicis et theologicis prohibitis a R.P.N. Francisco Borgia, ut pietas coniuncta cum doctrina retinerentur*; in *Mon. Paed. (1901)* p. 548–69.

<sup>11</sup> *Germ. Sup. 1*, f. 87v.

quodam perlongo Commentariolo<sup>12</sup>, quibus libertas opinandi professorum valde limitabatur. Nam in Opinionum delectu recensabantur 597 opiniones partim liberae, partim definitae. Illum professores Collegii Romani refutarunt<sup>13</sup>, et deputati patres coacti sunt numerum propositionum minuere. Merito P. Bellarmino revocat patrum attentionem ad S. Ignatium, qui in Constitutionibus urget quidem unitatem doctrinae et animorum consensionem, sed semper adiungit: quoad eius fieri poterit<sup>14</sup>.

## 2. Adiuncta historica de examine Rationis studiorum 1586 in provinciis

In secunda, copiosiori parte voluminis sexti inveniuntur scripta provinciarum, hoc est, observationes circa Rat. stud. Provinciae iam pridem, antequam Ratio conscriberetur, petierant, ut mitteretur, et examinaretur. Cumque P. Generalis fuerit eiusdem sententiae, nihil obstitit, quominus huic desiderio fieret satis. In provinciis ergo factae sunt commissiones peritorum in rebus scholasticis, qui per sex menses continuos huic operi incubuerunt. Cuius laboris fructus sunt plus quam viginti fasciculi crassi in AHSI servati, continentes iudicia, observationes, propositiones, petitiones etc. Licet multa, quae mere speculativa (philosophica et theologica) continent, spatio consulentes omiserimus, in volumine nostro hae observationes etc. occupant 466 paginas. Quod ad modum edendi haec documenta, re mature considerata, illum elegimus, exhibendi non commentarios singularum provinciarum integros ex ordine, sed intercisos iuxta capita Rat. stud. (S. Scriptura, Theologia ...), semper eadem successione provinciarum iuxta Assistentias servata. Porro, quae de commissionum provincialium constitutione et labore referunt prooemia relationum vel epistolae Romam missae, ea hic simul collecta praebemus.

*Provincia neapolitana* – «Quae observata sunt a patribus neapolitanae provinciae circa librum de Ratione studiorum 1586 – Patres qui ex neapolitana provincia a Reverendo P. Provinciali<sup>1</sup> sunt delecti ad recognoscendam Rationem studiorum, hi fuerunt: Reverendus Pater Petrus Antonius Spinellus, neapolitani collegii rector<sup>2</sup>, Pater Blasius Mucantius<sup>3</sup>, P. Benedictus Justinianus<sup>4</sup>, P. Bernardus Colnagus<sup>5</sup>, P. Benedictus Maiorius<sup>6</sup>; ad studia vero humanitatis adiunctus est Franciscus Carrettonius<sup>7</sup> et in locum Patris Bernardi, qui inter recognoscendum caput sextum e studiis humanitatis recessit, suffectus est Pater Iacobus Abbas<sup>8</sup>. Convenerunt autem in collegio neapolitano die 5 septembris anno 1586.

Primum omnium illud volumus observari, ea de quibus nihil omnino dicimus, communi omnium sententia recepta esse, ut in ipsa studiorum institutione a sex patribus constitutum est. Cum vero de propositionibus probandis vel reiiciendis agimus, si quando aliquam vel reiicimus vel improbamus, id unum volumus significare, non videri nobis definiendam, quanquam alias fortasse vera esse potest, et nobis etiam aliquando probatur<sup>9</sup> ... ».

<sup>12</sup> Vide MP V p. 6–33.

<sup>13</sup> *Rationes cur delectus opinionum et censura patrum deputatorum probanda non videntur*, vide inferius, p. 28–34 vol. VI.

<sup>14</sup> Vide infra, p. 14 vol. VI.

<sup>1</sup> Benedictus Sardi S.I. (1544–1586), italicus, praepositus provinciae neapolitanae annis 1586–1587; cf. infra, p. 3 vol. VI.

<sup>2</sup> Petrus Antonius Spinelli S.I. (1555–1615), italicus; cf. SOMMERVOGEL VII 1443–45.

<sup>3</sup> Blasius Mucantius S.I. (1545–1629), italicus; cf. *Neap.* 80, f. 6v; *Hist. Soc.* 44, f. 42r.

<sup>4</sup> De B. Giustiniani S.I. cf. infra, p. 492 vol. VI.

<sup>5</sup> Bernardus Colnagus S.I. (1545–1611), italicus; cf. SOMMERVOGEL II 1296.

<sup>6</sup> Benedictus Maiorius S.I. (ob. 1587), italicus; cf. *Neap.* 80, f. 30v; FEJÉR I/1 151.

<sup>7</sup> Ioannes Franciscus Carrettonius S.I. (1557–1629), italicus; cf. *Neap.* 80, f. 7v; FEJÉR I/1 45.

<sup>8</sup> Iacobus Abbas S.I. (1556c–1639), italicus, cf. SOMMERVOGEL II 746.

<sup>9</sup> *Stud.* 3, f. 93r.

*Provincia sicula* – «Quae visa sunt patribus deputatis in provincia siciliensi in recognitione libelli de studiis ... Patres deputati fuerunt: P. Carolus Pharaon<sup>1</sup>, P. Franciscus Marinus<sup>2</sup>, P. Thomas Leo<sup>3</sup>, P. Vincentius Rhegius<sup>4</sup>, P. Didacus Tapia<sup>5</sup>. Qui omnes cum Provinciali<sup>6</sup> saepius convenerunt, et ubi unus ab aliis discrepabat, eius sententia vel separatim P. N. Generali mittenda erat vel reiciebatur. Duo autem hi fuerunt qui suam sententiam in aliquibus separatim ad P. Nostrum Generalem scripserunt: P. Franciscus Marinus<sup>7</sup> et P. Didacus Tapia<sup>8</sup>. Duo autem quae a Sua Paternitate humiliter petiverunt, in fine scribuntur.

Quae in studiis humanitatis adnotata sunt et a deputatis approbata et in fine adduntur, praesente Provinciali Panhormi cum P. Iacobo Dominico<sup>9</sup>, rectore, P. Ioanni Antonio Valtrino<sup>10</sup>, P. Antonino Torrentino<sup>11</sup> acta sunt<sup>12</sup> ... ».

*Provincia lusitana* – «Observationes provinciae Lusitaniae de libro de ratione studiorum ... Fuere in provincia Lusitaniae ad recognoscenda ea quae in libro de Ratione studiorum continentur, sex patres designati: P. Petrus Fonseca<sup>1</sup>, P. Georgius Sarranus<sup>2</sup>, P. Petrus Paulus Ferrer<sup>3</sup>, P. Ludovicus Molina<sup>4</sup>, P. Alvarus Lobus<sup>5</sup>, P. Emmanuel Goes<sup>6</sup>. Qui cum in eam curam sedulo incubuissent, collatis inter se communi consilio sententiis, etsi eorum pleraque ad rem literariam Societatis magnopere utilia iudicarint, nonnulla tamen eis mutanda; quaedam quia obscurius dicta explicanda esse visa sunt. Hic igitur commentariolus, quid quisque senserit indicabit. Ita videlicet, ut, cum in observatione quapiam nullius nomen appositum fuerit, eam omnium suffragiis scriptam fuisse intelligatur; cum vero aliorum nomen expressum, aliorum suppressum erit, sciatur hos cum illis non sentire, sed romani libri sententiam amplecti<sup>7</sup> ... »

Ex epistola Ioannis Correia S.I.<sup>8</sup> diei 3 iulii 1586, ad P. Generalem –

El tratado de ratione studiorum pareció aquí muy bien. Y ultra de otras advertencias que el padre provincial<sup>9</sup> embiará, parece que, en el officio del cancelario, que se pretende hazer, se devrían también comprehender las reglas del praefecto de los estudios, qualesquiera que sean. Y también se desean reglas de los maestros y estudiantes, impressas y reformadas; porque las que usamos<sup>10</sup>, parece que tienen necesidad de alguna emienda, ma-

<sup>1</sup> Carolus Faraone S.I. (1535–1591), siculus; cf. SCADUTO, *Catalogo* ... p. 54.

<sup>2</sup> Franciscus Marino S.I. (1543–1589); cf. *ib.* p. 92.

<sup>3</sup> Thomas Leone S.I. (1545–1621), siculus; cf. *ib.* p. 84.

<sup>4</sup> Vincentius Reggio S.I. (1545–1614), siculus; cf. *ib.* p. 123.

<sup>5</sup> Didacus Tapia S.I. (ob. 1591 Januae); cf. FEJÉR I/1 247.

<sup>6</sup> De L. Maselli S.I. cf. *infra*, p. 482 vol. VII et *passim*.

<sup>7</sup> Vide eius tractatum de opinionum delectu *infra*, p. 181–82 vol. VI.

<sup>8</sup> Vide eius tractatum *ib.* p. 75–81 vol. VI et *passim*.

<sup>9</sup> Iacobus Dominicus S.I. (1558c–1626), siculus; cf. *Rom.* 53, f. 38v; FEJÉR I/1 76.

<sup>10</sup> Ioannes Antonius Valtrino S.I. (1556c–1601), romanus; cf. *Rom.* 53, f. 38r; FEJÉR I/1 259.

<sup>11</sup> Antonius Torrentinus S.I. (ob. 1601); cf. FEJÉR I/1 252.

<sup>12</sup> *Stud.* 3, f. 27r–v.

<sup>1</sup> Petrus da Fonseca S.I. (1528–1599), lusitanus; cf. MP III 60 et *passim* in MP III–VII.

<sup>2</sup> Georgius Sarranus (Serrão) S.I. (ob. 1590), lusitanus; cf. MP III 489 et *passim*.

<sup>3</sup> Petrus Paulus Ferrer S.I. (ob. 1615), lusitanus; cf. MP III 437.

<sup>4</sup> Ludovicus Molina S.I. (1535–1600), hispanus; cf. MP III 63.

<sup>5</sup> Alvarus Lobo S.I. (1550–1608), lusitanus; cf. SOMMERVOGEL IV 1892–93.

<sup>6</sup> Emmanuel Goes S.I. (1547–1593), lusitanus; cf. SOMMERVOGEL III 1530.

<sup>7</sup> *Stud.* 2, f. 294r.

<sup>8</sup> De I. Correia S.I. cf. *inferius*, p. 596 vol. VII.

<sup>9</sup> De S. Morales S.I. cf. *inferius*, p. 600 vol. VII.

<sup>10</sup> Adhibuerunt verisimiliter regulas scholarum quae sunt in Ratione studiorum Borgiana (1565–1572); cuius textum vide in MP II 181–287.

jormente porque algunas dellas se repiten en el tratado de *ratione studiorum*; y otras (particularmente las del *praefecto* de los estudios que tenemos), no son conforme a algunas determinaciones que vienen en el dicho tratado; y las de los estudiantes, como dellas se haze caso en las constituciones y decretos, y se leen publice en el refitorio, algunas vezes, es bien estamparse después de correctas.

También, como sea cosa de importancia el superior tratar, algunas vezes, con los maestros y prefecto de los estudios, parece cosa digna de consideración, se avrá tiempos deputados para se aiuntar con ellos, para tratar de las cosas de los estudios; porque la experiencia muestra obligar y incitar esto los maestros a que con nuevo calor y espíritu van adelante etc. Por la qual causa, parece que conviene que, en el dicho tratado, se traga de esto mención<sup>11</sup> ...».

Ex epistola Sebastiani Morales S.I.<sup>12</sup>, praep. prov. Lusitaniae, diei 5 dec. 1586, ad P. Generalem –

« ... Con esta van los apuntamientos o observaciones<sup>13</sup> que los padres deputados hizieron sobre el libro de *Ratione studendi*, como V. P. havia ordenado. Espero que irán a gusto de V. P., aunque algo más tarde de lo que yo deseava. Con ellos embió también algunas advertencias del padre Fernan Pérez<sup>14</sup> que van de fuera, porque no vinieron a tiempo que los padres deputados las pudiesen considerar sino después de todo concluydo.

No dixeré de apuntar en esta materia que parece cosa de ninguna consideración si se deve limitar en las classes de humanidad el número de los estudiantes; porque son aqui tantos (classe ay en que andan 200, 300 y aun 400) que parece impossible poderse gobernar y enseñar bien tanta gente y con el fructo que conviene. Y creio que ésta es la causa principal de la reputación de nuestras escuelas ir faltando, aunque bien vejo, quan dificultosa cosa es limitar este número en escuelas públicas, quales communmente son todas las de la Compañía. Todavía me parece que conviene buscar algún remedio<sup>15</sup> ... ».

*Provincia Aragoniae* – «De *ratione et institutione studiorum ex provincia Aragoniae*. Cum P. Hieronymus Roca provincialis praepositus<sup>1</sup> in hac provinciae Aragoniae literas Roma sibi missas II Kal. maii anni 1586 ab A.R.P.N. Claudio Aquaviva praeposito generali accepisset<sup>2</sup>, quarum sententia erat ut quamprimum doctores aliquos suae provinciae congregaret, qui diligenter excuterent librum de *ratione atque institutione studiorum*; quaeque si addenda, detrahenda, commutandaque viderentur, opportune Romam perscriberent. Protinus ad eam rem designavit patres Franciscum Arias<sup>3</sup>, Gasparem Valpedrosa<sup>4</sup>, Iosephum San Julian<sup>5</sup>, Ioannem Sotelo<sup>6</sup> et Antonium Ramiro<sup>7</sup>. Quibus adiunctus est P. Alfonsus Roman<sup>8</sup> quoties interesse liberet. In iis praeterea quae ad humanitatem perti-

<sup>11</sup> *Lus.* 69, f. 245r–47v.

<sup>12</sup> Sebastianus Morales S.I.; cf. supra, adn. 9.

<sup>13</sup> «Observationes provinciae Lusitaniae in librum de *Ratione studiorum*»; textus in cod. *Stud.* 2, f. 294r–308v; ed. inferius, vol. VI passim.

<sup>14</sup> Ferdinandus Pérez S.I. (1530–1596), hispanus; cf. MP II 776 et inferius, p. 604–05 vol VII.

<sup>15</sup> *Lus.* 69, f. 313r.

<sup>1</sup> Hieronymus Roca S.I. (1534c–1601), hispanus; cf. *Arag.* 15, f. 33r; FEJÉR I/2 197.

<sup>2</sup> Epistolam Patris Generalis de deputandis patribus pro *Ratione studiorum* examinanda vide in MP V 160–62.

<sup>3</sup> Franciscus Arias S.I. (1533–1605), hispanus; cf. SOMMERVOGEL I 540.

<sup>4</sup> Gaspar Valpedrosa S.I. (1539c–1611), hispanus; cf. *Hist. Soc.* 41, f. 197v; FEJÉR I/2 174.

<sup>5</sup> Iosephus San Julián S.I. (1544c–1605), hispanus; cf. SCADUTO, *Catalogo* ... 134.

<sup>6</sup> Ioannes Sotelo S.I. (1554c–1615), hispanus; cf. *Arag.* 10, f. 9r; FEJÉR I/2 223.

<sup>7</sup> Antonius Ramiro S.I. (1540–1609), hispanus; cf. SCADUTO, *Catalogo* ... p. 122.

<sup>8</sup> Alfonsus Roman S.I. (1520c–1598), hispanus; cf. *Hist. Soc.* 41, f. 204r; FEJÉR I/2 203.



nent, adhibiti sunt patres Iosephus Guimera<sup>9</sup>, Ludovicus Alvarez<sup>10</sup> et Ioannes Sans<sup>11</sup>. Rem aggressi sunt omnes Kal iulii. Perfecerunt, Deo dante, sub finem novembris eiusdem anni 1586. [208r]

Quae patribus Aragoniae provinciae referenda visa sunt ad A.R.P.N. Praepositum Generalem super volumine de Ratione studiorum – Cum certum sit, patres Romae designatos ad conscribendam hanc institutionem studiorum exploratas iam habere penitusque perspectas rationes quae utrinque occurrunt, atque eosdem patres responsa omnium provinciarum esse lecturos, ne tam grave onus nostri causa augeatur, hoc loco breviter attingemus aliquot tantummodo rationes in iis, quae nobis esse offerebant, praesertim in rebus ad doctrinam pertinentibus<sup>12</sup> ... ».

Ex epistola Hieronymi Roca S.I. praep. prov. Aragoniae, diei 9 iunii 1586, ad P. Generalem –

« ... Recebí las de V. P. de 21 de abril y con ellas el libro de Ratione studiorum; y aunque me partiré de aquí a tres días a Cataluña, dexaré señalados los padres que han de ver este orden, y podrán dar su voto en él, y que sea lo más presto que sea possible<sup>13</sup> ... ».

Ex epistola Hieronymi Roca S.I. praep. prov. Aragoniae, diei 28 dec. 1586, ad P. Generalem –

« ... Embío a V. P. con éstas lo que ha parecido a los cinco padres que aquí se ha congregado para ver el libro de Ratione studiorum, hanlo trabajado bien no sé lo que hacemos contentara a V. P.<sup>14</sup> ... ».

*Provincia Baetica* – «Quae patres provinciae baeticae in collegio cordubensi circa Rationem studiorum a Reverendo admodum Patre Generali ad eos missam animadvertenda duxerunt

Primum Patris nostri institutum omnibus summopere probatum fuit; illud erat in votis, ut prodiret in lucem Pontificis Summi approbatione commendatum, quo suborti rumores sedarentur<sup>1</sup> et acclamatione susceptum, fructus pareret uberiores ... ».

Ex epistola Aegidii González Davila S.I., praep. prov. baeticae, diei 15 iunii 1586, ad P. Generalem –

« ... Antes de partirme de Sevilla dexé orden en nuestro collegio y embié otrotanto al de Córdoba para tratar y conferir lo que toca de Ratione studiorum según la instrucción de V. P., y después que ayan conferido los nuestros entre sy, los juntan en algún puesto para ver mejor lo que avrán tratado y poder embiar a V. P. con tiempo lo que resultará<sup>2</sup> ... ».

Ex epistola Aegidii González Davila S.I. praep. prov. baeticae, diei 28 dec. 1586, ad P. Generalem –

« ... Con las muchas enfermedades que a avido en este collegio, no an podido reveer lo que este verano tenian visto de Ratione studiorum. Aora con diligencia se entiende en ello y se embiará a V. P. con el primero<sup>3</sup> ... ».

<sup>9</sup> Iosephus Guimera S.I. (1537c–1620), hispanus; cf. *Arag.* 15, f. 98v; FEJÉR I/2 103.

<sup>10</sup> Ludovicus Alvarez S.I. (ob. 1591), hispanus; cf. FEJÉR I/2 9.

<sup>11</sup> Ioannes Sans S.I. (1556c–1627), hispanus; cf. *Arag.* 10, f. 10v; FEJÉR I/2 216.

<sup>12</sup> Vide tractatum «*De ratione et institutione studiorum ex provincia Aragoniae*»; textum in cod. *Stud.* 2, f. 207r–53v; ed. inferius, p. 85–88 et passim in vol. VI.

<sup>13</sup> *Hisp.* 132, f. 19r.

<sup>14</sup> *Ibidem*, f. 255r.

<sup>1</sup> Alludund ad vicissitudines quae inter Inquisitionem Hispanicam et provinciam Castellanam ob Rationem studiorum S.I. evenerunt; de quibus inferius plura exhibentur.

<sup>2</sup> *Hisp.* 132, f. 29r.

<sup>3</sup> *Ibidem*, f. 250v.

*Provincia Austriae* – «Observationes circa Rationem studiorum provinciae austriacae anno 1586 [266v]

Admodum Reverende in Christo Pater

Cum primum de R. P. T. voluntate cognovi<sup>1</sup>, dedi operam quam potui diligenter, rem ut hanc literariam, qui e nostris ad hoc delecti essent, accurate perpenderent. Etsi vero nihil esse videbatur, quod nostra recognitione egeret (tam exquisite comprehensa sunt omnia, tam ordine digesta, tam gravi iudicio firmata), ne tamen qualemcumque operam nostram Societati negasse et R. P. T. voluntati defuisse videremur, rem aggressi sumus, minori quam oportuit, tempore, sed qua potuimus diligentia et labore. Etenim perincommode accidit, non citius ad nos exemplaria fuisse perlata. Annotavimus pro ingenio nostro pauca, quae ut censura dici non possint, lucem tamen aliquam adferent fortasse et occasionem dabunt expendendae re<sup>2</sup> ... ». [267r]

Praeter ea quae hoc libro continentur, duo inciderunt quae admonenda putavimus. Alterum est, ut Societatis opera dialogorum sive colloquiorum libellus pro inferioribus scholis ederetur, qui et puro sermone scriptus esset et iis de rebus tractaret, quae sunt in familiari et quotidiano hominum usu, magna variorum vocabulorum bene latinorum faragine inserta. Illa enim res mirifice videtur puerorum ingenia confirmare et ad latine loquendum assuefacere. Et videmus scholas minores fere omnes eiusmodi dialogis, quales sunt ab Erasmo in Colloquiis<sup>3</sup>, a Mosellano<sup>4</sup> atque aliis editi, iuventutem imbuere et una cum literis impietatem docere. Putatur non defuturus in provincia Superioris Germaniae, qui hoc utiliter praestare possit, imo iam aliquandiu in hoc ipsum incumbit P. Iacobus Pontanus<sup>5</sup>.

Alterum est, nullam hoc libello fieri mentionem illorum collegiorum, quae non sunt academiae, sed academiarum membra quaedam, quale est viennense, ingolstadianum, moguntinum<sup>6</sup>; in quibus nostri pro suo arbitratu non possunt quidlibet constituere; et tamen cum videantur habere annexa quaedam onera, cuiusmodi fere sunt: in praestando iuramento, in consistoriis, in statutis ex veteri academiarum more servandis. Videbatur operae precium statuere aliquid quod nostri in universa Societate sequantur. Et quia fere sequi coguntur nostri ipsarum academiarum leges, statuta et mores, non abs re fore putatur, si aliqua generatim praescribantur, a quibus nostris sit abstinendum<sup>7</sup> ... ».

Ex epistola Georgii Bader S.I. praep. prov. Austr., diei 9 aug. 1586, ad P. Generalem –

« ... Vix tandem 25 iulii accepi, quas V. R. P. 21 aprilis de Ratione studiorum<sup>8</sup>, cum quatuor eiusdem exemplis misit. Ubi tamdiu haeserint, ignoro ... Festinavi, quantum potui, ut quam primum hic cum patribus concluderem de tempore, loco et personis; quo deinde citius operi manus adiiciatur. Vereor enim ne nos in postremis qui respondebunt, simus futuri. Quod tamen V. R. P. non negligentiae, ut speramus, sed temporum iniuriae adscribet<sup>9</sup> ... ».

<sup>1</sup> Georgius Bader S.I., praepositus provinciae Austriae; de quo cf. inferius, p. 93 vol. VII et passim.

<sup>2</sup> Videsis tractatum a prov. Austriae de Rat. stud. Romam missum: «*Observationes circa Rationem studiorum provinciae Austriae*»; textus in cod. Stud. 3, f. 266r–82v; ed. inferius, p. 176–77 vol. VI et passim.

<sup>3</sup> *Colloquia familiaria* Erasmi typis expressa sunt prima vice anno 1522; cf. *Diz. enciclop. ital.* IV 433.

<sup>4</sup> Petrus Mosellanus (Schade – ob. 1524); auctor opusculi *Paedologia. Dialogi* 37 (Antverpiae 1519); cf. *Ouvr. pédag.* p. 456–57.

<sup>5</sup> Iacobus PONTANUS, *Progymnasmata latinitatis, sive Dialogi* (Ingolstadii 1588); cf. inferius, p. 473 et ss. in vol. VI: «*Oeconomia dialogicae scriptionis*».

<sup>6</sup> Cf. ea de re K. HENGST, *Jesuiten in Universitäten et Jesuitenuniversitäten* (Paderborn 1981).

<sup>7</sup> Stud. 3, f. 266r–67r.

<sup>8</sup> Epistolam Patris Generalis, diei 21 apr. 1586, qua Rationem studiorum ad provincias misit, vide in MP V 160–62.

<sup>9</sup> *Germ.* 166, f. 159v.

Ex epistola Georgii Bader S.I. praep. prov. Austr., diei 9 oct. 1586, ad P. Generalem –  
« ... Quam 27 sept. dedi fidem, eam nunc tandem libero. Quae enim iussu R. P. V. de nova studiorum ratione deputatis patribus occurrerunt, his adiuncta literis mittuntur. Tardius omnino atque adeo etiam imperfectius quam vel decebat vel optabamus, quod ob temporis angustias properandum fuerit. Dabit, speramus, V. R. P. nobis in utroque veniam.

Imposterum compensabimus, si quid simile nobis imponatur. Utinam vero toti operi tam optato tamque necessario extrema manus cito apponatur ... [274r] ... Circa Rationem studiorum duo alia nobis occurrerunt V. R. P. insinuanda, quorum in libro nulla fit mentio. Ea separatim descripta mitto littera A signata<sup>10</sup> ... »<sup>11</sup>.

*Provincia Germaniae Inferioris* – «De Ratione studiorum Inferioris Germaniae patrum iudicium – Acta congregationis iussu R.P. Provincialis<sup>1</sup> Duaci habitae ad examinandum studiorum rationem nuper a R. P. N. Generali ex Urbe missam

Accepit R.P. Rector<sup>2</sup> litteras a R.P. Provinciali pridie calendas iulii, quibus institutum R. P. N. Generalis exponebatur de examinanda ea studiorum ratione, quam sex patres Romae eiusdem iussu elaboraverant. Iis litteris quinque patres nominabantur, qui libellum pariter perlegerent et si quid difficultatis occurreret, adnotarent. Patres nominati fuerunt hi: R.P. Ioannes Servius collegii rector, P. Maximilianus a Capella<sup>3</sup> doctor theologus, P. Georgius Colibraud<sup>4</sup> studiorum praefectus, P. Ioannes Deckerius<sup>5</sup> philosophiae professor, P. Aegidius Ruetius<sup>6</sup>, qui et constitutus est congregationis secretarius.

Hi tum privatim singuli, tum simul omnes et perlegerunt librum diligenter, et praeter paucissima, de quibus cum R.P. Provinciali postea conferendum putarunt, omnia vehementer comprobaverunt. Advocavit etiam R.P. Provincialis, ut primum hic adfuit, in eum ipsum finem P. Christianum<sup>7</sup> audomariensis collegii v. rectorem et P. Eleutherium<sup>8</sup> visitationis socium adhibuit. Ac simul de praecipuis rei totius capitibus ita disceptatum ab omnibus est, ut quamquam omnia, uti prius, valde probarentur, de his tamen paucis ad R. P. N. Generalem referendum iudicaretur<sup>9</sup>, eiusque iudicium utramvis in partem et expectandum et amplectendum ... ».

Ex epistola Francisci Coster S.I. praep. prov. Germ. Inf., diei 10 oct. 1586, ad P. Generalem –

« ... Miseram nuper quae de Ratione studiorum adnotaverant patres Duaci congregati. Postea allata sunt ad me, licet tardius, quae notaverant lovanienses. Ea a duacensibus quoque approbata cum his mitto si forte usui esse possint<sup>10</sup> ... ».

*Provincia Germaniae Superioris* – Ex epistola Ferdinandi Alber S.I., praep. prov. Germ. Sup.,<sup>1</sup> diei 4 iulii 1586, ad P. Generalem –

<sup>10</sup> Vide paradigmata explicandi auctores, docendi regulas, necnon leges scholasticas a provincia Austriae Romam missas; inferius, p. 435–48 vol. VI.

<sup>11</sup> *Germ. 166*, f. 273r-74r.

<sup>1</sup> Franciscus Coster S.I. (1532–1619), belga; cf. *Fl. Belg.* 9, f. 69v; FEJÉR I/1 60.

<sup>2</sup> Ioannes Servius S.I. (\* 1540), Cf. *Fl. Belg.* 9, f. 46r.

<sup>3</sup> Maximilianus De la Chapelle S.I. (1521–1593), belga; cf. *Fl. Belg.* 9, f. 46r; PONCELELET, *Nécr. Fl. Belg.* p. 12.

<sup>4</sup> Georgius Colibraudt S.I. (1540–1609), belga; cf. *Fl. Belg.* 9, f. 46r; PONCELELET p. 21.

<sup>5</sup> Ioannes Decker S.I. (1550c–1619), belga; cf. infra, p. 498 vol. VII.

<sup>6</sup> Aegidius Ruetius S.I. (1541–1598), belga; cf. *Fl. Belg.* 9, f. 54v; PONCELET p. 14.

<sup>7</sup> Christianus Dalmesius S.I. (1539–1613), belga; cf. *Fl. Belg.* 9, f. 50r; FEJÉR I/1 64.

<sup>8</sup> Eleuterius Pontanus S.I. (1527–1611), belga; cf. PONCELET p. 22.

<sup>9</sup> Vide tractatum commissionis: «*De ratione studiorum Inferioris Germaniae patrum iudicium*»; in cod. *Stud.* 2, f. 115r–16v; ed. inferius, p. 192 vol. VI et passim.

<sup>10</sup> *Germ. 166*, f. 330v.

<sup>1</sup> Ferdinandus Alber S.I. (1548–1617), tyrolensis; praepositus provinciae Germaniae Superioris annis (1585–1594); cf. *MHSI Catalogi Prov. Austr.* I 618.

« ... Decima iunii, quando ex Helvetia Dilingam veni, P. V. literas de Ratione studiorum 21 aprilis datas<sup>2</sup>, reperi. Atque statim ad id exequendum me accinxi quod illis literis a P. V. mandabatur. Consilio itaque meorum consultorum ad examinandam studiorum rationem, iuxta praescriptum P. V. deputavi: P. Theodoricum Canisium<sup>3</sup>, P. Gregorium de Valentia<sup>4</sup>, P. Richardum Haller<sup>5</sup>, P. Iulium Priscianensem<sup>6</sup>, P. Paulum Vizanus<sup>7</sup>, Patrem Bonaventuram Paradinas<sup>8</sup>; sex hosce eo quoque consilio ut quoniam P. Theodoricus et P. Vizanus propter necessitates collegii ingolstadiensis semper huic consultationi interesse non poterunt, alter saltem, habita ratione partis studiorum, de qua consultabitur, sit praesens.

Hi omnes, dempto patre Vizano, Dilingae congregati divino implorato auxilio una mecum heri rei initium dederunt, sicque eam communi consilio instituimus ut, licet consultationibus non semper intersim, quod necessitates provinciae et visitationis hoc tempus sic exigant, res nihilominus bonum progressum habitura sit, patre Richardo Haller dilingano rectore pluribus suffragiis delecto, qui consultationibus praesit, modumque procedendi in iis a me ex patrum congregatorum consilio heri praescriptum observari curet. Conabor nihilominus, quamprimum licuerit, Dilingam (quando hinc post triduum Ingolstadtum et visitationis et collegii georgiani ac etiam trium Serenissimi Gulielmi<sup>9</sup> filiorum ecclesiasticorum nomine qui ut literis Ingolstadii nostris de Societate praeceptoribus dent operam, iam statim eo mittendi dicuntur, ire cogar) redire et meas partes coram praestare. His patribus deputatis pro litteris humanioribus suo tempore accedent (qui tamen iam statim partem illam ex ordine studiorum literarum humaniorum examinare per se singuli incipient) P. Ioannes Holonius<sup>10</sup>, P. Reynerus Fabricius<sup>11</sup>, P. Iacobus Pontanus<sup>12</sup>, qui in grammaticis iudicia adferent, M. Georgii Schretli<sup>13</sup>, patris Christophori Silberhorn<sup>14</sup> et M. Simonis Grauloch<sup>15</sup>. Scribet praeterea circa humaniora suum iudicium P. Ioannes Houletus<sup>16</sup>. Dubitarunt aliqui ex quinque patribus deputatis, habiturine essent patres pro literis humanioribus assumendi una cum ipsis suffragium definitivum vel solum consultivum. Putarunt etiam sententiam de hac re a P. V. rogandam<sup>17</sup> ... ».

Ex epistola Ferdinandi Alber S.I., praep. prov. Germaniae Superioris, diei 17 septembris 1586 ad P. Generalem.

«Consultatione de studiorum ratione ad finem per deputatos patres, Christo Domino iuvante, faeliciter perducta, patrum illorum ac meum de ea iudicium P. ti V. cum his mit-

<sup>2</sup> Vide epistolam in MP V 160–62.

<sup>3</sup> Theodoricus Canisius S.I. (1532–1606), flander; cf. MP I–VII passim.

<sup>4</sup> Gregorius de Valencia S.I. (1551–1603), hispanus; cf. infra, p. 492 vol. VII.

<sup>5</sup> Richardus Haller S.I. (1550–1612), germanus, rector collegii dilingani; cf. GERL, *Catal. gen.* ... p. 161.

<sup>6</sup> Iulius Priscianensis S.I. (1542–1607), italicus; cf. inferius, p. 571 vol. VII.

<sup>7</sup> Paulus Vizanus S.I. (1542c–1589), italicus; cf. *Germ. Sup.* 19, f. 60r; FEJÉR I/1 269.

<sup>8</sup> Bonaventura Paradinas S.I. (1533c–1595), hispanus; cf. GERL, *Catalogus gen.* p. 304.

<sup>9</sup> Gulielmus V Bavariae Dux (1579–1597).

<sup>10</sup> Ioannes Holonius S.I. (1542–1622), lotharingus; cf. GERL p. 187.

<sup>11</sup> Reyner Fabricius S.I. (1558–1625), germanus; cf. *ib.* p. 104; *Germ. Sup.* 19, f. 82v.

<sup>12</sup> Ioannes Pontanus S.I. (1542–1626), germanus; cf. inferius, passim in vol. VI.

<sup>13</sup> Georgius Schretelius S.I. (1561–1642), cf. GERL p. 413; *Germ. Sup.* 19, f. 83v.

<sup>14</sup> Christophorus Silberhorn S.I. (1550–1599), germanus; cf. GERL p. 377; *Germ. Sup.* 19, f. 82v.

<sup>15</sup> Simon Grauloch S.I. (1561–1607), germanus; cf. GERL p. 145.

<sup>16</sup> Ioannes Houletus S.I. (1548c–1589), anglicus; cf. *Angl.* 14, f. 78r; FEJÉR I/1 123. – Eius scriptum de literis humanioribus conservatur Monachii, Bay. H. St. A., *Jesuiten* 78.

<sup>17</sup> *Germ.* 166, f. 102r.

to<sup>18</sup>. Fuerunt autem hi patres: P. Theodoricus Canisius, P. Bonaventura, P. Richardus Hal-  
ler, P. Gregorius de Valentia, P. Mathias Mayrhofer<sup>19</sup>. Quibus in humanioribus adiuncti  
fuerunt P. Reynerus Fabricius<sup>20</sup>, P. Iacobus Pontanus, P. Ioannes Holonius. Quae praeterea  
ad promovendam rem literariam et aliquorum quae scripto nostro suggerimus, si quidem  
P.ti V. probata illa fuerint, executionem iuvare possunt<sup>21</sup>, haec mihi occurrerunt.

Inprimis cum pro abroganda dictatione, laboriosa et valetudini adversa scriptione,  
alia vero insignia studiorum commoda consequenda utile inprimis ac necessarium futurum  
existimetur, si cursus tam theologicus quam philosophicus P.tis V.ae mandato a doctori-  
bus earum facultatum in Societate conscribantur atque in lucem editi autoritate P.tis V.ae  
Societati praescribantur. Pro cursu theologico P. Gregorium de Valentia non mea tantum,  
sed omnium qui hominis ingenium ex eius lectionibus, scriptionibus, libris etiam hactenus  
ab illo editis norunt, sententia P.ti V.ae nominandum putavi. Qui ad talem provinciam et  
Societati et Ecclesiae utilissimam P.tis V.ae literis invitatus non usque adeo magno labore  
hac quam dicam ratione rem perfecturus videretur. Si quando iam ad D. Lucae, Deo iu-  
vante, cursum theologicum praelegendo denuo Ingolstadii auspicabitur, lectiones suas sive  
materias quas in scholis praelecturus est, eadem opera et pro scholis praeepararet et ut prae-  
lo quandoque committi ac in lucem edi possent, simul diserneret<sup>22</sup>. [240v]

Pro cursu philosophiae saepius audiui Patris Fonsecae lucubrationes excusas optari<sup>23</sup>.  
In humanioribus P. Pontanus ad nonnulla conscribenda idoneus iudicatur. Quae pro huma-  
norum literarum promotione et eas discentium adolescentium commodo in nostro scripto  
typis evulgata in scholas Societatis inducenda iudicamus. Dialogos pro utilitate inferiorum  
scholarum aliquot iam conscripsit, qui multum placent<sup>24</sup>. Huius patris labores et conatus a  
P. V.a literis ad ipsum datis probari nonnulla quae videbuntur ut per ipsum edantur, simul ei  
demandando plurimum illum ad eiusmodi laborum ultro ac libenter suscipiendum, non inci-  
tarent solum, verumetiam animi quiete singulari donarent et in Domino recrearent<sup>25</sup>. Consi-  
lium circa studia hebraica scripto nostro adiunctum, est Patris nostri Balthasar Hagelii<sup>26</sup>  
qui etiam lexicon hebraicum his praeteritis annis quibus hebraica Ingolstadii docuit, con-  
scripsit quod dignum nonnulli iudicant ut excudatur. Haec quidem circa studiorum rationem  
nobis occurrerunt quibus, si vel aliqua parte expectationi P.tis V.ae satisfactum a nobis fuis-  
se cognoverimus, plurimum in Domino gaudebimus. Christum Dominum oramus ut P.ti  
V.ae quoque inchoati huius utilissimi operis laetum ac optatum finem concedat et gratissimo  
huius laboris fructu ad plures annos reficiat<sup>27</sup>.

<sup>18</sup> Vide «*Observationes circa Rationem studiorum ex provincia Superioris Germaniae*»; textus in cod. *Stud.*  
3, f. 194r-241v; ed. inferius, p. 101-02 et passim.

<sup>19</sup> Matthias Mayrhofer S.I. (1548-1641), germanus; cf. GERL p. 270.

<sup>20</sup> Reynerus Fabricius S.I.; vide supra, adn. 11.

<sup>21</sup> Vide: *Paradigmata seu modus docendi in scholis humanitatis et rhetoricae* – De modo quotidianarum  
disputationum, parandi copiam, repetendi studia etc. – De ritu et modo promovendi ad licentiam. – De insi-  
gnibus rectoralibus in universitate, immatriculatione etc. – Leges communes scholasticorum quo ad mores.  
– Appendix ad totum librum: De institutione magistrorum. – De cognoscendis ingeniis. – De discipulis pro  
ingenio, captu et natura tractandis. – De discipulis diligendis. – De praeparatione ad docendum. – De ratio-  
ne explicationis. – De actione magistri in schola. – De ordine, perspicuitate, brevitate. – De examinandi ratio-  
ne. – De diversitate thematum in utraque oratione, soluta et ligata, et unde petenda sint. – De discipulis  
puniendis. – De concordia praeceptorum. – De libris quos legant professores. (v. infra, p. 455-73 vol. VI).

<sup>22</sup> Vide eius: *Commentariorum theologicarum tomi quatuor* (Ingolstadii 1591); SOMMERVOGEL VIII 396-98.

<sup>23</sup> De Petro da Fonseca S.I. vide MP III 60.

<sup>24</sup> Vide supra, adn. 21.

<sup>25</sup> Vide: «*Oeconomia dialogicae scriptionis*»; inferius, p. 473-79 vol. VI.

<sup>26</sup> Vide B. Hagelii tractatum de schola hebraica; infra, p. 257-59.

<sup>27</sup> *Germ.* 166, f. 240r-v.

## «De studiis humanitatis – Circa praxin et ordinem studiorum

Methodus tractandi partem practicam initio proposita valde placet, vehementerque optatur, ut regulae, ex ea libri parte conficiendae, diligenter excerpantur et mittantur, ut ei methodo atque observationibus sane praeclaris frequenter in ea contentis, bene respondeant<sup>28</sup> ... ».

*Provincia rhenana* – «De Ratione studiorum Roma misso libello rhenanorum patrum iudicium

Fuerunt autem hi Moguntiae eam ad rem a R.P. Oliverio visitatore<sup>1</sup> deputati: P. Hermannus Thyraeus<sup>2</sup>, rector moguntinus, P. Iohannes Leo<sup>3</sup>, P. Iohannes Hasius<sup>4</sup>, P. Iohannes Busaeus<sup>5</sup>, P. Iacobus Ernfelderus<sup>6</sup>, rector molsheimensis, P. Iohannes Gibbonus<sup>7</sup>, rector trevirensis, P. Nicolaus Serarius<sup>8</sup>.

*In romanae congregationis acta*<sup>9</sup> – Magnopere laudandum patres censuere admodum R. P. N. Generalis institutum de uniformi et conspirante tum docendi tum discendi ratione instituenda; ideoque et ipsum etiam atque etiam rogatum voluerunt ut, quod ad summam Societatis utilitatem, Ecclesiaeque totius commodum caepisset, absolvere absolutumque studiose conservare dignaretur. Est enim, praeter libelli rationes, id bonis omnibus quam gratissimum futurum, qui eosdem nostris in scholis auctores, eodemque modo explicari diu ac saepe desiderarunt. Et contra, improbis et haereticis maxime, diem ipsum molestissimum, adeoque perniciosissimum futurum est. Cum enim magis atque magis mutuis ipsi dissensionibus quam gravissime dissideant, nulla ad eorum expugnanda castra machina commodior, quam si concordibus studiis et laboribus eadem omnes eodemque modo doceamus. Unde sunt eorum quidam subinde auditi, qui nostrum istud consilium et consensionem se magnopere, si eam quandoque institui contingeret, formidare testarentur. Ludi vero litterarum, quorum hinc magna ubique copia, idem ubi advertere caeperint (advertent autem, si constanter, uti speramus, resierit quam citissime) sese nostrum ad modum totos conformabunt, ut iis quos erudiant, adolescentibus nostrae ad scholae aditum communiant; sicque scholae istae nostrarum veluti seminaria, illarum vero nostrae veluti exemplaria et ideae quaedam erunt. In collegiorum vero foundationibus magna fundatoribus quibusdam maiorem lectionum, exercitationum, vel professorum numerum exigendi ansa praecidetur, dum uniusmodi a Societate ratio ubique tenebitur<sup>10</sup> ... ».

Ex epistola Oliverii Manaraei S.I., visitatoris, diei 6 iunii 1586, ad P. Generalem –

« ... Literas V. R. P. datas 21 aprilis<sup>11</sup> accepimus cum tribus libris pertinentibus ad Rationem studiorum. Fasciculum praeterea pro P. Costero recepimus eodem tempore et misimus. Porro quod ad mandata V. R. P. in eis literis contenta, ea exequemur qua poteri-

<sup>28</sup> *Stud.* 3, f. 194r–241r.

<sup>1</sup> Oliverius Manaraeus S.I. (1526c–1614), belga; vide infra, p. 434 vol. VII et passim.

<sup>2</sup> Hermannus Thyraeus S.I. (1530c–1591), germanus; cf. infra, p. 603 vol. VI et passim.

<sup>3</sup> Ioannes Leo S.I. (1540c–1609), hispanus; cf. infra, p. 453 vol. VII.

<sup>4</sup> Ioannes Hasius S.I. (1541–1624), flander; cf. SOMMERVOGEL IV 135–36.

<sup>5</sup> Ioannes Busaeus S.I. (1539–1611), belga; cf. *Rhen. Inf.* 38, f. 53v; FEJÉR I/1 39.

<sup>6</sup> Iacobus Ernfelder S.I. (1544–1601), germanus; cf. *Rhen. Inf.* 38, f. 93r; FEJÉR I/1 83.

<sup>7</sup> Ioannes Gibbonus S.I. (1544–1589), anglus; cf. *Rhen. Inf.* 38, f. 73r; FEJÉR I/1 105.

<sup>8</sup> Nicolaus Serarius S.I. (1554–1609), cf. *Rhen. Inf.* 38, f. 81r; FEJÉR I/1 233.

<sup>9</sup> Vide «Acta congregationis ... de Ratione studiorum instituenda» in MP V 2–5.

<sup>10</sup> *Stud.* 3, f. 242r.

<sup>11</sup> Epistolam Patris Generalis, diei 21 apr. 1586, de Ratione studiorum examinanda, vide in MP V 160–62.

mus et par est diligentia, Deo bene propitio. Certe res tam prudenter, tam ordinata, tam solide, tam pie tractata mihi visa est, ut non mediocriter exiluerit in me spiritus meus. Utinam et nos praestemus partes nostras pari solitudine, studio et caritate non dissimili<sup>12</sup> ... ».

Ex epistola Hermannii Thyraei S.I., collegii moguntini rectoris, diei 18 sept. 1586, ad P. Generalem –

«Congregationi nostrae, propter studia institutae, finis praesente R.P. Visitatore<sup>13</sup> impositus est. De horarum coniunctione alias perscripsi R. P. V.; et quoniam non voluit denuo integre de hoc negotio tractari R.P. Visitator, sed placuit ut tantum gravamina ponerentur et indicarentur R. P. V., alius quidem petiit, ut literis meis adiungerem utriusque partis vel sententiae rationes a se collectas, quod et ego iam ante feceram. Mitto igitur cum his rationes pro et contra horarum coniunctionem<sup>14</sup>. Omnes promptissime hoc exequentur, quod R. P. V. ordinatione constituetur<sup>15</sup> ... ».

*Provincia Aquitaniae* – Ex epistola Petri Lohierii S.I.<sup>1</sup> praep. prov. Aquitaniae, diei 15 febr. 1586, ad P. Generalem data

« ... Mitto et censuram nostram in ordinem et rationem studiorum, id est in priorem partem eiusdem ordinis. Nam quae pertinent ad studia humanitatis, misi cum superioribus meis literis, ad 15 mensis superioris datis. Excusatos nos habeat rogo V. P. quod istam censuram tardius fortasse mittimus quam par fuisset. Nam tardissime libellum recepimus<sup>2</sup>. Deinde aliquot menses necessario insumere oportuit, ut singuli quos oportebat, illum particulatim et attente legerent ex V. ae P. praescripto. Postremo quod et difficilius fuit, congregationes nostrae ad illum serio examinandum plus temporis et operae insumpserunt. Faxit Deus, ut omnia cedant ad maiorem gloriam Dei et Societatis utilitatem. Cupimus vehementer, ut tota ista Ratio studiorum accurate et distincte confecta ad nos brevi remittatur<sup>3</sup> ... ».

*Provincia Francia* – «Iudicium congregationis deputatorum in provincia Francia ad recognoscendam studiorum rationem ab admodum R.P.N. Generali Claudio Acquaviva ex Urbe anno 1586 transmissam

Tribus quatuorve mensibus serius in hanc provinciam, quam in alias, et liber de studiorum ratione et literae P. N. ea de re<sup>1</sup> perlatae sunt. Quo factum est, ut congregatio deputatorum ad recognoscendam studiorum rationem tardius multo in hac provincia, quam in caeteris, indiceretur et perficeretur.

<sup>12</sup> *Germ.* 166, f. 62v.

<sup>13</sup> O. Manaraeus S.I.; vide supra, adn. 1.

<sup>14</sup> Vide scriptum commissionis: «Quare coniunctis horis docendum, quemadmodum liber perscribit»; vide inferius, p. 420–27 vol. VI.

<sup>15</sup> *Germ.* 166, f. 242r. – De statu laboris examinandae Rationis studiorum scripsit breviter P. Thyrius iam antea quoque, die 10 aug. 1586; quam epistolam videas inferius, p. 603 vol. VII.

<sup>1</sup> Petrus Lohierius S.I. (ob. 1593), gallus, praepositus provinciae Aquitaniae annis 1581–1588; cf. *Synopsis hist.* S.I. 670.

<sup>2</sup> «Quia tarde admodum recepimus librum de Ratione studiorum, non potuimus hactenus totam censuram nostram conficere. Mittimus vero quae a nobis animadversa sunt in eam partem quae de studiis humanitatis agit. Reliquam censuram primo quoque tempore mittemus. Interim tota ea de re maturius disceptabimus». Ex epistola eiusdem, diei 16 ian. 1586, ad P. Generalem data; in *Gall.* 92, f. 327r.

<sup>3</sup> ARSI, *Fondo Gesuitico 648 (Epistolae selectae)*, fasc. 349.

<sup>1</sup> Epistolam Patris Generalis, diei 21 apr. 1586, de deputandis patribus pro examinanda Ratione studiorum videas in MP V 160–62.

Acta congregationis quinque deputatorum in provincia Francia  
de Ratione studiorum instituenda

Acceptis primum ineunte mense octobri anni 1586 literis admodum R.P.N. Praepositi Generalis Claudii Aquaviva, una cum exemplaribus aliquot Rationis studiorum Romae conscriptae, R.P. Clemens Puteanus<sup>2</sup> huius provinciae viceprovincialis, iuxta praescriptum eiusdem P. N., ad plura suorum consultorum suffragia, mox ex diversis collegiis patres theologos quinque secum ad id operis deputandos elegit: P. Annibalem Codretum<sup>3</sup>, P. Nicolaum Clerum<sup>4</sup>, rectorem collegii mussipontani, P. Richardum Flaminium<sup>5</sup>, P. Iacobum Comeletum<sup>6</sup>, P. Alexandrum Georgium<sup>7</sup>, collegii parisiensis rectorem (neque enim plures commode deputari potuerunt), omnes in administrandis scholis et diversis facultatibus probe versatos. Primus et postremi Parisiis cum R.P. Viceprovinciali commorabantur, duo intermedii Mussiponto evocati sunt; unus interfuit; alter, nimirum, P. Clerus, quod suum collegium absque gravi incommodo deserere se non posse censuerit (cuius arbitrio id R.P. Viceprovincialis permisit), non venit, suum nihilominus ipse iudicium perscribit<sup>8</sup>.

Consultatio prima generalis

Itaque 25.a die mensis octobris prima consultatio habita est, in qua universim de tempore, ordine et modo negotii gerendi tractatum fuit. Ad eam (quod generalis esset) vocatus est P. Iacobus Tirius, qui unus fuit ex sex patribus Romae deputatis<sup>9</sup>, ut nos in toto opere dirigeret. In illa consultatione haec a R.P. Viceprovinciali proposita fuerunt: [331v]

Primo – An legitima esset congregatio? Et num P. Michael Notaeus<sup>10</sup> tamquam socius viceprovincialis advocandus esset, aut alius quispiam? Iudicarunt omnes legitimam esse congregationem, neque ob stare P. Nicolai Cleri absentia, quae dubitationem adferre videbatur, quandoquidem R. P. N. suis literis permittat, ut qui commode interesse non possit, suum ille iudicium scripto transmittat. Qua de re perlectae fuerunt initio literae integrae P. N. Neque etiam necessario advocandum P. Michaellem Notaeum, eo quod socius sit R.P. Viceprovincialis, quia hinc non agitur de gubernatione provinciae et collegiorum; et haec congregatio alterius est ordinis, nec ullum habuit suffragium ut deputaretur; alios vero advocandos, prout erunt necessarii. Ita fiat.

2. Quod tempus praescribendum, intra cuius limites omnia perficiantur? Maior pars sensit intra Purificationem esse absolvendum. Ita fiat. Et si fieri potest, ante Epiphaniam omnia perficiantur; sin minus, ad summum ante Purificationem.

3. Quibus diebus et quot horis habendi conventus? Maior pars respondit quater in hebdomada a prandio tantum, per duas horas et dimidiatam. Ita fiat. Et illi dies ordinarie sint feria 2.a 3.a 5.a et sabbati dies, quia his diebus magis vacant in collegio, ex quo aliqui

<sup>2</sup> Clemens Puteanus S.I. (1552–1598), gallus; de quo cf. infra, p. 476 vol. VI.

<sup>3</sup> Hannibal du Coudret S.I. (1525–1599), gallus; cf. MP I p. 93 et passim.

<sup>4</sup> Nicolaus Clerus S.I. (1540–1595), gallus; cf. MP IV 788.

<sup>5</sup> Richardus Flaminus S.I. (1542–1590), gallus; cf. SCADUTO, *Catalogo* ... p. 57–58.

<sup>6</sup> Iacobus Comoletus S.I. (1549–1621), gallus; cf. *Franc. 10*, f. 132r; FEJÉR I/2 51.

<sup>7</sup> Alexander Georgius S.I. (1547–1621), gallus; cf. SOMMERVOGEL III 1340.

<sup>8</sup> Eius scriptum: «Examen Rationis studiorum» vide in cod. *Stud. 3*, f. 366r–69v; ed. inferius, p. 108–09 vol. VI et *ib.* passim.

<sup>9</sup> Iacobus Tyrius (Tirie) S.I. scotus; cf. MP V p. 3.

<sup>10</sup> Michael Notaeus S.I. (\* 1539c); cf. *Franc. 10*, 37v.



erunt aliquando advocandi, nec lectio casuum conscientiae, quae habetur die Mercurii, neque exhortatio, quae die Veneris, praetermittentur. Sufficiunt vero duae horae; tamen etiam quando necessarium erit, addetur media hora vel amplius.

4. Quis secretarius? Maior pars P. Richardum Flaminium elegit. Ita fiat. Si vero alterius opera egeat, iuvabitur.

5. Quae methodus et ratio servanda? Ex iis, quae ultro citroque dicta sunt, haec sit: Incipiendum a primo capite, quod est de praxi in theologia servanda. Quisque dabit secretario ea omnia, quae in id caput observavit, qui illa leget in proxima congregatione. Quae iudicabuntur non magni momenti, decidentur ex tempore. Reliqua scribentur a secretario ordine et proponuntur in loco congregationis et singula examinabuntur deinceps. Post legetur textus illius capitis, et quisque proponet, quod occurret, et ita ad aliud caput venietur, in quo eadem ratio servabitur. Ultimo loco examinabitur quod habetur primum de opinionum delectu, ut interea habeamus iudicium Mussipontanorum. Scribet vero secretarius opinionem singulorum, ita ut cum plures convenient, dicat maiorem partem ita sensisse, nec nominet alios qui aliter senserunt, nisi petant, et nisi ratio illorum esset alicuius ponderis.

Clemens Puteanus [332r]

#### Consultationes particulares de ipso opere toto

In reliquis omnibus consultationibus, quae particulares fuerunt, haec observata sunt:

*Circa titulum seu inscriptionem libri haec occurrerunt* – Quibusdam visum est titulum paulo nobiliorem apponendum esse, huiusmodi: Tractatus de ordine et ratione studiorum in Societate Iesu tenenda, in tres partes distributus, iussu R.P. Claudii Aquaviva praepositi generalis eiusdem Societatis editus; aut alium similem. Sed maior pars sensit non immutandum esse. Omnes tamen putarunt addendum post illa verba Ratio studiorum «Societatis Iesu» aut quid simile. Nec faciendam mentionem ullam sex patrum deputationum in frontispicio libri, sed exprimendum duntaxat nomen R.P.N. Generalis; tum quia fit a tota Societate et non a sex patribus tantum; tum ut maior libro auctoritas concilietur. Neque etiam addendum nomen eius, qui librum edet et suo stylo digeret, aut in fronte libri aut in praefatione.

*Circa praefationem haec occurrerunt* – Quidam putavit nullam aliam libro praefigendam esse praefationem, praeter illam, quae iam est posita<sup>11</sup>, si liber imprimendus sit, ut nunc est; sin minus, duae oportere esse praefationes. Unam R.P.N. Generalis ad totam Societatem, qua ostendat se ob causas iustas adductum, ut hunc tractatum edendum curaret; alteram, qua exponatur ratio, qua hic liber editus est; quod caeteri omnes omnino probarunt, sive liber edatur, ut modo est, sive aliter.

*Circa acta congregationis*<sup>12</sup> *haec notata sunt* – Primo – Quoniam locus ille qui citatur (pag. 1.a lin. 1.a) actorum congregationis, desumptus est ex declarationibus Constitutionum illius partis et capitis, iudicarunt omnes verbum «declarationes» ponendum loco vocis «constitutiones», ut sic legatur «Declarationes Constitutionum 4 part. c. 13 A «De statutis etc.».

2. Iudicarunt fere omnes textum illum, qui secundo loco in eadem pagina affertur ex 4.a part. c. 5 § 4 et c. 14 § 3 ponendum esse primo loco ante textum declarationis praecedentem.

<sup>11</sup> Quam praefationem vide in MP V p. 1.

<sup>12</sup> Quae habentur *ibidem*, p. 2–5.

tem, quia ut par sit constitutionum et declarationum apud nos auctoritas; illae tamen habent locum textus, hae commentariorum. Unus nihilominus censuit verba declarationis primo loco, ut nunc sunt, ponenda, et quia generaliora sunt, et quia mentionem tractatus huiusmodi faciunt. Consenserunt praeterea omnes, verba Constitutionum ex posteriori loco scilicet cap. 14 § 3 ad longum ponenda, quemadmodum et praecedentia, in quibus continentur, ut maior sit auctoritas huius tractatus, sicut fit infra in praxi et ordine studiorum in initio<sup>13</sup>. [332v]

3. Nonnullis visum est ad rationes illas, quae adferuntur (pag. 2.a et 3.a) cur hic liber scriptus sit, alias adici posse; nimirum, ut qui ab uno collegio aut provincia, sive nostri sive externi transeunt, non perturbentur, cum alia ratio studendi illis proponitur. Deinde, ne si nihil certi in studiis statuatur, quisque Superior in suum collegium aut provinciam novum invehat docendi modum. Demum, quia cum sperandum sit, nostram docendi rationem fore omnium optimam et accuratissimam, futurum fortasse est, ut multae academiae eam amplectantur, et externi plurimi in suis privatis studiis nos imitentur. Maior pars sensit priores duas rationes praetermittendas, quod in quibusdam iam positae contineantur; tertiam modeste addi posse, ne videamur nos caeteris omnibus anteferre.

4. Iudicarunt omnes (pag. 5 linea 17.a) loco illius dictionis «reformationem» ponendum esse «institutionem», quia hactenus nullam certam formam praescriptam habuimus, ut egeamus reformatione.

*Circa reliquum libri universim haec observata sunt* – 1. Visus est stylus, caeteroquin latinus et elegans, nonnullis in locis, qui postea indicabuntur, quibusdam obscurior. Iudicarunt omnes reddendum esse clariorem.

2. Plerique arbitrati sunt librum hunc nimis esse mordacem. Nam multis in locis, qui infra notabuntur, perstringit nostros tam superiores, quam inferiores et externos; atque adeo totam Societatem. Multa reprehendit; nimium indulget et concedit subditis, mordet superiores; adimit illis libertatem, tollit religiosam simplicitatem et obedientiam. Quae omnia resecanda esse omnes senserunt. Ad haec, Ratio studiorum hic praescripta non apparet satis plena aut accommodata omnibus collegiis, cum multa desiderentur, et quae praescripta sunt, paucis collegiis consulant; quae omnia suis locis manifestabuntur.

3. Existimarunt omnes correctius imprimendum esse hunc librum recognitum, quam nunc impressus est, cum virgulis, interpunctionibus et aliis distinctionibus.

4. Observatum est, frequenter in hoc libro variis in locis mentionem fieri Constitutionum; nec tamen citari aut earum verba aut etiam interdum loca. Item Constitutiones saepe citari pro declarationibus. Quae duo errata corrigenda omnes senserunt.

*Circa praxim et ordinem studiorum*<sup>14</sup> haec proposita sunt – Diiudicarunt omnes, non referenda iterum hoc loco esse verba Declarationum, quae superius posita fuerunt initio actorum congregationis, ne saepius idem repetatur; sed illic ponenda esse, tum Constitutionum, tum Declarationum verba, quae hic habentur. Et hoc loco insinuandum tantum illa esse superius relata. [333r]

2. Omnibus fere visum est, ne hoc quidem in loco, ullam sex patrum mentionem faciendam esse, sicut nec in frontispicio libri, et ob easdem causas; sed satis esse illorum mentionem fieri in actis congregationis Romae habitae. Ac proinde tollenda esse illa verba infra posita (pag. 68 lin. 25 et 26) «adhuc iidem patres»<sup>15</sup>.

<sup>13</sup> Vide MP V p. 41.

<sup>14</sup> Quae pars incipit p. 41 MP V.

<sup>15</sup> Vide *ibidem* p. 41.

3. Placuit fere universis totum librum duas in partes (ut fit in actis congregationis in fine) distribui; unam, quae de opinionum delectu; alteram, quae de praxi et ordine studiorum agat. Et hanc iterum subdividendam esse in tres partes (ut fit in praxi studiorum; pag. 68 lin. 2.a) unam quae de theologia, alteram quae de philosophia et tertiam quae de humanioribus literis tractet. Et singulas partes in capita; ut hac ratione et respondeat ordini Constitutionum, et commodius citari possit et facilius inveniri, quae ibidem continentur. Et quamvis alicui visum sit, servandum esse ordinem cum naturae, tum doctrinae, qui ab imperfectioribus et minus dignis ad perfectiora et digniora progreditur, ut proinde primo agendum esset de humanioribus literis, tum de philosophia; ac demum de theologia. Tamen caeteri omnes iudicarunt servandum ordinem, qui nunc est; a dignioribus scilicet ad minus digna. Quidam existimavit hunc ordinem fore commodum, ut totus liber in tres partes dividatur: 1.a sit de theologia, 2.a de philosophia, 3.a de humanitatis studiis. Prima pars sectiones duas habeat: 1.a sit de opinionum delectu, 2.a de praxi, quae per tria capita distribuatur; 2.a item pars duas sectiones eodem modo habeat; 3.a tantum capita habeat.

4. Quoniam ibidem (pag. 68 a linea 9.a usque ad lineam 5.am paginae 69) indicatur tantum decisiones et regulae, praefationibus et aliis resectis, retinendas evulgandasque esse; diiudicarunt universi, et rationes omnes et praefationes et quaecumque lectorum animos ad literarum aut quarumcumque facultatum studia excitare et inflammare possint, retinenda evulgandaque esse, vel ut nunc sunt (quemadmodum nonnullis visum est), resectis illis, quae nostram Societatem, eiusve aut nostrorum vel externorum reprehensionem propius attingunt. Quae omnia suis locis indicabuntur, aut certe in margine alio caractere addendas esse rationes, praefationes et id genus alia, per modum commentariorum ad ipsum studiorum ordinem ceu textum, sicuti Declarationes ad Constitutiones (quod aliis placuit magis); vel saltem seorsim rationes, praefationes et alia huiusmodi in uno libro, cuius plura pro singulis collegiis et domibus fierent exemplaria, quae in illorum archivis ad perpetuam memoriam conserventur, ut de re tota posteris constare possit. In alio vero regulas et decisiones, qui omnibus evulgetur. Rationes vero, quibus omnes permoti sunt ad hoc expetendum, huiusmodi sunt. Primum, ne posteritas hoc negotium tandem ignoret, putetque hunc studiorum ordinem unius alteriusve duntaxat voluntate factum esse. Deinde, ut superioribus saltem, si non aliis etiam, constent rationes, propter quas unaquaeque res hoc vel illo modo decreta fuerit; et cum necesse fuerit, petentibus rationem possint reddere. Tum vero, ut habeant in promptu unde respondeant his, qui fortasse hunc ordinem mutare vellent, quorum argumenta hic fere soluta erunt. Ad haec, ut ex similium argumentorum solutione, alia quoque dissolvantur, quae forte ab acutis hominibus excogitabuntur. Denique, ut non facile tentent nostri hanc studiorum rationem immutare, quam videbunt diligenter expensis utrinque argumentis, et communi totius Societatis consensu esse constitutam.

(Pag. 69) visum est omnibus patribus deputatis, nullam omnino faciendam mentionem esse ullius collegii aut provinciae in particulari in hac studiorum ratione, quae generalis esse debet pro tota Societate, [333v] sed aliquid generatim statuendum, quod postea singulis in particulari pro varia conditione et diversa ratione applicetur, contra quam fit et indicatur linea 10.a et 11.a<sup>16</sup> ... ».

<sup>16</sup> Vide *ibidem* p. 42.

Ex epistola Clementis Puteani S.I., praep. prov. Franciae, diei 12 oct. 1586, ad P. Generalem –

« ... Librum de ordine studiorum accepi tantum ante quindecim dies, cum tamen V. P. tis epistola scripta esset 21 aprilis<sup>17</sup>. Mora fuit in lugdunensibus vel aliis. Properabimus tamen, et quod confici debuerat sex mensibus, nitemur ut tribus perficiamus. Usus consilio consultorum provinciae elegi quinque, quibuscum totum illum examinabimus omni diligentia: P. Annibalem a Codreto, P. Richardum Flaminium, P. Rectorem mussipontanum (si negotia collegii illius possunt ferre eius absentiam), P. Iacobum Comoletum, P. Rectorem collegii parisiensis. Audiam et aliorum nostrorum theologorum et philosophorum sententias<sup>18</sup> ... ».

Ex epistola Clementis Puteani S.I., praep. prov. Franciae, diei 21 dec. 1586, ad P. Generalem –

« ... Mitto ad V. P. tem iudicium congregationis huius provinciae de iis quae statuta erat circa ordinem studiorum in theologia facultate. Nam etsi fere, quae ad philosophiam et litteras humaniores pertinent, etiam recognovimus, ne tamen per cursorem diligenter non possent omnia ad vos perferri, dimisi fasciculum et quae magis urgebant, iam censi mittenda; nempe quae theologiam attinent. Cetera per proximum aut secundum cursorem etiam transmittam. Theologica et philosophica satis diligenter examinavimus. Quae humanitatis erant, non ita diligenter ob temporis angustias; non tamen negligenter.

Et quia fortasse V. P. iudicabit ad haec iterum omnia recognoscenda et accurate retractanda aliquos ex aliis provinciis evocandos, existimavi mei esse muneris monere V. P. tem ex hac provincia evocari posse P. Iacobum Gordonium<sup>19</sup>. Nam paucos ego novi in Societate tam bene in philosophia et theologiae parte versatos praeter quam quod acerrimi et perquam solidi est iudicii. Hoc impedimentum est tantum, quod forte omnino impedit quod modo in Scotia est. Ubi fortassis utilior est Societati et Ecclesiae. Et unde sine magno dispendio et damno missionis illius Scotiae evocari non posset<sup>20</sup> ... ».

#### Ex tractatu Ioannis Bleusii<sup>21</sup> S.I. de Ratione studiorum

«Missum ordinem studiorum ob occupationes et concessi ad eo fruendum temporis angustias percurri potius quam examinavi. Equidem ubi de illius sensu et consensu Societatis decretum extiterit, dabo operam, Deo iuvante, ne obedientiae ulla in re desim. Iam vero, quia non tam de huiusmodi resignatione agitur, quam meum de tanti momenti negotio, iudicium quaecumque quaeritur, paucula haec notanda existimavi<sup>22</sup> ... ».

*Provincia Lugdunensis* – Ex epistola Ludovici Richeomi S.I. praep. prov. lugdunensis, diei 28 ian. 1586, ad P. Generalem

« ... Rationem studiorum nuper accepi, scilicet 11 circiter die ianuarii, cum literis ad P. Arnoldum<sup>2</sup>, tum provincialem, mense aprili scriptis<sup>3</sup>, quibus R. V. P. petebat ad se scribi nostrorum de ea ratione iudicium. Id etiam faciam cum primum licebit. R. V. P. excusabit miseras nostras, quae nobis otium abstulerunt et negotia molestissima reperierunt<sup>4</sup> ... ».

<sup>17</sup> De qua epistola vide superius, adn. 1.

<sup>18</sup> *Gall.* 92, f. 236r.

<sup>19</sup> De Iacobo Gordon Huntley S.I., scoto cf. inferius, p. 521 vol. VII.

<sup>20</sup> *Gall.* 92, f. 288r.

<sup>21</sup> Ioannes Bleusius S.I. (1554c–1615), belga; cf. *Franc.* 10, f. 137r; FEJÉR I/2 28.

<sup>22</sup> *Stud.* 3, f. 372r.

<sup>1</sup> Ludovicus Richeôme S.I. (1544–1625), gallus, praepositus provinciae lugdunensis annis 1586–92; cf. *Synopsis hist. S.I.* ... 672; FEJÉR I/2 195.

<sup>2</sup> Arnoldus Voisin S.I. (1540–1596), gallus, praep. prov. lugdun. annis 1582–1586; cf. SCADUTO, *Catalogo* ... 157; *Synopsis hist. S.I.* ... 672.

<sup>3</sup> Vide MP V 160–62.

<sup>4</sup> ARSI, *Fondo Gesuitico 650/ A*, fasc. 476.

*Provincia Poloniae* – «De ratione atque institutione studiorum per sex patres deputatos Romae anno 1585 conscripta iudicium congregationis provinciae Poloniae mandato R. P. N. ad eundem finem celebratae Vilnae anno 1586 mensibus octobri, novembre et decembre, et ianuario sequente

*Acta congregationis ipsius* – Quoniam tardius in provinciam Poloniae nova studiorum institutio perlata fuit, nec ante mensem augustum anni 1586 P. Provinciali<sup>1</sup> reddita, citius quam mense octobri ad examen circa eam instituendum convenire non potuerunt patres deputati et ad eam vocati ob nimiam provinciae amplitudinem collegiorumque distantiam. Locus conventui Vilnae delectus est. Nam et Lithuaniam tum provincialis invisebat, et Polonia alioqui multis in locis pestifera aëris contagione laborabat, et illuc pauciores aliunde vocandi erant, academia ipsa professores et doctores abunde suppeditante.

Patres autem deputati ad hunc conventum hi fuere: P. Ioannes Paulus Campanus, provincialis; P. Garzias Alabinus<sup>2</sup>, theologiae doctor ac rector academiae vilnensis; P. Philippus Vidmanstadius<sup>3</sup>, theologiae doctor et academiae vilnensis cancellarius; P. Stanislaus Grodicius<sup>4</sup>, theologiae doctor et professor ordinarius academiae vilnensis; P. Antonius Arias<sup>5</sup>, theologiae doctor et academiae professor (licet tum regius concionator, [128v] sed sub medium operis advenit); P. Emanuel a Wega<sup>6</sup>, theologiae professor ordinarius in academia vilnensi; P. Adamus Brocus<sup>7</sup>, professor controversiarum et casuum ordinarius; P. Leonardus Rubenus<sup>8</sup>, rector collegii rigensis, e Livonia ad conventum hunc accersitus; P. Fridericus Bartschius<sup>9</sup>, rector collegii brunsbergensis, e Prussia propter eandem causam evocatus, sacrae theologiae doctor et ipse; P. Thomas Busaeus<sup>10</sup>, collegii derpatensis rector, ab Estonia tum ad hoc, tum ad emittendam professionem vocatus; serius adfuit et ob festa impendentia non multo etiam post redire coactus est.

Adhibiti praeterea sunt ad philosophiae studium examinandum duo ex academia hac vilnensi professores, antiquus alter P. Leonardus Krakerus<sup>11</sup>, artium magister et trium iam cursuum professor, alter Martinus Smiglecius<sup>12</sup>, qui nunc philosophiam praelegit. Ad humaniora vero studia additi alii tres: P. Adamus Almanius<sup>13</sup> multorum iam annorum rhetoricae professor, ac nunc etiam vilnensis academiae in eadem facultate lector, et P. Gaspar Moraris<sup>14</sup>, ac P. Iacobus Safarnius<sup>15</sup> antiqui et ipsi eiusdem professores, nunc theologi. [129r]

Quamvis autem ex Polonia ipsa ob nimiam itinerum distantiam et ob contagionis pericula nemo vocatus sit, tamen libro ad varios misso iudicium et censura eorum etiam petita fuere, miseruntque ea ad vilnensem hunc conventum, in quo et lecta et examinata sunt

<sup>1</sup> Ioannes Paulus Campana S.I. (ob. 1592), italus, praepositus provinciae Poloniae annis 1581–1592; cf. SCADUTO ... p. 25; *Synopsis hist. S.I.* ... 682; D. CACCAMO, *Giovanni Paolo Campana*. In: *Diz. biogr. Ital.* XVII 346–49.

<sup>2</sup> Garzias Alabinus S.I. (1549c–1624), hispanus; cf. *Pol.* 7, f. 49r; FEJÉR I/2 p. 3.

<sup>3</sup> Philippus Widmanstadius S.I. (1541c–1588), germanus; cf. *Pol.* 7, f. 49r; FEJÉR I/1 274.

<sup>4</sup> Stanislaus Grodicius S.I. (1542c–1613), polonus; cf. *Pol.* 7, f. 49r; FEJÉR I/1 112.

<sup>5</sup> Antonius Arias S.I. (1546c–1591), hispanus; cf. *Pol.* 7, f. 49r; FEJÉR I/1 p. 10.

<sup>6</sup> Emmanuel Vega S.I. (1550c–1604), lusitanus; cf. *Pol.* 7, f. 49v; *Hist. Soc.* 46, f. 2v.

<sup>7</sup> Adamus Brocus S.I. (1542c–1605), anglicus; cf. *Pol.* 7, f. 49r; FEJÉR I/1 35.

<sup>8</sup> Leonardus Rubenus S.I. (\* 1539), germanus, qui anno 1595 S.I. reliquit; cf. *MHSI Cat. Prov. Austr.* I 769.

<sup>9</sup> Fridericus Bartschius S.I. (1551c–1609), polonus; cf. *Ibidem*, p. 625.

<sup>10</sup> Thomas Busaeus S.I. (1540c–1591), flandricus; cf. *Pol.* 6, f. 44v; FEJÉR I/1 39.

<sup>11</sup> Leonardus Krakerus S.I. (1549c–1605), polonus; cf. *Pol.* 7, f. 49v; FEJÉR I/1 61.

<sup>12</sup> Martinus Smiglecius S.I. (1564–1618), cf. *Pol.* 7, f. 100r; FEJÉR I/1 237.

<sup>13</sup> Adamus Almanius S.I. (1553–1589), natus in Russia; cf. *Pol.* 7, f. 49v; FEJÉR I/1 p. 5.

<sup>14</sup> Gaspar Moraris S.I. (1555c–1606), lituanus; cf. *Pol.* 7, f. 50v; FEJÉR I/1 171.

<sup>15</sup> Iacobus Szafarnius S.I. (1552c–1601), polonus; cf. *Pol.* 7, f. 50r; FEJÉR I/1 245.

omnia. Miserunt autem: P. Iacobus Vagrovicius<sup>16</sup>, theologiae doctor et vice provincialis; P. Laurentius Faunteus<sup>17</sup>, angulus, controversiarum et casuum professor in posnaniensi collegio; P. Adrianus Iungius<sup>18</sup>, theologus, est orator ac mathematicae professor in eodem collegio.

In procedendi modo, quoad fieri potuit vestigiis patrum romanorum inhaesum est. Praemissa enim Spiritus Sancti invocatione a toto collegio sollemniori, quo fieri poterat, ritu, commendatoque etiam negotio sacrificiis orationibusque provinciae totius et maxime collegii huius, primum de opinionum delectu tum de praxi studiorum est actum.

*Modus autem examinandi quaeque hic fuit* – Legebat quisque privatim et attente, tempore quo a conventu vacabatur, praefinitam ordine materiam in proximo conventu exagitantam, annotabatque sibi seorsim quae examinanda videbantur. Conveniebatur primis quidem septimanis ob multas professorum occupationes solis dominicis festisque ac recreationis diebus, idque ab hora [129v] secunda pomeridiana ad medium sextae. Sed cum res sic trahi longius videretur, adiungebantur his et alii dies prope omnes horis circiter duabus quotidie.

In ipso conventu promebat primum quisque ordine quid notasset. Illud inde ventilabatur ab omnibus acriterque excutiebatur, sed a duobus fere acutioribus professoribus et qui recentiore habent de re proposita memoriam. Tum sententiae rogabantur a singulis. Quae si quando discrepant, ex suffragiorum maiori parte censebantur; neque id leviter, sed cum aliquando et multae et validae ac novae semper modo ab uno, modo ab alio una sententia rationes afferrentur, contingebat aliquando duorum triumve conventuum horas prope omnes in una re absumi. Quin in unius quintae ac sextae regulae, quae in formula studii theologici de opinionum delectu continetur<sup>19</sup> (ut in quibus cardo praecipuus totius negotii de opinionibus versaretur), aliquot septimanae priores prope totae consumebantur.

Et quamvis iisdem regulis tanto studio eoque, quo infra notatum est, modo ventilatis necessarium iam non videbatur examinare seorsim etiam singulas opiniones seu liberas illa relictas in libro seu definitas, sed satis esse iam deprecari R.P.N. Generalem, ut et ipse ratum habere dignaretur iudicium congregationis, nec grave illud [130r] onus Societati imponere, quia tamen dubium erat an idem Paternitati Suae probaretur, non praetermissum fuit, quin illae quoque examinarentur. Idque hac methodo.

Inter quatuor doctores ac theologiae professores quatuor partes S. Thomae distribuebantur, suamque quisque diligenter et minutim, quantum temporis patiebatur brevitatem, revolvebat per articulos singulos, et ubi aliqua opinio celebrior controversa occurreret, seorsim in charta destinata annotabat. His vero notatis tum variorum professorum scripta volebat diiudicabatque liberisne quaevis, an definitis adscribenda videretur, suumque ipse iudicium in margine adscribebat. Circumferebatur inde eadem charta seorsim per singulos illos, adscribebatque quisque suum etiam iudicium. Atque ita demum conventus super iis habebatur, novisque disceptationibus saepe inter dissidentes ortis acriterque ac diu agitatis, silentio tandem a P. Provinciali indicto, sententiae singulorum quaerebantur, quodque tum vel omnibus vel maiori parti visum esset de liberis quibusque relinquendis vel in definitis ponendis, id nomine congregationis secretarius annotabat. Sicque ad alia fiebat pro-

<sup>16</sup> Iacobus Vagrovicius (Wujek) S.I. (1541c–1597), polonus; cf. MHSI *Cat. Prov. Austr.* I 822.

<sup>17</sup> Laurentius Faunteus S.I. (1552c–1591), angulus; cf. *Pol.* 6, f. 26r; FEJÉR I/1 87.

<sup>18</sup> Hadrianus Arturus Jung S.I. (1540–1607), germanus; cf. *Pol.* 7, f. 211v; FEJÉR I/1 128.

<sup>19</sup> Quas regulas vide in MP V p. 6 et 9.

gressus. Omnia tandem praecipua in scriptum hoc congregationis totius nomine relata sunt<sup>20</sup>. In opinionibus porro singulis [130v], quas vel liberas esse debere censuit congregatio vel definitas, ut infra ponentur rationes, nisi forte rarissime singularum minime visae sunt hinc adscribendae. Nam et infiniti id operis fuisset et iudicium peti hinc eo modo, quo libellus ipse id tulerat, de singulis visum est. Nullae autem ibi apponuntur ... ».

Ex epistola Ioannis P. Campana S.I., praep. prov. Poloniae, diei 31 ian. 1587, ad P. Generalem (in *Germ.* 168, f. 79r-v) –

«Nuper tumultuarie respondi literis R.P.V. vere paternis et charitatem spirantibus<sup>21</sup>, eo quo dicantur intercipi ad ostia regni huius ob interregnum iam clausa et custodita. Hunc, quia venit familiaris iste Ill.mi D. cardinalis Radzivilli, quem forte literis intactis transire permittent, volui saltem R.P.V. ae mittere iudicium congregationis huius provinciae de ratione studiorum<sup>22</sup>, quam congregationem diutius opinione protrahere coacti fuimus aut ipsa rerum difficultate, aut disserentium subtilitate et acumine, ac etiam multitudine doctorum, quam ipsa academia suppedibat. Quamquam etiam fiebat potestas in literis P.V.<sup>23</sup> adhibendi quotquot videbantur, maxime pro humanioribus literis. Cuius rei causa fiebat ut, cum iidem simul non mali theologi essent, ad utrumque adhiberentur examen. Sane R.P.V. nobis tam accurate in literis illis communibus ad provinciales datis hoc negotium commendabat, ut nunquam dubitaverim, ne nimii censi possemus. Hinc etiam factum est, ut absentes quoque doctores vel doctos consulerem, libro ad eos misso et efflagitata censura<sup>24</sup>. Quae quia tardius allata est, et nunc ipso pene die quo iudicium congregationis mittendum erat, visum est et illam quae ab absentibus facta est, vix visam necdum perfectam cum illa quae hinc facta est, coniungere, ne istic etiam bonorum istorum doctorum deesset iudicium.

R.P.V. boni quaeso consulat, ac si quid liberius alicubi sit, sciat me vidisse quidem, ac aliquando etiam reprimere voluisse, imo demum quoque attentasse, ut in fine de hoc clausula deprecatoria adderetur; sed quia per modum con-[79v]gregationis ac suffragiorum procedebatur in omnibus, non est visum vim afferre censoribus, dicentibus non esse moris in Societate ut, ubi petitur iudicium et sententia, petatur venia de veritate quam quis sentit, prolata, retenta tamen debita obedientia et reverentia. Illud tamen impeditum est, ne ulterius progredierentur in censura, dum plurimis primo videretur (modeste tamen) non posse generalem praepositum aliquid tale ac tantum (quod plus est quam unam constitutioniculam quamvis addere constitutionibus) tamquam fixum et perpetuum in Societate sancire absque generali congregatione, eo quod sic alicubi loquantur Constitutiones (nunc locum

<sup>20</sup> Scriptum commissionis provinciae Poloniae invenitur in cod. *Stud.* 2, f. 127r-71v; ed. in MP V mon. 10-31 passim.

<sup>21</sup> «Versamur iam pridem in examine studiorum duodecim patres, quatuor rectores, quatuor theologiae professores, reliqui humaniorum literarum. Habemus conventus frequentes in hebdomade dominicis, festis et recreationis diebus cum prioribus illis; alios conventus etiam cum posterioribus aliis diebus. Conventus sunt trium continuarum horarum. Examinantur certa capita libri in praecedenti conventu assignata. Omnia notat secretarius electus, P. Bartzius. Et quia tarde allatus est liber, et tarde convenerunt aliunde vocati, crebrius istis conventibus compensamus hanc tarditatem, ut sperem cum novo hoc anno me absoluturum et istuc missurum. Censuram etiam absentium libro ad illos misso habemus; nempe a Posnania a P. Pisano, a P. Vangrovecio, et easdem in consessibus istis adhibemus ac si illi ipsi adessent». Ex epistola Patris Provincialis, diei 4 dec. 1586 ad P. Generalem; in cod. *Germ.* 166, f. 325v.

<sup>22</sup> De scripto congregationis de Ratione studiorum vide supra, adn. 20.

<sup>23</sup> Epistolam Patris Generalis, diei 21 apr. 1586, de deputandis patribus pro Ratione studiorum examinanda, videsis in MP V 160-62.

<sup>24</sup> Patres, qui iudicium scripto commiserant, fuerunt: PP. Alfonsus Pisa, Ioannes Leopoltanus et Laurentius A. Faunteus; quorum scripta reperiuntur in cod. *Stud.* 3, f. 283r-90v, 291r-96v et *Stud.* 2, f. 172r-80v; typisque expressi inferius, in mon. 10-31 passim.

quaerere non vacat). Imo recordor P. c. 5 § 4<sup>25</sup> ubi dicitur quod statuatur in universa Societate. Putabant enim hunc tantum R.P.V. laborem in his sanciendo non maioris futurum firmitatis aut etiam durationis (si praesertim nimis arctarentur Societatis ingenia ad unius ferme (sancti licet) doctrinam ac ferme etiam cognomentum), quam fuerint illae propositiones a s.m. P. Borgia sancitae<sup>26</sup>, quarum paucae nunc stabunt ac nonnullae etiam e diametro contrariae statuentur. Sed quod deinde retraxit illos a suadendo ut universae Societatis iudicio id sanciretur, fuit, ne contingeret aliquando, ut fit, ut videlicet in aliquo proximo futuro concilio sententia aliqua damnaretur ex iis quae universa Societas approbasset. Putarunt enim satius esse id quod sanciretur, ita liberum praeposito generali remanere ut, si quid successu temporis mutandum censeretur et sine Societatis nota fieret et a solo generali absque congregatione rescindi posset dissimulanter quod a solo ipso sancitum fuisset. Miratus sum R. Pater etiam eos patres qui magis mortificati videntur et sunt, videre quantopere abhorreant a cognomento thomistarum et quam collegerint hoc amare illos sex patres cum viderim pene ad verbum in hoc libro repositas illas regulas quas ante quinquennium promulgaverat P.V.a<sup>27</sup> ... ».

#### Iudicium Hadriani Jung<sup>1</sup> S.I. de Ratione studiorum

«Librum de Ratione studiorum, ex sententia sex patrum Societatis nostrae conscriptum, cursim perlegi. Nec enim, angustiis temporis exclusus (cum liber ab alio diutius, quam par esset, detineretur) omnia diligentius legere, neque aliqua accuratius perpendenda (ut quae de liberis ac definitis in scholastica theologia sentiuntur, et quibusdam etiam in philosophia, disseruntur) scriptis meis cum philosophicis tum theologicis in hac peregrinatione nostra destitutus, examinare potui.

In universum tamen totam hanc de recte instituendis ac informandis studiis disputationem maxima eruditione, iudicio maturo et ex praescripto Constitutionum nostrarum concinnatam atque conscriptam, vehementer approbo; eamque cum superioribus nostris (quorum maxime interest eam rationem perspectam habere), tum studiorum praesidibus et facultatum bonarumque artium doctoribus nostris necessariam et valde utilem ac fructuosam iudico. Janusseviciis VII non. novembris MDLXXXVI. – Hadrianus Jungius manu sua<sup>2</sup>».

#### Ratio studiorum et Inquisitio Hispanica

Ad calcem huius capitis reliquimus mirum provinciae castellanae casum. Unica enim est provincia, quae non misit Romam suum de Ratione studiorum iudicium. Cuius rei causa fuit Inquisitio Hispanica quae, ut hoc praestari posset, impedivit<sup>1</sup>. Huius intricatae vicissitudinis historiam abunde enarratam invenies apud Astrain<sup>2</sup>; quare sufficit, ut nos eam paucis perstringamus. In hunc finem exscribimus textum Patris Iacobi Sirmond S.I.<sup>3</sup>, qui

<sup>25</sup> Vide in MP I 221.

<sup>26</sup> Vide «Decretum de opinionibus in philosophia et theologia tenendis» (1565); in MP III 382–85.

<sup>27</sup> Vide decretum Patris Generalis, mensis sept. 1582, de soliditate et unitate doctrinae; infra, p. 25–26 vol. VI.

<sup>1</sup> De H. Jung S.I. vide supra, adn. 18.

<sup>2</sup> Textus eius iudicii habetur in cod. *Stud.* 2, f. 176r.

<sup>3</sup> Quorum litteras, diei 15 iunii 1586, vide infra, p. 99–101 vol. VI.

<sup>2</sup> *Historia* ... III 381–415.

<sup>3</sup> Iacobus Sirmond S.I. (1559–1651), gallus, litterarum humaniorum eximius cultor, qui nonnullos annos Romae in curia praepositi generalis transegit et secretarii assistentis Germaniae officio functus est; cf. SOMMERVOGEL VII 1237–61.



in quodam volumine manuscripto collegit omnia, ad vitam Patris Acquaviva conscribendam utilia<sup>4</sup>. En ea quae de hoc conflictu memoriae reliquit:

« ... Facile est occasionem quaerenti, etiam minimis ex causis captare. Quod in iis maxime apparuit quae Inquisitores contra Societatem aggressi sunt, cum in Hispaniam allatus esset liber de Ratione studiorum. Conscribi hunc librum iusserat P. Generalis magno prorsus lectissimorum virorum labore atque studio, ut alibi dicendum est, cum intentatum ante se id opus fuisse cerneret, quod tantopere commendant Societatis nostrae Constitutiones; typisque excusum, quo facilius communicari posset, miserat in provincias, non tam ut ratae legis vim teneret, quam ut suum unaquaeque iudicium proferret, siquid in eo demutandum, siquid pro locorum conditione addendum, tollendumve videretur. Et quidem reliquae omnes, tum Hispaniae quoque provinciae, librum sine strepitu admiserant, et iudicium suum iam perscripserant; in una Castellana res haesit, in qua turbatores<sup>5</sup> versabantur. Hi enim tam facilem, ut recte augurabantur, viam nacti, qua Inquisitores cum P. Generali committerent, novasque illi turbas concitarent, tanquam magnum crimen librum hunc deferunt ad Inquisitores. Nec minus avide suscepta accusatio, quam cupide deferebatur. Mox enim quasi violatum hoc facto ius fuisset Summi Tribunalis, quod illorum iniussu novi libri [120r] inventi essent in Hispaniam, exempla voluminis omnia, quotquot in Hispania erant, raptim colligi, adferrique ad se iubent.

Quae postquam ad aures venerunt P. Generalis, quanquam satis intelligebat, Inquisitorum ingenium non esse, ut verborum defensionem, precibusque locum facile darent, prius tamen hanc viam, ut leniorem, et ne de se queri possent tentandem censuit. Scribit ergo ad Gasparem Quirogam cardinalem toletanum<sup>6</sup>, supremum Inquisitionis praefectum, et Societatis causam agit modestissime, cur liber ille, et quibus editus sit, exponit, quo fine in provincias missus. Si quid tamen in eo sit, quod Sacrae Inquisitionis minus probetur, id indicare velit; sibi enim animum non esse, ut nisi ipsis placeat, vulgetur in Hispania. Sed parum his litteris promovit. Cardinalis enim aliud nihil rescripsit praeter solenne illud: Non solere Inquisitores eorum quae facerent, causas cuiquam aperire<sup>7</sup>.

Quare P. Generalis, quod principio facere distulerat, ad summam opem se convertit, auctoritatemque implorans Sedis Apostolicae Xystum V de re tota docet accurate; atque una etiam repetit, quae de P. Antonii Marcen caussa alias rogarat, cuius iudicium Inquisitores aliquot iam annis suo more protrahebant<sup>8</sup>.

Tantum denique assecutus est precibus suis rationumque momentis, ut Pontifex gravissimas litteras Cardinali Quirogae communicandas ad Nuntium suum daret in Hispaniam. Quibus litteris post severam expostulationem, quod iudicii eius finem ac processum cum per Nuncios suos saepius flagitasset, nunquam extorsisset, Cardinali ipsi tum officii, tum dignitatis cardinalitiae abrogationem intentabat, nisi et iudicium illud eiusque historiam omnem confestim transmitteret, et libros Societatis, quos Inquisitores afferri sibi ius-

<sup>4</sup> Codex custoditur Romae, Bibl. Naz. Vitt. Em., *Mss. Gesuit. 1588* (3717).

<sup>5</sup> Turbatores seu perturbatores vocabantur imprimis nonnulli patres hispani et lusitani, qui ut etiam substantialia instituti S.I. immutarentur, conspirarunt; cf. ASTRAIN, *Historia* ... III lib. II cap. VIII: Causas y auctores de las turbaciones interiores en tiempo del P. Acquaviva; p. 347 et ss.

<sup>6</sup> Gaspar de Quiroga (Ob. 1594), episc. tolet. ab a. 1577, ab an. 1578 card.; cf. GULIK-EUBEL III 335.

<sup>7</sup> Vide epistolam P. Petri Ribadeneyra S.I., diei 11 febr. 1587, ad card. Quiroga de compilatione Rationis studiorum, et quomodo in ea cautum sit, ut nostri professores securiorem sequantur doctrinam; in *Epp. Ribad.* II 345–46.

<sup>8</sup> De causa Patris Marcen, praep. prov. Castellae, quod quandam denuntiationem, occasione confessionis factam, ad Inquisitores deferre omisisset (quod crimen in Hispania illis reservabatur); cf. ASTRAIN III p. 372.

serant, Nuncio reddi universos curaret. Ita nullum amplius effugii locum esse sentiens Cardinalis, paruit e vestigio. Missae in Urbem sunt tabulae omnes iudicii Marceniani et libri ad Nuncium allati, non solum [120v] Rationis Studiorum, sed Bullarum etiam ac Constitutionum, quas illi partim ut Societatis privilegia cognoscerent, partim ut de obedientia, de uniformi nostrorum doctrina de aliis nonnullis capitibus explorarent, si quid esset, quod carperent, per id tempus, novatorum suasu et ope, collegerant ... ».

## Caput II – Collectanea quae praeparationem et examen Rationis studiorum 1591 et 1599 illustrant

### 1. Documenta quae studia superiora spectant

Anno 1587 pervenerunt Romam iudicia provinciarum de Ratione studiorum. P. Tuccio una cum duobus sociis statim haec scripta examinare incepit<sup>1</sup>; imprimis ea quae partem speculativam, seu doctrinam a Societate sequendam respiciebant. Quibus perlectis, P. Tuccio declarabat: Pars maior provinciarum tractatum «De opinionum delectu» una cum «Commentariolo»<sup>2</sup> approbavit; quare recedendum non esse ab eo; quandoquidem non tam quo universi, quam quo plurimi propendunt, esse spectandum<sup>3</sup>.

Re autem vera de parte speculativa Rationis studiorum iudicia valde differentia prolata sunt. Praeter fidelissimos S. Thomae asseclas, habentur qui sententias admodum liberales profitentur; et inter duo extrema complures mixtam quandam solutionem proponunt. S. Thomae fidelissimos se exhibent P. Deça hispanus et P. Tirius scotus, qui doctrinam S. Thomae omnino sequendam ducunt, uno vel altero articulo excepto. Quam sententiam P. Bellarmino, P. Tuccio, P. Maldonado, Collegii Romani professores reiciunt, nam – ut P. Bellarmino scribit – id videtur «partim minus bonum, partim etiam nimis difficile, ne dicam, impossibile, partim denique non necessarium»<sup>4</sup>.

Maxime liberales in iudicando se demonstrarunt patres provinciae mediolanensis, qui contra auctores «De delectu opinionum» sustinuerunt: S. Ignatium in Constitutionibus requirere unitatem doctrinae et conformitatem opinionum. Conformitas autem non excludit aliquam diversitatem in opinando; alioquin enim vocanda esset identitas<sup>5</sup>. Nec P. Pisa hispanus, sed professor theologiae in Poloniae approbat modum procedendi patrum deputatorum. Nam illo Societas fit thomista et ita sectaria. Proponit insuper ut Summa S. Thomae in scholis Societatis substituat (saltem dum a quodam Societatis doctore conficiatur Summa quaedam ad fines Societatis magis apta) cum opere I. Damasceni *De fide orthodoxa*; nam in regionibus transalpinis, haeresibus infectis esset utilior<sup>6</sup>.

P. Tuccio etiam in reviso tractatu «De delectu opinionum» secutus est viam in priore observatam; hoc est, solutionem mixtam quandam elegit: Scriptae sunt nonnullae regulae seu normae generales ad dirigendos professores circa doctrinam S. Thomae tradendam, et concinnatus est catalogus quidam propositionum liberarum et definitarum. Documento satis amplo (triginta paginas typis impressas sibi vindicat in volumine septimo) defendit

<sup>1</sup> Vide MP V p. 19\*–20\*: *Textus Rationis studiorum 1586 Romae retractatur*; cf. A. MANCIA, *La controversia ...* p. 243–49: *La Ratio studiorum del 1586*/ B.

<sup>2</sup> Textum «De opinionum delectu» et «Commentariolus» vide in MP V p. 6–33.

<sup>3</sup> Vide inferius, p. 4 vol. VII.

<sup>4</sup> Cf. mon. 3–5 vol. VI p. 12–21, et mon. 9 vol. VII p. 83–84.

<sup>5</sup> Vide p. 47 vol. VI.

<sup>6</sup> Vide p. 121–27 vol. VI; cf. etiam MANCIA, *La controversia ...* p. 241–42.

hanc novam Formulam et Commentarium<sup>7</sup>. Explicat imprimis, quid S. Ignatius de opinionum concordia sentiat, et quantum Formula sit Constitutionibus congrua; enumerat multa incommoda quae ex opinandi libertate consequuntur, et quam sit aliena a Constitutionibus; perturbat enim tranquillitatem, officit magnis morum scientiaeque proventibus; ea sublata, fore ut Societas detrimenti nihil, fructus autem capiat uberrimos. Demonstrare conatur, S. Ignatium exigere in Constitutionibus non solum unionem doctrinae, sed etiam opinionum consensio-nem. Refutat demum assertionem, S. Ignatium et eius successores immediatos tolerasse quamdam opinandi libertatem. His non obstantibus, fatendum est, Patrem Tuccio in hoc suo tractatu minus severum et rigidum se ostendere quam in anteriore. Declarat enim: S. Thomae doctrina hinc et nunc praescribitur in Societate sequenda, sed non in perpetuum. Societas est libera, quando id expedire visum fuerit, alium, forte aliquem de Societate, eligendi doctorem<sup>8</sup>.

Etiam hic tractatus, a P. Tuccio tam exacte elaboratus, datus est a P. Generali tribus Collegii Romani professoribus<sup>9</sup>; qui in sui scripti exordio enuntiant: Finem esse totius «Delectus opinionum», ut doctrinae uniformitas et securitas obtineatur in docenda theologia; ea propter electam esse doctrinam S. Thomae. Attamen professoribus relinquenda est quaedam libertas opinandi, quae non repugnet uniformitati et securitati. Ideo aliquae propositiones definiendae sunt, aliae autem liberae relinquendae; definitarum maior pars proponenda est generaliter, per quasdam regulas, et solum paucae definiantur particulariter<sup>10</sup>.

P. Tuccio duobus scriptis respondit professoribus Collegii Romani<sup>11</sup>, fuse exponens, qualem uniformitatem et soliditatem doctrinae requirat S. Ignatius in Constitutionibus. Licet iam anno 1588 proponeret Patri Generali, ut nova haec pars speculativa introduceretur in Societate Patris generalis auctoritate, sine ulteriori examine<sup>12</sup>, P. Acquaviva fuit alius sententiae, et etiam hanc partem speculativam anno 1592 misit in provincias ut examinaretur<sup>13</sup>. Immo in proxima congregatione generali (1593/94) ampla circa eam discussio instituta est. Ex actis huius quintae congregationis generalis in lucem eduntur in nostro volumine ea quae hanc rem spectant; scilicet, decretum congregationis de doctrina S. Thomae in theologia tradenda; praeludia deputatorum ad regulas pro delectu opinionum; praefatio ad regulas de delectu opinionum; canon congregationis de sequenda S. Thomae doctrina; additur relatio visitationis Clementis papae octavi in congregatione, ex diario Patris Valpedrosa<sup>14</sup>.

Discussio de stabilienda uniformitate et soliditate doctrinae finita est in congregatione per victoriam eorum, qui ab initio se opponebant, ut catalogi definitarum et liberarum propositionum conficerentur. Maior enim congregationis pars censuit sufficienter provisum esse soliditati et uniformitati doctrinae, si ordinetur: Sequendam esse a nostris doctrinam S. Thomae; sed non est necesse nostros ita S. Thomae alligari, ut nulla omnino in re ab eo discedere liceat; neque propositionum catalogus conficiendus; optimum erit, si a congregatione praescribatur doctoribus, ut in tradenda theologia sequantur ordinarie S. Thomam. Hae normae postea positae sunt etiam in Ratione studiorum 1599<sup>15</sup>.

<sup>7</sup> Vide eius textum inferius, mon. primum vol. VII, p. 1–29; cf. etiam MP V p. 20\*–23\*: «*Praeparatur novus tractatus «De delectu opinionum»*»; et MANCIA, *La controversia ...* p. 243–44: *La Ratio studiorum del 1586*/B.

<sup>8</sup> Vide inferius in vol. VII p. 5 6 9 15.

<sup>9</sup> «*Iudicium trium patrum Collegii Romani de formula servanda in delectu opinionum*» (1589); vide inferius, mon. 2 vol. VII, p. 29–33.

<sup>10</sup> Vide *ib.* p. 29–30.

<sup>11</sup> «*Responsio brevis ...*» et «*Annotationes ...*» vide inferius, mon. 3 et 4 vol. VII, p. 33–42.

<sup>12</sup> Vide MP V p. 23\*.

<sup>13</sup> Vide *ib.* p. 27\*–28\*.

<sup>14</sup> Vide mon. 39 vol. VII, p. 347–54.

<sup>15</sup> Vide reg. 2–6 professoris theologiae et philosophiae; in MP V 386 et 397.

His praemissis de historia partis speculativae Rationis studiorum in congregatione generali, intelligitur, cur ea non inveniat in Ratione studiorum 1599. Attamen manuscripti instar eam habebant provinciarum praepositi, ut adhibere eam possent tamquam normam in alicuius professoris sententia diiudicanda. Quod clare deducitur ex scripto quodam Patris Gordon, visitatoris studiorum in Gallia (1604), in quo inter alia haec leguntur: «Oblatus est mihi a R.P. Provinciali Ordo quidam a V.a R. P.te praescriptus circa opinionum deductu; in quo duo erant propositionum catalogi: alter definitarum ex Summa S. Thomae, alter liberarum ... Optarem itaque scire, num in examinandis professorum opinionibus sequendus sit iste Ordo in omnibus et per omnia»<sup>16</sup>.

Non obstantibus his omnibus sapienter constitutis, aquae circa doctrinam in Societate sequendam, teste experientia, agitari non desierunt. Quare P. Acquaviva necessarium duxit, ut iterum ad universam Societatem litteras dirigeret, quibus provinciarum praepositis praecepit, ut in suis provinciis deputarent peritos in theologia, qui rem diligenter considerarent, et de remedio serio deliberarent, et sententiam suam ad P. Generalem perscriberent<sup>17</sup>. Provinciae iussui prompte paruerunt<sup>18</sup>. Earum scriptis Romae accurate consideratis, P. Generalis litteris communibus, die 14 dec. 1613 datis, Societatem certiore fecit quid de re statueret. Summa haec est: 1. Incommodis omnibus prospicietur, si Ratio studiorum accuratius observetur. – 2. Doctrina S. Thomae sequenda est et quomodo. – 3. Non est necessarium catalogos propositionum conscribere. – 4. Non est nostris professoribus licitum sequi quemlibet ex nostris auctoribus, si S. Thomae adversatur. – 5. Quaedam praestanda initio anni scholastici a professoribus. – 6. Quid agendum cum eo, qui docet opiniones S. Thomae contrarias. Philosophia theologiae subserviat, et philosophi unum sequantur Aristotelem. – 7. Quomodo procedendum in materiis a S. Thoma non tractatis. – 8. Eligantur studiorum praefecti, qui sint maxime affecti erga doctrinam S. Thomae. – 9. Severe puniantur, qui addunt aliquid libris emendatis iuxta revisorum censuram. – 10. Compescendi magistri nimis problematici<sup>19</sup>.

## 2. Documenta quae humaniores litteras spectant

In duobus nostris voluminibus etiam huius generis documenta sunt copiosa; quae partim ex tractatibus singulorum et commissionum, partim ex actibus congregationum ac visitationum, partim ex commercio epistolari Patris Generalis cum provinciis desumpta sunt. Haec scripta evidenter demonstrant imprimis quod etiam tempore quo P. Acquaviva Societatem rexit (1581–1615), de necessitate utilitateque ministerii docendi pueros in scholis publicis nostri penitus certi erant.

P. Pigenat praepositus provinciae Franciae anno 1584 ad P. Generalem scribens testatur: «Siquid possit in his partibus iuvandis Societas, maxime id potest per puerorum institutionem, in qua sola spes reipublicae restituendae consistere videtur, ut experientia docet»<sup>1</sup>. Nec Patrem Maggio visitatorem Galliae fugit momentum huius fructuosi ministerii; qui anno 1585 fatetur Societatem ideo amplectam esse ministerium docendi humaniores litteras, ut per eam occasionem iuventus bonis moribus informetur, et ad virtutes consequendas manuducetur<sup>2</sup>.

<sup>16</sup> Vide p. 524 vol. VII.

<sup>17</sup> Epistolam Patris Generalis vide inferius, mon. 122 vol. VII, p. 657–59.

<sup>18</sup> Theologorum S.I. scripta de doctrina S. Thomae sequenda conservantur in cod. *Instit.* 213 (*De uniformitate et soliditate doctrinae*).

<sup>19</sup> Epistolam Patris Generalis vide inferius, mon. 123 vol. VII, p. 660–64.

<sup>1</sup> Vide inferius, p. 588 vol. VII. – Similis attestatio in laudem huius ministerii legitur in quodam scripto Richardi Haller S.I., quod anno 1608 pro defensione collegiorum externorum obtulit congregationi generali VI; quam vide in MP II 18\*–19\*.

<sup>2</sup> Vide inferius, p. 597 vol. VII.

P. Cardulo utilitatem ministerii huius sub aspectu boni communi considerat: «La prudenza et eloquenza che nelle nostre schole si deve insegnare, servirà alla repubblica christiana, et farà buoni predicatori, senatori, secretarii, nuntii, imbasciatori et altri che servono al bene commune»<sup>3</sup>. Digna demum, ut citentur, videntur etiam verba Patris Morano, qui in quadam epistola ad P. Generalem data confitetur: «Hoc ministerium ita proprium Societatis in collegiis, ut propter illud solum pleraque collegia redditus habeant; ita gratum et acceptum civitatibus, ut propter hoc solum Societas a plerisque expetatur et colatur; ita vero Ecclesiae Dei utile et nostrae ac caeteris religionibus, ut illarum dici possit seminarium»<sup>4</sup>.

Fere iidem, qui momentum ministerii docendi pueros laudibus adeo efferunt, non ce-  
lant, immo aperte confitentur: studium humaniorum litterarum languere; et non solum in aliquo, vel aliquibus regnis, sed fere ubique. Legamus solum nonnullos, qui hoc malum denuntiant. P. Pontanus anno 1593, ut desiderio Patris Generalis fieret satis, novem parvos tractatus de re scholastica exaravit. In eorum tertio enumerat quinque causas, ob quas Societas merito maximi facit haec studia, et facere debet. Prima earum est «quia hoc est ostium per quod intramus in amplissimas civitates. Per haec amicitiam magnorum principum adipiscimur. Haec nos cuiusvis ordini, summis atque infimis vehementer commendant. Quandoquidem nemo non exoptat videre liberos suos litteris et pietate ornatissimos. Sine hoc officio reliqua nostra parum grata erunt populis. Tolle scholas, quis nos deinceps rectis oculis aspiciet?»<sup>5</sup>. At haec praeclara huius ministerii aestimatio non impedit (nisi potius augeat) quominus mala seu detrimenta collegiorum externorum videat et denuntiet.

Omnium huius generis malorum tanquam fundamentum putat esse quod «mirabilis cernitur contemptus horum studiorum»<sup>6</sup>. Alias causas malorum enumerat in primo tractatu: «Fratres non sinuntur studere quantum opus est. Praeceptores plerique carent ingeniis; male ponunt tempus; ab exercitationibus abhorrent; student quantum et quomodo volunt, diu docere nolunt. Quod si quis etiam ex animo et proficere et diutius docere cupiat, abripitur; in singulos annos novi praeceptores submittuntur. Post theologiam nemo ad nos redit. Sacerdos iam creatus concionatur, audit confessiones; nec si redeat, vult docere grammaticam, cum tamen sit indoctus, humanitatem et rhetoricam postulat»<sup>7</sup>.

P. Possevino iam anno 1581 de statu studiorum in collegiis Italiae minime laeta referebat congregationi generali quartae: «Numquid in studiis litterarum vel superiorum vel inferiorum et humaniorum aliquid damni Societas acceperit? Nam et huc pertinet id quod scholae aliquae in Italia alicubi patiuntur, in quarum aliquibus, cum sexcenti et octingenti solerent edoceri, quo tempore minor erat Societas, nunc vix trecenti sunt. – Quid causae sit, quod fere in maiore parte collegiorum Italiae nostri, si non omnino ociantur, saltem plus efficere possent»<sup>8</sup>.

Annis sequentibus status studiorum in collegiis Italiae non est melior factus; nam in epistola Patris Saraceno, die 1 oct. 1597 Parma, ad P. Generalem data, haec leguntur: «Nella nostra congregazione provinciale tutti affermano il stato della nostra provincia intorno alle lettere humane esser venuto quasi al niente»<sup>9</sup>. Quod malum adhuc auctoritate

<sup>3</sup> Vide inferius, p. 128 vol. VII.

<sup>4</sup> Vide inferius, p. 645 vol. VII. – Vide etiam ea quae P. Vitelleschi praep. gen. eadem de re scripsit anno 1639 ad universam Societatem; in MP I p. 1\* adn. 1.

<sup>5</sup> Vide inferius, p. 93 vol. VII.

<sup>6</sup> Vide inferius, p. 96 vol. VII.

<sup>7</sup> Vide inferius, p. 89 vol. VII.

<sup>8</sup> Vide inferius, p. 289 vol. VII.

<sup>9</sup> Vide inferius, p. 625 vol. VII.

maiori denuntiatur anno 1608 in instructione ad studia humaniora promovenda data; ad quam conscribendam motus fuit P. Generalis «ob varias querelas a patribus compluribus habitas, quarum nos quoque nonnullas multo ante inaudiveramus, huiusmodi litteras non solum non florere, ut antea, in Societate, sed alicubi etiam languere apud nostros»<sup>10</sup>.

Remedia ad humaniorum litterarum studia promovenda varia proponebantur. Imprimis magis ea aestimanda essent ab omnibus, praesertim autem a superioribus. Nam, ut P. Cardulo adnotat: «Parvi fiunt a discipulis, quia non aestimantur a superioribus»<sup>11</sup>. Iuvenes (scholastici S.I.) in rhetoricis studiis magis perficiantur. Nonnulli admittantur, ut fiant professores humaniorum litterarum perpetui. Omnes futuri magistri attente praeparentur in seminariis vel academiis ad hunc finem institutis. Magistri non facile amoveantur ab hoc ministerio. Demum congregationes provinciarum Aquitaniae et Castellanae eodem anno (1607) proponunt, ut egregii rhetoricae professores honorentur a Societate gradu professionis quatuor votorum<sup>12</sup>; idem proponit et P. Morano<sup>13</sup>. Quod postulatam congregatio generalis VI (1608) admisit et decreto quoque sanxit<sup>14</sup>.

### 3. De stylo peregrino vitando

Exeunte saeculo XVI res prorsus insolita accidit: novus quidam stylus, Cicerone abiecto, incepit inter nostros habere cultores. Societatis praepositi non tardarunt subditos admonere. Congregatio provinciae Aquitaniae anno 1597 petit a P. Generali, ut novus stylus interdicatur: «Orat congregatio R. Patrem N. ut prospiciat, ut ea qua efficaciori ratione queat, ne nostri in universum, praecipue vero praeceptores, stylo ulli peregrino, Plautino vel antiquato assuescant sive in oratione soluta, sive in astricta numeris; quin potius Ciceronianam imitentur phrasim et Virgilianam, in gymnasiis praesertim et auditorum suorum institutione». Responsio Patris Generalis fuit: «Cum proximis annis accepissemus id vitium irrepere in quibusdam aliis provinciis, serio iniunximus ut abstinerent. Quod ipsum in ista providere debet P. Provincialis; et curare tum ipse, tum per superiores ac studiorum praefectos, ut nostri ab omni nova loquendi vel scribendi ratione abstineant, Ciceronisque imitationi insistant, praesertim humaniorum litterarum professores»<sup>15</sup>.

Anno 1603 patres congregationis provinciae Germaniae Superioris idem petunt a P. Generali. In eorum postulato hic stylus peregrinus vocatur Lipsianus, quia Justus Lipsius considerabatur unus ex praecipuis promotoribus<sup>16</sup>. Sex annis post congregatio provinciae Poloniae et Lithuaniae repetit eandem petitionem<sup>17</sup>. Eodem tempore (1609) P. Busaeus praepositus provinciae rhenanae severam ordinationem dedit de stylo Lipsiano supprimendo: «Cum tantopere desideret R. P. N. et tota Societas, ut qui studia tractant, sive docendo sive discendo, sicut in theologia S. Thomam, in philosophia Aristotelem, ita in humanioribus literis sequantur et imitentur Ciceronem, facile esse videre, quantum ab obedientia declinarent, qui proprio affectu ducti vel stylo, ut vocant Lipsico, vel alteri conciso et exotico se potius darent, quam Ciceroni. Quodsi praeter opinionem ulli e nostris huius

<sup>10</sup> Vide inferius, p. 407 vol. VII.

<sup>11</sup> Vide inferius, p. 130 vol. VII.

<sup>12</sup> Vide inferius, p. 401 et 403 vol. VII.

<sup>13</sup> Vide inferius, p. 645 vol. VII.

<sup>14</sup> Vide inferius, p. 407 vol. VII.

<sup>15</sup> Vide inferius, p. 361 vol. VII.

<sup>16</sup> Vide inferius, p. 392 vol. VII.

<sup>17</sup> Vide inferius, p. 411 416 417 vol. VII.

affecti deprehendantur, his Lipsii et similis generis libri subtrahendi erunt. Literae etiam, quae tali stylo scriberentur, frangendae aut comburendae, nec publice permittendae aut huiusmodi affixiones aut declamationes»<sup>18</sup>.

Anno demum 1615 congregatio provinciae Germaniae Superioris postulat, ut congregatio generalis declaret, in quo consistat stylus hic exoticus: «Quandoquidem non omnes conveniunt in diiudicando stylo exotico, toties prohibito, operae pretium foret, si R. P. N. in particulari declararet, quodnam sit vitiosum illud dicendi genus, ut eo facilius tanquam in Societate repudiatum ab omnibus agnosci, et paenis ab eodem R. P. N. definiendis in violatores animadverti possit». Novus P. Generalis respondit: «Aegre id breviori responso definiri, pendetque a prudenti iudicio recte et syncere de dictione censente. Sane quo propius ad Ciceronis dictionem nostri accedent, eo remotiores a novitio eo stylo erunt. Meminerint autem superiores Ciceronem secundum mentem Constitutionum omnibus commendare»<sup>19</sup>.

Demortuo P. Acquaviva anno 1615, congregatio generalis septima rem iterum tractare aggressa est et de ea instructionem magni momenti conscribi curavit: *De stylo vitioso in provinciis corrigendo et Cicerone sequendo*, in quo nonnulla particularia quoque huius styli propria recensentur: «Ut in singulis collegiis praeter praefectum, literariae velut provinciae censores et arbitri aliqui constituentur ex patribus gravioribus, qui iudicium de puritate styli ferre prudenter possint, ut omnes ad eorum sententiam stylum suum emendent. Hi autem attendant non tantum ad obsoletas et inusitatas voces, sed etiam ad universum orationis corpus, connexionem, iuncturam, periodos, figuras, quibus Ciceronis eloquentia consistit. Unde expendant, an oratio scabrosa, amputata, concisa, salebrosa sit, an vero elegans, numerosa, plena, perspicuaque, necessum est. Aliter enim unusquisque Ciceronianum se esse pugnacissime contendet, modo obsoletis aut innovatis verbis abstineat»<sup>20</sup>.

#### 4. Adaptatio Rationis studiorum

Restat ut pauca etiam de adaptatione Rationis studiorum dicamus. Anno 1583 mens P. Acquaviva fuit, ut Ratio studiorum Romae sub directione patris generalis ita mature ac considerate componeretur et auctoritate congregationis generalis evulgaretur ut «nullam in posterum, quantum fieri possit, mutationem ac varietatem admittat»<sup>21</sup>. Haec autem ratio considerandi rem scholasticam prorsus contraria dicenda est voluntati S. Ignatii, qui in Constitutionibus tamquam testamentum reliquit: Conficiendam rationem studiorum «locis, temporibus et personis accommodari oportere»<sup>22</sup>.

Labentibus autem annis etiam P. Acquaviva paulatim ad mentem S. Ignatii hac in re se conformavit. Quod iam adverti potest in introductione Rationis studiorum 1586, in qua auctores hunc in modum scribunt: «Porro, licet generalis sit iste studiorum ordo, oportuit tamen interdum quorundam collegiorum seu provinciarum fieri distinctam mentionem, eo quod ea loca ab aliis, quae statuuntur universim, viderentur aliquando excipienda seu nominatim comprehendenda peculiaribus de causis, quas operae pretium fuit et R. P. Praeposito Generali exponere considerandas, et cum aliarum provinciarum doctoribus communicare, ut et ipsi iisdem de rebus, quo transigantur consultius, deliberent»<sup>23</sup>.

<sup>18</sup> Vide inferius, p. 548 vol. VII.

<sup>19</sup> Vide inferius, p. 424 vol. VII.

<sup>20</sup> Vide inferius, p. 431–32.

<sup>21</sup> Vide inferius, p. 565 vol. VII.

<sup>22</sup> Vide MP I 285 287.

<sup>23</sup> Vide MP V 42.

Necessitas adaptandi apparuit eo magis inevitabilis, quod in relationibus provinciarum de Ratione studiorum 1586 examinata semper frequentius apparuit hoc desiderium. P. Coster praepositus provinciae Inferioris Germaniae, in epistola diei 14 sept. 1586, significabat Patri Generali: Rationem studiorum a commissione quidem valde probari, «tantum videbantur quaedam accommodanda ad ingenia moresque nostratum»<sup>24</sup>. Etiam patres commissionis provinciae Franciae observarunt: «Ratio studiorum hîc praescripta non apparet satis plena aut accommodata omnibus collegiis, cum multa desiderentur et quae praescripta sunt, paucis collegiis consulant»; et iuxta eorum opinionem Ratio studiorum «generalis esse debet pro tota Societate; sed aliquid generatim statuendum, quod postea singulis in particulari pro varia conditione et diversa ratione applicetur»<sup>25</sup>. Quae opinio deinde, saltem ex parte, praevaluit eo sensu, quod definitus Rationis studiorum textus non mutaretur, sed daretur ampia potestas provinciis ut eam pro necessitate «locis, temporibus et personis» adaptare possent.

Necessitas adaptandi Rationem studiorum adhuc evidentius apparuit, quando provinciae acceperunt Rationem studiorum 1591; et iussae sunt per tres annos eam in collegiis probare. Imprimis provinciae Hispaniae manifestant instantius desiderium adaptandi. En petitio provinciae Castiliae: «Attento que en estas provincia de Castilla casi todos o los principales estudios nuestros de filosofía y theologia estan arrimandos a otras universidades, se podría representar, Nuestro padre diesse orden o licencia para que en estas provincias se hiziesse un orden de estudios acomodado a ellas, pues casi en lo principal convienen, y que después de hecho, se embiase a su Padernidad para que lo mandasse rever, y aprobándolo diesse orden que se guardase»<sup>26</sup> ... ». De eadem difficultate certiores reddiderunt Patrem Generalem tres patres theologi hispani: Blasius Rengifo, Franciscus Suárez et Gabriel Vázquez:

«Que en cuanto a la práctica que se prescribía observar en los estudios mayores, no era conveniente a la Compañía, ni en particular a las provincias de España, así por la grande multitud de reglas en que se descendía a cosas muy menudas, como porque no era posible dar una forma universal a todas las naciones y provincias, consideradas las diversas costumbres, complexiones, inclinaciones, necesidades y otras cosas, que se deben entender en ellas»<sup>27</sup>.

In ipsa congregatione, cum de Ratione ex professo ageretur, multiplicatis eiusdem generis petitionibus, P. Generalis potestatem fecit provinciis, ut difficultates et alia circa Rationem studiorum proposita et desideria conscriberent et ei traderent. Hanc suam voluntatem repetit in responsis ad diversarum provinciarum postulata<sup>28</sup>. En, exempli gratia, postulatam provinciae neapolitanae et responsum Patris Generalis: «Quoniam in libro studiorum a R. P. N. ad provincias misso aliquot iam sumus in hac provincia difficultates experti et in dies experimur, quae quidem non facile superari posse videntur, congregationi generali proponendum videbatur, ut aliquibus patribus id muneris demandaret, qui illas in unum collectas recognoscerent, et difficultatibus obviam irent»; est autem responsum: «Quod ad partem speculativam attinet de delectu opinionum; iam provisum est canone nono quintae huius congregationis et missa est etiam instructio. Quod ad praxim vero, de-

<sup>24</sup> Vide *Germ.* 166, f. 229r.

<sup>25</sup> Vide *Stud.* 3, f. 332v 333r-v.

<sup>26</sup> Vide inferius, p. 143 vol. VII.

<sup>27</sup> Vide inferius, p. 148 vol. VII.

<sup>28</sup> Vide inferius, p. 337 338 343 344 345 vol. VII.



mandatum fuit hoc negotium provincialibus, cum adessent, ut provinciarum suarum difficultates inter se conferrent; quibus postea examinatis, id statui posset in posterum, quod cuique iudicatum fuerit accommodatus. Idque iam factum est et brevi mittetur<sup>29</sup>.

Provinciae, potestate a P. Generali accepta, concinnarunt nonnulla huius generis documenta: «Petitiones deputationis italicae circa Rationis studiorum»; «Quae patribus hispanis visa sunt non posse in tota Hispania servari circa institutionem studiorum»; «Quae videntur pro Lusitania tollenda ex Ratione studiorum»; «Quaedam de libro studiorum a quatuor provinciis Germaniae notata»; «Observationes provinciarum Galliae de Ratione studiorum»; «Dubia provinciae Poloniae circa Rationem studiorum»<sup>30</sup>. Ad adaptationem quod attinet, magis quam haec documenta spectanda sunt responsa Patris Generalis; hac enim ratione cognosci potest mensura adaptationis concessae.

Post congregationem generalem quintam (1593/94) facta sunt alia examina, propositiones; aliae difficultates repertae, aliae petitiones Romam missae, et aliae dispensationes, exceptiones concessae. Nec processus cessavit anno 1599, quando typis expressa est Ratio, sed ad annum usque 1615 protractus est, donec congregatio generalis septima ultimam ei manum imposuit<sup>31</sup>.

Difficultates maiores praesertim in Germania experti sunt nostri. Quare P. Generalis voluit ut nova peritorum commissio institueretur. Quae de humanioribus litteris declaravit: «non paria laborum et fructuum in hac animorum cultura incrementa» notantur. Remedium huic malo adhibendum proponunt adaptationem Rationem studiorum:

«Quae cum ita sint, spem omnem melioris status, cursusque felicioris in eo locatam existimamus, ut eorum ratio et ordo provinciae cuiusque hominibus et moribus accommodetur, cum fieri non possit, ut iisdem omnino legibus eodemque modo orbis universus regatur»<sup>32</sup>.

Facultas adaptandi conceditur rationis studiorum 1599 typis evulgatae in regula 39 provincialis (*Varietas pro varietate regionum*): «Et quoniam pro regionum, temporum ac personarum varietate in ordine et statutis horis studio tribuendis, in repetitionibus, disputationibus et aliis exercitationibus, itemque in vacationibus potest varietas accidere, si quid in sua provincia magis expedire ad maiorem in literis profectum existimabit, referat ad praepositum generalem, ut ea demum statuatur, quae ad omnia necessaria descendant; ita tamen ut ad communem ordinem studiorum nostrorum maxime accedant»<sup>33</sup>. Norma itaque a S. Ignatio in Constitutionibus data de futura ratione studiorum «locis, temporibus et personis» adaptanda plane a Societate acceptata confirmataque est.

Ad dignoscendam mensuram libertatis in adaptanda Ratione studiorum, optimum subsidium afferunt: «Acta congregationis Germaniae Superioris» (1602), et documentum ea occasione confectum: «Quaedam collectitia quae a nostris per collegia Superioris Germaniae provinciae circa Rationem novam studiorum suggesta sunt et digna visa deliberatione»<sup>34</sup>; in quo imprimis responsiones Patris Generalis dignae videntur maxima consideratione. Nec responsum Patris Generalis, anno 1607 provinciae baeticae datum potest silentio praeteriri. Haec enim provincia postulabat: «Ut ratio sive praxis studiorum omnino permittatur singulis nationibus, ut iuxta suos quaeque mores ea statuatur, quibus iuvare se in

<sup>29</sup> Vide inferius, p. 337 vol. VII.

<sup>30</sup> Vide inferius, p. 132–41, 150–64, 188–90, 191–94, 235–37, 239–45 vol. VII.

<sup>31</sup> Vide inferius, Appendix I vol. VII.

<sup>32</sup> Vide inferius, p. 216 vol. VII.

<sup>33</sup> Vide MP V 366.

<sup>34</sup> Vide inferius, p. 375–93.

studiis praecipue sentiet); et responsum Patris Acquaviva: «Praxis studiorum omnibus provinciis et nationibus non semel, nec secundo communicata est; moniti provinciales ut siquid occurrerit, quod pro varietate regionum vel mutandum vel dispensandum videretur, nos monerent; quod et factum est. Imo etiam cum ad quintam generalem congregationem provinciales cum primariis patribus convenissent, idem factum est; et res diligenter per omnes assistentias examinata, et tunc adhibitae moderationes, quae opportuna visae sunt. Nihilominus siquid adhuc superest, proponant et petant in nomine Domini»<sup>35</sup>. Haec verba iure considerari possunt ut ultima voluntas huius eximii Societatis praepositi, qui 35 annos, hoc est totum sui generalatus tempus in hunc finem mirabili assiduitate impendit, ut S. Fundatoris pium desiderium in effectum deduceret.

Quod adaptationem spectat, P. Vitelleschi, novus Societatis praepositus, eiusdem fuit sententiae. Nam anno 1615, respondens provinciae belgicae, scribebat: «In studiorum libro siquid in particulari desideratum fuerit, provinciae proponere licebit, ut de remedio cogitemus. Quod tamen vix necessum erit, cum is provinciarum conditionem in observatione eligenda spectandam esse, saepe inculcet»<sup>36</sup>.

Priusquam introductioni finem imponimus, nostra non parum interest, scire quid P. Acquaviva de hoc opere senserit. Huiusmodi iudicium manifestavit anno 1607, respondens postulato provinciae toletanae; quod conceptum fuit hunc in modum: «Ex modo docendi, quem nobis proponit liber de Ratione studiorum, nullam hactenus utilitatem, imo non mediocrem dispendium experti sumus tam in literis humanioribus, quam in philosophia, theologia, aliisque facultatibus tradendis. Quare precamur congregationem generalem, ut hunc librum auferat, atque experientiae commodiori, quam longo usu et tempore nationes et provinciae didicerunt, relinquatur ratio, tempus, modus has omnes facultates tradendi. Ex hoc enim nostro modo magnos fructus collegimus et praeclarissimi viri in omni literarum genere ex nostra provincia prodire»; P. Acquaviva pacato animo respondit ad hoc insolens postulat: «Librum in omnibus provinciis per tot annos examinatum, universim abrogandum petere, mirum videri potuit; cum praesertim in plerisque omnibus provinciis haec ratio commodissime succedat, praecipue vero in literis humanioribus docendis. Quare satius foret in particulari explicare, quaenam incommoda, et quibus ex rebus orta fuissent, quaeve remedia adhibenda viderentur. Quod cum fiet, respondebimus, optantes ut omnia ad rationem provinciarum quam commodissime et aptissime accommodentur»<sup>37</sup>.

<sup>35</sup> Vide inferius, p. 401 vol. VII.

<sup>36</sup> Vide inferius, p. 425 vol. VII.

<sup>37</sup> Vide inferius, p. 402 vol. VII.

## Caput III

## NOTITIA CODICUM MANUSCRIPTORUM

## I – CODICES SERVATI IN ARCHIVO ROMANO S.I. (ARSI)

1. *Arag. 6 I–II (Epistolae P. Gen. ad provinciam Aragoniae 1588–1611)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*54 III).
2. *Austr. 1 I–II (Epistolae Patrum Generalium ad provinciam Austriae 1573–1600)*. (Ex quo desumpta: Mon. \*61 \*91).
3. *Austr. 2 I–II (Epistolae Patrum Generalium ad provinciam Austriae 1601–1620)*.
4. *Austr. 21 (Epistolae prov. Austr. ad P. Generalem 1601–1660)*. (Ex quo desumpta: Mon. \*54 IV A 1–8 \*54 VII).
5. *Cast. 14 I–II (Catalogi triennales prov. Castellanae 1584–1649)*.
6. *Congr. 1 I–II (Acta congregationum generalium I–IX)*. (Ex quo desumpta: Mon. \*34 \*39 \*45 \*48).
7. *Congr. 6 (Acta congr. gen. I–V)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*39).
8. *Congr. 8 (Acta congr. gen. I–VI)*. (Ex quo desumpta: Mon. \*34 \*39 \*45).
9. *Congr. 14 (Acta congr. gen. III–VI)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*39).
10. *Congr. 15 (Decreta et acta congr. gen. I–VII)*. (Ex quo desumpta: \*45 \*48).
11. *Congr. 20/a (De rebus congr. gen. I–VIII)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*106).
12. *Congr. 20/b (De rebus congr. gen. I–V)*. (Ex quo desumpta: Mon. \*33 \*34 \*39).
13. *Congr. 43 (Acta congregationum provincialium 1587)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*36).
14. *Congr. 44 (Acta congr. prov. 1590)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*37).
15. *Congr. 46 (Acta congr. prov. 1592–93)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*38).
16. *Congr. 47 (Acta congr. prov. 1597)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*40).
17. *Congr. 48 (Acta congr. prov. 1599–1600)*. (Ex quo desumpta: Mon. \*41 \*111).
18. *Congr. 49 (Acta congr. prov. 1599–1600 II)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*41).
19. *Congr. 50 (Acta congr. prov. 1603)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*42).
20. *Congr. 51 (Acta congr. prov. 1606)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*43).
21. *Congr. 52 (Acta congr. prov. 1607)*. (Ex quo desumpta: Mon. \*44 \*45 et Append. II).
22. *Congr. 53 (Acta congr. prov. 1611)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*46).
23. *Congr. 54 (Acta congr. prov. 1615)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*47).
24. *Congr. 94 I–II (Responsa Patris Generalis ad postulata congr. prov. 1581–1590)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*33).
25. *Congr. 95 (Responsa Patris Generalis ad postulata congr. prov. 1581–1603)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*33).
26. *Congr. 96 (Responsa Patris Generalis ad postulata congr. prov. 1573–1696)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*33).
27. *Congr. 98 (Responsa Patris Generalis ad postulata congr. prov. 1584)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*35).
28. *Epp. NN 86 (Epistolae variorum de Societate: Chr. Rodriguez etc.)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*90).

29. *Epp. NN 113 (prius: Epistolae communes A<sup>1</sup>): Ordinationes et epistolae Patrum Generalium 1565–1645.* (Ex quo desumpta: Mon. \*104 \*120 \*122 \*123 et Append. A et E).
30. *Epp. NN 115 (prius: Epp. comm. B<sup>1</sup> 1565–1667).* (Ex quo desumpta: Mon. \*54 \*54 I \*120 \*122 \*123 et Append. E).
31. *Fl.-Belg. 1 I–II (Epistolae Patrum Generalium ad prov. Flandro–Belgicam 1573–1610).*
32. *Fl.-Belg. 9 (Catalogi trien. prov. Belgicae 1584–1603).*
33. *Fl.-Belg. 43 I–II (Catalogi breves prov. Flandro–Belgicae 1591–1615).*
34. *Franc. 10 (Catalogi trien. prov. Franciae 1584–1611).*
35. *Gall. 61 (Monumenta historica 1565–1604).*
36. *Gall. 62 I–II (Documents généraux et particuliers de la Compagnie jusqu'à nos jours).* (Ex quo desumpta: Mon. \*19 III \*54 I \*122).
37. *Gall. 91 (Epistolae nostrorum ad Patrem Generalem 1580–1583).* (Ex quo desumpta: Mon. \*68 \*73–\*75).
38. *Gall. 92 (Epistolae nostrorum ad Patrem Generalem 1585–1587).* (Ex quo desumptum: Mon. \*86).
39. *Gall. 94 I–II (Epistolae nostrorum ad Patrem Generalem 1603–1604).* (Ex quo desumpta: Mon. \*54 V A–D).
40. *Germ. 127 (Visitationes 1582–1595).* (Ex quo desumptum: Mon. \*49).
41. *Germ. 160 (Epistolae nostrorum ex assistentia Germaniae ad P. Generalem 1582).* (Ex quo desumptum: Mon. \*58).
42. *Germ. 161 (Epistolae nostrorum ass. Germ. 1583).* (Ex quo desumptum: Mon. \*64).
43. *Germ. 162 (Epistolae nostrorum ass. Germ. 1584 I–V).* (Ex quo desumpta: Mon. \*65–\*67 \*69–\*70 \*72).
44. *Germ. 163 (Epistolae nostrorum ass. Germ. 1584 VI–XII).* (Ex quo desumpta: Mon. \*76 \*78).
45. *Germ. 164 (Epistolae nostrorum ass. Germ. 1585 I–VIII).* (Ex quo desumpta: Mon. \*79–\*80).
46. *Germ. 165 (Epistolae nostrorum ass. Germ. 1585 IX–1586 IV).*
47. *Germ. 166 (Epistolae nostrorum ass. Germ. V–XII 1586).* (Ex quo desumpta: Mon. \*88–\*89).
48. *Germ. 167 (Epistolae nostrorum ass. Germ. I–IX 1587).* (Ex quo desumptum: Mon. \*94).
49. *Germ. 171 (Epistolae nostrorum ass. Germ. 1593).* (Ex quo desumptum: Mon. \*103).
50. *Germ. 172 (Epistolae nostrorum ass. Germ. I–VII 1594).*
51. *Germ. 180 (Epistolae nostrorum ass. Germ. 1601–1606 VI).* (Ex quo desumptum: Mon. \*71).
52. *Germ. Sup. 1 (Epistolae Patrum Generalium ad prov. G. Superioris 1573–1587).* (Ex quo desumptum: Mon. \*59).
53. *Germ. Sup. 2 (Epistolae P. Generalis ad prov. G. Sup. 1587–1600).* (Ex quo desumptum: Mon. \*10).
54. *Germ. Sup. 19 (Catalogi trien. prov. G. Sup. 1584 1587 1590).*
55. *Hisp. 86 (Epistolae Patrum Generalium ad prov. Hispaniae 1602–1680).* (Ex quo desumpta: Mon. \*54 I \*123).
56. *Hisp. 86/a (Epistolae comm. Patrum Generalium ad provincias Hispaniae 1545–1678).* (Ex quo desumptum: Mon. \*102).
57. *Hisp. 90 (Ordinationes comm. Patrum Generalium 1566–1593).* (Ex quo desumpta: Mon. 7 \*Appendix A).
58. *Hisp. 130 (Epistolae nostrorum ad P. Generalem IV–X 1585).* (Ex quo desumptum: \*81).

59. *Hisp. 131 (Epistolae nostrorum ad P. Generalem XI 1585–V 1586)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*84).
60. *Hisp. 133 (Epistolae nostrorum ad P. Generalem III–IX 1587)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*93).
61. *Hisp. 134 (Epistolae nostrorum ad P. Generalem X 1587–1592)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*96).
62. *Hist. Soc. 41 (Societatis status et numerus – 1574)*.
63. *Hist. Soc. 137 (Detrimenta Societatis – 1606)*. (Ex quo desumpta: Mon. \*115 \*117 \*118).
64. *Instit. 25/b (Decreta et ordinationes Patrum Generalium)*. Codex recentioris aetatis. (Ex quo desumpta: Mon. \*54 II 2 et \*105).
65. *Instit. 40 (Originalia ordinationum omnibus provinciis communium)*. (Ex quo desumpta: Mon. 7 et \*Appendix A).
66. *Instit. 43 (Ordinationes antiquae)*. (Ex quo desumptum: Mon. 7).
67. *Instit. 58 (Ordinationes et responsa Patris Generalis 1582–1587)*. (Ex quo desumptum: Mon. 7).
68. *Instit. 107 (L. MAGGIO S.I. – De naevis S.I. et remediis)*. (Ex quo desumptum: Mon. 83).
69. *Instit. 117 I–II (Ordinationes et instructiones Patrum Generalium 1565–1647)*. (Ex quo desumpta: Mon. \*7 \*38 \*105 \*Append. A et F).
70. *Instit. 213 (De uniformitate et soliditate doctrinae S.I. – 1611)*.
71. *Instit. 226 (Bullarium S.I.)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*11).
72. *Jap.–Sin. 9 (Epistolae nostrorum ex Japonia et Sinis 1580–1584)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*63).
73. *Lugd. 12 (Catalogi breves prov. Lugdunensis 1584–1597)*.
74. *Lus. 68 I–II (Epistolae nostrorum prov. Lusitaniae 1577–1584)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*56).
75. *Lus. 69 (Epistolae nostrorum prov. Lusitaniae 1585–1586)*. (Ex quo desumpta: Mon. \*82 \*85).
76. *Mediol. 21 I–II (Epistolae P. Generalis ad prov. mediolanensem 1583–1595)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*60).
77. *Neap. 2 (Epistolae Patrum Generalium ad prov. neapolitanam 1576–1583)*.
78. *Neap. 5 I–II (Epistolae P. Generalis ad prov. neapol. 1594–1598)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*109).
79. *Per. 1 (Epistolae Patrum Generalium ad prov. peruanam 1584–1618)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*121).
80. *Pol. 6 (Catalogi triennales prov. Poloniae 1584 1587)*.
81. *Rhen. Inf. 38 (Catalogi breves prov. Rheni Inferioris 1584–1621)*.
82. *Rom. 1 (Epistolae originales Patrum Generalium ad prov. romanam 1547–1599)*. (Ex quo desumpta: \*18 \*101 \*104 \*105 \*112 \*Appendix A).
83. *Rom. 2 (Epistolae originales P. Generalis ad prov. rom. 1600–1614)*. (Ex quo desumpta: Mon. \*120–\*123).
84. *Rom. 11 (Instructiones etc. pro Collegio Romano 1552 1583–94 1600–1744)*. (Ex quo desumpta: Mon. \*120 \*122 \*123 \*Appendix E).
85. *Rom. 13 I–II (Epistolae Patrum Generalium ad prov. romanam 1573–1584)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*99).
86. *Rom. 53 (Catalogi triennales prov. rom. 1571–1599)*.
87. *Rom. 54 (Catalogi triennales prov. rom. 1600–1611)*.

88. *Rom. 79 (Catalogi person. breves prov. rom. 1598–1616).*
89. *Rom. 150 I–II (Historia Collegii Romani I).* (Ex quo desumptum: Mon. \*15 II).
90. *Rom. 205 (Ordinationes et litterae superiorum 1573–1755).* (Ex quo desumptum: Mon. \*Appendix E).
91. *Stud. 1/c (Miscellanea de studiis III 1553–1600);* vide eius descriptionem in MP II 51\*–52. (Ex quo desumpta: Mon. \*14 I \*15 I \*51).
92. *Stud. 2 (Variarum provinciarum iudicia de Ratione studiorum 1586–1600);* 225 x 175 mm.; 378 ff.; compactum.
- ff. 1r–6v: *Iudicium trium patrum Collegii Romani de formula servanda in delectu opinionum theologiarum* (1589). Ed. MP VII mon. 2 p. 29 ss.
- ff. 7r–10v: St. TUCCIO S.I. – *Annotationes in censuram trium patrum Collegii Romani* (1589). Ed. MP VII mon. 4 p. 39 ss.
- ff. 11r–18v: St. TUCCIO S.I. – *Responsio brevis ad ea quae Collegii patres circa rationem studiorum censuisse dicuntur* (1589). Ed. MP VII mon. 3 p. 33 ss.
- I. De uniformitate. – II. De soliditate. – III. De uniformitate et soliditate simul.
- ff. 19r–26v: St. TUCCIO S.I. – *Responsio ad id quod propositum est de D. Thomae doctrina sequenda* (1582). Ed. MP VI mon. 4 p. 15 ss.
- ff. 27r–39v: *Quae visa sunt patribus deputatis in provincia Siciliensi in recognitione libelli de studiis* (1586). Ed. MP VI in mon. 10–31 passim.
- ff. 40r–54v: [Didacus TAPIA S.I.] – *Animadversiones seu considerationes super librum Rationis studiorum ab uno ex patribus deputatis in provincia siciliensi* (1586). Ed. MP VI in mon. 10–31 passim.
- ff. 55r–100v: FRANCISCUS MARINO S.I. – *Particularis censura in nonnullas patrum deputatorum propositiones* (1586). Ed. MP VI in mon. 10–31 passim.
- ff. 101r–04v: *Paradigmata seu modus docendi in scholis humanitatis et rhetorices* (1587c). Ex prov. Germ. Sup., Aragoniae, Poloniae, Lugdunensi. Ed. MP VI in mon. 10–31 passim.
- ff. 105r–06v: *Rationes patrum congregationis provinciae rhenanae, cur philosophiae cursus in hac provincia sit annis duobus et septem mensibus absolvendus* (1593). Ed. MP VII mon. 21 II A p. 194 ss.
- ff. 107r–10v: *De philosophici cursus et theologici repetitione* (1587c). Ex prov. Rhenana, Toletana, Neapolitana, Nic. Clerus, prov. Flandriae, Austriae, Poloniae, Lugdunensi.
- ff. 111r–14v: *De praemiorum distributione et renovatione studiorum* (1587c). Ex prov. Rhenana, Poloniae, Aragoniae, Germaniae, Flandriae, Lugdunensi, Neapolitana.
- ff. 115r–16v: *De ratione studiorum Inferioris Germaniae patrum iudicium* (1586), Ed. MP VI in mon. 10–31 passim.
- ff. 117r–26v: *Paradigmata lectionum in classe rhetorices – In praeceptis – In oratione explicanda – Exemplum lectionis graecae – Modus quotidianarum disputationum in classibus inferioribus – Ratio repetendi studia theologiae et philosophiae – De ceremonia et modo renovationis studiorum ac distributionis praemiorum* (Ex prov. Inferioris Germaniae – 1587). Ed. MP VI mon. 31 p. 449–54.
- ff. 127r–71v: *De ratione atque institutione studiorum per sex patres deputatos Romae anno 1585 conscripta iudicium* (Ex prov. Poloniae – 1586). Ed. MP VI in mon. 10–31 passim.
- ff. 172r–80v: Laurentius Arturus FAUNTEUS S.I. – *Examen Rationis studiorum* (1586). Ed. MP VI in mon. 10–31 passim.
- ff. 181r–84v: Ioannes BALMESIUS S.I. – *De Ratione studiorum* (1586). Ed. MP VI in mon. 10–31 passim.

ff. 185r-88v: Georgius CRISPUS S.I. – *Regulae novae, quae de humanioribus literis recte tradendis praescribuntur, multis in nostra provincia ob sequentes causas non probantur.* (1572). Ed. MP II mon. 100 p. 790–91.

ff. 189r-92v: *Dubia quaedam et difficultates seu annotationes in librum de ratione studiorum* (Ex prov. Poloniae 1593). Ed. MP VII 239 ss.

ff. 193r-96v: *Ad dubia Poloniae in regulas praefecti inferiorum facultatum et alias deinceps* (P. Brunelli – 1594). Ed. MP VII mon. 23 p. 239 ss.

f. 197r-v: *Difficultates a quibusdam rhetoricae magistris propositae* (Prov. Galliae – 1593). Ed. MP VII 22 II p. 237–38.

ff. 198r-200v: *Quae observata sunt a patribus trium provinciarum Galliae circa Praxim libri de ratione studiorum* (1593). Ed. MP VII mon. 22 I p. 235–37.

f. 201r-v: *Pro distributione praemiorum – Pro rhetorica tradenda* (Ex Gallia – 1593). Ed. MP VII mon. 22 III p. 238–39.

ff. 203r-04v: Petrus PERPIGNIANUS S.I. – *Forma praemiorum publicorum* (Romae 1564). Ed. MP II mon. 80 p. 636 ss.

ff. 205r-06v: *Haec de Ratione studiorum videntur proponenda Patri nostro a patribus provinciae Castellae* (1596). Ed. MP VII mon. 19 IV p. 164 ss.

ff. 207r-53v: *De ratione et institutione studiorum ex provincia Aragoniae* (1586). Ed. MP VI in mon. 10–31 passim.

ff. 254r-69v: *Sardiniae provinciae iudicium circa Rationem studiorum* (1587). Ed. MP VI in mon. 10–31 passim.

ff. 270r-83v: *Quae patres provinciae Baeticae circa rationem studiorum animadvertenda duxerunt* (1586). Ed. MP VI in mon. 10–31 passim.

ff. 284r-93v: *Aliqua quae patres hispalensis collegii advertunt circa rationis studiorum librum* (1586). Ed. MP VI in mon. 10–31 passim.

ff. 294r-308v: *Observationes provinciae Lusitaniae in librum de ratione studiorum* (1586). Ed. MP VI in mon. 10–31 passim.

ff. 309r-15v: *Haec visa sunt patribus Eborensibus animadvertenda circa methodum explicandi partes D. Thomae a patribus Conimbricensibus confectam* (1586c).

ff. 317r-32v: *Quidam lusitanus de S.I. circa Grammaticam latinam E. Álvares S.I.* (1587). NB! Multa illegibilia ob pessimum foliorum statum.

ff. 333r-37v: *Iudicium patrum provinciae Indiae Orientalis de Ratione studiorum* (1587). Ed. MP VI in mon. 10–31 passim.

ff. 338r-58v: *Conspectus quidam de observationibus provinciarum circa Rationis studiorum nonnulla capita* (1587c).

ff. 358r-61v: Hieronymus BRUNELLI S.I. – *De graecis litteris in scholis tradendis* (1596c). Ed. MP VII mon. 24 II 1 p. 247–48.

ff. 362r-63v: Hieronymus BRUNELLI S.I. – *Observationes de iudiciis provinciarum circa linguam hebraicam in scholis tradendam* (1596c). Ed. MP VII mon. 24 II 2 p. 248–49.

ff. 364r-74v: Claudius ACQUAVIVA praep. gen. S.I. – *Examen Rationis studiorum* (1590). Ed. MP VII mon. 8 p. 75 ss.

f. 375r-v: *De officio secretarii, cancellarii, designatoris, syndici universitatis, bedelli, notarii* (?).

f. 376r-v: *De intermissionibus studiorum* (?).

(Ex quo codice desumpta: Mon. 4 et 10–31 passim; \*2 \*4 \*8 \*19 IV \*21 II A \*22 I–III \*24 I II 1–2 \*Appendix A).

93. *Stud. 3 (Documenta de Ratione studiorum 1552-1613)*; vol. compactum, 332 x 230 mm., 591 ff. – Cf. *Mon. Paed.* (1901) p. 14–15, et *Epp. Nadal* IV 23–25.

ff. 1r–29v: H. NADAL S.I., *De studii generalis distributione et ordine* (1552). Ed. MP I mon. 11 p. 133–63.

I. *Distinctio classium*. – II. *De universitatis rectore*. – 3. *Ratio graduum academicorum*.

ff. 30r–31v: A. SALMERÓN S.I. – Cl. ACQUAVIVA praep. gen. S.I. (Neapoli 1 sept. 1582): *Quid sentiat circa rationem tenendam in theologia et philosophia docenda*. Ed. MP VI mon. 6 p. 21–24.

ff. 32r–v: I. LEDESMA S.I. – H. NADAL S.I. (Ad a. 1570): *De ratione docendae theologiae. In quaestionibus probandis. – In docendi modo*. Ed. MP II mon. 96 p. 774–76.

ff. 33r–34v: I. LEDESMA S.I. – E. MERCURIAN praep. gen. S.I. (Romae, ad a. 1574): *De propositionibus theologicis in Societate prohibendis*. Ed. MP IV p. 196–204.

ff. 35r–54v: *Censura patrum Collegii Romani circa ea quae a patribus deputatis de ordine et ratione studiorum praescripta sunt* (1587). Ed. MP VI in mon. 11–30 passim.

ff. 55r–92v: *Iudicium theologorum Collegii Romani S.I.: De censura ac delectu opinionum patrum a Rev.do admodum Patre nostro generali deputatorum* (1585). Ed. MP VI mon. 8 p. 27 ss.

ff. 93r–104v: *Quae observata sunt a patribus neapolitanae provinciae circa librum de Ratione studiorum* (1586) – *De opinionum delectu in theologica facultate. – Praxis et ordo studiorum*. Ed. MP VI in mon. 10–31 passim.

ff. 105r–155v: *Acta congregationis quinque patrum in provincia mediolanensi delectorum ad examen rationis studiorum Romae confectae per sex patres iussu Patris nostri Generalis* (1586), Ed. MP VI in mon. 10–31 passim.

ff. 156r–93v: *Observationes provinciae venetae in Librum studiorum* (1586). Ed. MP VI in mon. 10–31 passim.

ff. 194r–241v: *Observationes circa Rationem studiorum ex provincia Superioris Germaniae* (1586). Ed. MP VI in mon. 10–31 passim.

De opinionum delectu in theologica facultate (f. 195 ss.) – Circa Praxim et ordinem studiorum (f. 200 ss.) – Circa sex capita sub finem voluminis de Ratione studiorum adscripta: De paradigmatis accommodatis singulis scholis humanitatis (f. 224 ss.) – Leges communes scholasticorum quo ad mores (f. 229 ss.).

Appendix ad totum librum: De institutione magistrorum – De cognoscendis ingeniis – De discipulis pro ingenio, captu et natura tractandis – De discipulis diligendis – De praeparatione ad docendum – De ratione explicationis – De actione magistri in schola – De ordine, perspicuitate, brevitate – De examinandi ratione – De diversitate thematum in utraque oratione, soluta et ligata, et unde petenda sint – De emendatione scriptionum. – De discipulis puniendis – De concordia et consensione praeceptorum – De libris quos legant professores.

De schola hebraica (f. 236 ss.) – Oeconomia dialogicae scriptionis (f. 238 ss.). Ed. MP VI in mon. 10–31 passim.

ff. 242r–61v: *De rationis studiorum Roma misso libello rhenanorum patrum iudicium* (1586). Ed. MP VI in mon. 10–31 passim.

ff. 262r–65v: *Quare coniunctis horis docendum quemadmodum liber praescribit* (1590).

ff. 266r–82v: *Observationes circa rationem studiorum provinciae Austriae* (1586) – *Responsiones ad sex capita, quae extra volumen de Ratione studiorum ad provinciam missa sunt* (f. 273 ss.). Ed. MP VI in mon. 10–31 passim.

ff. 283r–290v: Alfonsus PISA S.I., *In librum de ratione studiorum*. Ed. MP VI in mon. 10–31 passim.



ff. 291r-96v: Ioannes LEOPOLITANUS S.I., *Censura in librum de ratione studiorum in Societate* (1586). Ed. MP VI in mon. 10-31 passim.

ff. 297r-303v: *Haec observata sunt a P. Ferdinando Peresio circa librum de ratione studiorum* (1587). Ed. MP VI in mon. 10-31 passim.

ff. 305r-06v: Laurentius NORVEGUS S.I. – Stephano TUCCIO S.I. (Graecio 24 apr. 1595): *De fructu exiguo in docendis litteris humanioribus*. Ed. MP VII mon. 107 p. 623-24.

ff. 307r-10v: *Dubitationes et difficultates nonnullae circa regulas scholarum inferiorum* (Ex prov. Germ. Sup. a. 1595). Ed. MP VII mon. 21 III A p. 195-201. Responsa Patris Generalis *ibidem* p. 311r-12v.

ff. 313r-14v: *Responsa ad ea quae quatuor provinciae Germaniae proposuerunt circa rationem studiorum* (1593). Ed. MP VII mon. 21 I p. 191-94.

f. 315r-v: *Ex Memoriali P. Provincialis Rheni* (1593). Ed. MP VII mon. 21 II B p. 195.

ff. 316r-18v: *Dubia et difficultates circa regulas praefecti scholarum inferiorum* (Ex prov. Germ. Sup. a. 1595). Ed. MP VII mon. 21 III B p. 201-08.

ff. 320r-29v: *De conventu Dilingano super Ratione studiorum quo ad literas humaniores* (Ex prov. Germ. Sup. 1598). Ed. MP VII mon. 21 IV p. 215-34.

ff. 331r-65v: *Iudicium congregationis deputatorum in provincia Franciae ad recognoscendam studiorum rationem ab admodum R.P.N. Generali Claudio Aquaviva ex Urbe anno 1586 transmissam*. Ed. MP VI in mon. 10-31 passim.

ff. 366r-69v: Nicolaus CLERUS S.I., *Examen Rationis studiorum* (1586). Ed. MP VI in mon. 10-31 passim.

ff. 370r-71v: Iacobus SALESIUS S.I., *Circa rationem studendi generatim – Circa modum praelegendi – De delectu opinionum – De Scripturis* (1586). Ed. MP VI in mon. 10-31 passim.

ff. 372r-73r: Ioannes BLEUSIUS S.I., *De opinionum delectu – Praxis et ordo studiorum – De sex capitibus* (1586). Ed. MP VI in mon. 10-31 passim.

f. 373v: Ioannes B. GONZALES S.I., *De Ratione studiorum iudicium* (1586). Ed. MP VI in mon. 10-31 passim.

ff. 374r-99v: *Quae animadversa sunt in priorem et secundam partem libri de ordine studiorum* (Ex Prov. Aquit. – 1587). Ed. MP VI in mon. 10-31 passim.

*Quae animadversa sint in cap. De Praxi – Quae animadversa sunt circa ea quae praescripta sunt de studiis humanitatis* (f. 382 ss.) – *De opinionum delectu* (f. 390 ss.) – *In sex capita* (f. 397 ss.). Ed. MP VI in mon. 10-31 passim.

ff. 400r-05v: *Quae Pater Bartholomaeus Perez annotavit in librum de ratione studiorum* (1586). Ed. MP VI in mon. 10-31 passim.

ff. 406r-07v: *Quae videntur pro Lusitania tollenda ex ratione studiorum* (1596). Ed. MP VII mon. 20 p. 188 et ss.

ff. 408r-09v: *Quae incommoda cum ea, quae iis studiis praescripta est, docendi ratione coniuncta sint* (157?).

ff. 410r-11v: *Methodus explicandi partes D. Thomae quae a nostris professoribus servari debet* (157?).

ff. 412r-413v: *De reductione cursus artium Conimbricae in tres annos* (1586).

ff. 414r-15v: A. LOBOS S.I. – Cl. ACQUAVIVA praep. gen. S.I. (Olisipone 6 iulii 1596): *De emendatione Rationis studiorum*.

ff. 416r-17v: *Razonez particulares en que se compriman las que se han de proponer a Su M. para abreviar el curso de artes medio año y las horas de enseñar en él y en la retorica* (Coimbra 1586).

- ff. 418r–19v: St. TUCCIO S.I. – Cl. ACQUAVIVA praep. gen. S.I. (Frascati 6 sept. 1588) – *Mittit partes Rationis studiorum 1591*. Ed. MP VII mon. 98 p. 611–12.
- ff. 420r–41v: St. TUCCIO S.I. – Cl. ACQUAVIVA praep. gen. S.I. (Frascati 14 dec. 1588): *Nova ratio 1591 tandem auctoritate praepositi generalis introducatur in scholis*. Ed. MP VII mon. 99 p. 613 ss.
- ff. 442r–46v: St. TUCCIO S.I. – D. JIMÉNEZ S.I. secret. (Frascati 23 sept. 1590): *Dubia quae duplex genus disputationum scholasticarum respiciunt*. Ed. MP VII 100 p. 616–17.
- f. 447r–v: I. MALDONADO S.I., *Iudicium de sequenda S. Thomae doctrina* (1582). Ed. MP VII mon. 5 p. 20.
- ff. 448r–49v: R. BELLARMINO S.I. – *De sententia cuiusdam qui Sanctum Thomam uno solo articulo excepto sequendam censuit* (1582). Ed. MP VI mon. 3 p. 12–14.
- f. 450r–v: Benedictus SARDI S.I. rect. Coll. Rom. (1582) – *Ratio distribuendi S. Scripturam et controversias auditoribus*. Ed. MP VI mon. 2 p. 11.
- ff. 451r–52v: Iac. TYRIUS S.I. – *De opinionum delectu et de doctrina S. Thomae sequenda quid sentiat* (1582 aut 1590). Ed. MP VII mon. 9 p. 83.
- ff. 453r–66v: R. BELLARMINO S.I. – *Quae visa sunt proponenda ut immutarentur in libro studiorum pro natione italica – cum responsionibus ad singulas petitiones* (1594). Ed. MP VII mon. 18 p. 132 ss.
- ff. 467r–70v: *Quaedam de libro studiorum a quatuor provinciis Germaniae notata* (1593). Ed. MP VII mon. 21 I p. 191–94.
- ff. 471r–72v: P. HOFFAEUS S.I., *Cur expediat, ut Societas ex professo se accingat ad stringendum calamus contra haereticos* (1590c).
- ff. 473r–74v: Cl. ACQUAVIVA praep. gen. S.I. – B. PALMIO S.I. (4 febr. 1595): *Ne nostri scribant vitas principum*.
- ff. 475r–76v: Th. GONZALEZ praep. gen. S.I. – *Memoriale ad S. Pontificem de lectore controversiarum in Collegio Romano* (1697c). Ed. Le BACHELET S.I., *Bellarmin avant son cardinalat*, p. 520–22.
- ff. 477r–78v: Ioan. Andr. EUDAEMON (Graecus) S.I. – *Circa modum legendi theologiam propositiones quaedam* (Ad a. 1604). Ed. MP VII mon. 114 p. 643 s.
- ff. 479r–84v: L. PATORNAEUS S.I. – L. MAGGIO S.I. vis.: *Observationes circa studia* (1604). Ed. MP VII mon. 54 V E p. 526 ss.
- ff. 485r–87v: Chr. CLAVIUS S.I. – *Discursus cuiusdam amicissimi Societatis Iesu de modo et via, qua Societas illa ad maiorem Dei honorem et animarum profectum augere hominum de se opinionem, omnemque haereticorum in literis aestimationem, qua illi multum nituntur, convelle brevissime et facillime possit* (1593c). Ed. MP VII mon. 14 IV p. 119–21.
- ff. 488r–89v: Quidam germanus – Ferd. ALBER S.I. vic. gen. (1615c): *De excitando studio linguae haebrae et graecae*.
- ff. 490r–91v: Quidam italicus de S.I., *De usu linguae latinae inter nostros* (Ad a. 1606). Ed. MP VII mon. 116 p. 646 s.
- ff. 492r–96v: *De usu linguae latinae inter nostros patres Collegii Romani quid sentiant?* (1605).
- f. 498r: Ludovicus CRESOLIUS (Cresolles) S.I. gallus (1568–1634; cf. SOMMERVOGEL II 1654–55) – *Censura cuiusdam rationis studiorum Galliae*.
- ff. 499r–500v: Ioan. Petr. MAFFEI S.I. – E. MERCURIAN praep. gen. S.I. (Romae 1575) – *De studiis Collegii Romani restaurandis*. Ed. MP IV 205–08.
- ff. 501r–03v: H. TORSellino S.I., *De studiorum Collegii Romani insufficientia*. (1575). Ed. MP IV 209–13.

- ff. 503r–04v: Fulvius CARDULO S.I. – *De praeparandis professoribus rhetorices* (1590). Ed. MP VII mon. 16 p. 128–29.
- f. 505r: Hieronymus BRUNELLI S.I. – *De lingua graeca quotidie docenda* (1593c). Ed. MP VII mon. 24 p. 251.
- ff. 506–07v: Fr. BENCIO S.I. – *De reformandis litteris humanioribus* (1593). Ed. MP VII mon. 13 p. 131–32.
- ff. 509r–10v: *Observanda a nostris circa literas humaniores excitandas et fovendas ex consultatis 1609 in maio – A rectoribus – A praefectis – A magistris.* (Ex prov. Poloniae). Ed. MP VII mon. 45 App. p. 409 ss.
- ff. 511r–17v: Professores Collegii Romani – *An liber edendus sit quem explicare teneantur autoritate Patris Generalis* (1585). Ed. MP VI mon. 9 p. 34 ss.
- ff. 519–20v: *Quae videntur animadvertenda pro Academia eruditionis ecclesiasticae* (Ex Germ. 1613).
- ff. 521–22v: Petrus GOTTROVIUS S.I. – Cl. ACQUAVIVA praep. gen. S.I. (1613) – *De Academia ecclesiastica in Germania constituenda.*
- ff. 523–24v: Ioan. MOCQUETIUS S.I. – *Triplex modus exercitationis pro Academia in Germania* (1613).
- ff. 525r–26v: Paulus LAYMAN S.I. – *In Academia ecclesiastica talis modus videtur servandus* (1613).
- ff. 527–28v: Georgius HOLZHAY S.I. – *De Academia ecclesiastica in Germania* (1613).
- ff. 529–30v: Nicolaus GALL S.I. – *De Academia ecclesiastica* (1613).
- f. 532r–v: Sebastianus ROMEI S.I. rect. Coll. Rom. – *Litterae patentes de promovendis ad gradus academicos in philosophia et theologia* (1558). Ed. AHSI 39 (1970) 362–66.
- ff. 533r–34v: *Ordo servandus in promotione ad gradus literarios* (f. 34v: «Ordo promotionis ad gradus» et alia manu sequitur «a N. P. approbatus – Bernardinus Confalonierus»).
- ff. 535r–v: *Capita quae videntur excutienda esse, ut decernatur certus ritus promovendi ad doctoratum in Collegio Romano.*
- ff. 536r–37v: *Formula promotionis ad gradus academicos a P. Mutio Vitelleschi praep. gen. adhibitus.*
- f. 538r: *Formula testimonii doctoratus.*
- ff. 539v–41v: Cl. ACQUAVIVA praep. gen. S.I. – *Ordo de talentis admittendorum scholasticorum S.I. ad studia philosophiae et theologiae* (iun. 1589 et 12 iul. 1591). Ed. MP VII App. – A p. 664.
- f. 542r–v: Cl. ACQUAVIVA praep. gen. S.I. – *Decretum de temperanda exclusione scholasticorum S.I. a studiis* (26 aug. 1600). Ed. MP VII mon. App. – E p. 671 s.
- f. 543r: Cl. ACQUAVIVA praep. gen. S.I. – *Nulli nostrorum inter solemnes et publicos actus disputationum e superioribus scholae subelliis argumentari aut in illis sedere liceat* (12 maii 1601).
- f. 545r–v: Cl. ACQUAVIVA praep. gen. S.I. – Bernardino CONFALONIERI praep. prov. rom. (12 dec. 1601) – *De spectaculis publicis a discipulis nostrarum scholarum non visitandis.* Ed. MP VII mon. 112 p. 633.
- f. 546r–v: Bernardinus ab ANGELIS S.I. secr. – *Actus minores philosophiae et theologiae typis non marentur* (7 sept. 1612).
- f. 547r–v: Bernardinus ab ANGELIS S.I. secr. – *A discipulis nostris ne fiant expensa* (8 sept. 1613).
- ff. 548r–49v: Cl. ACQUAVIVA praep. gen. S.I. – *Del parlar con rispetto della dottrina de S. Tomaso* (1611 aut 1613).
- ff. 550r–51v: Alvarus LOBO praep. prov. Lus. S.I. – *Significat nonnullas res quae utiles esse possunt in conficienda Ratione studiorum* (Olissipone 2 sept. 1594).

ff. 553r–68v: *Quae patribus hispanis visa sunt non posse in tota Hispania servari circa institutionem studiorum* (feb. 1594). Ed. MP VII mon. 19 III p. 150–64.

ff. 569r–71v: *Instrucion de lo que dispone el libro de racione studiorum acerca de las escuelas menores para mayor inteligencia de las reglas ...* (Montilla 25 oct. 1597). Ed. MP VII mon. 19 V A p. 166 ss.

ff. 573r–76v: *Algunos puntos controversos cerca del asiento de las escuelas menores ...* (Montilla 25 oct. 1597). Ed. MP VII mon. 19 V B p. 170 ss.

ff. 577r–80v: *Animadversiones in Emmanuelis Grammaticam*. Inc. «Notae seu scholia ad verborum coniugationes ...» – «Postulata magistrorum Turiasonensis collegii». Inc. «In primo et tertio capite cum aliis sentiunt».

ff. 582r–84v: *Ad deputatos pro Hispania petitiones circa studia responsio* (1606c?). Ed. MP VII mon. 19 III p. 150 ss.

ff. 585r–91v: Philippus RINALDI S.I. – *Petitiones diversarum provinciarum, et dubia quae adhuc manent post ultimam libri recognitionem* (1594).

(Ex hoc codice desumpta: Mon. 5 6 9 et 10–31 passim; \*9 \*14 IV \*16 II \*17 \*18 \*19 A–C \*19 III \*20 \*21 I II B III A–B IV \*45 Appendix \*54 V E \*98 \*100 \*107 \*112 \*114 \*116 \*Appendices A et E).

94. *Stud. 3/b (Varii Rationis studiorum 1591 textus; nonnullaque edam de re documenta)*. Documenta nondum compacta, in fasciculis separatim recondita. Cf. MP V p. 33\*.

Fasciculus 1 – Textus Rat. stud. 1591, «Brunelli» dictus; continet regulas prof. rhet., hum. litt., gram. 1–3 classis.

Fasciculus 2 – Textus Rat. stud. 1591, textus «A» dictus; exhibet regulas provincialis, rectoris, praefecti studiorum, professoris linguae hebraeae, S. Scripturae, theologiae scholasticae, casus conscientiae, philosophiae, moralis philosophiae, mathematicae, praefecti stud. inferiorum, scholasticorum S.I., instructionem pro biennistis theologiae. – Adduntur textus a P. Rinaldi exarati: regulae de studiis inferioribus, prof. rhet., hum., gramm. 1.ae, coadiutoris magistrorum, scholarium externorum, academiarum, praefecti acad.

Fasciculus 3 – Textus Rat. stud. 1591, textus «B» dictus: continet reg. prof. rhet., praef. stud. sup., communium prof. sup., theologiae, praef. stud. inf., humaniorum, gram. 1–3 cl.

Fasciculus 4 – Textus Rat. stud. 1591, textus «C» dictus; in quo inveniuntur regulae rectoris, praef. stud., prof. S. Scripturae, l. hebr., theologiae, cas. consc., philosophiae, mor. phil., mathematicae, praef. stud. inf., comm. prof. cl. inf., rhetoricae, humanitatis, 1.ae 2.ae 3.ae gram., scholasticorum S.I., adiut. magistrorum, scholarium externorum, praef. atri, academiarum, praef. acad.

Fasciculus 5 – Textus Rat. stud. 1591, textus «D» dictus: continet omnes officialium scholae regulas, quae in Rat. stud. 1599 typis expressae apparent.

Fasciculus 6 – (*Collectanea ad Rat. stud. 1591 et 1599 spectantia*).

1. M. LEDER S.I. – *De impedimentis hebraicae linguae tollendis – De iis quae in grammatica mutanda vel addenda videntur – Observationes pro lexico hebraico conscribendo* (1593). Ed. MP VII mon. 13 p. 105 ss.

2. *Dubia deputationis italicae de Ratione studiorum* (1594c). Ed. MP VII mon. 18 p. 132 ss.

3. *Quae observata sunt a patribus trium provinciae Galliae circa praxim libri de ratione studiorum* (1594c). Ed. MP VII mon. 22 I p. 235 ss.

4. *Nonnulla H. Brunelli S.I. de humanioribus litteris tradendis scripta* (1593–1598). Ed. MP VII mon. 24 p. 245 ss.

5. Ph. RINALDI S.I. – *Ut praefectus atri quoque scholares externos examinet, expedire demonstrat* (1598). Ed. MP VII mon. 25 p. 258–59.

6. Ph. RINALDI S.I. – *Quaedam ad P. Generalem referenda de Ratione studiorum* (1597). Ed. MP VII mon. 26 p. 260–61.

7. Ph. RINALDI S.I. – *Consideranda de regulis scholarum* (1598). Ed. MP VII mon. 27 p. 261–63.

8. Michael VASQUEZ S.I. – *Quae videntur notanda circa regulas libri de Ratione studiorum* (1598). Ed. MP VII m. 28 p. 263.

9. P. P. SPINELLI S.I. rect. Coll. Rom. – *Adnotata circa regulas studiorum* (III 1598). Ed. MP VII mon. 29 p. 267.

10. *Dubii del collegio di Napoli sopra il libro de studii* (1598). Ed. MP VII mon. 30 p. 272 ss.

11. *Ultima revisio et castigatio libri de ratione studiorum Tusculi mense maio 1598*. Ed. MP VII mon. 31 p. 276 ss.

12. Ph. RINALDI S.I. – *Quae statuit P. Generalis quando liber studiorum coram Sua Paternitate lectus est* (1598). Ed. MP VII mon. 32 p. 286–87.

13. *Quaedam Collectitia, quae a nostris in Germania per collegia secundum rationem novam studiorum suggesta sunt, et videri potuerunt deliberatione digna* (1602). Ed. MP VII mon. 42 p. 375 ss.

Fasciculus 7 – Proiecta varia Patris Rinaldi de regulis inferiorum classium redigendis (Ad a. 1590).

(Ex his fasciculis desumpta: Mon. \*13 \*18 \*22 I \*24 VI–XI \*25 \*28 \*30 \*32 \*42).

95. *Stud. 3/c (Documenta varia de studiis. 1560–1645)*. Documenta nondum compacta, et in sex fasciculis, iuxta ordinem temporis, collocata.

#### Fasciculus 1

1. Franciscus PALMIO S.I. rect., coll. bonon. – *Istruzioni e regole per scolari e genitori* (1560c).

2. *Risoluzioni di alcuni dubbi ... quali uno scolare della Compagnia cavò da certi ragionamenti avuti con Nostro Padre Ignazio* (1560). Exemplum recentioris temporis.

3. E. MERCURIAN praep. gen. S.I. – *Quae visa sunt observanda circa usum librorum prohibitorum et aliorum quorundam* (Romae 21 martii 1575). Ed. MP IV mon. 107 p. 575.

4. *Censura Rationis studiorum (1586) a quodam externo facta* (1586).

5. Provincia Aquitaniae: *An seminarium philosophiae et theologiae sit potius Burdigalae quam Tolosae constituendum?* (Ad a. 1588).

6. *Proiecta regularum officiorum quorundam scholasticorum in collegiis ubi pauciores classes quam quinque sunt* (Ad a. 1591).

*Regulae communes superiorum classium, bidelli, scholarum Societatis, auditorum collegii Societatis, correctoris.*

7. *Quae de universitatis officiis nonnullae provinciae in Urbem miserunt* (Ad a. 1587).

8. Provincia Neapolitana – *Dubbio sopra il difender le conclusioni di coloro che finiscono il corso di filosofia* (12 iulii 1591). Ed. MP VII – Appendix B.

9. *Risposte al Provinciale di Venetia a 28 di giugno 1597 circa gli studi degli scholastici S.I.*

10. Cl. ACQUAVIVA praep. gen. S.I. – *Responsa ad dubia nonnullorum circa examen logicorum* (Romae 23 aug. 1597)

11. *Risposta del P. Generale Acquaviva circa l'agosto dell'anno 1598 in risposta di alcuni dubbi in materia di studii.*

12. P. P. SARACINO S.I. – P. Cl. ACQUAVIVA praep. gen. S.I. – *De statu studiorum in provincia veneta non excellenti* (Mense octobri 1597). Ed. MP VII mon. 108 p. 625 ss.

13. L. MANSONI praep. prov. neapol. – *Dubia circa examen scholasticorum S.I.* (1599). Ed. MP VII – Appendix D.

14. *Brevis catalogus nonnullorum de S.I., qui ab a. 1541 ad a. 1597 mortem subierunt, quorum maior pars pro fide occisi sunt.*

## Fasciculus 2

1. *Istruzione per il Visitatore degli studi* (1602). Ed. MP VII mon. 54 p. 480.
2. *Quidam germanus de S.I. circa praemia discipulis dandis* (Dilingae 12 dec. 1602).
3. B. ab ANGELIS sect. S.I. per comm. – M. VITELLESCHI S.I. vis. stud. – Risposte circa gli studi di teologia degli scholastici S.I. (1 sept. 1602).
4. O. MANARAEUS S.I. vis. – *Rationes cur studiosi theologiae debeant audire S. Scripturam quarto anno* (19 dec. 1602). Habentur etiam epistolae de eadem re Nicolai Bonart S.I. (16 ian. 1603) et Marci Vandorne. Ex prov. Fl. Belgicae.
5. Ioannes CAMEROTA S.I., sect. congr. prov. neapol. – *Quae in congregatione neapolitana anno 1603 ad R.P.N. Generalem visa sunt esse referenda de studiis*. Ed. MP VII – Appendix H p. 675.
6. *Mediocrilitatis descriptio, confecta a nonnullis patribus iussu R. P. Provincialis et congregationis neapolitanae anno 1603*. Ed. MP VII – Appendix H p. 675.
7. Petrus AEGIDIUS S.I. hispanus – *Memoriale de propositionibus ex I-II. ae S. Thomae* (1603).
8. P. A. SPINELLI S.I. – L. MASELLI S.I. vis. stud. – *Varii modi praeparare professores theologiae proponit* (1603).
9. Cl. ACQUAVIVA praep. gen. S.I. – F. de FABIIS praep. prov. neap. S.I. – *De iudicanda mediocritate ingenii scholasticorum S.I. responsum* (1600). Ed. MP VII – Appendix G p. 674.
10. *Memoria de todos los papeles tocantes al negocio de Auxiliis que dexó el P.e Bastida para que los conserve el P.e Secretario* (Mense oct. 1607).
11. Petrus XIMÉNEZ S.I. – *De cursu triennali theologiae positivae* (1608). Ed. MP VII mon. 119 p. 653 s.
12. Cl. ACQUAVIVA praep. gen. S.I. – *Decretum de tyrannicidio* (1610 1614).  
(Ex his fasciculis desumpta: Mon. \*48 Appendix \*54 I \*108 \*119 \*Appendices C D G).
96. *Tolet. 12/a (Catalogi prov. toletanae 1550–1599)*.
97. *Tolet. 21 (Catalogi trien. prov. tolet. 1584–1614)*.
98. *Tolet. 37/a (Historia prov. tolet. 1547–1610)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*57).
99. *Fondo Gesuitico 483 (Informationes)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*39).
100. *F. Ges. 644 (Epistolae selectae)*, fasc. 47. (Ex quo desumptum: Mon. \*95).
101. *F. Ges. 645 (Epp. sel.)*, fasc. 9. (Ex quo desumptum: Mon. \*110).
102. *F. Ges. 648 (Epp. sel.)*, fasc. 359. (Ex quo desumpta: Mon. \*50 Appendix \*97).
103. *F. Ges. 649 (Epp. sel.)*, fasc. 364. (Ex quo desumptum: Mon. \*54 VI B 1).
104. *F. Ges. 656/A (Censura opinionum 1565–1627)*. (Ex quo desumpta: 1 8 \*5).
105. *F. Ges. 1361 (Collegia)*, fasc. 7. (Ex quo desumptum: Mon. \*54 VI B 3).
106. *F. Ges. 1403 (Collegia)*, fasc. 9. (Ex quo desumptum: Mon. \*49).
107. *F. Ges. 1435 (Collegia)*, fasc. 1/2. (Ex quo desumpta: Mon. \*49 54 VI A 1).
108. *F. Ges. 1443 (Collegia)*, fasc. 13. (Ex quo desumpta: Mon. \*49 \*50 C).
109. *F. Ges. 1462 (Collegia)*. (Ex quo desumptum: Mon. \*49).
110. *F. Ges. 1651 (Collegia)*, fasc. 7. (Ex quo desumpta: \*49 \*50 B).

## II. – CODICES AD ARCHIVUM ROMANUM S.I. NON PERTINENTES

## GALLIA

- I. – Archivum Provinciae Lugdunensis: cod. *Collectio Prat* 67. (Ex quo desumptum: Mon. \*19 I).
- II. – Parisiis, Bibl. Nat., *Fonds lat. ms. 10.989* (*Memorialia visitationum prov. Franciae S.I. saec. XVI*). Cf. MP III. (Ex quo desumpta: Mon. 7 \*50 \*52 \*Appendix A).

## GERMANIA

- I. – Augustae Vindelicorum (Augsburg), Archivum Dioecesanum, cod. *Jesuiten Literarien Sammlung, Hs K 9*. (Ex quo desumptum: Mon. \*12).
- II. – Monachii (München), Archivum Provinciae Germaniae, *Msc. C 1–3; XIII A B M/b N/ 1–2 U/b*. (Ex quibus desumpta: Mon. 7 \*42 \*42 III \*53 \*55 \*113 \*Appendix E).
- III. – Bay. Haupt-Staats-Archiv, *Jesuiten 95 701 1766/fasc. 1*. (Ex quibus desumpta: Mon. 7 \*21 IV \*54 I).
- IV. – Bay.-Staats-Bibliothek, *Cod. lat. 9201 9224 9237 24.076 26.469*. (Ex quibus desumpta: Mon. 7 \*42 \*42 III \*122–123).

## HISPANIA

- Matriti, Archivo Historico Nacional, *Legajo 884/56 57 83 et 886/60*. (Ex quo desumpta: Mon. \*19 III \*54 I \*122).

## ITALIA – ROMAE

- I. – Archivum Univ. Pont. Gregoriana, *Cod. 198 202/C 533*. (Ex quibus desumpta: Mon. \*16 I \*21 III C \*24 III–V \*62).
- II. Archivio di Stato, *Ms. 326*. (Ex quo desumptum: Mon. \*1).
- III. Bibl. Naz. Vitt. Em. II, *Mss. Gesuit. 584 (2713) 1148 (3277) 1433 (3560) 1587 (3716)*. (Ex quibus desumpta: Mon. 7; Appendix \*6 \*7 \*14 II–III \*39 \*54 II 1).

# MONUMENTA

PARS PRIOR

SCRIPTA

QUAE CONFICIENDAE RATIONI STUDIORUM  
NONNULLA CONTULERE





QUAE DOCTORES COLLEGII ROMANI RESPONDERUNT  
CIRCA RATIONEM DOCENDI THEOLOGIAM  
AD VITANDAS NOVAS OPINIONES ET QUAESTIONES  
Anno 1582

TEXTUS: ARSI, *Fondo Ges. 656/A*, f. 3r-10v (*prius* 5-20); originale, ab una sola manu exaratum. Fol. 10 scriptura vacat; solum facie eius versa legitur adnotatio Patris Jiménez, secr. S.I. exarata, quam in titulo exhibuimus.

TEMPUS: P. Jiménez, una cum titulo, etiam annum assignavit; hoc est 1582.

EDITIO: Le BACHELET, *Bellarmino avant son cardinalat (1542-1598)* 500-04; omissis autem haud paucis.

ADIUNCTA HISTORICA: Fieri potuit, ut singuli professores separatim de quaestionibus propositis in scripto sententiam dixissent; ex quibus deinde exaratum est mon. 1. Suadent hanc coniecturam verba Patris Bellarmino inferius, in mon. 3 n. 1 et 5 prolata: «Rationes alias adduxi» et «In alio meo scripto dixi». Cf. praeterea de hoc monumento MP V 10\*-11\*.

In theologia

Quaesitum fuit, essentne propositiones aliquae speciatim prohibendae seu praeci-  
piendae, an satis esset generales aliquas regulas tradere, quae universim prohibenda vel  
praeci-  
pienda comprehendant. Responsio: Posteriores partem amplectendam esse sen-  
serunt omnes. Verum R. d. P. Rector<sup>1</sup>, Periera<sup>2</sup>, Tuccius<sup>3</sup>, Belarminius<sup>4</sup>, Tertius<sup>5</sup>,  
Capeccius<sup>6</sup>, Menu<sup>7</sup> exceperunt paucissimas quasdam, quae ad tollendum nonnullum  
scandalum, ex varietate sententiarum inter nostros coortum, definiendae vel explican-  
dae videntur.

Regulae vero generales duae videbantur statuendae. Prima: In quaestionibus, quae  
theologiam ita proprie attingunt, ut ex philosophia non pendeant, a Divo Thoma non rece-  
dendum<sup>a</sup>, nisi raro, et ob graves tum autores tum rationes, quae contrarium persuaderent.

---

<sup>a</sup> recensendum *ms.*

---

<sup>1</sup> Benedictus Sardi S.I. (1544-1586), italicus; cf. SCADUTO, *Catalogo* . . . 135; *Epp. Salmerón* II 570-72. Successit in officio rectoratus Collegii Romani Ludovico Maselli S.I., qui die 18 maii 1581 renuntiatus est praepositus provinciae neapolitanae; cf. *Synopsis hist. S.I.* 642; VILLOSLADA, *Storia* . . . 322.

<sup>2</sup> Benedictus Perera S.I. (1536-1604), hispanus valentinus, qui ab initiis Collegii Romani diversas in eo-  
dem professus est disciplinas. Cf. SCADUTO, *Catalogo* . . . 114; SOMMERVOGEL VI 499-507, et MP I-IV pas-  
sim. Anno 1582 fuit professor S. Scripturae; v. VILLOSLADA, *Storia* . . . 323.

<sup>3</sup> De Stephano Tucci S.I. (1541-1597), italo vide MP V 4 adn. 12. Annis 1580-82 egit professorem theo-  
logiae in Collegio Romano; cf. VILLOSLADA, *Storia* . . . 324.

<sup>4</sup> Robertus Bellarmino S.I. (1542-1621), italicus; anno 1582 professor controversiarum in Collegio Ro-  
mano; cf. VILLOSLADA, *Storia* . . . 325; vide etiam MP IV 530 773 850.

<sup>5</sup> Laurentius Terzo S.I. (1541c-1620), brixianus italicus, qui anno 1579 incepit profiteri cursum philo-  
sophiae in Collegio Romano; cf. *Rom. 53*, f. 46r.

<sup>6</sup> Ferdinandus Capece S.I. (1545c-1586), italicus; professor philosophiae; cf. *Dizion. Biogr. It.* XVIII 416-  
18.

<sup>7</sup> Antonius M. Menu S.I. (1554c-1612), romanus, annis 1579-82 professor philosophiae in Collegio Ro-  
mano; cf. VILLOSLADA, *Storia* . . . 327.

Ita senserunt omnes, praeter P. Parram<sup>8</sup>, qui in theologia scholastica non discedendum esse putat a D. Thoma, inconsulto Superiore.

Secunda: Si quis in iis, quae theologiae propria sunt, defendere<sup>b</sup> velit adversus D. Thomam aliquid, pro quo graves auctores non habeat, consulat Superiorem, qui expensis illius rationibus, poterit id permittere vel inhibere. Ita senserunt P. Parra, Suarez<sup>9</sup>, Tuccius, Gambacurta<sup>10</sup>, Tertius, Menu, Capeccius.

Propositum etiam fuit, si inter thomistas aliquando non convenit de sententia Divi Thomae, an praescribendum sit, in utram partem thomistarum sit inclinandum. Responsio: Negarunt omnes.

#### Examen propositionum, quas P. Franciscus Borgia nostris praescripsit<sup>11</sup>

Ac primum de quinque communibus sentiendum videbatur in hunc modum.

Circa primam responsio: Retinendam omnes senserunt. [3v]

Circa secundam responsio: Senserunt, retinendam esse omnes, exempla vero esse tollenda; duo ultima: P. Parra et Tuccius; omnia: caeteri omnes.

Circa tertiam senserunt: Tollendam, quia non differt a secunda: P. Tuccius, Gambacurta, Tertius. Retinendam, demptis exemplis: P. Rector, Periera, Belarminius, Suarez, Capeccius.

Circa quartam senserunt: Retinendam: P. Rector et Parra. Distinguendam: si per communem opinionem intelligatur, quae plures habeat auctores, non ponendam; sin, quae communiter defenditur in Societate aliisve universitatibus, retinendam: P. Parra, Belarminius, Suarez, Tuccius, Gambacurta, Tertius, Menu, Capeccius. Qui omnes addiderunt, id esse intelligendum in re gravi.

Circa quintam senserunt omnes, retinendam esse; addendum etiam: in re gravi; et etiam: si nulli auctori adversetur.

#### Propositiones particulares Patris Borgiae

Circa primam senserunt: Retinendam: P. Rector et Belarminius. Tollendam, quia includitur in regulis generalibus: Suarez, Tuccius, Gambacurta, Capeccius, Tertius, Menu. Tollendam, quia sufficiunt regulae generales; sed si quae ponendae in particulari, retinendam hanc saltem per modum exemplorum: P. Parra et Periera. [4r]

Circa secundam senserunt: Idem quod supra circa primam: P. Parra et Periera; idem Suarez, Tuccius, Capeccius. Tollendam: Gambacurta, Tertius et Menu. Retinendam: P. Rector et Belarminius.

Circa tertiam senserunt: P. Parra ut supra circa primam. Tollendam: Belarminius, Suarez, Tuccius, Periera, Gambacurta, Capeccius, Tertius, Menu. Retinendam: P. Rector.

Circa quartam senserunt: P. Parra et Periera ut supra circa primam. Tollendam: caeteri omnes.

<sup>b</sup> defendere rep., sed del.

<sup>8</sup> Petrus Parra S.I. (1531-1593), hispanus, professor philosophiae multis annis in Collegio Romano; cf. SCADUTO, *Catalogo* . . . 111; VILLOSLADA, *Storia* . . . 323 et passim.

<sup>9</sup> Franciscus Suarez S.I. (1548-1617), hispanus, professor theologiae scholasticae Collegii Romani annis 1580-1585; cf. VILLOSLADA, *Storia* . . . 324; et SCORAILLE I 167-79.

<sup>10</sup> Petrus Gambacorta S.I. (1545c-1605), sculus panormitanus; annis 1575-1582 professor casuum conscientiae in Collegio Romano; cf. *Rom.* 53, f. 51r et VILLOSLADA, *Storia* . . . 325.

<sup>11</sup> Quas propositiones, anno 1565 ad provincias missas, vide in MP III 382-85.

Circa quintam senserunt: Parra ut supra circa primam; de Aristotele vero negative tantum ponatur; hoc est vel nihil dicatur, vel si quid dicitur, doceatur, Aristotelem ita sentire. Periera retinendam, delete Aristotele, ut in hoc sit plena libertas. Retinendam, hoc addito: quod dici potest, Aristotelem fuisse dubium: Tertius et Capeccius. Tuccius, Gambacurta et Menu: defendi posse, Aristotelem fuisse dubium, sed de ratione naturali nihil ponendum, quia continetur in regulis generalibus. Retinendam totam: P. Rector et Belarminius. Tollendam, sed si quid ponendum in particulari, ponendam hanc totam: Suarez.

Circa sextam senserunt: Periera idem, quod circa quintam; Parra: retinendam, sed de Aristotele negative tantum. Tuccius, Gambacurta et Menu: idem quod circa quintam. Tertius et Capeccius: ut supra circa quintam. Suarez ut supra circa quintam. Retinendam: P. Rector et Belarminius. [4v]

Circa septimam senserunt: Periera: ut supra circa quintam. Parra ut supra circa sextam. Tuccius, Gambacurta et Menu: ut supra circa quintam. Tertius et Capeccius: ut supra circa quintam. Suarez: ut supra circa quintam. Retinendam: P. Rector et Belarminius.

Circa octavam senserunt: Tollendam: Periera, Tuccius et Gambacurta, Menu et Capeccius. Parra: ut supra circa sextam. Tuccius: ut supra circa quintam. Retinendam: P. Rector et Belarminius.

Circa nonam senserunt: Tollendam omnes.

Circa decimam senserunt: Tollendam omnes.

Circa undecimam senserunt: Retinendam: P. Rector et Parra. Tollendam: Periera, Tertius, Menu, Capeccius, Suarez, Gambacurta, Belarminius, Tuccius.

Circa duodecimam senserunt: Tollendam omnes.

Circa decimam tertiam senserunt: Tollendam omnes.

Circa decimam quartam senserunt: Parra et Suarez: retinendam circa tres subsistentias personales; sed non prohibendum, posse defendi etiam quarta communis. Suarez tamen melius putat, nihil praescribere de tribus personalibus. Tollendam: Gambacurta. Examinandam diligenter, quia de hac multae dissensiones fuerunt inter nostros; cum putetur opinio communis, quae forte nullius auctoris est: P. Rector, Periera, Tuccius, Belarminius, Menu, Tertius, Capeccius.

Circa decimam quintam senserunt: Tollendam omnes. [5r]

Circa decimam sextam senserunt: Examinanda diligenter propter scandala inde exorta: Periera, Tuccius, Gambacurta, Menu, Tertius, Capeccius. Retinendam ut iacet: P. Rector et Suarez; idem Parra, qui addit: vel sic ponendam esse, vel non ex praecis operibus. Belarminius: retinendam et explicandam, ne aliqui eludant eam (ut aliquando accidit) dicentes, non dari causam, cur Deus homines praedestinare voluerit; dari tamen, cur Petrum potius quam Iudam praedestinaverit; nimirum quia praevidit Petrum gratiae cooperaturum et non Iudam.

Circa decimam septimam senserunt: Tollendam omnes.

Circa verba epilogi seu formam praecepti senserunt: Temperanda: Periera et Menu. Parra: vel hoc vel aequivalens sub ea forma, sub qua commendantur, quae maxime optantur a Generali. Tollenda, quia sufficit titulus: P. Rector, Belarminius, Tuccius, Gambacurta, Suarez, Capeccius, Tertius.

Circa titulum senserunt: Retinendum ut iacet: P. Rector et Parra. Retinendum, dempto verbo «tenendae»: Periera, Menu, Tertius, Capeccius, Suarez, Gambacurta, Belarminius, Tuccius.

### In philosophia

Quaesitum fuit primo, quid philosophis universim praescribendum sit. [5v] Responsio: Senserunt: P. Rector: ubi constat de Aristotelis sententia, ab ea non recedendum, nisi ob urgentissimas rationes et autores. Sufficere regulas communes philosophis et theologis: Periera, Bellarminus, Tuccius, Tertius, Gambacurta, Suarez, Capeccius, Menu. Addunt hi tres ultimi: regulam etiam in theologia traditam de Divo Thoma sequendo, statuendam esse in philosophia de Aristotele et aliquanto severius. P. Parra: non recedendum ab Aristotele vel a Divo Thoma vel a nostris patribus, qui aliquid in philosophia scripserunt seu scripturi sunt.

2<sup>o</sup> – An aliquae particulares propositiones sint praescribendae philosophis. Responsio: Senserunt: Nihil: Tertius, Parra, Suarez, Periera; qui tamen addit: nisi fortasse in tota vel fere tota Societate sit aliqua perturbatio ex varietate opinionum circa res aliquas graves. – Paucissimas quasdam: P. Rector, Capeccius, Menu; qui exemplificat de anima. – Tuccius et Gambacurta idem quod primi; nisi videatur tradenda aliqua instructio philosophis, qui in theologia non sunt valde versati, ut nihil defendant, quod theologi damnant ut temerarium vel malesonans vel scandalosum. [6r]

### De tempore, quo absolvendus est cursus theologicus

Tractatum postmodum est de studiis in particulari; et primum circa theologiam: quanto tempore cursus theologiae scholasticae absolvi debeat. Circa quod punctum haec senserunt patres<sup>c</sup>

#### [A]

#### Circa modum legendi scholasticam, ut quatuor annis absolvatur vel pluribus

Primo, mihi cum aliis videtur, nullo modo ultra quatuor annos extendi debere curriculum theologiae scholasticae, ut quatuor annis discipuli totam audiant iuxta Constitutionem<sup>12</sup>, quae conservanda est intacta.

2<sup>o</sup> – Non videtur ullo modo addendus tertius lector scholasticae, ne discipuli opprimantur.

3<sup>o</sup> – Tempus quatuor annorum videtur sufficiens, ut duo praeceptores commode et quantum satis sit ad faciendos idoneos scholares et doctos in theologia. Neque enim omnia sunt a praeceptoribus<sup>d</sup> dicenda. Sic in hoc Collegio hactenus factum est; in quo tamen multi scholares doctissimi evaserunt. Unum maxime commendandum esset magistris: ut abstinere a tribus. Primo, tractatione earundem rerum in diversis locis iterata; – 2<sup>o</sup> a congerendis farragimbus rerum, argumentorum et responsionum; – 3<sup>o</sup> ne res graves extra propria loca tractarent digressionibus saepe longissimis. Quibus rebus multum temporis ab aliquot iam annis insumi solet. Unde fit ut, quamvis multo plura magistri legendo doceant, discipuli tamen minus proficiant, ut patet experientia.

<sup>c</sup> patres *del.* Pr. Bellarminus – 1. Non probo ut addatur quintus annus / <sup>d</sup> praescriptoribus *ms.*

<sup>12</sup> Vide *Constit.* P. IV c. 15 § 3; MP I 303.

4<sup>o</sup> – Si magistri ea moderatione et maturitate legant, qua debent, et nihilominus non possint quisque octo annis absolvere totum cursum, commodius mihi videtur, ut per<sup>e</sup> lectorem casuum quam per controversiam adiuvetur. Primum, quia materiae, in quibus iuvare posset a lectore casuum, sunt magis unitae; [6v] posset enim tractatis principalioribus quaestionibus de iustitia et aliis sequentibus in 2.a 2.ae et in materia sacramentorum magnam eorum partem relinquere in casibus audiendam. Materiae vero, in quibus iuvare posset per controversiam, sunt magis sparsae per totam theologiam. – 2<sup>o</sup> quia casuum lector esse solet aut debet<sup>f</sup>, ubicunque legitur scholastica in nostris collegiis; controversia in paucis. Et in illis ipsis locis, ubi controversia erit necessarius, ipsimet scholastici controversitico modo magnam scholasticae partem tractant, ut patet ubique. – 3<sup>o</sup> quia communiter minus malum est, si aliquid remittatur ex controversiis, quam ex casibus; praesertim ex iis, quae ad sacramenta et iustitiam pertinent; quorum cognitione quotidie egent confessores; etiam illi qui inter haereticos versantur. – 4<sup>o</sup> quia hac ratione theologi scholastici aliquid audirent ex casibus saltem uno anno, quo aditus eis aperiatur, ut per se possent in ea doctrina proficere. Qui alioqui penitus in ea re rudes, cum occurrit aliqua difficultas, vix sciunt, quo se vertere debeant. – Postremo, quia cum multi vacent scholasticae etiam ex nostris, qui non multum pollent ingenio, parum in speculativis proficiunt et in moralibus remanent omnino rudes, ut vix possint in aliquo Societatis munere occupari, hac ratione saltem in moralibus aliquantulum proficerent. Et hoc patet ex magna parte discipulorum, qui modo student theologiae hic Romae. Postremo, quia ea, quae scholasticus casistae relinqueret ex moralibus, brevi possunt per casistam expediri, qui compendiosius legit. Si autem aliquid committat controversistae, ille multo diutius in illis morabitur, cum adeo diffuse ea in controversiis tractentur. Haec mihi in Domino visa sunt.

P. Petrus Gambacurta [7r]

[ B ]

Iudico, satius fore, ut universum theologiae curriculum tam a discipulis audiendo, quam a duobus professoribus docendo, quadriennio absolvatur. Id enim et nostris Constitutionibus est congruentius, et utilius discipulis, et magis ex usu Societatis. Et adhuc in Collegio Romano per 28 annos ita est factum. Et non est difficile, si professores volunt bonam inire rationem praelegendi hoc tempore Summam theologicam B. Thomae, tractando quaecunque et quantum opus est; multa item vel tacita<sup>g</sup> praetereundo vel compendiosa ratione perstringendo. Tertia lectio scholastica nullo modo videtur inducenda, ne collegia oneremus lectoribus; et quia nullus professor unquam totam Summam exponeret, nec theologiae curriculum conficeret, nec ulla tertia lectio habere posset proprias exercitationes disputationum et repetitionum, aut non nisi cum aliarum detrimento. Denique, si quis omnia bene secum reputet, intelliget tertiam istam lectionem multa secum ferre incommoda et impedimenta.

P. Benedictus Pererius

<sup>e</sup> per *del.* lectionem / <sup>f</sup> debet *del.* ubique / <sup>g</sup> tacita *del.* praeservando; *sup.* praetereundo

## [C]

1. Non probo, ut addatur quintus annus, tum quia id sit expresse contra Constitutiones, tum etiam quia sit contra consuetudinem nobilium academiarum.

2. Optima ratio mihi videtur, si duo doctores scholastici omitterent penitus disputationes de sacramentis et de iustificatione, aut aliquas alias magis controversas, et eas eisdem quatuor annis explicaret lector controversiarum; sic tamen, ut plane, i.e. scholastice et per modum etiam controversiarum eas tractaret, ut necesse est, si bene tractari debeant. Sic enim omnes materiae quadriennio absolventur, et doctores non concurrerent, ut hoc [7v] tempore saepe fit, et quidem cum murmure auditorum, in iisdem quaestionibus; et doctores scholastici satis temporis haberent ad reliqua omnia explicanda.

Contra hanc sententiam tres rationes obiciuntur. Prima, quod non poterunt scholastici audire lectionem Scripturae. Secunda, quod doctores theologi nunquam absolvent totum cursum theologicum, si ab eis tollatur penitus materia de iustificatione et sacramentis. Tertia, quod lectio terti huius doctoris aut nunquam repetetur nec disputabitur, aut perturbabit repetitiones et disputationes ordinarias duorum aliorum doctorum.

Ad primam respondeo: Primo, in multis locis theologiam scholasticam legi, ubi non legitur Scriptura, ut ita in academia romana, patavina (ubi solum aliquando festis diebus legitur Scriptura) et alibi; nec ullum esse, puto, doctum scholasticum, qui non possit per se Scripturis operam dare adhibitis commentariis. – 2<sup>o</sup> dico, posse nostros scholasticos audire Scripturam illo biennio, quod eis concedunt Constitutiones post emensum cursum theologicum<sup>13</sup>, ut legant patres et actus publicos faciant. – 3<sup>o</sup> dico, posse etiam nostros audire controversiam solo biennio aut triennio, scilicet cum explicat de sacramentis et iustificatione; reliquo autem tempore audire lectionem Scripturae, omissis controversiis.

Ad secundam respondeo: posse omnes tres doctores totum cursum absolvere, si velint; sed qui nunc faciunt annis octo, tunc facerent annis duodecim.

Ad tertiam respondeo, satis esse, si lectioni controversiarum darentur pro repetitione dies festi, et singulis mensibus, ut olim fiebat, in generali disputatione haberet etiam controversista suas conclusiones.

P. Robertus Bellarminius [8r]

## [D]

Propositum fuit, an expediat omnes theologiae partes ita distribui, atque praeceptoribus ea, quae singulis annis interpretari debent, ita praescribi, ut quatuor annis professores duo omnem scholasticam doctrinam tradant.

Iudicium meum est, non expedire.

Si caeterarum academiarum consuetudo aliquid apud nos valere debet, nulla est, quae hanc docendi methodum observet.

Ut multa brevi tempore praeceptores percurrant, necessarium illis est, non ex rebus tantum facilioribus aut quae minus utiles iudicari possunt, sed ex necessariis etiam aliquas in materiis singulis omnino praetermittere, multas leviter attingere et omnes fere concisis sententiis, neque satis apertis breviter explanare. Nam revera, si magister in aliquibus vel

<sup>13</sup> Vide *Constit.* P. IV c. 6 § 14 16; c. 15 § 3; MP I 251 255 303 305.

gravissimis rebus explicandi convenienti utatur tempore et prorsus necessario, aut quam plures alias valde auditoribus opportunas omittet, aut omnia certe confundet. Quae omnia exemplis et ab ipsa re et ab experientia petitis ostendi possunt.

Ex hoc docendi modo haec videntur incommoda oriri.

Primum discipulorum ingenia rerum multitudine obruuntur.

Vix possunt ea, quae a praeceptoribus traduntur, recognoscere, nedum meditari et intelligere. Hinc S. Thomae parum student, Caietano fere nihil. Hi praecipue, qui minus ingenio, cuiusmodi maiori ex parte esse contingit. Eo vel maxime, quod non raro integrae S. Thomae quaestiones intactae a praeceptoribus relinquuntur, quas discipuli videre nullo modo possunt, quia, dum magistri ad alia properant, illos aegre prosequi valent. Ex quo efficitur, ut materias nunquam perfecte possideant, neque disciplinae methodum, sine qua neque D. Thomae doctrina, neque ulla alia perfecte valet comprehendere.

Hinc S. Thomae doctrina sensim nostris obsolescit, paulatimque auditores cuidam sciendi ac studendi modo parum apposito assuefiunt; dummodo enim omnia attigisse videantur, solide atque enucleate res addiscere non curant. Et quam consuetudinem audiendo acquirunt, eam postmodum perpetuo retinent. Ex quo, quae sequi possint incommoda, res ipsa satis ostendit.

Quae tamen incommoda eo in Romano Collegio et maiora sunt et facilius sequuntur, [8v] quo auditores aut ob virium inbecillitatem aut ob caeli naturam aut ob varias occupationes et studia neque assidue neque vehementer theologicis studiis vacant.

Illud etiam forte cogitandum est,<sup>b</sup> non omnes praeceptores aequae in omnibus<sup>1</sup> theologiae partibus esse versatos, neque omnibus omnia similiter placere. Ex hoc enim effici potest, ut in materiis praelegendis saepe, quae discipulis utiliora essent, vel praetermittant vel modice delibent; quae vero eis aut magis placent aut magis sunt cognita, latissime persequantur.

Deinde, quibusdam compendiis seu tractatibus multa coguntur legere praeceptores quod, quamvis nonnunquam utile sit, paucorum tamen, ut arbitror, est hac docendi ratione theologiam graviter et utiliter explicare.

Tandem<sup>1</sup>, nostrarum scholarum existimationi plurimum interest ut, quae in theologia maxime docenda traduntur, exquisite sint et perfecte elaborata, quia non solum praesentium, sed absentium etiam oculis et iudiciis ea<sup>k</sup> exponimus, ex<sup>k</sup> quibus nonnulli animo sat<sup>1</sup> in nos propenso, alii vero non ita benevolo nostra et suscipiunt et observant. Quibus tamen omnibus satisfacere et, si fieri potest, prodesse debemus. Vidi non semel discipulos magistrorum quorundam obscuritatem accusare, aliorum scripta parvipendere et in illis evolvendis tempus nolle consumere. Quid igitur facient alii, qui et minus nos amant et doctiores sibi videntur. Si tamen praeceptores tempus ad difficultates enodandas haberent opportunum, forte suo muneri satisfacerent.

Obiicitur: Quia igitur fiet, ut auditores annis quatuor totam theologiam audiant. Hoc enim Constitutiones praescribere videntur<sup>14</sup>.

Primum censeo, non propterea esse discipulis plus temporis ad theologiam audiendam concedendum. Id enim contra omnium academiarum consuetudinem est, et contra

<sup>b</sup> est *del.* ne / <sup>1</sup> omnibus *del.* omnia similiter / <sup>1</sup> Tandem *del.* nostram; *sup.* nostrarum / <sup>k</sup> et *ms.* / <sup>1</sup> in nos / *iuos ms.*

<sup>14</sup> Cf. *ib.* c. 15 § 3; MP I 303 305.



Constitutiones videtur, et magno Societati esset incommodo, et studentium utilitati, ut plurimum, non videtur necessarium.

Deinde, si fieri non potest, ut a praeceptoribus plene omnia percipiant, minus eis incommodum erit materias aliquas non audire. Quid enim attinet [9r] de omnibus aliquid scribere et vix ullam perfecte intelligere? Aut quis erit adeo tardus, ut si fere in omnibus theologiae partibus assidue fuerit versatus, easque perfecte cognoverit, per se postea non possit unam vel alteram adiicere? Mihi hac docendi et studendi ratione auditores multo plurimum in theologia profecisse compertum est.

Tandem, si aliud expedit aut is Constitutionis est sensus, hoc enim ad me non spectat, tertia addi possit theologiae schola, cui discipuli omnes in hoc Romano Collegio saltem biennium interessent, aliis autem duobus annis aut Scripturae aut controversiarum lectioni.

Quamvis haec controversiarum praelectio, ubi theologia scholastica accurate tractatur, necessaria non sit, quoniam de eisdem rebus parum diversa methodo disputant. Unde fit, ut auditores res multas scribant hic et audiant. Quamobrem utilius videretur, ut qui controversias legit, scholasticae theologiae professores iuaret, retento, si volunt, controversiarum nomine.

Neque non parum obesse video, si auditores omnes prioribus sui cursus annis tribus lectionibus onerentur, cum eo tempore maius otium et meditationem rerum novitas requirat. Sed cum non possint omnia vitari incommoda, hoc levius iudico.

Reliquis collegiis et Societatis universitatibus nihil in praesentia, quod ab omnibus observandum sit, praescribendum esse censeo; quoniam tam est multiplex et scholarum et regionum consuetudo, tanque eorum, qui hoc funguntur munere, variae sententiae, ut non sine magna difficultate possint scholae omnes et praeceptores ad eandem dirigi regulam, nisi forte illa multum sit dissimilis ei, quae in hoc Collegio praescribitur, et ut minimum duodecim annos ad theologiam interpretandam singulis magistris concedat.

P. Franciscus Suarez [9v]

[E]

### Quomodo et quanto tempore debeat legi theologia scholastica et a quot magistris et quot lectiones debeant audire eius auditores

Primo, difficile est servari unam eandemque formam in omnibus collegiis Societatis. Si quae tamen possunt omnibus esse communia, haec mihi videntur.

1. Tota theologia debet persolvi spatio quatuor annorum iuxta Constitutiones in 4 p.
2. Unusquisque doctor ita doceat, ut spatio decem annorum ipse solus persolvat totam theologiam.
3. Hinc fit, ut mihi videantur necessarii tres<sup>m</sup> lectores theologiae scholasticae; alioquin non persolvent totum cursum tempore praedicto.
4. Discipuli non audient, nisi tres lectiones singulis diebus, vel omnes scholasticas vel duas scholasticas et unam Sacrae Scripturae vel controversiarum.
5. Ubi non leguntur controversiae, duobus ultimis annis audient duas scholasticas et lectionem Scripturae.

<sup>m</sup> tres *del.* lectiones

6. Ubi vero leguntur controversiae, ut Romae, ultramontani quidem audient duobus ultimis annis duas scholasticae et lectionem controversiarum; reliqui vero non ultramontani audient modo praedicto, i.e. duobus primis annis tres scholasticae lectiones, duobus vero ultimis duas scholasticas et unam Sacrae Scripturae.

7. Romae fortasse posset ita commode fieri, ut ille tertius scholasticus esset etiam controversista, doceretque uno duorum modorum primo omnes selectas controversias in suis locis theologiae D. Thomas, quas perinde non debent legere reliqui scholastici in eisdem locis. Unde fiet, ut maiorem faciant progressum. Quamvis hic modus<sup>a</sup> minus mihi placeat, quia perturbat et truncat totam theologiam. Secundus modus posset esse, ut hic tertius duos annos legeret scholasticam, quam audirent omnes; reliquis duobus annis legeret controversias, quas audiant ultramontani; interimque non ultramontani audiant Scripturam.

Nec mihi occurrit alius modus bene combinandi et disponendi ita omnia, quia undique video difficultates.

P. Petrus Parra

---

<sup>a</sup> modus *del.* posset esse ut sic.

---

## 2

### BENEDICTUS SARDI S.I.<sup>1</sup> RATIO DISTRIBUENDI S. SCRIPTURAM ET CONTROVERSAS AUDITORIBUS

Romae, anno 1582

TEXTUS: *Stud. 3*, f. 540r–v; autographum. In fol. 450v manu Iacobi Jiménez, secr. S.I.: «Sententia doctorum Collegii Romani circa distributionem faciendam 4 annorum auditoribus Scripturae et controversiarum».

Intorno a questo ponto, chi debba udire la lettione di Scrittura, et chi quella di Controversie, et quanto tempo, il mio parere consiste in questi ponti<sup>2</sup>.

Primo, che li nostri, tanto italiani, come spagnoli et oltremontani, odano doi anni di theologia positiva, et doi altri di controversie; precedendo il studio di controversie nei doi primi anni, perché essendo la lettione della Scrittura più facile, et che ha di bisogno di meno studio, è bene serbarla in tempo, nel quale i studenti et per le fatighe tutte sono stracchi, et per prepararsi all'atti di theologia scholastica, han di bisogno di più tempo.

2º – I nostri, i quali non odono altro che casi di consciencia, giudico che debbono sentire la positiva. Ma si tra questi vi sono alcuni oltremontani, insieme gli faria udire le controversie.

---

<sup>1</sup> B. Sardi S.I., rector Collegii Romani annis 1581-86; cf. supra, mon. 1 adn. 1.

<sup>2</sup> Sententiam professorum Collegii Romani (PP. Gambacurta, B. Perera, R. Bellarmino, F. Suárez, P. Parra) eadem de re vide supra, mon. 1.

3<sup>o</sup> – Dell'inglesi et germani dico che quelli che studiano casi solamente, odano tutte due le lettioni di positiva et controversie. Quelli che odono scholastica, le faria sentire tre anni controversie, col'ultimo anno Scrittura. Ma alcuni di questi che sono forti et sani et molto studiosi, li faria sentire tutte quattro le lettioni, cio'è scholastica, et positiva, et controversie.

Né mi pare a conto alcuno bene che questi tali non habbino mai alcuna cognizione della Scrittura, come adesso fanno; perché quasi tutti vanno alle controversie senza Scrittura. Prima, perché la Scrittura è tanto o quasi tanto necessaria. – 2<sup>o</sup> perché nelle lettioni della Scrittura sentono varie controversie. – 3<sup>o</sup> perché giova per quelli che devono predicare in Germania et luoghi simili, i quali non solo hanno da trattare controversie con heretici, ma etiam dio muovere affetti pii con varie cose morali; quali trovano communemente nella lettione della Scrittura.

Ma se mi domandano il parere della lettione delle controversie, io saria di questo, che senza mutare il nome di controversie, si facesse una scelta di tutte le materie che sogliono esser più controverse nella theologia scholastica, secondo l'ordine delle parti di S.to Tomaso. Et quelle leggesse questo maestro. Di questo s'haveriano doi frutti molto importanti. Il primo, che li nostri senteriano tutta la theologia in 4 anni; et questo maestro aiutaria li doi altri scholastici, i quali ordinariamente sono adietro per la grandezza et immensità delle materie, et non finiscono a tempo. Il 2<sup>o</sup> che li scholari hariano le controversie sopra l'ordine de parti di S.to Tomaso. Il che è molto desiderabile, perché adesso ogni maestro si fa l'ordine da se stesso, et legge quello che li piace, et lascia quello, che li piace, senza esservi cosa alcuna statuita di che et quanto debba leggere etc.

Benedetto Sardi<sup>3</sup>

### 3

#### ROBERTUS BELLARMINO S.I.<sup>1</sup> DE DOCTRINA SANCTI THOMAE SEQUENDA Romae, medio anno 1582

TEXTUS: *Stud.* 3, f. 448r-49v; autographum. In fol. 448v in angulo superiore sinistro alia manu: «P. Bellarmini»; in fol. 449v adnotatio Patris Jiménez, secr. S.I.: «Circa sententiam illam, quod D. Thomae doctrina sit omnino in Societate sequenda, uno vel altero articulo excepto».

TEMPUS: Scriptum Patris Bellarmino originem sumpsit ex epistola quadam Alfonsi Deça S.I., hispani, magnae auctoritatis theologi (cf. MP IV 527 535-36 615), in qua sine ambagibus declarabat: doctrinam S. Thomae in Societate omnino esse sequendam (qua de re cf. MP V 11\*). Cumque haec epistola data fuerit die 17 apr. 1582, scriptum Patris Bellarmino eodem anno confectum fuisse supponitur.

EDITIO: BACHELET, *Bellarmin* . . . 505-09.

SCRIPTOR: SCORAILLE, *Suárez* . . . I 212-14 et 223-24.

<sup>3</sup> Vide capitula Rationis studiorum (1586): *De Scripturis* et *De controversiis praelegendis*; in MP V 43-47 et 85-88.

<sup>1</sup> De R. Bellarmino S.I. cf. supra, mon. 1 adn. 4 et passim.

**De sententia cuiusdam<sup>2</sup>,  
qui S. Thomam, uno solo articulo excepto, sequendum censuit.**

1. Ut S. Thomas proponatur tamquam communis auctor toti Societati sequendus, placet. Rationes alias adduxi<sup>3</sup>. Itaque hactenus approbo sententiam scripti nobis exhibiti.

2. Ut solum excipiat ex sententiis S. Thomae illa una de conceptione B. Virginis, caeterae vero omnes defendendae suscipiantur, videtur mihi partim minus bonum, partim etiam nimis difficile, ne dicam impossibile, partim denique non necessarium.

3. Ac primum videtur esse minus bonum, quia tametsi S. Thomas, ut plurimum, aliis omnibus excelluit, nemo tamen est, qui non fateatur, in quibusdam paucis melius sensisse Scotum, aut Durandum, aut S. Bonaventuram, aut Gregorium, aut alios aliquos, quam S. Thomam. Nec enim credibile est, aut S. Thomae semper affulsisse lumen veritatis, aut aliis nunquam affulsisse. Cum igitur liceat nobis ex singulis auctoribus optima quaeque decerpere, cur ipsi nos hac utilitate privabimus? Quis unquam sapiens deteriora melioribus consulto praetulit?

Accedit, quod non modo probabiliores, sed aliquando etiam tutiores, et fidei christiana magis faventes sunt eae opiniones, quas quidam doctores adversus S. Thomae sententiam docent.

In hunc numerum referrem, quod in sacramento Eucharistiae ex vi verborum non sit sola materia prima, quae est in Christo, sed ipsum verum corpus; quodque sanctorum reliquiae, quas veneramus, non sint sola materia prima, sed vera ossa et saepe etiam verae carnes, vera capita, vera corda, vera brachia, etc., quae sanctorum animarum domicilia aliquando fuerunt. Item, quod mundus non potuerit fieri ab aeterno. Quam sententiam multo magis fidei nostrae favere quam contrariam, nescio, an ullus dicere pertimesceret, si tamen legisset veteres patres contra ethnicos, aut haereticos disputantes. Item, quod angeli post primam electionem deliberatam non sint inflexibiles; certe B. Augustinus [448v] non ut opinionem probabilem, sed ut rem certissimam docet in lib. *De correptione et gratia* cap. 10 et 11, angelos sanctos sine divinae gratiae adiutorio in bono perseverare non potuisse. Et quod nunc amplius cadere non possint, gratiam esse beatitudinis et praemium meritorum, non naturalem eorum virtutem. S. quoque Gregorius Nazianzenus in oratione *De Pentecoste*, Ioannes Damascenus, lib. 2, cap. 3, et caeteri patres, angelos sanctos immobiles in bono esse dicunt, gratia, non natura. At si verum est, quod docet S. Thomas, post primam deliberatam electionem esse angelos naturaliter inflexibiles, certe neque gratia ad perseverandum eguerunt, neque praemium meritorum esse potuit ea, quam nunc habent, immobilitas in bono.

Huc etiam referri potest, ut alia praetermittam, quod sanctus Thomas docet de adoratione imaginis Christi. Quamvis enim sententia ipsius in bonum sensum explicari possit, tamen absolute pronunciare imaginem Christi cultu latriae esse adorandum, ut loquitur S. Thomas, repugnat conciliis, patribus et formis loquendi ab Ecclesia praescriptis. Nulla unquam concilia dixerunt, imaginem Christi adorandam esse cultu latriae; sed e contrario Nicenum II act. 7 statuit, imagines adorandas, sed non latria; et ponit exemplum de ipsa Christi cruce. Concilium item Senonense, cap. 14, et Moguntinum, cap. 41, contra haereticos huius temporis celebrata, monent pastores, ut in concionibus doceant populum, ne adoret

<sup>2</sup> Agitur de Alfonso Deça S.I., hispano; de quo v. MP V 11\*.

<sup>3</sup> Vide supra, mon. 1; in quo P. Bellarmino, una cum caeteris Collegii Romani professoribus profitebatur: «A D. Thoma non recedendum, nisi raro et ob graves tum autores, tum rationes, quae contrarium persuaderent». Eius autem scriptum, in quo asserebat: «rationes alias adduxi», non conservatur.

imagines, sed solum veneretur. Concilium etiam Tridentinum, cum alioqui libenter sentiētiis S. Thomae uti soleat, tamen cum de imaginibus loquitur, studiose tacuit verbum latriae. Iamvero B. Augustinus, epistola 119, cap. 11, et B. Gregorius, lib. 7, epistola 109, et lib. 19, epistola 9, diserte docent, imagines non esse adorandas, nimirum latria; nam alioqui venerabiles eas appellant. Porro Ioannes Damascenus, lib. 1 et 3 de cultu imaginum, aliquoties repetit, imagines Christi et sanctorum honorandas esse, nullo modo cultu latriae. Formulae autem loquendi ab Ecclesia praescriptae, et quidem accuratissimae illae esse solent, quae recitantur ab illis, qui haeresim abiurant; atqui in 7.a synodo, act. 1.a et 3.a, aliquot episcopi, dum haeresim abiurant, profitentur se deinceps honoraturos sacras imagines, sed non cultu latriae. Quidquid igitur sit de re ipsa, certe modus loquendi S. Thomae non est consentaneus cum modo loquendi catholicae Ecclesiae, et videtur etiam non carere periculo, si populo rudi proponatur.

In his et similibus non video, cur [449r] Societas nostra non debeat S. Thomam potius deserere, quam fidei patrocinium, non solum in rebus magnis, sed etiam in parvis, nec solum in sentiētiis, sed etiam in verbis.

4. Sed, quando non esset minus bonum, videtur tamen id, quod proponitur, nimis difficile, et fortassis etiam impossibile; siquidem magna pars doctorum Societatis assuevit multis sentiētiis docendis et defendendis, quae aperte pugnant cum placitis S. Thomae. Quamvis autem possent omnes hi doctores, studio obediendi, non amplius docere, quae hactenus docuerunt, possent etiam fortasse subiicere iudicium suum, et existimare probabiliora, quae hactenus minus probabilia censuerunt, non tamen possent continuo cum dignitate docere ac tueri, quae hactenus oppugnaverunt. Neque fratres dominicani una die, aut uno etiam anno conspirarunt in doctrina S. Thomae suscipienda ac docenda, sed paulatim et longo tempore id assequutus est apud eos S. Thomas, ut summam auctoritatem obtineret. Itaque apud nos etiam non oporteret una die explodere omnes sententias, quae non sentiunt cum doctrina S. Thomae, sed paulatim et suaviter progrediendum esset, si tamen unquam solum hunc auctorem theologiae scholasticae habituri simus.

5. Porro, quicquid de utilitate et possibilitate sit, non videtur certe necessarium, solum S. Thomam, sine exceptione aliquarum opinionum, admittere. Duplex enim necessitas adduci solet ab iis, qui id cupiunt; quarum altera est securitas non errandi perniciose; altera unitas animorum, quam tantopere P.N. Ignatius commendat. At securitas illa, quae sine dubio omnibus aliis commodis anteponenda est, non minus obtinebitur, si fiat quod ego alias consului, quam si solum S. Thomas suscipiatur. Nimirum in alio meo scripto dixi, meam sententiam esse, ut ordinarie S. Thomas defendatur; sed ita tamen, ut duo catalogi fiant communi consensu doctorum Societatis, aut certe eorum, quos R.P.N. Generalis consulendos iudicaverit. In quorum alterum referantur eae sententiae S. Thomae, quae non videntur a nostris debere ullo modo defendi; in alterum vero sententiae illae, quae videntur probabiliores, aut non minus probabiles quam sententiae S. Thomae; et in his solis libertas permittatur. Nullum enim periculum subesse potest, ubi solum opiniones quaedam certae et notae omnibus permittuntur. Unitas autem [449v] animorum optanda quidem est, quanta maxima haberi potest; sed non videtur in hac vita maior haberi posse, quam ut non dissentiamus in iis, in quibus sine periculo erroris perniciosi dissentire non possumus. Nam thomistae ipsi, nec non scotistae inter se in multis dissentiunt, et unus alium refellit etiam publicis libris. Quocirca beatae memoriae P.N. Ignatius non absolute praecepit, ut idem sentiamus et idem dicamus, sed quoad eius fieri poterit<sup>4</sup>. Cum igitur non possit omnimoda

<sup>4</sup> Vide *Const. P. III c. 1 § 18*; *MI Const. III 86*.

unitas obtineri, etiamsi solus S. Thomas sine ulla exceptione sequendus praescribatur; et alioqui id sit minus bonum, et nimis difficile, ut ante probatum est, in eam sententiam descendendo, ut S. Thomas recipiatur tanquam ordinarius et communis auctor, sed ita tamen, ut aliquot sententiae excipiantur.

Robertus Bellarminus,  
salvo semper meliori iudicio.

## 4

STEPHANUS TUCCI S.I.<sup>1</sup>  
RESPENSIO AD ID QUOD PROPOSITUM EST  
DE D. THOMAE DOCTRINA SEQUENDA  
Romae, anno 1582

TEXTUS: *Stud.* 2, f. 19r-26v; originale; manu B. Castori S.I. (1545-1634 – SCADUTO, *Catalogo* . . . 29) exaratum esse videtur; titulus et subscriptio est Patris Tucci, qui textum in diversis locis correxit. In f. 26v manu Patris Acquaviva adnotatio: «De sequenda doctrina D. Thomae — P. Tuccius».

TEMPUS: De tempore et adiunctis historicis scripti cf. introductionem mon. 3.

Responsio ad id, quod propositum est de D. Thomae doctrina sequenda

Eo spectare videtur tota huius patris<sup>2</sup> disputatio, ut D. Thomae theologiam nostris per omnia amplectendam esse persuadeat, scribendosque Commentarios in eundem doctorem, quibus eius doctrina et illustretur, et ad defendendum facilis reddatur.

Ego sane laudarem hos Commentarios, si idem pater<sup>a</sup> traderet etiam modum, quo multae huius novi consilii atque instituti difficultates superentur, ut ea, quae commode potuit speculari, non incommode possint etiam in usum praximque deduci.

Nam primo, a quibus et quot, et ubi conscribentur hi Commentarii? Quomodo convenient in Urbem necessarii suis provinciis?<sup>b</sup> Quis eos in unum convocatos conciliabit in sententiis? Quis eorum moderator et iudex? Quo ordine et disputandi genere quaestionum momenta perpendent? Quando tandem tam vastum opus absolvetur? Mittendumne per provincias, ut in singulis examinetur, quod ab omnibus recipiendum est, an paucorum arbitrium erit tam innumerabilibus ingeniis sempiterna lex?

2<sup>o</sup> Peractum iam istud opus, eritne evulgandum externis? Poteritne flagitantibus amicis, praelatisve denegari, aut concessum nonnullis, impediri, ne saepius et apud alios imprimatur? Evulgatum vero iam, quantum derogabit nostrarum scholarum frequentiae externorumque sollicitudini ac studio audiendi nostros, a quibus non nisi eamdem cantilenam possunt expectare; et eam quidem usu iam tritam, et in ipsis triviis ac bibliothecis cariosam?

<sup>a</sup> pater *del.* haberet; *sup. m.* Tucci traderet / <sup>b</sup> provinciis *del.* quis eos, *sup. a* Tucci rest.

<sup>1</sup> De St. Tucci S.I. cf. supra, mon. 1 adn. 3 et passim.

<sup>2</sup> Alfonsus Deça S.I.; cf. supra, mon. 3 adn. 2.

3<sup>o</sup> Editum hoc volumen quot vel diversa opinantium, vel invidentium ingenia ac calamos ad sui oppugnationem incitabit, aut etiam lacesset? His vero eritne per nostros respondendum? Quanto dedecore conticescent? Quam multiplici similitate redarguent adversarios? Hoc est statuam aliquam, diligenter excultam, ex officina in forum producere aemulorum convitiis impetendam.

4<sup>o</sup> Laboratum hucusque est in veritate indaganda. Tota haec contentio et studium convertetur deinceps in D. Thomae sententiam pervestigandam. Qui unus maiori erit religione, quam patres universi vix [19v] vacant res ipsas per se expendere, cur ab iis traducimur, ut in unius doctoris verbis excutiendis, conciliandis, continuandis, tuendis languescamus?

5<sup>o</sup> D. Thomas, praeter omnes theologos, et optime et verissime sensit ut plurimum. Sed in iis etiam, quae vere sensit, tuendis, nisi commoda aliqua ratio ineatur, in meras ineptias dilabemur. Hanc vero rationem cum excogitare non possint omnes, nihil est aliud quosdam D. Thomae addicere, quam eos publicis irrisionibus, dum legunt aut disputant, exponere. Quibus licet non parum possint huiusmodi Commentarii subvenire, tamen quia cogitare possumus quod volumus, opinari non item, quam durum atque intolerabile iugum futurum est imperare, ut tueantur quod non capiunt; et inter disputandum publice convicti obmutescant, vel sui tuendi gratia in contumelias erumpant? Multa possumus in cubiculo credere, aut certe sustinere dissensum. At, cum in aciem descenditur, non pia credulitas pugnat, sed acris et sua cuique probe mansa subtilitas.

6<sup>o</sup> Animorum doctrinarumque consensio, quae expetitur per hosce Commentarios, nequaquam videtur futura constantior. Nam et suum cuique pulchrum, et in eodem ferro tractando faber a fabro differt non parum; et eandem rem audimus saepe, seu videmus permulti, narramus tamen eandem aliter atque aliter. Non pauca possent adduci dissentienti semina. Illud videtur maximum, quod si omnes D. Thomae probationes sustinendae sunt, cogemur et in Scripturarum, quas allegat, expositionibus a constanti patrum placitis recedere nonnumquam, et in rationibus naturalibus tueri quaedam D. Thomae principia a sensu et ab omni philosophia non parum abhorrentia. Fundat enim suas rationes in iis, quae inter philosophandum senserat. Senserat autem saepe non optime omnium. Sin, probationum D. Thomae liberum examen permittatur, nihil omnino minus [20r] dissensionis in iis futurum est, quam esset in conclusionibus. Immo maius. Tum, quia dissidemus in conclusionibus propter probationum diversitatem, non contra. Tum, quia, si suas quisque defenderet conclusiones, quas etiam sibi probe coherere putat, probationibus aliquot, quae suo congruant ingenio, breviter rem conficeret. Sed cum tueri cogitur quae non sentit, vel debilitat eorum fidem, confutando omnes D. Thomae probationes, nec suas afferendo; vel si suas cudere velit, longo anfractu et novo quodam apparatu sese instruendum putat ad rem sibi incredibilem muniendam. Ex quo fit, ut et disputationes ac lectiones longius protrahantur, et plura ad dissentiendum incitamenta suppetant. Ad haec, si opiniones D. Thomae sequendae praescribantur ut probabiles, quis prohibet, etiam alias simul<sup>c</sup> ut probabiles defendi? Utrumque enim potest et solet fieri. Cum praesertim aliae nonnumquam non minus probabiles, seu etiam probabiliores cum sint, iniuste reiicerentur ut improbables. Quod si potestas fiat, ut et fieri necesse est, iudicandi alias probabiles, quantus hinc discrepandi campus explicatur? Adde quod, cum eadem conclusio interdum communis sit D. Thomae et aliis, cur non aliorum etiam rationibus poterit eadem communiri? Qui rationum delectus, si liber sit, ut oportet esse, quantus hic erit aditus ad dissidendum?

<sup>c</sup> simul *sup.*

7<sup>o</sup> Ex religionibus unam nobis conciliabimus, alienabimus multas. Et cum modo tamquam neutri possimus aliquando adhiberi ut arbitri ad illarum causas componendas, efficiemus nos hac nova lege reos aut actores. Quid, quod ne unius gratiam inituri sumus? Nam si in conclusionibus, certe in principiis multis, quibus Caietanus, [20v] Capreolus, Hervaeus et omnes dominicani nituntur, convenire non possumus, cum praesertim inter ipsos pluris fiat Caietanus, quam D. Thomas, quia ille putatur optime huius mentem perpexisse. At in Caietano quam multa sunt indigna nostris?

8<sup>o</sup> Methodus D. Thomae, licet praecipui sit ordinis, longissima tamen est, nostri praesertim curriculi quadriennio. Adde, quod iuxta suscepti ordinis rationem cogitur eadem repetere per novos articulos in variis suae Summae partibus. Quorum tamen omnium sententia, nisi in unum locum colligatur, et tamquam sub aspectum unum ponatur, res tota perspicere non potest frustatim. Quid, quod nonnullis locis ita brevis, ac prope mutilus est D. Thomas, ut nisi ex aliorum principiis et sententiis locupletetur, magna simus theologiae parte carituri?

9<sup>o</sup> Tertiam partem non absolvit. Quae tamen, si ex 4<sup>o</sup> libro Sententiarum expleatur, multa devoranda nobis erunt, quae nec ipsemet D. Thomas devorasset, si in extremo senio ea recognovisset, ut ex aliis eius partibus coniici potest.

10<sup>o</sup> His Commentariis, tamquam nostrae theologiae fastigiis erectis, locus omnis meliora excogitandi praecluditur. Idque magna cum iactura tum ipsius scientiae, cum dies diei eructet verbum, et nox nocti indicet scientiam<sup>3</sup>; tum Ecclesiae, in cuius utilitatem cum nostri ingenia sortiti sint, hoc novum consilium tamquam defossi talenti reos efficiet, cum et ipsi possint in gazophilatium<sup>4</sup> Domini aliquot aera minuta conferre; tum Societatis totius, quae crescentibus aliis religionibus, ipsa sibi vim ac praesidium ad potiora proficiendi eripiet.

Neque, quia novis inventis aliquid periculi subesse posset, praecidendae sunt omnes huius arboris fibrae, ne ad iustam adolescat magnitudinem, sed plus nimio luxuriantem solers agricolarum [21r] manus coerceat. Neque cursus equis prorsus interdicendus est, quia ultra metas possent efferri; sed cancelli, intra quos vires suas graviter exerceant ac proferant, circumscribendi.

11. Tandem, licet ex omnibus theologis nullus sit D. Thomae non posthabendus; cui etiam et concilia, et summi pontifices in decretis fidei non parum detulere, ut doctori, cuius theologiam ut plurimum orthodoxis patribus, et Scripturis maxime congruentem aliqua iam saecula comprobarunt; nemo tamen inficiabitur, nonnullos esse huius doctoris, nimirum hominis, naevos, qui nostris non possunt placere; nec debent, cum in Augustino etiam, in Hieronymo, in Basilio, et aliis patribus pleraque sint, quae veritas, filia temporis, non probavit. Multa iam in omnibus fere academiis, in nostris etiam convalere sententiae D. Thomae dissentaneae, quas ita<sup>d</sup> autoritas, usus, ratio confirmarunt, ut contra eas opinio D. Thomae ne consulenda quidem sit, nedum imperanda. Proferam pauca de multis. Docuit Sanctus Doctor:

1<sup>o</sup> Mundum fieri potuisse ab aeterno. Quid repugnantius universis patribus, cum Ario pugnantis pro Homousio?

---

<sup>d</sup> ita *sup.*

---

<sup>3</sup> Ps. 18 3.

<sup>4</sup> Cf. Mc. 12 43.



2<sup>o</sup> Non posse corpus Christi in coelo et in altari esse dimensive, ne per miraculum quidem. At et ipse et omnes patres Christum numquam e coelo recedere affirmant; apparuisse tamen simul dimensive, et visibiliter Paulo, ipse Paulus testatur, et omnes eius interpretes. Quo loco nostri temporis doctores Calvinum et Zvinglium, negantes posse idem corpus in coelo et in terra substantialiter esse, fortiter oppugnant. Hoc telum firmissimum aufert D. Thomas Ecclesiae. Et ut annotavit Marsilius, id magno scandalo futurum est gentibus. Quae [credunt quod], si positus iam Christus in [21v] altari, non potest se ipsum extendere, ut sit modo naturali, multo minus credent, potuisse illum supra omnem naturam ponere se simul in coelo et in altari.

3<sup>o</sup> Repugnare divinae potentiae facere duos angelos eiusdem speciei. Quod, praeterquam adversatur multis patribus, manifestis etiam rationibus, et communi consensu vincitur, si agatur de possibili, de quo loquitur D. Thomas.

4<sup>o</sup> Salvis solis dimensionibus panis, corruptis vero omnibus qualitatibus, adhuc Christi corpus esse ibi sacramentaliter. At solae dimensiones non satis conservandae substantiae panis, si esset. Et Christus tamdiu est ibi, quamdiu substantia panis, si esset. Adde quod, cum in vino consecrato, verso iam in acetum, maneat priores dimensiones, maneret sanguis.

5<sup>o</sup> Deesse humanitati assumptae propriam existentiam. Quod antiquis thomistis, ut Hervaeo et Paludano<sup>5</sup> ita videtur absurdum, ut negent etiam D. Thomam id sensisse. Non enim esset creatura, cum creatio non terminetur, nisi in esse, cuius non sit quaevis acquisitio, sed factio.

6<sup>o</sup> Si vinum non consecratum consecrato infundatur, quamvis eiusdem speciei, et ex eodem dolio, corrumpi sola admistione totum consecratum, vel aliquas eius partes. Quid repugnantius philosophiae? Ipsi etiam thomistae id non credunt.

7<sup>o</sup> In calice omnia verba consecrationis usque ad «remissionem peccatorum», esse de substantia formae. Nullus<sup>e</sup> eum sequitur, nec omnes sui.

8<sup>o</sup> Spirituales substantias non esse in loco, nisi per actus in eum transeuntes. Qui tamen nulli sunt in angelis sanctis erga coelum, [22r] in quo Scripturae, et patres eos regnare asseverant. Nec defendi potest iuxta hanc sententiam, quomodo anima Christi descenderit in limbum patrum, et ibi triduo manserit.

9<sup>o</sup> Angelus per unam speciem intelligibilem intelligere omnia eiusdem speciei individua cum infinitis eorum proprietatibus et actibus. Quid incredibilius?

10<sup>o</sup> Humanae libertatis ultimam resolutionem fieri in intellectum practicum, quo non errante, nec errare voluntatem. At caeteri scholastici et omnes patres in voluntate ponunt libertatem. Quod, nisi fiat, nomine, non re liberi erimus, cum intellectus de rebus naturaliter iudicet; videlicet, necessario de necessariis, dubitanter de dubiis, ut non possit non dubitare, nisi voluntate alio torqueatur.

11<sup>o</sup> Deum praevidere futura contingentia in eorum consistentia cum aeternitate; et loqui inter se angelos per nescio quam specierum ordinationem. Quae duo nullus in hodiernum usque diem intelligere potuit.

12<sup>o</sup> In ordinandis praesbiteris characterem imprimi sine gratia, dum traditur materia cum instrumentis; gratiam vero conferri cum ad finem<sup>f</sup> missae imponuntur manus.

<sup>e</sup> Nullus *del.* etiam; *sup.* eum / <sup>f</sup> finem *del.* usque

<sup>5</sup> De quibus cf. MP V 18.

Sunt et alia huiusmodi D. Thomae placita, quae nunquam defenduntur sine audientium vel risu ob ineptias responsionum, vel metu et offensione ob erroris periculum. Cur Societas nostra in hasce se coniciat angustias? Audio, ipsos etiam, qui in<sup>6</sup> unius magistri seu doctoris verba iurarunt<sup>6</sup>, agnoscere magnum in vero inquirendo impedimentum, et optare libertatem aliquam, quam ipsi nobis iam incipimus invidere. [22v]

Hae fere difficultates circa D. Thomae<sup>h</sup> doctrinam venerunt in mentem. Quas non eo consilio exposui, ut nostros a Commentariis in D. Thomam et pro D. Thoma scribendis avocarem, sed ut significarem, cogitandum prius esse diligenter, quomodo iis difficultatibus possit obviari. Nam si tolli possent, nihil hoc consilio optabilius aut salutaris esset. Ego vero opinor, si ad id solerter incumbatur, excogitari posse rationes optimas, per quas iis perplexitatibus occurratur. Quin, et exempli gratia, duas ego nunc tresve difficultates dissolvere conabor. Et primum quidem ultimam, quae maxima videtur. Posset enim D. Thomas regulariter sequendus proponi, exceptis paucis, quae doctissimorum patrum iudicio viderentur libera relinquenda, vel etiam in contrarium statuenda, ut idem omnes sapiamus<sup>7</sup>. Id quod nisi fiat, plus perturbationis, quam commodi ex hoc novo consilio in nostram Societatem redundabit. Est autem boni negotiatoris ita in bonam mercem, verbi gratia, triticum affici, ut, si quid lolii admistum sit, excernatur.

Quod ad 10.am pertinet, statui posset, ut quicumque in nostra Societate aliquid excogitarint pro vario temporum decursu, quod ad hos Commentarios locupletandos, illustrandos, aliqua ex parte emendandos etc. facere posset, ius habeant, quicquid invenerunt, singulis trienniis per patres procuratores generali praeposito conscribendi. Qui, adhibito aliquot procuratorum et Collegii nostri doctorum consilio, si quid e re nostra in oblati libellis repperit, eos vel eorum aliquos edet in lucem, additis notulis, quibus indicetur, ad quae loca Commentariorum referenda sint. Si quando vero Commentarii essent iterum [23r] imprimendi, poterunt huiusmodi libelli seu tractatus suis locis interseri, ut privatorum ingeniorum partus cedant in commune bonum.

De 5.a vero illud dixerim: Unicuique doctorum nostrorum fuerit abunde subventum, si ii Commentarii accuratissime elaborentur. Oportet enim primum diligenter D. Thomam explicari. Deinde fideliter aliorum doctorum placita recitari. Tum conclusiones firmiter stabiliri, et rationibus, et quotquot haberi possent, testimoniis Scripturarum, conciliorum et patrum; demum, contrariis argumentis facere ita satis, ut nihil difficultatis videatur dissimulatum. His probe confectis<sup>1</sup>, si quis iudicium suum subiicere non posset, ineptus iudicari posset, qui theologiam doceat.

Hoc modo, aliove simili, si posset omnibus difficultatibus subveniri, ut opinor posse, si id agatur sedulo, nihil esset nostrae Societati iis Commentariis magis expetendum. – 1<sup>o</sup> Ad servandam unitatem spiritus in vinculo pacis; quod ab Apostolo, et patre nostro Ignatio tam studiose commendatur. – 2<sup>o</sup> Ad doctrinae securitatem inter tot pericula haereseon, temeritatis, novitatis. Quae vix aliter poterunt evitari, florente praesertim iam inter nostros tanta ingeniorum varietate. – 3<sup>o</sup> Ad praecedendas quotidianas doctorum cum praefectis et rectoribus concertationes de habendo opinionum delectu. – 4<sup>o</sup> Ad liberandos nostros a tam multiplici labore scriptionis, quae vehementer obest nostrorum tum valetudini, quam

<sup>6</sup> in *sup. m. Tucci* / <sup>h</sup> Thomae *del. sententiam* / <sup>1</sup> confectis *del. qui huius; sup. si quis m. Tucci*

<sup>6</sup> Vide *supra*, mon. 6 adn. 4.

<sup>7</sup> Cf. *Const. P. III c. 1 § 18; MI III 86.*

infirmisimam in nostris experimur, ob eam rem inprimis; tum exercitationi in dubitando, repetendo, [23v] disputando, speculando etc. Defessis enim in scribendo, vix tempus aut vires suppetunt ad caetera longe utiliora. Adde, quod tanta fit scriptorum quotidie varia coacervatio, ut quocumque iter facturi sumus, eundum sit et nobis et equis supra modum suffarcinatis.— <sup>5º</sup> Ad opitulandum nostris, cum theologiam (quamquam et philosophiae eadem ratio sit, et idem remedium adhibendum) incipiunt docere. Ii enim et studio novarum inventionum, et excitata sui expectatione, et docendi inexperientia, et temporis angustis ita solent opprimi, ut vel incoctos, inchoatos, mutilos partus edant; vel, si quid elaborati afferre velint, vigiliis et assidua studendi contentione brevi conficiantur; ut non mirum, si tanta doctorum inopia laboremus. — <sup>6º</sup> Ad afferendum praesidium aliquod nostrorum devotioni paulatim defervescenti ob curarum varietatem, et imprimis ob immodicam studendi solitudinem<sup>1</sup>. Quam suscipiendam putamus vel ut faciamus satis tam variae audientium curiositati, vel ne offendamur imparati, cum ad docendi munus evocamur. Certe, nisi subveniatur, evanescente sensim pietatis ardore, quantum progrediemur in literis, tantum a spiritu vocationis nostrae (ut iam plus nimio incipimus experiri) recedemus.

Saluberrimum sane propositum consilium videtur, quia et pietatem valde promovet, et scientiam; tum, quia plus exercitationi, quam scriptioni vacabitur; tum, quia singulis trienniis aliqua fiet in bonum commune accessio. Et certe, licet opus arduum [24r] videatur, minus tamen arduum videbitur attendenti. Non enim nunc summum aliquid desideratur, cum singulis trienniis locupletandum sit magis. His initiis forte sufficeret ex multis philosophiae et theologiae cursibus, quos nostri Romae, vel etiam, si quid egregii reperiat, extra Romam, praelegerunt, optima quaeque seligere in cursum unum conflandum per modum Commentarii in D. Thomam et Aristotelem. Haec habui, quae exponerem.

Deus Reverendae Paternitati Tuae dignetur ostendere quid optimum factu sit.

Stephanus Tuccius

---

<sup>1</sup> solitudinem *del.* utque possimus; *sup. m.* Tucci quam suscipiendam putamus.

---

## 5

### IOANNES MALDONADO S.I.<sup>1</sup> IUDICIUM DE SEQUENDA DOCTRINA S. THOMAE Romae, medio anno 1582

TEXTUS: *Stud.* 3, f. 447r-v; autographum. Facie versa folii 247 solum nota manu Patris Acquaviva exarata: «Iudicium P. Maldonati de sequenda in omnibus vel non sequenda D. Thomae doctrina».

TEMPUS: Scriptum supponit (prout etiam mon. 3 et 4) epistolam Alfonsi Deça S.I. (17 apr. 1582); cf. supra, mon. 3 (introd.).

Vidi, quae scripta sunt ad persuadendum, oportere, legem theologis nostris imponere, omnibus in rebus, una excepta vel altera, sequendi D. Thomam; quaeque contra responsa<sup>2</sup>.

---

<sup>1</sup> De Ioanne Maldonado S.I. (1533-1583), hispano cf. MP V 12\* et adn. 17.

<sup>2</sup> Responsum Patris Bellarmino et Patris Tucci vide supra, mon. 3 et 4.

Mea haec est sententia: tanti momenti rem esse, ut non possit nec debeat tam brevi tempore concludi. Dandam curam esse nonnullis, rationes omnes, quae per se vel per alios in utramque partem excogitare poterunt, colligendi, ut in iis ex adverso positae quasi in bilance deliberatio tamdiu versetur, quoad appareat, utrae lancem magis premant; aliis similem curam dandam, eas omnes in D. Thoma notandi sententias, quae minus probabiles videantur; eas diu expendi oportere, priusquam statuendum, quae probabiliter quidem, sed minus quam contrariae, quae ne probabiliter quidem, defendi queant; quam legem ipsi nobis indicamus, cuius aliquando paeniteat, onusque suscipiamus, cuius pondus ignoremus. Quod qui faciunt, turpiter saepe succumbunt.

Facile fallimur, cum res non per partes singulas, sed totas universeque consideramus. Idem in optimo auctore D. Thoma potest evenire ut, quia totus aliis totis sine controversia melior est, partes eius, id est opiniones singulae, singulis aliorum opinionibus meliores esse iudicentur, cum multae peiores sint. Et vero non dubito ego, multa in eius esse doctrina, quae et peiora sint, et minime conveniat hoc tempore doceri. Ac fortasse illi ipsi, qui D. Thomam per omnia sine discrimine sequendum esse dicunt, cum ad singulas venirent opiniones, a multis dissentirent.

Haec duo cum fient, dicam de illis deque re tota sententiam meam, si rogabor<sup>3</sup>. Interim modum aliquem ponendum existimo novis opinionibus, missis per omnes provincias paucis illis regulis<sup>4</sup>, de quibus his diebus agebatur<sup>5</sup>.

## 6

ALFONSUS SALMERÓN S.I.<sup>1</sup>  
CLAUDIO ACQUAVIVA PRAEP. GEN. S.I.  
Neapoli 1 septembris 1582 — Romam

TEXTUS: *Stud.* 3, f. 30r–31v; originale, manu Francisci Fogliano S.I., adiutoris Patris Salmerón in scribendo exaratum, et a P. Salmerón subscriptum. In fol. 31v quidam adnotavit: «1582 – Neapoli – Calend. Septem. — Sententia circa rationem tenendam in theologia et philosophia docenda. – Non esse unum aliquem auctorem praescribendum, quem sequamur. – Conveniendum in iis, quae Scriptura Sacra, Ecclesia ipsa et pontifices decreverunt».

EDITIO: *Epp. Salmerón* II 709–15. Versio gallica, nonnullis omissis, ap. D. PALMIERI, *De Deo creante et elevante* (Romae 1878) 781.

ADIUNCTA HISTORICA: Considerata auctoritate maxima, qua P. Salmerón in rebus theologicis apud contemporaneos gaudebat, nihil mirum, si P. Acquaviva (post patres Bellarmino, Maldonado et Tucci; quorum scripta v. supra, mon. 3–5), etiam hunc eximium S.I. theologum interrogandum esse arbitretur de doctrina S. Thomae sequenda (vide epistolam P. Acquaviva (diei 18 aug. 1582), ad P. Salmerón datam, in *Epp. Salmerón* II 715–16).

<sup>3</sup> Brevi, die 5 ian. 1583, vita privatus est. Cf. *Epp. Salmerón* II 721.

<sup>4</sup> Instructio Patris Generalis exeunte mense septembri anno 1582 ad provincias missa est. Quam videsis inferius, mon. 6.

<sup>5</sup> De quibus regulis discussis cf. supra, mon. 1.

<sup>1</sup> A. Salmerón S.I. (1515–1585), hispanus, e primis S. Ignatii sociis; de quo vide SCADUTO, *Storia* . . . III 299–308, et GILMONT, *Les écrits* . . . 154–58.

## Admodum Reverende et Religiosissime Pater.

Litteris ad XVI kalendas augusti ad me datis<sup>2</sup> efflagitasti, ut scripto aliquo consignarem sententiam, quaenam esset studiorum tum in philosophicis tum in theologicis disciplinis a nostris ratio tenenda atque observanda; per quam illud consequi possemus, ut id ipsum sentiremus et diceremus omnes<sup>3</sup>, et non essent in nobis schismata, hoc est dissensiones et sectae. Res profecto, quae summe Ecclesiam aedificaret et nobis ipsis atque adeo externis salutaris existeret et multa commoda secum adferret.

Caeterum, ut hoc honestissimum et utilissimum foret, ita illud attingere longe difficilimum est. Rarissime enim concordia doctrinae invenitur et idem animorum voluntatumque consensus, etiam in viris magna sanctitate praeditis, ut facile esset mihi tum experientia tum illustribus exemplis ostendere. Quis enim nesciat, tum Paulum et Barnabam, tantos Christi apostolos, inter se non nihil dissensionis passos fuisse; Petrum et Paulum diversas, immo contrarias sententias de legalium caeremoniarum observantia secutos; Cyprianum item cum Cornelio et Stephano pontificibus romanis de baptismo haereticorum disputasse; Hieronymum item cum Ruffino et Augustino de multis spectantibus ad sacras litteras oppositas sententias tenuisse; Chrysostomum item a Theophilo Alexandrino dissensisse? Idem possem aliis exemplis illuminare, nisi alio nostra properaret oratio.

Etsi vero, Pater prudentissime, pro tua singulari sapientia, per te ipsum et tuo marte de his nos erudire posses et nullo aliorum (praeter eos, qui tibi de more assistunt) consilio indigeres; voluisti tamen plures disserentes audire, ut quod optimum ac praestantissimum post multa consilia inventum esset, id deligeres et omnibus observandum proponeres. Ego vero, etsi meae tenuitatis conscius, alios haec tractantes libentius audirem; quia tamen mihi hoc facere fas non fuit, malui abs te desiderari prudentiam meam, quam, si id non fecissem, benevolentiam atque adeo, quam tuis debeo iussis, obedientiam. Paucis ergo meam sententiam explicabo.

Primum igitur, existimo, Societati nostrae minime expedire, ut certum aliquem doctorem sive scholasticae theologiae scriptorem tanquam ducem nostrum ita deligamus et amplectamur, ut in eius verba et sententias iuremus omnes<sup>4</sup>, ut pro illis tanquam pro aris et focis propugnandis decertemus. Nullus siquidem auctor hactenus in Ecclesia inventus (neque certe in futurum sperari potest), qui ita in omnibus suis scriptis et sensibus excelluerit, ut in quibusdam interdum humana passus, non fuerit prolapsus, [30v] aut, ut parce loquar, qui non aliquando minus probabiliter senserit quam alii; ut propterea nulla ei fiat iniuria, si eius opinio deseratur. Deinde etiam solis canonicis libris hoc auctoritatis fastigium convenit, ut nihil sit in illis reiiciendum, nihil repudiandum, nihil non omni fide suscipiendum et exosculandum, quanquam nobis aliter forsitan videretur. Esset enim homines Deo aequare velle, cuius bonitate et munificentia allata est in mundum prophetica scriptura<sup>5</sup>.

Deinde assero, aliquos praeclaros extitisse in Ecclesia viros, qui rem theologicam vehementer illustrarunt; quos inter eminuit B. Thomas, qui et ingenii perspicacitate ac perspicuitate, et facilitate atque arte explicandi et veterum patrum scriptis illam corroboravit et ab haereticorum argutiis et fraudibus munitam illam et sartamtectam nobis reddidit; ut merito proinde a Nostro Patre, sanctae memoriae, Ignatio constitutum fuerit, ut nostri

<sup>2</sup> Quas litteras videsis in *Epp. Salmerón* II 715-16.

<sup>3</sup> Vide *Const. P. III c. 1 § 18 (MI Const. III 86)*; et *Phil. 2 2*.

<sup>4</sup> Cf. *HORATIUS, Epistolae* 1/1 14.

<sup>5</sup> Cf. *2 Petr. 1 21*.

eum in scholastica theologia praelegerent<sup>6</sup>, ratus eos solidos et catholicos theologos futuros, qui eius monumentis et scriptis essent imbuti.

Tamen, quoniam in quibusdam nonnulla sensit, quae ab aliis theologis communiter non recipiuntur, et quae nostro tempori minime conveniunt, non putavi operae pretium esse, ut praecepto aliquo nostri adigantur ad omnes eius sententias tuendas ac propugnandas, cum nec ipsi dominicanae familiae lectores ad hoc per suos superiores cogantur. Nam, ut praetermittam quae de conceptione B. Virginis docuit, nonnulla sunt magni momenti, quae non video, qua ratione defendi possint, ut quae scripsit de forma verborum, quibus conficitur sanguis Christi; in quibus etiam a suis deseritur. Rursus, quae de matrimonio rato et non consummato scripsit, tradens in illud papae dispensationem non cadere; cuius tamen contrarium et ante aliquot saecula et nostra etiam aetate pontifices nonnulli fecerunt. Ut interim omittam, quae de matrimonio clandestino in concilio tridentino sunt revocata, ac proinde tempori nostro non sunt accommodata. Non desunt alia, quae poteram proponere etiam ex principiis philosophicis desumpta, quibus assertiones theologicas parum solidas et firmas interdum reddidit. Videremur etiam in futurum plus hominem, quam ipsam veritatem diligere; quae a quocunque dicatur, ut Ambrosius dixit, a Sancto dicitur Spiritu; et ut ipse quoque Philosophus dixisse perhibetur: amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas; et quidam etiam eleganter: Saepe etiam est olitor (inquit) valde opportuna locutus.

Qua ratione etiam Moses, sapientissimus et a Deo instructus in administrando et regendo populo Dei, consilium pagani hominis, Iethro scilicet, soceri sui non detrectavit<sup>7</sup>. Quod si interdum Hieronymi vel Augustini vel Cypriani sententiam pro veritate aliqua tuenda non recipimus, et hac in parte nulla infertur tantis viris contumelia, quos scimus excellentes et praestantes in Ecclesia Dei doctores extitisse; quid absurdi erit, si in nonnullis dicamur, non sequi sententiam B. Thomae? Et ut periculum est, ne propter bene dicta ab aliquo scriptore, illa etiam, quae levibus et debilibus rationibus interdum comprobantur, amplectamur; ita rursus cavendum est, ne propter aliqua minus solide et efficaciter disputata velimus, quae firmis et efficacibus argumentis comprobantur, respuere. Ut interim nihil dicam de externis, [31r] qui nostras scholas frequentant, qui desiderant eam doctrinam audire, quae magis solida et firma est, a quocumque tandem illa dicatur. Et ita timeo ne, cum mederi volumus dissidiorum in dogmatibus morbo, maius aliquod vulnus illi accersamus, et ex iesuinis, asserant, nos mirabili metamorphosi in thomistas aut in dominicanos transformatos.

Quod igitur in Constitutionibus P. Ignatius dixit, in scholastica theologia praelegendum B. Thomam<sup>8</sup>, expendendum venit, non dixisse sequendum semper in omnibus. Quod si quis intelligeret, idem esse «praelegendum esse», atque «sequendum», non deesset ex ipsomet capite et ex ipsius patris verbis inferius positum aliquid, quod eam explicationem veram non esse ostenderet. Quia inferius statuit: «In logica et philosophia morali et naturali et metaphysica sequenda est doctrina Aristotelis»<sup>9</sup>. Quando scilicet illa non pugnat cum fide aut cum ratione solidiori, ut fieri solet a doctis viris, qui interpretantur Aristotelem.

Praeterea, maxime prospiciendum esse censeo, ne quis ingenio liberiori natus, aut rerum novarum cupidus, novam aliquam condant doctrinam. Novam autem explico eam esse.

<sup>6</sup> Vide *Const. P. IV* c. 14 § 1; MP I 295 297.

<sup>7</sup> Cf. *Exod.* 4 18.

<sup>8</sup> Vide supra, adn. 6.

<sup>9</sup> Vide *Const. P. IV* c. 14 § 3; MP I 299.

quae aut cum haereticis quoquo modo consentit, aut quae contrarium doceret his, quae ex primis principiis philosophorum et theologorum eliciuntur, quam ut plurimum omnes scholae consecrantur.

Quia vero facile elabi posset quisquam, asserendo, non esse novam, quae revera nova est, aut esse novam, quae nova non est; id quaestionis aliorum iudicio terminandum esset, ne progressus fieret in infinitum, et ut altercationes aliquando sopirentur. Et cum haec lex per provinciales nostros esset transigenda, danda esset opera, ut illi ipsi singulari essent theologiae doctrina exculti atque ornati. Quod si aliquando contingeret, ut aliquis ex nostris Dei munere mitteretur, qui doctrinam theologicam nova quadam ratione et praestantiori via scripto traderet, ut aliquando futurum expectabat bonae memoriae B. Ignatius<sup>10</sup>, non esset illi resistendum, sed res referenda ad P. Generalem, qui, re cognita et cum aliis quos vellet consultata, si operae praetium esset, et cognosceret aptum esse, eum ad operis coepto consummationem urgere et, quatenus opus esset, fovere et adiuvere posset. Quandoquidem omnes disciplinae progressu temporis excultae fuerunt et perfectae; et non est humanum ingenium ita effoetum et sterile, ut non possit, iuvante Domino, illud aliquando praestare. Cur ergo volumus nobis ipsis hanc gloriam invidere, si illam nobis Deus concedere dignetur?

Denique, non censeo, esse ullum catalogum propositionum, a quibus defendendis sit nobis abstinendum, contexendum. Quoniam, cum id aliquando iam factum sit<sup>11</sup>, non tamen satis faeliciter successit. Si tamen ille conficeretur, censerem, in quam paucissimas propositiones numerum earum redigendum, ne videamur nimium in angustum ingenia hominum constringere, aut sententias et propositiones ab Ecclesia nondum damnatas praeiudicio nostro damnare; tum ne videamur caeteris religionibus rigidiores, quae suis theologis permittunt, quas velint propositiones aut impugnare aut tueri. Et satis esse putandum est nostris, si Sacrae regulis Scripturae et Ecclesiae definitionibus et pontificum et conciliorum decretis ad recte de fide et pietate sentiendum, tamquam cancellis quibusdam constringantur et arcentur. Quod si perfectam doctrinae unitatem assequi non valeamus, ad eam tamen, quae hic, dum vivimus, haberi potest, perveniamus, iuxta illud apostolicum: «Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus, et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelabit. [31v] Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus, in eadem permaneamus regula»<sup>12</sup>. Vult enim Apostolus, ut saltem in his, ad quae pervenimus dogmata, eorum consensum et concordiam retineamus; in reliquis libertate nostra fruamur.

Haec scripsi, ut tibi morem gererem. Cuncta tamen, quaecumque dixi, tuo iudicio et censurae libenter subdo. Et interim precibus pulsabimus Dominum, ut ea tibi suggerere per bonum aliquem angelum velit, quae in primis ad Christi gloriam et nostrae Societatis bonum et commodum spectent.

Neapoli, Kalendis septembris 1583<sup>13</sup>

Tuae admodum Reverendae Paternitatis filius et servus in Domino

Alfonsus Salmeron<sup>14</sup>

<sup>10</sup> Vide *Const. P. IV c. 14 litt. B* (MP I 297). — S. Ignatius curam conscribendi compendium quoddam theologicum anno 1554 commisit Patri Salmerón; cf. MP I 58 n. 404.

<sup>11</sup> Decretum S. Fr. Borja, praep. gen. S.I., de opinionibus in philosophia et theologia tenendis (1565) vide in MP III 382-85.

<sup>12</sup> Phil. 3 15-16.

<sup>13</sup> Errore librarii scriptum 1583, pro 1582, ut apparet ex litteris Patris Generalis, ea de re ad P. Salmerón datis; v. *Epp. Salmerón* II 715-18.

<sup>14</sup> Pater Generalis non tardavit Patri Salmerón pro epistola accepta gratias agere. Huius epistolae (29 sept. 1582) eam partem, quae doctrinam tenendam spectat, exscribere statuimus, quia quid P. Generalis co

CLAUDIUS ACQUAVIVA PRAEP. GEN. S.I.  
QUAEDAM DE RATIONE STUDIORUM IN GENERE  
Romae, mense septembri anni 1582

TEXTUS: 1. *Instit.* 40, f. 85v-86r. — 2. *Instit.* 43, f. 12v-13r. — 3. *Instit.* 58, f. 35 n. 5 et f. 183. — 4. *Instit.* 117 I, f. 5v. — 5. *Hisp.* 90 I, f. 7r-8r. — 6. Romae, Bibl. Naz. Vitt. Emm., Mss. Gesuit. 1587 (3716) 59-61. — 7. Parisiis, Bibl. Nat., *Fondo lat.* 10989, f. 89r-v. — 8. Monachii, Arch. Prov. Germ. Sup., Msc. C 1 (*prius* XIII N 1) 123-24. — 9. Monachii, BHStA, *Jesuiten* 95, f. 35r-36v et 183r-84r. — 10. Monachii, Bay. St. Bibl., *Cod. lat.* 9201, f. 18-19. — 11. *Ibid.*, *Cod. lat.* 24076, f. 9-10.

EDITIO: PACHTLER II 12-14. — ROCHEMONTEIX, *Le collège Henri IV de la Flèche* IV 11-12. — *O Instituto* 46 (Coimbra 1899) 62-64.

SCRIPTOR: BACHELET, *Bellarmin* . . . 494-95.

TEMPUS: Mense septembri 1582. Quod sequitur ex responso Patris Generalis 29 sept. 1582 Patri Salmerón dato; cf. supra, mon. 6 adn. 14.

ADIUNCTA HISTORICA: Historiam huius scripti revelat epistola communis Patris Generalis, qua hanc instructionem ad provincias pervenire curabat: «Quoniam ordo studiorum, etsi post congregationem generalem recognosci coepit, nondum tamen absolvi potuit, neque tam brevi poterit; magni autem referre iudicamus ad Dei obsequium et Societatis nostrae conservationem, ut in ea non nisi solida et utilis tradatur doctrina, visum est nobis, dum illi ordini extrema manus imponitur, nonnulla in hoc genere nostris praescribere, quae nunc ad Rev.am V. separato scripto mittimus. Cupio autem, ut R. V. ita ea suscipiat et commendata habeat, ut statim exequutioni mandari curet; ac propterea faciat, ut tum superiores omnes, tum qui theologiam vel philosophiam docent, omnes eorum exemplum penes se habeant» *Instit.* 40, f. 86; apographum.

### De ratione studiorum

Quoniam ea, quae in ratione studiorum de doctrina et docendi modo statuenda in Societate sunt, maioris operis ac diuturnioris considerationis erant, quam ut possent tam brevi tempore absolvi, quam necesse esset ad plurima incommoda evitanda, quae maximum Societati detrimentum afferre possent, visum est nobis in Domino, non modo in officio

---

tempore ea de re sentiret, optime patefacit: «Con mio contento ho letto il giudizio di V. R. intorno all'opinioni et dottrine di nostri, per esser assai conforme a quello che io ancor ne sentivo, come V. R. avrà inteso dai punti che se le mandarono; secondo i quali si è presa et pubblicata la resolutione. Perché, se ben non mancavano di nostri et qui et principalmente in Spagna di molta sufficienza et giudizio, che stimavano doversi seguitar da tutti un solo autore con tutte le sue sentenze, tuttavia non ho mai potuto inchinarmi a restringere gli ingegni alla dottrina d'un solo scrittore, talché, come si suol dire, in illius verba iurent; et però ho eletto dar loro facultà non solo di seguitar le più comuni et ricevute di qualunque dottore elle si siano, ma ancora di ritrovar da se alcuna cosa nuova; con questo però che sia prima conferita con superiore. Il che ho giudicato di aggiungere espressamente per non lasciar senza alcun freno gli intelletti vaghi et licentiosi, i quali potrebbero portar gran danno alla Compagnia nostra, come più volte ci ha insegnato l'esperienza, et di fresco s'è provato in Salamanca, dove havremmo corso gran pericolo, se nostro Signore non avesse provisto che la cosa venisse alle mani del Cardinal di Toledo che, come nell'altre occorrenze, così particolarmente in questa mostrò affetto veramente amorevole et paterno. Con questo temperamento, conforme pare all'intentione di V. R., spero che gl'ingegni de nostri havranno campo dove svegliarsi et essercitarsi, et insieme resterano così raffrenati, che non potranno scorrere in alcuno precipizio, et finalmente ne risulterà nella Compagnia quella conformità di pareri et dottrina che, al mio giudizio, ricercano le Constitutioni, non havendo voluto legar tutti a sentire il medesimo se non, come esse dicono, in quanto si potrà.» Ed. in *Epp. Salmerón* II 716-17.



provincialis diligentissime soliditatem atque unitatem doctrinae commendare<sup>1</sup>, sed brevi quadam hac instructione ea comprehendere, quae interim omni cura atque diligentia servanda statuimus.

1. Etsi non iudicamus prohibendum esse, quominus in scholastica theologia, cum alii auctores probabiliora et magis recepta, quam D. Thomas, docent, ea nostris docere liceat, tamen propter eius auctoritatem et securiorem ac magis approbatam doctrinam, quam Constitutiones (P. 4 c. 14 lit. B et c. 5 n. 4)<sup>2</sup> commendant, illud omnino servandum erit, ut eum ordinarie sequantur. Quare non modo quascunque eius opiniones (praeter illam de conceptione Beatissimae Virginis) defendere licebit, sed etiam ab illis non nisi magno cum iudicio, et efficacibus rationibus discedendum erit. Cum ergo eum in scholis legent, eius sequentur ordinem, eius quaestiones et articulos explicabunt, nisi qui propter facilitatem praetermittendi videbuntur. Quod cum fiet, tamen praeceptor breviter eorum indicabit argumentum, et auditores, ut per se legant, adhortabitur.

2. In docendo corroborandae in primis fidei, alendaeque pietatis cura habeatur. Nemo igitur quicquam doceat, quod cum Ecclesiae sensu receptisque traditionibus non bene conveniat, quodque aliquo modo robur fidei, et solidae pietatis ardorem minuatur.

3. Expedit etiam, ubi nullum fidei et pietatis periculum imminet, suspicionem vitare studii res moliendi novas, aut novae condendae doctrinae. Quare nemo opinionem ullam defendat, quae contra recepta philosophorum aut theologorum axiomata, vel contra communem scholarum theologiarum sensum a plerisque viris doctis esse iudicetur.

4. Quae opiniones, cuiuscunque auctoris sint, in aliqua provincia aut civitate multos aut nostrorum aut externorum catholicos, et non indoctos offendere scientur, eas ibi nemo doceat aut defendat, quamvis alibi sine offensione doceantur.

5. In quaestionibus ab aliis ante tractatis nemo novas sequatur opiniones, aut in rebus, quae vel ad religionem quoquo modo pertinere possunt, vel alicuius momenti sunt, novas introducat quaestiones, praefecto studiorum vel superiore inconsulto; qui, si dubitabitur, an res permittenda sit, expediet, quo suavius id fiat, ut aliorum etiam nostrorum, qui de ea re iudicare poterunt, iudicium intelligat, et demum, quod ipsi ad maiorem Dei gloriam visum fuerit, praescribat.

6. Adhibeatur cura, ut philosophiae professores magnam habeant rationem eorum, quae can. 8 congr. 3 praescribuntur<sup>3</sup>.

Conferet autem ad haec omnia 1<sup>o</sup> non sine magno delectu ad docendum philosophiam et theologiam eos assumi, qui praeter ingenii bonitatem, iudicii praecipue gravitate polleant, quorum obedientia atque facilitas perspecta sit, ne superbo ingenio et novarum rerum cupido in suo sensu abundant. – 2<sup>o</sup> ut, si qui in ipso docendi munere non tales deprehensi fuerint, ubi serio admoniti ad obedientiam, adeoque ad Societatis mentem se non conformaverint, ab eo amoveantur, et in aliis Societatis nostrae ministeriis occupentur, quemadmodum de concionatoribus in officio provincialis statuitur<sup>4</sup>.

Intelligent quique provinciales de rei huius observatione, quae ad Societatis conservationem cum primis pertinet<sup>5</sup>, Deo se et Societati rationem arctissime reddituros.

Claudius Aquaviva

<sup>1</sup> Vide reg. 54 praepositi provincialis de opinionum novitate et diversitate coercenda; in *Institutum S.I.* III 79.

<sup>2</sup> Vide MP I 221 297.

<sup>3</sup> Textum canonis 8 congr. gen. III (1573) vide in *Institutum S.I.* II 539; cf. etiam MP III 248 n. 72, et reg. 53 praep. prov.; v. supra, adn. 1.

<sup>4</sup> Vide reg. 16 praep. prov. (*Rat. stud.* 1599) in MP V 359.

<sup>5</sup> Vide reg. 98 praep. prov. in *Regulae S.I.* (Romae 1582) p. 45; et in *Institutum S.I.* III 83 n. 98.

IUDICIUM THEOLOGORUM COLLEGII ROMANI  
DE DELECTU OPINIONUM  
Exeunte anno 1584

TEXTUS: 1. ARSI, *Fondo Ges. 656/A*, f. 23r58v (*prius* 45-115). In margine superiore dextro folii 23r, manu Patris Spinelli: «Asservatur in Archivo Rectoris Collegii Romani.» — 2. *Stud. 3*, f. 55r-90r; exemplum manu nobis ignota exaratum.

EDITIO: Nonnullas breves particulas typis exprimi curavit BACHELET, *Bellarmin* . . . 509-11.

RATIO EDITIONIS: Typis mandatur prima pars scripti, omittitur secunda, magis extensa, quia haec censuram singularum propositionum exhibeat.

ADIUNCTA HISTORICA: De origine documenti cf. MP V 13\*-14\*.

Iudicium theologorum Collegii Romani Societatis Iesu<sup>1</sup>  
De censura ac delectu opinionum patrum  
ab<sup>a</sup> Reverendo admodum P.N. Generali deputatorum

Cum iussu Paternitatis Tuae convenissemus, ut de eo Delectu theologiarum sententiarum, qui nobis ad excutiendum propositum fuerat, quemque apud se quisque nostrum satis diu consideraverat, sententiam tandem communiter diceremus, factum est Deo, ut credimus, dirigente, ut quamvis alii aliis verbis mentem suam explicarent, res tamen una diceretur ab omnibus, ac potissimum de summa rei una esset omnium sententia, unum iudicium. Nemo enim erat nostrum, qui non et laudaret et admiraretur studium, diligentiam, labores doctissimorum patrum ad hoc opus<sup>b</sup> a Tua Paternitate delectorum. Et quemadmodum inter nos mirifice convenire videbamur, ita quoque vehementer optabamus ut, si fieri posset, nostrum iudicium cum eorum iudicio conspiraret. Sed contra accidit. Quod enim in rebus difficillimis usu venire solet, ut multo sit facilius, quid apte<sup>c</sup> non conveniat, perspicere, quam quid omnino conveniat constituere; idem nobis hoc tempore in gravissima hac deliberatione evenisse cernimus. Etenim non modo non constituimus, sed ne in consultationem quidem adduximus, cum id a Tua Paternitate nobis iniunctum non fuerit, quae potissimum ratio ineunda videatur, ut pericula et dissensiones, quod ad doctrinam theologiam attinet, a nostra Societate pellantur. Verumtamen eam rationem, quam delecti patres excogitaverant<sup>d</sup>, multis de causis omnino improbare coacti sumus. Nam neque doctrinae soliditati, neque concordiae animorum ea ratione satis prospectum esse iudicavimus; neque eam arbitramur esse eiusmodi, ut, etiam aliquibus immutatis, in Societate no-

---

<sup>a</sup> ab *t1* / <sup>b</sup> ad hoc opus *om. t2* / <sup>c</sup> non apte *t2* / <sup>d</sup> excogitaverunt *t2*

---

<sup>1</sup> De professoribus theologiae Collegii Romani cf. VILLOSLADA, *Storia* . . . 322-26; qui anno scholastico 1584-85 fuerunt: Franciscus Suárez (de quo cf. supra, mon. 1 adn. 9), primarius professor theologiae scholasticae. — Augustinus Giustiniani (1551-1590 — italus genuensis; ab anno 1582 ad annum 1590 profitebatur theologiam scholasticam in Collegio Romano). — Petrus Parra (v. supra, mon. 1 adn. 8), tertius professor theologiae scholasticae. — Robertus Bellarmino (cf. supra, mon. 1 adn. 4), professor controversiarum. — Benedictus Perera (v. supra, mon. 1 adn. 2), professor S. Scripturae.

stra retinenda esse videatur. Huius autem nostri iudicii causas hic ordine adscribemus; ac deinde quid etiam de singulis eorum propositionibus censeamus, breviter subiiciemus.

### Rationes, cur Delectus opinionum et Censura patrum deputationum probanda non videatur

Prima illa occurrit ratio, quod hic opinionum Delectus permultas sententias universae Societati amplectendas praescribat, quae S.<sup>1</sup> Thomae sen-[23v]tentiis perspicue adversantur<sup>2</sup>. Id quod ex censura singularum propositionum, quam infra subiicimus, cognosci poterit. Non expedire autem, ut tam multa adversus doctrinam S.<sup>1</sup> Thomae definiantur, his argumentis nobis persuasimus: – 1<sup>o</sup> quod nostrae Constitutiones Sanctum Thomam in scholastica theologia auctorem nobis proponant<sup>3</sup>. – 2<sup>o</sup> quod in iis regulis, quas R. P. Generalis non ante multum temporis dedit<sup>4</sup>, quaeque ab universa Societate gratissimis animis exceptae fuere, illud inter caetera habeatur, ut omnibus liceat quascunque sententias B. Thomae defendere, una tantum excepta, quae est de conceptione Sanctissimae Virginis Mariae<sup>5</sup>. – 3<sup>o</sup> quod S.<sup>1</sup> Thomae doctrina tantae semper in Ecclesia catholica fuerit auctoritatis, ut et Summi Pontifices eam tanquam tutissimam commendaverint<sup>6</sup>, et oecumenica concilia iuxta eam ecclesiastica dogmata saepe declaraverint; et nihil unquam ab Ecclesia definitum fuisse constet, quod eidem doctrinae manifeste repugnet. – 4<sup>o</sup> quod, etsi absque magno periculo scandali et invidiae fieri possit, ut unus aut alter ex doctoribus Societatis doctrinam S. Thomae privata auctoritate oppugnandam suscipiat, tamen quod publico consensu Societatis universae tam multae B. Thomae sententiae improbentur ac prohibeantur, id certe fieri non poterit absque magna offensione multorum; atque eorum potissimum, qui sunt ordinis Sancti Dominici. – 5<sup>o</sup> quod hoc nihil sit aliud, nisi animos nostrorum a studio Sancti Thomae revocare, cum absque gravi ratione, et in iis etiam rebus, quae nihil continent periculi, saepe ab eius doctrina recedere cogantur. – 6<sup>o</sup> quod hac ratione futurum sit, ut omnes nostri plures sententias a doctrina Sancti Thomae alienas doceant ac defendant, quam<sup>e</sup> plerique<sup>f</sup> ante hoc tempus consueverint; cum tamen optandum sit, ut nostri omnes Sancti Thomae doctrinae impense addicti sint; praesertim, cum sciamus, quae tragoediae interdum excitatae sint, quod in rebus paulo gravioribus a sententia S. Thomae quidam ex nostris recedere visi sint<sup>7</sup>.

Altera ratio est, quod ex quingentis nonaginta septem propositionibus, quae in hoc patrum deputationum Delectu continentur, maior pars sit eiusmodi, [24r] ut nulla appareat ratio, cur definitae fuerint, quas<sup>g</sup> quidem aliqui fortasse, scholis assueti, impertinentes appellarent, nos offensionis vitandae gratia maluimus simpliciter ‘non definiendas<sup>h</sup>’ nominare. Qua voce deinceps utemur, cum in hac explicanda ratione, tum in censura singularum

<sup>e</sup> quam *del. t1* multi / <sup>f</sup> plerique *sup. m. Bellarmini t1* / <sup>g</sup> quas *del. t2* quas quidem ... simpliciter; *sup. alia m.* visum est nobis peculiari vocabulo, tametsi communi, cum ad alias etiam possit applicari / <sup>h</sup> definiendas *del. t1* appellare

<sup>2</sup> In margine m. Bellarmini *t1* haec animadversio: «Sententiae, quas adversari Sancto Thomae in toto hoc Delectu opinionum arbitramur, sunt numero 77».

<sup>3</sup> Vide *Const. P. IV c. 14 § 1*; MP I 295 297.

<sup>4</sup> Instructionem Patris Generalis de doctrina tenenda a nostris (1582) vide supra, mon. 7.

<sup>5</sup> Vide *ibid.* n. 1.

<sup>6</sup> Vide MP V 55 adn. 1.

<sup>7</sup> Vide responsionem Patris Generalis, quam die 29 sept. 1582 dedit Patri Salmerón; supra, mon. 6 adn. 14.

propositionum. Ut autem ordine progrediamur, exponemus primum, quid hoc nomine intelligi velimus; deinde rationes afferemus, cur tam multae huius generis propositiones definiendae non fuerint. Esse autem huius generis plurimas a deputatis patribus definitas, ex singularum censura perspicuum fiet.

Principio igitur eas ‘non definiendas’ appellamus, quae non possunt ad aliquod horum trium capitum revocari: id est, quae neque ullam habent cum religione et pietate connexionem; neque versantur in materia gravi; neque sunt opiniones aut omnium aut certe maioris partis praestantium theologorum. Neque addendum putavimus quartum caput; earum videlicet, quae non magis firmis rationibus ac fundamentis nituntur, quam earum contrariae. Hoc enim caput in primo et tertio continetur. Siquidem, quae sint firmiores rationes, non potest ex ipsis rationibus simpliciter<sup>1</sup> iudicari; cum saepe accadat, ut eadem argumenta alicui demonstrationes, alteri sophismata videantur. Quare vel ex maiori coniunctione cum fide et pietate, vel certe ex graviore theologorum auctoritate petenda est mensura probabilitatis opinionum, si ullum esse debet de hac re commune iudicium. Et quanquam nolumus hoc loco definire, pertineantne ad hoc genus propositionum quas, ut diximus, aliqui iuxta usum scholarum impertinentes vocarent, eae solum, quae ad nullum horum capitum referri possunt; an etiam eae, quae ad omnia tria vel certe ad duo referri non possunt; nos tamen in nostra censura nullam hoc nomine notandam censuimus, quae ad aliquod horum capitum facile revocaretur, sed eas tantum, quarum contrariae omni periculo vacant, quaeque non sunt omnium aut celebriorum theologorum sententiae, et in materia versantur levi, ac saepe in quaestionibus inutilibus, quae melius a theologia resecarentur; vel in dubitationibus quibusdam, quae uni aut alteri venire solent in mentem, et a Sancto Thoma aliisque gravibus auctoribus non disputantur; vel quae non tam opinionem aliquam definiunt, quam modum eam intelligendi et explicandi tradunt, aut quae inter ipsos tho-[24v]mistas in controversiam vocari et sine ullo periculo scandali vel erroris in utramque partem pari probabilitate disputari solent; illae item quae, licet videantur ex variis auctoribus esse collectae, re ipsa tamen nihil sunt aliud, nisi propria inventa et speculationes aliquorum ex nostris. Denique illae, quae nihilo sunt graviore iis, quae a deputatis patribus liberae relinquuntur.

Harum igitur propositionum, quales sunt ferme omnes definitae, et praesertim tam multarum definitionem existimamus fore omnino inutilem, plurima allatura incommoda et detrimenta, tum doctrinae, tum paci et concordiae Societatis, eiusque praxim fore difficillimam, vel potius impossibilem propter has rationes: – 1<sup>o</sup> Quia totius huius operis finis fuit, ut in Societate doctrinae soliditas et uniformitas haberetur. Quorum neutrum hoc propositionum genere praestatur. Non illud<sup>8</sup>, quia huiusmodi propositiones non sunt de materia gravi et quae aliquid habeat annexum periculi; et pars ea quae definitur, non plus habet soliditatis, quam aliae, quae reiiciuntur. Quod si periculum in eo ponatur, quod etiam quilibet deducere vel ad explicandum aut probandum afferre potest, est hoc certe unum ex iis periculis, quae nullum habent in re fundamentum, sed tantum in cuiusque voluntate aut ingenio, et quae nulla ratione caveri possunt; nam et idem omnino periculum est in aliis multis, quae praeter haec, quae definita sunt, potest quilibet excogitare. Et in his ipsis, quae definita sunt, non minus quam in aliis, quae prohibita; cum etiam ex iis, quae

<sup>1</sup> simpliciter *om.* 12

<sup>8</sup> In margine sinistra 12 manu Patris Acquaviva: «De soliditate».

cœrtissima sunt et de fide, ab aliquibus deducantur errores, vel etiam afferantur ad ea explicanda et probanda. Quare inanis est labor, ea omnia velle definire, ex quibus posset quisque alicuius erroris occasionem sumere. Sed satis est ea definire, in quibus est ipsum errandi periculum; ut si ex eo, quod docet Sanctus Thomas et Aristoteles et præcipui quique philosophi et<sup>1</sup> theologi, non posse esse peccatum in voluntate, quin præcedat aliquis defectus in intellectu, colligat quispiam, non esse formaliter libertatem in voluntate; non ideo illud antecedens prohibendum est, sed tantum hoc consequens. Præterquam quod plurimae sunt in iis propositionibus, in quibus vix potest aliquis cum periculo aut scandalo errare, etiam si velit, nisi sponte inserat errores ex aliis materiis aut difficultatibus.

Sed neque alterum præstat [25r] quod ad uniformitatem spectat<sup>9</sup>. Haec enim non talis aut optanda est aut exigenda, ut eadem omnino in omnibus nostri doceant, et in nullo prorsus dissentiant. Hoc enim non alia ratione præstari posset, nisi liber aliquis nostris proponeretur, in quo tota theologia explicata haberetur, præter quem nihil omnino aliud liceret nostris docere, quod, an fieri possit vel expediat, vix potest in consultationem cadere<sup>10</sup>, sed ea tantum, ut nostri in uno doctrinae genere conveniant, qualis est doctrina Sancti Thomae, ne diversae quasi sectae inducantur; ideoque conveniant in gravioribus difficultatibus theologicis, et alicuius momenti, et communiter, atque in plurimis, et in iis, quae sunt quasi principia, ex quibus alia pendent. Nam in caeteris, etiam si aliquando nostri dissentiant, quod tamen non saepe continget, si in illis conveniant, vel nullum vel levissimum est perturbandae concordiae aut minuendae charitatis vel alicuius scandali periculum; et potius multum afferet utilitatis ad acuenda ingenia et disputationum fervorem, quae sine aliqua oppositione esse non possunt. Si vero etiam in iis adeo alligentur nostri, multo graviora sequentur incommoda et difficultates etiam adversus pacem et concordiam, ut aliae rationes ostendent.

<sup>20</sup> Ad existimationem tuendam doctrinae Societatis illud maxime necessarium est, ut, si quae definiatur aut proponatur doctrina, non tanquam unius aut alterius ex nostris, sed tanquam doctrina totius Societatis, et in se sit valde gravis ac bene fundata et apud alios etiam alicuius auctoritatis. Quorum neutrum habet haec doctrina, quae his propositionibus continetur, cum sint de materia perquam levi et minutae et ad summum tantum probabiles, non tamen magis, quam aliae; nec ideo definitae, quia magis ipsae dignae quae definiantur, quam contrariae, sed quia contigit, ut illae essent opiniones plurium ex patribus congregationis, ut<sup>k</sup> ipsimet fatentur in actis<sup>k11</sup>; et<sup>1</sup> cum non sit doctrina alicuius gravis doctoris et classici, sed nunc primum ab his patribus conflata<sup>1</sup>, quare sicut modo nostri a doctissimis viris eo<sup>m</sup> commendantur quod, non uni tantum doctorum alligati, in omnibus sint optime versati; dominicani vero a plurimis magnifiant, quod licet uni alligati sint, doctrinam tamen Beati Thomae sequantur summae auctoritatis et firmitatis; qui vero sunt alligati alicui auctori exiguae auctoritatis, exiguae etiam [25v] habent doctrinae existimationem apud alios; ita nostri nunc et uni essent alligati, nimirum huic nostro libello, nec tamen alicuius auctoritatis aut nominis; quare fieret nostra doctrina contemptibilis.

<sup>1</sup> philosophi et *sup.* t1 / <sup>k</sup> ut ... actis *sup.* t1 / <sup>1</sup> et cum ... conflata *del.* in t2 / <sup>m</sup> eo *sup.* t1

<sup>9</sup> In margine dextra t2 idem Pater Generalis: «De uniformitate».

<sup>10</sup> Haec declaratio professorum potuit movere Patrem Acquaviva, ut iisdem professoribus iniungeret scripto respondere: An liber aliquis edendus sit, quem nostri et explicare et defendere teneantur omnes auctoritate Patris Generalis. Quod illi re vera fecerunt. Vide inferius, mon. 9.

<sup>11</sup> Vide MP V 4.

3<sup>o</sup> Tam multae huiusmodi propositiones perpetuam litium et dissensionum materiam subministrabunt, tam inter ipsos professores, quam inter eos et praefectos studiorum ac superiores. Nam vel ex solo memoriae defectu vix fieri poterit, ne aliquando contra illas peccetur, praesertim cum non sit doctrina adeo connexa, ut ex quibusdam principiis caetera deducantur, neque adeo vulgata, ut omnibus sit in promptu, et multa etiam extra propria loca obiter dicatur a professoribus, facile eas quilibet in suum sensum torquebit, cum praesertim plures sint valde obscurae et ambiguae. Si enim hoc timendum erat, ut<sup>n</sup> ipsimet patres fatentur<sup>n</sup>, ne fieret in doctrina Sancti Thomae adeo clara et agitata, quanto magis id fiet in his propositionibus. Sed et quam multa erunt, de quibus erunt controversiae, an saltem per illationem sint contra has propositiones, vel secundum illas? Et saepissime in ipsis publicis disputationibus continget contendere, dicaturne contra propositiones, non sine magno audientium scandalo et temporis iactura. Quod saepe etiam inter docendum continget<sup>o</sup>.

His vero vix adhiberi poterit remedium. Si enim modo ita difficile est remedium adhibere, cum tamen non agitur nisi de propositionibus gravibus et in quibus dubitatur, sit nec ne aliquid periculi, nec facile sinunt se professores a superioribus aut praefectis studiorum regi hac in re; quid fiet, quando erit controversia de re levi, de intelligenda vel interpretanda aliqua harum propositionum, et quando agetur, debeatne quod publice dictum est, retractari? Et quomodo, qui nunc, ut ipsi patres deputati in actis suis scribunt<sup>12</sup>, vix moderationem aliquam superiorum aut praefectorum ferre possunt, iidem tanto durius iugum aequo animo patientur? Necesse igitur erit, quotidie esse querelas, calumnias, dissensiones, aut si multa dissimulentur, sensim fiet, ut nulla harum propositionum ratio habeatur.

4<sup>o</sup> Nihil homines experiuntur difficilius, quam intellectum captivare; et magis in speculativis quam in practicis, in quibus tanta non solet esse evidentia. Qui igitur fieri poterit, ut in sexcentis propositionibus omnes [26r] nostri intellectum captivent, ubi praesertim nec fundamentum aliquod religionis aut pietatis, nec periculum aliquod scandali, nec gravem aliquam videant esse rationem? Necesse sane erit eos in docendo perpetuam sibi vim adhibere. Quae, ut nunquam alibi, ita minime in iis, quae ad intellectum pertinent, potest esse perpetua. Et in tam gravi ac laborioso docendi munere omnibus iis carebunt, quae aliquam solent delectationem afferre; nimirum omni libertate speculandi, et aliquid suum excogitandi etiam in rebus levissimis. Quo fiet, ut in tanta doctorum penuria, quanta hactenus fuit, plures in posterum abhorreant ab hoc docendi munere; et ii praesertim, qui magis valebunt ingenio, aut certe ingenia hebetentur et simul cum ipsis studiis langueant.

5<sup>o</sup> Inter omnes rationes, quibus poterant studia Societatis recte disponi, haec videtur omnium minime utilis omniumque difficillima et durissima. Nam, ut non quaeramus hoc loco, sufficerent necne generales regulae a Patre Nostro traditae, certe sententia illa, quam delecti patres in actis suis ut nimis severam reiecerunt, ut videlicet absolute praescriberetur doctrina Sancti Thomae<sup>13</sup>, multo fuisset suavior, utilior, omnibus gratior et maioris auctoritatis, quam ea, quam amplexi sunt. Nam ex iis, quae habentur in B. Thoma, paucissimas sententias reliquerunt liberas, easque admodum leves, plures autem<sup>p</sup> contra ipsum definierunt<sup>14</sup>, in quibus sine dubio communiter omnibus gratius fuisset, si uni doctrinae adstrin-

<sup>n</sup> ut ... fatentur *sup.* t1; ut dicunt ipsi patres t2 / <sup>o</sup> eveniet t2 / <sup>p</sup> aut t2

<sup>12</sup> Vide *ib.* p. 24.

<sup>13</sup> Vide *ib.* p. 19.

<sup>14</sup> Vide *supra*, adn. 2.

gendi erant, alligari opinionibus Sancti Thomae, quam singularibus sententiis aliquorum ex nostris, vel etiam alicuius alterius auctoris; etiamsi fieri possit, ut uni aut alteri magis placeat una aut altera earum sententiarum, quae contra Sanctum Thomam definitae sunt.

Praeter haec vero definita sunt alia omnia, quae habet Sanctus Thomas, et alia praeterea multa, quae idem auctor non attigit; quare nulla esset hominum religiosorum familia vel etiam academia adeo arcte ligata, ut esset nostra Societas ob hanc propositionum definitarum multitudinem. Qui enim doctrinae Beati Thomae sunt alligati, illius solius auctoris sententias habent praescriptas, idque non ita severe, ut iis non liceat aliqua in re, saltem non adeo gravi, ab eis recedere. Liberam etiam habent facultatem, ipsum exponendi, ubi de eius intentione non constat. Liberi [26v] quoque sunt in aliis quaestionibus, quae in Sancto Thoma non habentur. Quod idem dici potest de aliis, qui vel Scotum, vel alium auctorem sequuntur. Nos vero, praeter universam Beati Thomae doctrinam, cui, exceptis paucis, quae relinquuntur libera vel contra ipsum definiuntur, alligati essemus; haberemus praeterea praescriptum modum intelligendi Sanctum Thomam, modum etiam explicandi plurimas opiniones aut propositiones; quae omnia onus hoc vix tolerabile facerent, et sane indignum videtur ita minute modum explicandi lectoribus praescribere, quod saepe faciunt patres deputati, ut eos potius docere, quam propositiones definire voluisse videantur.

Tertia ratio illa esse potest, quod hic Delectus opinionum universam theologiam contineat, nec tamen habeat eam connexionem et quasi continuationem partium, ut unum doctrinae corpus efficiat, sed sit potius dissoluta quaedam et confusa opinionum congeries; siquidem ex variis auctoribus collectus est, qui adeo diversis nituntur principiis, ut sectas varias ac diversissimas pepererint. Sed illud praeter caetera in hoc Delectu opinionum incommodum esse videtur quod, cum universa Sancti Thomae doctrina, iis exceptis, quae in hoc Delectu notantur, definita sit, tamen permultae sententiae nostris praescribantur, quae vel pugnant cum principiis Sancti Thomae, vel certe cum iis non usque adeo bene cohaerent. Quocirca laboriosum ac difficile theologiae professoribus erit haec omnia simul explicanda ac propugnanda suscipere.

Quarta ratio: Quod nonnullae propositiones in hoc Delectu contineantur, quas nos falsas esse iudicamus, saltem secundum communiorem et celebriorem scholarum doctrinam; nonnullae quoque<sup>a</sup> usque adeo improbabiles, ut prohibendae potius, quam praescribendae fuisse videantur; multae contra, quae cum sint vel de fide vel certissimae apud omnes vel expressae in Sancto Thoma, nulla causa erat, cur in hunc catalogum referrentur. Eadem enim ratione omnes aliae sententiae de fide, omnesque S. Thomae opiniones huc revocari potuissent. Multae denique liberae relinquuntur, quae vel sunt graviores multis aliis, quae definitae sunt, vel certe sunt eiusmodi, ut nulla sit ratio, cur eae [27r] potius, quam aliae liberae esse deberent. Porro, quae sint eae, quae nobis videntur falsae aut alia de causa prohibendae aut supervacaneae, ex censura singularum propositionum peti poterit.

Quinta ratio: Quod multae sint in hoc Delectu obscura vel ambigua, ut saepe non possit intelligi, utrum definitum sit aliquid an non. Cui obscuritati si addatur multitudo definitarum propositionum et caetera, quae supra notata sunt, illud profecto efficietur, ut nullo pacto hic Delectus opinionum in Societate aut recipi aliquando aut diutius durare posse videatur.

<sup>a</sup> quoque *del. 11* si non aperte falsae, ac certo

## Censura in Prolegomena

Principio referunt ac probant patres deputati regulas a Reverendo admodum<sup>r</sup> Patre Generali traditas<sup>15</sup>. Eadem nobis vehementer probantur, sed in tertia regula, ubi addunt, ut a provincialibus praepositis colligantur opiniones, quae in quaque provincia offendere solent homines non indoctos, duo alia nobis addenda videntur; unum, ut provinciales id faciant ex consilio doctorum suae provinciae; alterum, ut opiniones a se collectas ad Patrem Generalem mittant, qui eas, si visum fuerit, confirmet.

In quarta vero regula, ubi praescribunt, ut nemo novas quaestiones introducat inconsulto Provinciali, rectius arbitramur, quod in ipsa regula Patris Generalis antea habebatur, ut videlicet, nemo novas quaestiones introducat inconsulto praefecto studiorum vel superiore. Nam, cum provinciales non semper uno in loco resideat, et saepe tam longe absit ab aliquo collegio suae provinciae, ut non possit ab eo responsum haberi, nisi post longum tempus, non videntur nostri ad eius unius iudicium in eiusmodi rebus alligandi; praesertim cum doctores, qui publice theologiam profitentur, plerumque non possint vel ad unum diem quaestiones suas differre.

2<sup>o</sup> Unum auctorem ordinarie sequendum esse definiunt.

3<sup>o</sup> Eum auctorem Sanctum Thomam esse debere statuunt. Utrumque nobis placet, sed iam id ipsum in regulis a Patre Nostro traditis positum erat.

4<sup>o</sup> Determinant, quatenus Sanctum Thomam sequi nostros oporteat. Qua in re nihil putamus addendum ad regulas Patris nostri Generalis. Quod vero statuunt, [27v] ut nullus professorum confutet opinionem prioris professoris, inconsulto rectore, id nobis neque hoc loco praescribendum fuisse, neque facile factu videtur; cum enim multae sententiae liberae relinquantur, liberum quoque sit necesse est, ut unus unam, alius contrariam doceat. Quis vero fieri potest, ut cum duo contraria doceant, unus alterum non refellat?

5<sup>o</sup> Universam Beati Thomae doctrinam nostris sequendam tradunt, exceptis iis, quae ipsi in suo Delectu opinionum postea posuerunt; de qua re quid sentiamus, satis explicuimus in nostra generali censura.

6<sup>o</sup> Declarant, non solum ad<sup>s</sup> doctrinam Sancti Thomae, quae habetur in Summa, nostros alligandos esse, sed etiam ad omnia alia, quae idem auctor in aliis suis operibus scripta reliquit. Quod quidem nobis probari non potest, cum pauci sint, qui tam multa legerint, pauciores qui meminerint; et sane, si id statueretur, nemo fere esset non obnoxius perpetuis<sup>s</sup> calumniis. Quid enim facilius, quam observare in quovis doctore sententiam aliquam, cui Sanctus Thomas alicubi repugnare videatur? Accedit quod illi ipsi, qui ex instituto sui ordinis Sancti Thomae doctrinam profitentur, non usque adeo magni faciunt, quae Sanctus Thomas in commentariis *Sententiarum* aut in *Quodlibetis* vel *Disputationibus* scripsit; suoque muneri satisfecisse se putant, si *Summam theologicam* Beati Thomae tueri potuerint.

7<sup>o</sup> Monent, ut non solum conclusiones Sancti Thomae, sed etiam rationes conserventur, quoad eius fieri potest; et alia quaedam adiiciunt satis minuta atque, ut nos quidem arbitramur, minus necessaria, cum ad ea omnia satis esse possint regulae a Patre Nostro traditae; praesertim si accedant prudentia magistrorum et providentia praefectorum ac superiorum.

<sup>r</sup> admodum *sup.* t. l. / <sup>s</sup> ad *sup.* t. l.

<sup>15</sup> Quas regulas videsis supra, mon. 5.



8º Praecipunt, ut dubiorum alicuius momenti solutiones nostri non petant, nisi ex aliis Sancti Thomae locis, aut ex caeteris probatis auctoribus. Id vero grave admodum professoribus futurum esse credimus, ut dubium nullum solvi possit, etiamsi alioqui perspicua se offerret solutio, nisi ea Sancti Thomae aut alicuius alterius doctoris auctoritate confirmari queat. Quare satis esse censemus, si regula Patri Nostri servetur de novis opinionibus vitandis.

9º Illud addunt, ut in quaestionibus, quas non attigit Sanctus Thomas, praeter ea, quae ipsi praescribunt, sequantur nostri auctores maxime probatos; [28r] eaque doceant, quae pro locorum et temporum ratione magis recepta sunt in academiis et ad auditorum pietatem conferunt. Quae omnia, etsi recte habent, sunt tamen et per se nota et in regulis Patris Nostri satis expressa.

Quod igitur ad Prolegomena attinet, nihil videmus ad regulas Patris Nostri addi potuisse, nisi id quod ad regulam tertiam annotavimus<sup>16</sup> . . .

## 9

PROFESSORES COLLEGII ROMANI S.I.  
AN CURSUS PHILOSOPHIAE AC THEOLOGIAE  
CONSCRIBENDUS SIT  
Romae, ineunte anno 1585

TEXTUS: *Stud.3*, f. 511r-18v; manu nobis ignota exaratum. In fol. 518v adnotatio legitur: «De cursu theologiae et philosophiae conficiendo pro tota Societate a septemviris». Textus haud semel a P. Bellarmino emendatus est auctorem P. Tucci produnt et stylus et collatio cum mon. 4.

TEMPUS: De tempore, quo textus conscriptus sit, et de adiunctis historicis vide mon. 8 adn. 10.

Quaesitum fuit, an liber aliquis edendus sit, quem nostri  
et explicare et defendere teneantur omnes, autoritate P. Generalis

Pro parte negativa

1. Hic liber vel erit Summa quaedam habenda pro textu, vel Commentarii in D. Thomam. Si Summa, nihil invidiosius; propriam enim quandam videbimur theologiam introducere, separatam a caeteris academiis et membris Ecclesiae; iis praesertim initiis, cum nondum Societas tantum existimationis sibi in hac facultate comparavit. Sin Commentarii, praevaricari videbimur in multis, in quibus oportebit nos a D. Thoma recedere; conflabimus et nobis invidiam aliarum religionum, quae doctores alios a D. Thoma sequuntur.

2. Hic liber a quibus fiet? A quot? Ubi? Quomodo convenient, cum suum cuique pulchrum, etiam in methodo docendi et in referendis doctorum sententiis?

3. Quam durum iugum futurum est tot ingeniis, si redigantur ad normam et arbitrium paucorum, quibus multi non facile cessuri forent? Cum praesertim nec eadem opiniones, nec idem docendi modus congruant omnibus locis aut temporibus.

<sup>16</sup> Sequitur secunda pars tractatus, quae est: «Censura propositionum singularum». Quae tamen, cum quaestiones particulares, mere theologicas, easque modo stricte scholastico tractet, omisimus.

4. Vel edetur in lucem liber iste, vel non. Si edetur, ruet existimatio nostrorum, a quibus novi aliquid et proprii expectant externi. Immo, dicent multi: Scimus, quae docturi sint isti, adeamus alios professores, a quibus aliquid praeterea discemus. Si non in lucem edetur, quomodo negari poterit amicis, praelatis, aliisque id poscentibus? Et exemplari uno foris emissio, quis vetabit publicam eius impressionem? Et nisi imprimatur, quomodo suppetet tanta copia in omnem Societatem spargenda?

5. Hoc opus vel conferet ad levandos praeceptores vel auditores. Non praeceptores; nam et volent consulere fontes et addere multa de suo, vix dignantes breviter attingere, quae habentur in vulgato hoc volumine. Et tunc inventio laboriosior erit futura, cum consuetas inventiones iste liber anteverterit. Non auditores; nam scripturi sunt omnino, sicut antea; nisi vulgetur liber. Qua ex re, praeter alia incommoda, illud etiam existet, quod infrequentiores erunt, et ad scholam segniores, nisi trahantur pabulo aliquo scribendi.

6. Cur praeccludendi nostris sunt aditus ad novas inventiones, quibus illustrent Ecclesiam, ut caeterorum ordinum doctores? Cum praesertim multae adhuc sint theologiae partes nondum ad summum perductae. Quae, si paulatim perficiantur, magnopere succidetur novarum haereseon pullulatio.

7. In hoc libro quaestiones tractandae erunt vel accurate, et erit opus annorum multorum, ita ut multis res interrumpi possit eventis; vel non accurate, et multum decedet de Societatis autoritate et expectatione externorum; nec nostri professores [511v] facile inducent animum, ut iis obstringantur, sed tot modis privatim, vel etiam publice carpent hoc opus, donec concidat.

8. Irritabimus multos aemulos tanquam crabrones, qui scribere volent contra doctrinam iesuitarum, ut dicunt. Quibus si respondeatur, itur in infinitum; sin taceatur, causae diffidere videbimur.

9. Vel in hunc librum conicienda etiam sunt scripta nostrorum professorum, vel non. Si non, perfectum nihil, immo forte imperfectius quolibet nostrorum cursu theologico; sin conicienda, quanto labore, sumptu, tempore colligenda sunt? Cum materiae pro annuis litteris vix post annum haberi soleant ex provinciis.

10. Multis professoribus obrepet otium et segnitias. Nam cum habeant paratam suppellectilem, ex qua vivant in diem, et extra quam nequeant excurrere, cur in aliis laborent? Carebimus excellentibus theologis et rerum illustrium inventoribus, adhaerescere quolibet ad hunc librum exponendum duntaxat.

11. Si praeceptores nihil addituri sunt, quae erit eorum opera? Frigebunt omnia, praesertim publicis disputationibus, in quibus non certatur serio fere, nisi cum partes pugnantis tuentur ac sentiunt. Sin addituri, quibus haec additio repagulis poterit coerceri? Erunt et in additionibus tot dissensiones, quot modo ante hunc librum. Quare consensionis fructu, qui maximus videretur, carebimus.

12. Si quis deinde in hoc libro deprehendatur error, vel aliquid nondum perfectum, ita ut multo illustrius perfici possit, quanto labore et sumptu corrigetur?

13. Si id in theologia, cur non et in philosophia? Immo, etiam in rhetorica, in humanitate, in mathematica, in grammatica? Infinita res.

Haec et alia multa quotidie emergent incommoda, quae propter inexperientiam nunc minus apparent.

His non obstantibus, visum est omnibus, unanimi consensu, proponendam esse P. Generali tanquam rem utilissimam, ut Commentarii in D. Thomam edantur, accurati Romae per septem theologos egregios, quos omnes explicare et sequi teneantur. Idque propter

commoda egregia; cum praesertim incommoda, quae obiecta sunt, facile tolli possint. Et si quid manet incommodi, commodae praeponderant. Favent autem huic libro hae fere rationes.

1. Constitutiones id insinuant 4 P. cap. 14 littera B «Praelegetur, inquit, Magister Sententiarum; sed si videretur temporis decursu alius auctor studentibus utilior futurus, ut si aliqua Summa vel liber theologiae scholasticae conficeretur, qui in his nostris temporibus accommodatior videretur, gravi cum consilio et rebus diligenter expensis per viros, qui in universa Societate aptissimi existimentur, cumque praepositi generalis approbatione, praelegi poterit. In aliis etiam scientiis et litteris humanioribus, si libri aliqui admittentur in Societate compositi, ut utiliores, quam [512r] alii, qui communiter in manibus habentur, magna cum consideratione id fiet, prae oculis habendo scopum nostrum maioris boni universalis»<sup>1</sup>.

Item P. 3 c. 1 n. 18 in declaratione littera O et in textu «Idem sapiamus, idem, quoad eius fieri possit, dicamus omnes iuxta Apostolum. Doctrinae igitur differentes non admittantur, nec verbo in concionibus vel lectionibus publicis, nec scriptis libris (qui quidem edi non poterunt [512v] in lucem sine approbatione atque consensu praepositi generalis. Qui eorum examinationem saltem tribus committat, sana doctrina et claro iudicio in ea facultate praeditis). Immo, et iudiciorum de rebus agendis diversitas, quae mater esse solet discordiae et inimica unionis voluntatum, quantum fieri potest, evitari debet. Unio vero et conformitas mutua diligentissime curanda est, nec quae ei adversantur, permittenda; quo iuncti invicem fraternae charitatis vinculo, melius et efficacius possint se divino obsequio et auxilio proximorum impendere»<sup>2</sup>.

2. Constitutiones nihil frequentius inculcant, nihil gravius commendant, quam nostrorum consensionem, non solum in libris editis, sed etiam in concionibus et lectionibus. At quomodo consentient universi, nisi in doctrinam communem convenient?

Neque satis fuerit certas praescribi propositiones. Nam – 1<sup>o</sup> non omnes comprehendere possunt, et in quibusdam libertas relinquenda. – 2<sup>o</sup> Si in quaestionum propositionibus convenient, different in multis dubitationibus, quae solent excitari circa articulos. – 3<sup>o</sup> Dissident in D. Thoma intelligendo. Quod et thomistis accidit. Item in aliorum doctorum opinionibus fideliter referendis. – 4<sup>o</sup> Discrepabunt in Scripturarum, conciliorum, Patrum interpretationibus, eas quolibet ad suum sensum trahente. – 5<sup>o</sup> Dissident in argumentis, quibus muniendae sunt conclusiones, et in alienis solvendis; sicut et scholastici in iis, quae sunt fidei, non discrepant, unus tamen alterius diluit rationes. Quae alteratio non est minor, quam in conclusionibus. Immo, ex differentia in ratiocinando nascitur varietas in concludendo. – 6<sup>o</sup> Aliae aliis erunt distinctiones, divisiones, definitiones, methodus. – 7<sup>o</sup> In casibus conscientiae vix possunt certae quaedam praescribi propositiones propter multitudinem et varietatem. Et in iis verendum est, ne paulatim conformemur huic saeculo, deflecentes a via Patrum et Scripturarum, tanquam regulam lesbiam accommodantes ad excusandas corruptelas nostrorum temporum. – 8<sup>o</sup> Etiam propositionibus definitis, vix unus dignatur sequi modum alterius, et ex alterius confutatione sibi quaerit auctoritatem; vix poterunt a novitatibus coerceri, quibus satis amplus locus adhuc relinqui videtur, cum non tam facile sit animadvertere, quid propositionibus decretis cohaereat, quid non, ex vi evidentis consequentiae.

Tandem propositiones ratae ac certae non minorem incendii partem relinquent, quam extinguunt; nec praecedent omnem segetem schismatum, sectarum, scandalorum, quae in

<sup>1</sup> Vide MP I 297 299.

<sup>2</sup> Vide MI Const. III 86.

de solent oriri; etiam apud externos, qui nulla re magis aedificantur, quam consensione nostrorum. Itaque Constitutiones 8 P. c. 1 n. 8 «Multum, inquiunt, conferet consensio; tum in interioribus, ut est doctrina, iudicia ac voluntates, quoad eius fieri poterit; tum etiam in exterioribus, ut est vestitus, caerimoniae missae et reliqua, quantum personarum et locorum et caeterorum varietas permittet»; et in declaratione litterae K «Cum iis, qui adhuc litteris operam non dederint, curandum est, ut omnes (ut plurimum) eandem doctrinam, quae in Societate fuerit electa ut melior et convenientior nostris, sequantur. Qui autem studiorum cursum iam peregit, advertat, ne opinionum diversitas coniunctioni charitatis noceat; et quoad eius fieri poterit, doctrinae in Societate communiori se accommodet»<sup>3</sup>.

Tandem, etiamsi aliqua doctrinae iactura (quod tamen futurum non est, ut infra ostendetur) toleranda sit, pro bono pacis et unionis toleranda foret, cum multo plus accessurum sit Societati ex proximorum aedificatione et ex nostrorum concordia, per quam res parvae crescunt, quam decessurum ex subtractione paucarum speculationum et frequenter inanium; ut non immerito Constitutiones P. 3 cap. 1 n. 21 iubeant nos invicem hortari ad unionem et charitatem fraternam<sup>4</sup>.

3. Urget exemplum aliarum religionum, quae certae se addixerunt doctrinae; idque non nuperrime, sed iam tunc, cum efflorescerent pietate. Intellexerant, non aliter se posse tueri vinculum fraternae charitatis inter se, et decorum religiosae vitae. Id quod Societati futurum est magis et honorificum et fructuosum, cum non unius, sed omnium doctorum laboribus et fructu laborum possit frui, accedente etiam non parvo cumulo eorum, quae nostri praeceptores antiquis adiecere; idque post aliqua concilia oecumenica, quae post D. Thomam, Scotum et alios huiusmodi fuerunt.

4. Tutam doctrinae rationem ac viam ineundam esse et Constitutiones saepe commendant, et tot haereseon novitas monet, et rerum divinarum gravitas exigit, calamitas tandem nostri temporis, cum versemur inter non paucos aemulos. At huic securitati non satis consulitur propositionum quarundam praescriptione. Nam, ut omittam, multa posse adhuc doceri improprie, minus prudenter, indecore; magnum adhuc lapsus periculum subest in conclusionum probationibus, in quarum fundamentis, praemissis et consequentia assumuntur nonnunquam nonnulla, ex quibus inferri posset, quod nollemus. Adde, quod dum aliqui, ut suas statuunt rationes, confutant alienas, et meliores interdum, vera seu praecipua fundamenta veritatum evertunt, elevantque fidem rerum, quas omnibus oportere esse certas. Nonnulli etiam possent aliquam conclusionem defendere, quia communis est, sed [non] solvere rationes, quae pro ea adduci solent; quod non parum labefactat auctoritatem veritatis. Alii, quia vident, se obligari ad quasdam tuendas propositiones, quas ipsi non credunt, nec sibi exhiberi praesidia et rationes ad eas tuendas, aegerrime id ferunt, et aliquando coguntur oneri succumbere, cum eas nesciant tueri publice. [513r] Itaque obloquuntur, obstrepunt, detrahunt iis propositionibus, ut intelligant discipuli, aliam esse mentem praeceptoris.

5. Doctrinae quoque excellentiam desiderant Constitutiones. Qualem auditores vix hauriunt a praeceptoribus nostris, nisi postquam diu in theologia docenda versati sunt. Nam primis annis, elati studio comparandi sibi nominis, aliena deiiciunt, statuunt sua, hoc est, partus immaturos et incotos, donec auditorum dispendio sapere incipiunt. Quanto stabilior, firmior, accuratior erit doctrina non unius, sed multorum, qui opus illud commune lucubraverint; non cuiusvis ingenii, sed egregii; non nunc primum ad theologiam acce-

<sup>3</sup> Vide MI Const. III 224.

<sup>4</sup> Vide MI Const. III 89.

dentium, sed qui in ea diu excelluerint; non viventium in diem, et praepropere parantium lectiones quotidianas, sed mature res expendentium; non studio impugnandi alios, sed statuendi veritatem. Atque horum vigiliae et lucubrationes, si possunt in commune bonum vulgari, cur latent sub modio? Quod si unius egregii praeceptoris nostri lectiones tantopere placent et prosunt et in admiratione sunt, quanto magis, si multorum egregiorum operae colligantur, similes nunc defosso talento? Certe, si haec tantum nostri theologi scirent, non esset, quod maiorem desideraremus excellentiam. Tametsi, ut infra dicitur, semper patebit via ad amplificandum, quod in hoc libro digestum fuerit.

6. Praecipuus auditorum fructus non in multis scribendis et rescribendis positus est, sed in frequentia exercitationum; nempe, repetitionum et disputationum et interrogationum privatorum in cubiculo praeceptorum. Qui tamen oppressi nunc tanto onere excogitandi novas rationes, distinctiones, solutiones etc., et pervolutandi innumerabiles libros, minimam possunt exercendis discipulis operam impendere. Itaque implent, ornant, exponunt potius auditorum papyros, quam ingenia. Qui cum prodeunt in publicos actus, haerent, turbantur, succumbunt, illustre nihil proferunt. Immo, siquando adeuntur praeceptores interrogandi, rogant aut iubent, ne vexentur in tanta temporis angustia. Non futura sane, si hoc volumine sublevarentur, et toti se ad exercitationes converterent, in quibus frequentissime ex occasione argumentorum veniunt in mentem praeclara quaedam, quae studium emortuum nunquam peperisset.

7. Quid de valetudine? Praeceptores sane tot rebus perlegendis, concoquendis, examinandis, explicandis etc. oppressi, ante tempus consenescent, immo enervantur, ut inutiles fiant, cum inciperent esse utiles. Auditores toti sunt in scribendo et rescribendo, tabescunt; venas, stomachum, caput sibi labefactant; praeterquam quod scriptorum iam nullus est finis, et iis imus suffarinati, quocunque imus, ut iam mulus non sufficiat, nec sumptus. [513v] Mitto alias tam longae scriptionis incommoda. Qui dictant, languent et obscuri sunt; qui explicant seu legunt, vix temperare sibi possunt, ut auditoribus tempus scribendi suppetat.

8. Quadriennio theologiam absolvi iubent Constitutiones<sup>5</sup>. Id quod iam diu experimur, fieri non posse, si primariae quaestiones sint accurate pertractandae, ut oportet, nisi multae aliae vel summam attingantur vel praetereantur. Si hic liber extaret, haberent saltem auditores, unde tuto, commode, distincte peterent, quae professores non explicant plene. Quod nunc praestare nequeunt sine periculo aliquo, libris multis, longo tempore et vacatione ab aliis rebus, quae fere nunquam suppetit. Itaque multorum ignari sunt, quorum nec exiguus nec infrequens usus accidit.

9. Nec ubique suppetit tanta copia librorum, quot opus esset pro tam exacta legendi ratione; nec tempus, cum praeceptores, praeter litterarias exercitationes, quae satis multae forent, ubique fere occupentur variis consultationibus, congregationibus, confessionibus, concionibus, aliisque id genus. Quibus, nisi ex communi thesauro subveniatur, suas partes egregie nequeunt obire, et saepe in eiusmodi veniunt angustias, ut non raro cogantur rudos auditoribus cibos apponere.

10. Accommodandam esse theologiam nostris temporibus, omnes sentiunt. Aliae nunc opiniones vigent, alia methodus procedendi, quam olim. Et in ordine D. Thomae, alioquin optimo, non est modica prolixitas, distractio, obscuritas; multa interruptenda sunt; crebra eorundem repetitio et ipsum ordinis filum immorari cogit, ubi currendum fo-

<sup>5</sup> Vide *Const. P. IV c. 15 n. 3*; MP I 153.

ret; et ex tot articulorum divulsione vix potest auditor habere ante oculos totam materiae comprehensionem. Si nova Summa institueretur, iis incommodis occurreretur facillime. Sin, Commentarii in D. Thomam multa possent in ordinem nobis aptiorem revocari. Adde, quod haereses nostri saeculi Scripturis et Patribus magis indigent. Quibus magis serio multi vacarent, si scholasticarum disputationum suppellectilem, per quam quotidianis possent satisfacere lectionibus, aliunde comparatam haberent.

11. In articulis fidei licet catholici conveniant, in eorum tamen defensione et contradictionum solutione differunt non parum; et quod gravius est, multa [514r] haeticorum vel potius infidelium argumenta contra fidem saepe in lectionibus et disputationibus iactantur, nec tamen semper solvuntur, ut auditoribus satisfiat, uno professore alterius speculationes impugnante, prorsus ut non raro resideat, nescio, quis scrupulus et aculeus, nec bona suspicio quaedam in animis auditorum. Item, multa sunt, quae naturaliter possunt demonstrari. Sed, dum unus alterius refellit demonstrationes, fovetur atheismi, quorum non parvum est periculum in quibusdam averroistis<sup>6</sup>, calvinistis, etc. Magnum sane foret operae pretium, stabilire aliquando certas horum demonstrationes, firmas etiam impiarum obiectionum confutationes, quas ita cuncti amplectantur et collaudent, ut Ecclesiae fides omni vacet offenculo, firmior etiam et illustrior fiat, et venturis haeresibus aditus obstruatur. Nam, si in ea re aliquid egregium Societas proferret in lucem, caeteri libenter amplecterentur, ut illustrissimus dominus Sabellus<sup>7</sup> admonuit.

12. Consuluntur nostri non nunquam ab haeticae pravitate inquisitoribus de catholicis propositionibus. Quibus respondendum est non solum secundum opiniones nostris praescriptas, in iis enim frequentius spectabitur, quid expediat a nostris doceri potius, quam quid per se et absolute sit catholicum seu periculosum, nec ne. At hoc interrogant inquisitores praecipue. Et in hoc discordes erimus, nisi in libro communi hoc etiam edisseratur et plene probetur. Delebitur et nota, qua laboramus apud multos acris ingenii et gravitatis viros, qui non parum incusant nostrorum hanc libertatem sentiendi quae velint. Quare tutiores vulgo habentur dominicani patres, quod in unum consentiant D. Thomam, tandiu in Ecclesia probatum. A cuius vel conclusionibus vel fundamentis vel distinctionibus vel definitionibus cum quisque nostrum libere possit recedere, nec certum aliquid appareat, quo se convertere velint, relicto D. Thoma, merito nostrorum doctrinam reddunt dubiam, et cui minus confidere possint pastores ecclesiarum.

13. Tandem, cum Societas suos et Ecclesiam doctrina et spiritu iuvandos suscepit, Constitutiones plus praesidii et momenti ponunt in spiritus pietate. Quam tamen magis ac magis in dies arescere experimur in nostris prae nimio speculandi studio, et satisfaciendi solitudine. Quae quotidie crescit in immensum, contendente quolibet novam condere theologiam seu philosophiam, ne caeteris videatur inferior; prorsus, ut constet de multis, toto praelegendi tempore vix erigendi mentem in Deum tempus habuisse, vix etiam dormiendi; et, si quando tempus suppetere, vix colligere se potuisse, animo identidem recurrente ad curam quotidiani oneris. Absorbet itaque devotionem speculatio. Vacatur potius solutionibus argumentorum, quam passionibus extirpandis. Hinc cre-[514v]scente magis nostrorum doctrina, fervor vetus decrescit et fructus in dies minor, passiones vivae adhuc manent, quae et in scandala et zizania frequenter erumpunt; conciones, quibus colligendus est fructus studiorum, frigidae, ut aliqui vix ab aliis regularibus, qui iamdiu refrixerunt, diffe-

<sup>6</sup> De modo interpretandi Aristotelem Averrois, philosophi arabi, a nostris non sequendo cf. MP IV 248 § 78.

<sup>7</sup> Iacobus Savelli (ob. 1587), cardinalis, vicarius Urbis; cf. MP V 24 adn. 16.

rant. Exemplum aliorum ordinum prae oculis est; deferbuerunt non ex defectu scientiae, sed pietatis. Immo, hac sublata, concidit et scientiae studium, et si quod superest, fit ambitionis et superbiae pabulum, quia scientia inflat, charitas aedificat<sup>8</sup>. Hucusque aliquid in hoc genere potuit prudenter tolerari, donec Societas in litteris, in existimatione apud alios, in accurata quaestionum discussione per nostrorum etiam altercantem aemulationem perficeret. Id iam modo videtur assecuta. Abundat optimis nostrorum lucubrationibus, quae si colligantur in unum, et accedant additamenta quaedam, de quibus postea dicetur, merito contenta potest esse tanto profectu suorum in litteris, ut tempus iam sit, eos revocandi in pristinum fervorem, et convertendi corda filiorum ad patres<sup>9</sup>. Id quod nunc aggrediendum videtur, dum aliquis pietatis habitus calet in nostris; nec expectandum, donec ita frigescent omnia, ut vix supersint, qui huic morbo mederi possint, aut sciant, aut velint. Cum praesertim tanta nunc sit tum studiorum, tum aliarum rerum distractio, ut per eam ne cupientibus quidem liceat vacare pietati. Et si hoc modo perseveretur, nulla speranda est tantae distractionis moderatio, quia spiritus in novitiatu conceptus facile expirat statim subsequente studendi discendique anxietate. Postquam vero studuerint, a distracto statu transeunt ad distractionem, videlicet professorum, superiorum etc. Succedunt itaque distractiones distractionibus, donec in gelum et glaciem redigamur.

Difficultates autem, quae propositae fuerunt initio, tolli possunt non incommode. Et, ut pauca de singulis, ad primum, Commentarii in D. Thomam videntur edendi; deinde, comparata autoritate maiore, veniendum est ad Summam, quomodo fecit et D. Thomas, ne per haec initia videamus novatores, et confirmemus notam nimiae libertatis nobis obiectam a multis. Et prudentiae ratio postulat, ut operis titulus minus polliceatur, quam opus praestet, non vicissim. Neque inde odium aliorum religiosorum, quod nos D. Thomae addixerimus. Huic enim fere ceditur; nec illius adversarii sunt in magno pretio, vilescent potius ex ea re. Et siquando deserendus sit D. Thomas, nihil adversus commentatoris [515r] fidem fuerit. Faciunt id interpretes Aristotelis, aliquando faciunt et Caietanus et Sotus, discipuli D. Thomae, quem non ubique tamen sequuntur. Immo, hoc tanquam repagulo commentariorum reprimemur, ne tam crebro a D. Thoma recedamus. Et in multis eum aliter quam alii declarabimus et sequemur. Invenientur et modi plures ad eum tuendum.

Ad 2.m – A septem videtur scribendus hic liber, nam pauciores vix implere possunt opus tantae expectationis. Plures vero vergunt ad aliquam confusionem, et rem longius extrahunt. Et licet in colligenda materia ex patribus et scholasticis, eaque accurate examinanda, omnium opera conferenda sit, unus tamen eorum stylo suo omnia comprehendet, ut unius sit coloris. Romae vero id videtur efficiendum, tum quia plures suppetunt, qui extra ordinem subvenire possent, siquando opus est cognitione linguarum, historiarum, etc.; tum quia rei difficultas exiget, ut crebro P. Generalis possit conveniri; tum quia, si qua in re gravi vellent audire alios etiam, sunt Romae doctissimi; tum quia quae Roma prodeunt, maiorem secum ferunt auctoritatem.

Et licet difficile sit, ut huius operis compilatores consentiant semper, id tamen necessarium non est. Maiori enim parti standum est. Nam neque in conciliis oportet omnes convenire, neque in publicis regum et urbium conventibus, neque in electionibus principum et praelatorum. Id iam tanquam naturae magisterio gentibus omnibus persuasum est, cum varia sint hominum iudicia, ad rem aliquam humano more perficiendam satis esse maioris partis consensionem. Adde, quod in nostris consultationibus experti sumus, in plerisque

<sup>8</sup> 1 Cor. 8 1.

<sup>9</sup> Cf. Mal. 4 6.

omnibus nos convenisse, licet initio discordes videremur. Etiam in statuendis opinionibus, quibus iam definitis, facilius est convenire in iis, quibus probentur et defendantur. Nam si differentes opinionibus et rationibus convenerunt in principio, cur non in ratiocinationibus, quibus, si quis suas habuit privatim, iam videtur quodam modo renuntiasse, cum renuntiavit opinioni tanquam non demonstratae per illas.

Ad 3.m – Si cuius loci peculiaris ratio exigat aliquid, suppetet dispensatio per P. Generalem. Quod fit in omni legum humanarum genere. Singulis vero privatis praeceptoribus durum videri non debet. Tum quia non debent id detractare, quod ferunt libenter alii religiosi; immo et philosophi cum Aristotele, et medici cum Galeno etc. Tum, quia Societas non proponit opiniones absurdas nec improbables, sed communes, receptas, bonis munitas fundamentis, tanquam armis, quibus se tueri possunt; et si patiuntur alii unum doctorem, cur non nostri flores omnium doctorum? Sibi sentiant contrarium, si velint, dummodo id non doceant. Quod si qui hoc tam suave et honestissimum iugum detrectant, iis paucis non videtur Societas indigere ad docendum; tum, quia memores esse debent religiosae professionis, nec se doctores esse, sed doctores religiosos, [515v] qui ut in practicis, ita in speculativis subiugare debent iudicium suum praepositis suis. Tum quia quod initio duriusculum videtur, usu dulcescit ut commentaria communia philosophiae lusitanis<sup>10</sup>. Tum, quia tot commoda sunt ad pietatis et doctrinae progressum ex hoc volumine, ut deceat libenter ferre aliquod propriae satisfactionis damnum, cum huiusmodi quasi ostentatio ingenii quaerenda non sit religiosis, nisi propter bonum Societatis et Ecclesiae, quibus nunc aliud expedit. Tum, quia obligandi sunt omnino ad certas quasdam opiniones, pro quibus tuendis optare debent volumen hoc probationum; et si condonarunt opiniones suas, minus iam durum videbitur condonare rationes proprias.

Ad 4.m – Edendum videtur in lucem hoc opus. – 1<sup>o</sup> Aliqui extorquebunt etiam ab invitis et impriment. – 2<sup>o</sup> Invidiam id sapit, si supprimamus, quod possit prodesse aliis et Ecclesiae, cuius membra cum simus, ei debemus inservire, ut docendo, ita et scribendo. – 3<sup>o</sup> Aedificabit omnes nostrorum consensio, ut nunc dissensio potius offendit. – 4<sup>o</sup> Pudebit tam praeceptorem ab hoc opere recedere, cum facilius possit convinci, et tanquam doctrina communis nostris habeatur, quam Societatem nimium crebro ista mutare, quibus iam se obstrinxit quodammodo. – 5<sup>o</sup> Neque quicquam de nostrorum decedet autoritate. Nunquid ideo dominicani minoris sunt, quia parum a D. Thoma, Capreolo et Caietano recedunt? Immo, conspecto tam opere egregio, pluris nos facient, et suos libentius volent imbui tam accurata, tuta et accommodata nostris temporibus doctrina. Auditores etiam, si non desiderant proficere serio, nec eorum accessus ad scholas optandus erit; tametsi libentius venient, quia minus onerandi scriptis. Sin proficere percipiunt, nostros potius audient. Tum, quia doctrinam non alibi forte meliorem reperient, cumulandam etiam in dies, ut postea dicetur. Tum, quia nostrorum frequentiores sunt exercitationes, in quibus praecipuum est praesidium fructus in studio; cum praesertim nostri tanta charitate doceant, quod sciunt. Tametsi antequam edatur in lucem omnibus, tentandum foret, an posset nostris tantum praeceptoribus praeberi in paucos annos, ut publicent non librum, sed libri doctrinam communem, ad explorandum, quomodo recipiatur, quantum placeat, et quae mutanda prius forent.

Ad 5.m 10.m et 11.m – Nec obligentur ad praevidendos libros tam multos. Cuius rei magna sollicitudo sanitati et devotioni officit. Et prae angustia temporis interdum non pro-

<sup>10</sup> De commentariis in Aristotelem et de cursu artium conimbricensi ad usum S.I. compilandis cf. MP V 100 adn. 18.



be emandunt, quod tradituri sunt. Nec permittatur, si fontes legerint, aliquid libro communi adversum docere. In caeteris sit liberum illos legere, vel non legere. Neque enim id magnopere necessarium, defloratis iam praecipuis [516r] rebus ex doctorum libris. Sed si velint, possunt vacare Scripturae et Patribus, unde doctrinam hauriant cum pietate. Vacabunt et serio magis auditorum exercitationibus; item aliis, si videbitur, ministeriis Societatis, seu devotionibus. Tandem plus vacabit ad speculandum, si velint. Quod praecipuum est adiumentum ad doctrinae excellentiam comparandam. Cum praesertim sciant, ut infra dicetur, ipsorum speculationes esse edendas. Quod magnum est calcar ad studium.

Discipulis vero non eandem omnes videbuntur occinere cantilenam. Licet enim non differant in inventione praecipuorum, magna tamen erit diversitas: primo in explicando. Dissimiles enim erunt professores in memoria, usu linguae latinae, promptitudine, acrimonia, facilitate, claritate. – 2<sup>o</sup> In rerum delectu. Nam ex multis argumentis vel obiectionibus aliqui explicabunt pauciores, aliqui plura; dummodo nullus minus quam duo, tria praecipua. Et in iis seligendis disparitas erit. – 3<sup>o</sup> In additionibus. Nam expositis duobus, tribusque argumentis unius conclusionis, unam aut ad summum alteram rationem suam quilibet potest afferre. Ita in obiectionibus, quarum uni aut ad summum alteri potest alteram solutionem adiicere. Si quam etiam distinctionem bonam haberet, afferat, dummodo ita se gerat, ut ex professo intelligat, sibi librum explicandum, aliquid de suo addendum ex abundanti ad ornamentum. Verum hae additiones non ita legantur, ut scribantur, nisi per unum verbum tantum memoriae gratia. Extendant domi, si velint. – 4<sup>o</sup> In exercitationibus. Nam in disputando multa occurrunt, quae rem illustrent; nec eadem omnibus. Atque haec moderata varietas et inevitabit auditores, et non afferet praeceptoribus magnum vel laborem, vel periculum sive errandi, sive dissentendi. Neque frigescent, ut obiicitur, publicae disputationes, sed nihilominus forte etiam magis incalcescent; quia variae ingeniorum propensiones, quas natura nobis inservit ad opinandum, cum in docendo cohibitae fuerint, exardescunt in disputando. Nec raro cernimus acrius inclamari, cum de rebus fidei, in quibus plus convenitur, quam cum de aliis disputatur; usque adeo solet ac potest quilibet id etiam, quod ipse sentiat esse verum, oppugnare propriis inventis, quorum ipse fallaciam videat, non alius, quocum disputat.

Ad 6.m et 12.m – Immo, nunc ingeniorum foecunditas oppressa iacet, cum nihil fere edatur in lucem. Tunc id duabus viis fieri poterit. Primum, quia si quibus aliqua in mentem venerint, quibus ii Commentarii vel meliores, vel ditiores effici poterunt, colligi poterunt in singulis provinciis, et per procuratores Romam mitti primo quoque novennio, seu sexennio. Quae, postquam P. Generalis examinari iusserit, ea quae ad rem facere videbuntur, edi possent per libellum aliquem, appositis ad marginem notulis, quibus indicetur, ad quae Commentariorum loca pertineant. Quae etiam poterunt inseri Commentariis in altera eorum editione. Ex quo fiet, ut universis agrum communem colentibus non suum quolibet suppellex communis fiat locupletior, et cuiusque membri talenta cedant in bonum totius corporis, augescante magis ac magis in dies perfectione theologiae.

Altera via patebit hoc fere modo. Siquis iustum aliquod volumen scripserit, quod, si in Commentariis inseratur, in immensum crescerent, seorsim evulgari posset, dum non pugnet cum Commentariis. Idque expedit fieri. Tum, quia easdem res varie tractari prodest Ecclesiae. Nam qui uno modo non iuvarentur, alio iuvantur [516v]tur. Tum, quia posset incidere tempus, quo opus sit separato aliquo tractatu pleniore de materia aliqua, de qua tunc controvertatur. Tum, quia sunt quaedam ingeniorum propensiones et naturales facultates

ad illustrandam materiam aliquam muniendam, locupletandam, defendendam, ad quam proprio quodam genio nati videntur. Horum faetus inhibendi non sunt, ne exeant in commune bonum, exemplo aliarum religionum et academiarum. Itaque tantum abest, ut nostri per hos Commentarios futuri non sint in theologia excellentes, ut futuri sint etiam excellentiores, quam modo. Tum, quia quod nunc colligunt ex libris longo tempore, tunc habituri sunt in promptu. Tum, quia liberati a pervolvendis chartis, plus otii obtinebunt ad speculandum et ad exercitationes scholasticas. Quae duo sunt praecipua doctrinae praesidia. Tum, quia ingeniorum partus non delitescit, ut modo, sed proferebantur in lucem cum authorum magna voluptate ex fructu suorum laborum pro Ecclesia Dei, et cum maiore in dies nostrarum scholarum existimatione. Non itaque inventio, nec inventorum evulgatio tollitur, sed utriusque modus praescribitur tutior et fructuosior. Res enim tanta non cuiuslibet unius prudentiae committenda est, cum praesertim doctrinam nostram tam multi auditores hauriant, sequantur etiam vel habere velint caeteri nec pauci nec contemnendi.

Ad 7.m – Non erit opus ita perfectum, ut perfectius esse non possit absolute, sed quo nullum hucusque fortassis prodierit perfectius, tum propter collectionem optimorum, quae sunt apud doctores; tum propter accessionem nostratium lucubrationum; tum propter examen septem insignium theologorum, ita ut satisfiat et externorum expectationi, et nostrorum ingeniis, si sibi temperare velint, nec ideam quandam Platonis expectent, cum aliae religiones non a summo coeperint, sed a parvis et minoribus, quam forent ii Commentarii. Et cum nostri ubique praeceptores vel dissensionibus scholasticis, vel doctrinae periculis, vel nimis laboribus graventur, primum consulendum est necessitati, deinde abundantiae. Et si temporis diuturnitas reformidatur, tanto celerius incipiendum esset; tametsi nec magna diuturnitas futura sit, nec fortassis ultra quinquennium, si superiorum favore res promoveatur; tum, quia compilatores erunt viri admodum versati in iis quaestionibus; tum, quia maior laboris pars futura est in colligendo; examen autem gravioris cuiusque quaestionis post unam aut alteram disputationem mutuam concludetur suffragiorum numero ultra dimidium; tum, quia non summum aliquid nunc desideratur, cum crebris accessionibus sit hoc opus cumulandum, et relinquendus campus ingeniis ad se exercendum postea. [517r]

Ad 8.m – Non edatur nomine totius Societatis, sed eorum, qui compilarunt. Siquando receditur ab aliquo doctore, reverenter id fiat. Et cum doctores poterunt ita exponi, ut non omnino dissentiant, concilientur. Opus vero tam erit elaboratum, ut non plurimi scripturi sint contra illud. Sin scribing et aliquid boni afferent, cur non cum gratiarum actione id amplectemur? Sed si calumniae fuerint, modeste, sed docte, qui respondeant, non deerunt. Id enim et nostrorum acuet ingenia, et externorum studium contradicendi compescet.

Ad 9.m – Non omnia nostrorum scripta colligenda, sed praecipua. Quod facillimum erit. Nam quicquid egregii in Italia est, Romae fere est. Ex Germania petantur impressae conclusiones. In iis enim optimum quodque. Ex Lusitania, Hispania, Gallia facillime poterunt deferri, cum ibi dictentur omnia, et pleraque extent exemplaria. Praeterquam quod patres, qui inde venerunt nuperrime, secum optima quaeque detulerunt.

Ad 13.m – Idem in philosophia postea praestandum; tum, quia eadem rationes in ea valent, quae in theologia; tum, quia huius fundamentum. In caeteris non id magnopere necessarium; sed, si vacaverit postea, id etiam tentandum pro locorum et temporum opportunitate.



# MONUMENTA

## PARS ALTERA

### IUDICIA PATRUM IN PROVINCIIIS DEPUTATORUM DE RATIONE STUDIORUM 1586

#### A — DE STUDIIS SUPERIORIBUS



EXAMEN TRACTATUUM, QUI «DE OPINIONUM DELECTU»  
ET «COMMENTARIOLUS» INSCRIBUNTUR\*

ASSISTENTIA ITALIAE

Professores Collegii Romani<sup>1</sup> — Provincia Mediolanensis

Cum inter omnia, quae sex patres Romae de studiis tractarunt<sup>2</sup>, et huic provinciae, sicut et ceteris in Societate, expendenda et discutienda R.P. Generalis tradidit, pars haec, quae in delectu doctrinae et opinionum versatur, sit omnium difficillima et dignissima; visum est quinque patribus, quibus hoc negotium Pater Provincialis demandaverat<sup>3</sup>, ante omnia de hoc, post maturam considerationem, ea praefari, quae hic statim subiicient, imitantes eosdem sex patres, qui de eadem materia in suo libello longum et eruditum commentarium ediderunt.

Primo autem, ne quasi in incertum vagari frustra viderentur, ob oculos sibi posuerunt institutum Societatis, diligenter pro viribus tentantes ex ipsis Constitutionibus eruere, quidquid potuerunt, quod ad hanc materiam spectaret, hoc ordine:

Constitutiones nostrae non semel et praecipui exacte et valde commendant toti Societati uniformitatem doctrinae. «Idem sapiamus, idem quoad fieri possit, dicamus omnes» ait P. Ignatius iuxta Apostolum; et subiungit «Doctrinae igitur differentes non admittantur nec verbo nec scriptis libris etc.» (3 P. c. 1 § 18); et in declarationibus ibidem (Lit. O) vult, ut in opinionum varietate, quae et est inter catholicos, curetur in Societate conformitas; et cum alibi in singulari dicat «Sequantur in quavis facultate securiorem et magis approbatam doctrinam etc.» (4 P. c. 5 § 4), clarissime indicat, doctrinam unicam et in tota Societate uniformem esse debere. Tum alio loco «Multum etiam conferet consensio tum in interioribus, ut est doctrina etc. (8 P. c. 1 § 8); et ibidem «Curandum est, ut omnes, ut plurimum, eandem doctrinam, quae in Societate fuerit electa, sequantur etc.» (Ibid. Lit. K); et denique, praeter alia multa, quae ad unionem Societatis faciunt, addit «Eadem doctrina et in omnibus, quantum fieri potest, uniformitas nuntietur», scilicet unionem animorum etc. (10 P. § 9).

Secundo, ut huius consensionis in rebus litterariis modum nostrum proprium, quem P. Ignatius locis iam notatis et alibi praescribit, clarius et penitus penetrarent, patres ponderarunt modos loquendi Constitutionum et sensum reconditum earum. Primo enim, P. Ignatius utitur semper vocabulo illo doctrina, [*Stud. 3, f. 106v*] et (locis notatis) videtur distinguere doctrinam ab opinionibus, in quibus, licet conformitatem velit esse, at non in eo vim tantam facit, quantam in uniformitate doctrinae. Quod semper repetit. Et id merito quidem; nam opiniones versantur circa singulas materias, doctrina autem non tam hoc

\* Textum horum tractatum videas in MP V 6-33.

<sup>1</sup> In exscribendis provinciarum sententiis initium sumendum esset a provincia Romana; nomine tamen huius sententiam dixerunt, iussu Patris Generalis, professores Collegii Romani. Circa autem Delectum opinionum examen instituerunt non de eo, qui in Ratione studiorum (1586) typis expressus est, sed de alio quodam anteriore, a commissione sex patrum confecto. Textum huius examinis professorum Collegii Romani vide supra, mon. 8.

<sup>2</sup> De labore commissionis de conficienda Ratione stud. cf. MP V 13\*-15\* et 3-5.

<sup>3</sup> Quorum nomina videsis supra, *Introd. gen.*

ex omnibus vel plurimis, quae in illa sententia traduntur. Qua ratione doctrinam peripateticam a platonica, D. Thomae a scotistis ac nominalibus dicimus esse distinctam, licet in opinionibus multis convenient; et e contra, inter eos, qui sunt eiusdem doctrinae, sint saepe variae opiniones. Urget igitur quam maxime P. Ignatius, ut in Societate sit eadem doctrina omnium et uniformis, non autem, ut sint eadem omnium opiniones; sed in his, ut curetur conformitas.

2º, hanc doctrinam non vult esse eandem tam severe, ut nulla prorsus sit varietas. Quod patet clarissime. Nam semper, ubi meminit unitatis ac consensionis, addit: quoad fieri potest, ut plurimum, quoad eius fieri poterit etc. Ergo admittit aliquam varietatem. Tum, non praescribit unitatem vel identitatem, sed uniformitatem, quae cum varietate stare potest. Imo eam necessario requirit, quia secus non esset uniformitas, sed unio ac identitas. Tum, uniformitatem doctrinae, ut diximus, quae esse potest cum opinionum varietate, quam etiam non damnat, sed in ea solum conformitatem commendat. Tum denique, potuisset clare statuere, ut omnes in omnibus haberent prorsus easdem opiniones, vel sequerentur unum autorem, sicut multi faciunt. Quod tamen non fecit. Ergo noluit nos ligari omnes ad easdem opiniones nec ad autorem unum, sed longe moderatiorem voluit esse hanc consensionem. Et hanc appellavit uniformitatem doctrinae. Qui licet in theologia scholastica autorem nostrum D. Thomam esse voluerit (4 P. c. 15)<sup>4</sup>, non tamen ut simus addicti, quasi in verba iurantes<sup>5</sup>. Nam in declaratione (*ib.*, in declar. lit. B) admittit etiam Magistrum Sententiarum, si visum fuerit. Immo et alterius auctoris Summam, si ita constitueretur. Et de autoribus sequendis, ubi fit sermo, numero plurali, magis receptos et approbatos vult in scholis nostris explicari (4 P. c. 5 et c. 14)<sup>6</sup>.

3º, hinc aperte existimarunt, a Constitutionibus excludi omnimodam penitus unitatem, ut scilicet in nullo prorsus differamus, ut patet ex iam dictis. Et hoc sane merito, cum sit impossibilis; cum inusitata etiam ab his, qui unum et hunc excellentem autorem sequuntur, qualis est D. Thomas. Nam thomistae in multis plurimum inter se dissident; cum sit iugum intolerabile. Ex quo fieret, ut ingenia penitus languerent et studia; cum existimationi Societatis de maturitate et gravitate doctrinae plurimum [107r] detrimenti esset haec allatura, si conciperent nos, fere semper eadem canere unum post alium; cum denique, sicuti Ecclesia opinionum varietatem admittit sine fidei praeiudicio, ita Societas ad eius imitationem debeat admittere eam varietatem, quae stare potest cum consensione et uniformitate doctrinae. Et hoc idem sex patres in suo libello optime ponderarunt<sup>7</sup>.

4º, quoniam his positis, ut scilicet cum libertate aliqua sit tamen uniformitas, dubium maximum oritur, quatenam et qualis et in quibusnam consensio esse debeat similiter et libertas, visum est patribus, praeter ea, quae dicta sunt, duo alia colligi ex Constitutionibus. Quorum primum est, P. Ignatium in iisdem Constitutionibus proprietates et quasi attributa quaedam expressisse huius uniformitatis doctrinae, quae futura essent Societati semina et fundamenta quaedam eius. Secundum est, ex his significasse Societatem debere proprio labore ac industria formare huiusmodi doctrinam, ut eam omnes deinde sequantur.

Explicemus clarius utrumque. Primum quidem advertendo, quod huiusmodi conditiones seu proprietates, quas doctrinae nostri instituti attribuit, etsi multae sint, omnes tamen ad tria capita referri commode possunt. Primum est, ut praeter haeresis sive erroris pe-

<sup>4</sup> Vide MP I 297.

<sup>5</sup> Cf. HORATIUS, *Epistolae* I/1 14.

<sup>6</sup> Vide *Const.* P. IV c. 5 n. 4; et c. 14 n. 1; MP I 221 et 295.

<sup>7</sup> Cf. MP V 19.

riculum aut suspicionis horum (quod vitatur sequendo Ecclesiae determinationes, et declinando ab autoribus suspectis, quorum non semel mentionem facit (P. 3 c. 1 O, et P. 4 c. 14 § 1, et in fine libri Exerc. in regul. etc.), cum sint alia multa in autoribus etiam approbatis, quae tamen pietati non admodum favent vel etiam adversantur, licet non sint clare determinata; ut haec omnia Societas penitus declinet. Et hoc sibi voluisse videtur P. Ignatius, cum praescribit, ut sequamur doctrinam sanam (P. 1 c. 2 § 6 et P. 3 c. 1 § 15); et alibi, securiorem (P. 4 c. 5 § ult.). Nam certum est, quidquid ad pietatem non confert, nec sanum omnino, nec securum esse. – 2º, vult doctrinam nostram non repugnare magis approbatæ et communiter receptæ, novitatem ac inventionem in his omnibus prohibendo, ne adversemur doctoribus plerisque ac sapientioribus. Et hoc procul dubio significat, cum statuit, ut sequamur doctrinam magis approbatam (P. 4 c. 5 § ult.) et communiorem (P. 8 c. 1 lit. K). – 3º, cum in aliis multis, in quibus nihil est quod pietatem offendant vel communem doctrinam, licet in utramque partem defendantur, et ob id libertas videtur permittenda, et vere permittitur, possit tamen contingere, ut in rerum huiusmodi novitate ac inventionem, vel improbatione ac explicatione earum levitas incuratur, cum sine firmis rationibus ac fundamentis proceditur, propterea ad vitandum hoc incommodum docendi levia et inutilia contra decorum ac maturitatem Societatis, praescribit tandem P. Ignatius, ut sequamur doctrinam solidiorem (P. 4 c. 14 § 1). [107v]

2º Ex his omnibus colligitur et ratio propria uniformitatis nostrae doctrinae et simul campus libertatis, quem aperit ac admittit nostris ingeniis. Nam, ut paucis dicamus, genus seu corpus doctrinae nostrae vult esse tale, ut nihil in eo sit, quod vel minimum pietati adversetur, nil contra receptam ac magis approbatam doctrinam ac magis communem approbatorum auctorum, nil denique leve ac indecorum; sed totum sit pium, commune, solidum ac maturum. In aliis vero omnibus liberos vult nos esse; cum libertas sit sine ullo vel minimo periculo, et nos eximat a sectis quibuscumque et a plurimis aliis incommodis; sit gratissima omnibus, et aditum patentissimum praestantibus ingeniis se in ea exercendi praebeat. Denique, in hac varietate requirit etiam conformitatem, quam maxima esse potest, ut pax ac unio animorum conservetur. Haec autem, admissa libertate, non videtur alia esse posse quam, ut pro viribus conemur idem sentire imprimis; quod si iudicium dissentiat, ne damnemus ac deiiciamus, quasi contemnentes, sensum ac opinionem aliorum; sed in hoc utamur submissione ac modestia quam maxima. Nam, si hoc fiet cum hac libertate et dissensione in rebus non magni momenti, simul stabit pax et unio magna animorum.

Denique, si omnia quae diximus, perpendantur, clarissime colligimus, genus hoc doctrinae, quod nostro instituto est conforme, esse omnium, quae excogitari possunt, optimum et excellentissimum. Quod sapienti considerandum dimittimus, ne longior sit tractatio haec nostra, quam par est. Similiter affirmamus, deduci totum ex scopo ac fine, quem sibi Societas praescribit in doctrina. Hic autem est nostrorum et proximorum fructus ad maiorem Dei gloriam (P. 4 c. 5 § 1; et c. 12 initio)<sup>8</sup>.

Et quoniam certum est, nec omnia, quae hucusque dicta sunt et ex Constitutionibus deducta, satis esse ad id, quod hic quaerimus – Nam, si solum relinquantur haec documenta generalia, plurimae difficultates plurimaeque incommoda possunt sequi, nisi ad singularem descendatur –, ob id quod 2º proposuimus, iam admonemus, P. Ignatium suo quasi munere in praedictis functum, deinde commendasse plurimum, ut ex iactis ab eo fundamentis superaedificando huic tam sapienti architecto [1 Cor. 3 10] totum hoc aedificium

<sup>8</sup> Vide MP I 215 et 281.



corporis ac massae huius doctrinae ad finem perduceret, ut in iisdem Constitutionibus habetur aperte (P. 4 c. 5 in fine; et c. 14 § 3; P. 8 c. 1 § 8 K<sup>9</sup>); et hoc est, in quo modo tota Societas, iussu R. di P. Generalis, [108r] merito dessudat, experientia edocta, id esse omnino ad eiusdem Societatis bonum pernecessarium. Hoc igitur primum illud est, quod ante omnia ratum ac firmum habendum esse patres existimarunt in hoc negotio, ne viderentur in re tanta aut proprio iudicio niti, aut in incertum, ut diximus, vagari, declinando a proprio ac genuino spirito nostri Instituti.

Secundo loco, aggressi sunt id, quod proxime diximus iam desiderari, ut scilicet tentarent genus hoc doctrinae explicare ac proponere non in universum tantum, sed singillatim ac distincte; quale videtur requiri ad hoc, ut sit in nostris scholis norma ac regula tutissima servandi uniformitatem, quam nobis nostrae Constitutiones praescribunt. Ita tamen, ut omnia deducerentur ex fundamentis iactis iam in iisdem Constitutionibus. Visum est itaque, nonnullis praetermissis, inniti tamquam solido fundamento iis omnibus, quae praemisimus ex Constitutionibus, et deinde primum posito ob oculos modo, quem sex patres proposuerunt, illum perpendere ac examinare; tum, si minus commodus et aptus visus esset, nostrum adiacere, confirmare et ab his defendere, quae illi vel obiiciunt vel obiici possent.

Modus, qui placuit sex patribus, ut ex libello eorum in regulis vel in propositionibus, et in explicatione (Libello sex patrum car. 22)<sup>10</sup> eius colligitur, in his quae sequuntur, consistit.

<sup>10</sup> Contra D. Thomam quaedam, licet pauca, esse constituenda, quae et habentur in libello.

<sup>20</sup> In quibusdam, cum sensus D. Thomae varius esse possit, teneantur omnes sequi eum sensum et secundum illum D. Thomam interpretari, quem patres constituunt.

<sup>30</sup> Quaedam definienda, de quibus D. Thomas non tractavit; et haec definierunt patres.

<sup>40</sup> Nonnulla libera esse relinquenda in utramque partem; haec autem quot et quae nam sint, definiendo, ut fecerunt patres.

<sup>50</sup> Quo ad omnia reliqua, D. Thomam in omnibus esse sequendum in rebus ipsis, non autem in rationibus et explicationibus.

Visum est autem patribus huius provinciae, post maturam considerationem, inquisitionem et orationem, intuendo sincere et solum divinam gloriam, et nostri instituti scopum ac modum, gravissimas eum habere difficultates, quae solvere minime possent, et ideo eas hic subiungunt. [108v]

Contra primum. Nam, etsi in aliquibus deserere D. Thomam nullum sit inconveniens, nec sit a nostro instituto alienum, si debito modo fiat; universam tamen Societatem constituere et obligare omnes, qui in ea sunt, ad deserendum ac impugnandum D. Thomam, etiam in paucis, visum est valde absurdum.

Primo, durum nimis videtur, ut Societas audeat illud statuere, quod hucusque nulla universitas fecit; vel si tentavit, ut fecit parisiensis, non sine universali et gravi scandalo id factum est; et postea sub Stephano episcopo parisiensi, cum maxime floreret, omnino retractavit<sup>11</sup>.

<sup>9</sup> Vide MP I 221 § 4, 299 et MI Const. III 224.

<sup>10</sup> Vide MP V 20-21.

<sup>11</sup> Stephanus Tempier (ob. 1279); ab a. 1263 cancellarius Universitatis Parisiensis; ab a. 1268 episcopus parisiensis, anno 1270 condemnavit 12 theses aristotelismi radicalis (averroismus latinus dicitur); a. autem 1277 alias 219 theses, in quibus etiam doctrina S. Thomae implicata fuerat. Quae tamen condemnatio retracta est a Stephano de Bourret, archiepiscopo parisiensi (ob. 1325); cf. *Dict. Theol. Cath.* XV 99-107.

2º Dominicani et alii plurimi huius Doctoris sequaces non patientur hoc, vel aegre admodum, et sic odium ac aemulationem multorum contra nos excitabimus. Apologiae statim edentur pro D. Thoma contra nos; et possent esse tam efficaces ac subtiles, ut et cedere si velimus, iam videamur indocti et inconsiderati; et respondere si tentemus, pertinaces ac sectarii existimemur.

3º Cum officium inquisitionis ab iis administretur, facile quisque colligere potest, quantas molestias, et quae ac quam gravia incommoda inferre possent Societati hac de causa<sup>12</sup>.

4º Inter nos ipsos hinc sumi a quibusdam posset occasio seditionis, cum aliqui volent tueri, quae nos prohibemus, obiicientes Societati, quod iniuste in quibusdam publico decreto D. Thomae doctrinam deserendam statuerit; quod Ecclesia non fecit; immo in omnibus approbavit; et se velle communem Ecclesiae sensum sequi, non nostrum.

5º Doctrina D. Thomae ab Innocentio, ab Urbano V, a Pio V et Ecclesiae tacito consensu est approbata<sup>13</sup> non in eo quidem sensu, ut omnes in omnibus teneantur sequi, sed in alio, quicumque ille sit (nam hoc modo omittimus), ut minimum tamen in eo, ut nihil sit in D. Thoma, quod omnes teneantur deserere; cuius contrarium si Societas faceret, periculo sane temeritatis videretur se sine gravi causa exponere.

6º et ultimo, dato quod id fuisset constituendum, certe in materia aliqua gravissima, et rationibus efficacibus praestandum fuisset. At inprimis, huiusmodi nihil prorsus docet D. Thomas. Nam quod pertinet ad conceptionem B. Virginis, in promptu est solutio, cum eo tempore nondum Romana Ecclesia eam celebraret<sup>14</sup>. Solum quoad dispensandum in voto solemnī castitatis res dubia est; et ut summum, si Societati aliquid [109r] statuendum esset, illud videretur satis esse, pontificem scilicet posse dispensare; et hoc in eo sensu, quia potest sentire aliter, quam D. Thomas, cum multis doctoribus; et hoc posito, laudabiliter dispensaret, teneretque talis dispensatio, vel quia opinio sit vera, vel saltem quia ignorantia veritatis hic (si alia esset vera) est sine ulla culpa, cum tam multi aliter sentiant. Et ita nos iudicamus, Societatem hunc modum in hac materia debere sequi; liberum omnino relinquendo, an voti solemnitas per professionem consistat in traditione etc., an in alio, quod sit de iure divino; cum vere nihil certi sit in hac re.

Praeterea vero sex patres voluerunt, nos D. Thomam deserere in rebus, in quibus etiamsi D. Thomas defendatur, nihil prorsus incommodi sequi videtur; ut, exempli gratia, viam angelorum constasse duobus instantibus et non pluribus; ultimam dispositionem ad primam gratiam ita esse ab auxilio speciali, ut non sit instrumentum, nec ullo modo ab ea procedat; humanitatem Christi in Verbo propriam habere essentiam vel carere. Haec et similia, etiam si deserantur, quid quaeso periculi? Cur D. Thomas propter haec deserendus? Argumenta omnia, quae patres sex possent afferre, nonne Capreolus, Caietanus, Soto et alii optime solverunt? Denique contra spiritum nostri Instituti nihil prorsus ex huiusmodi dogmatibus sequitur quod vel in minimo pietatem offendat, vel contra receptam doctrinam ac communissimam faciat, vel quod solidum ac maturum non sit; e contra vero, deserere D. Thomam decreto totius Societatis, repugnat Instituto nostro in omnibus quae diximus; et potissimum quoad scopum, animarum scilicet fructum; qui, ut patet ex dictis, plurimum impeditur.

<sup>12</sup> Quod et evenit in Hispania cum inquisitione ob Rat. st.; de quo cf. ASTRAIN, *Historia* III 395-415.

<sup>13</sup> De auctoritate S. Thomae in Ecclesia vide Rat. stud.; MP V 55 adn. 1.

<sup>14</sup> Festum Conceptionis B. M. V. ascriptum est in Calendario Romano anno 1476; v. *Calendarium Romanum* (Romae 1969) 110.

Visum est itaque omnibus nostris patribus, maxime esse e re Societatis, si universali decreto profiteatur, liberum esse unicuique, in quacumque re placuerit, doctrinam D. Thomae sequi, tamquam eam, quae sola inter alios scholasticos hanc meretur laudem, ut sana omnino et securissima sit in omnibus, et maxime pietatem foveat. Hoc enim consensum valde est et ipsi Ecclesiae et nostris Constitutionibus, quae praeterea hunc inter omnes in scholastica theologia elegerunt<sup>15</sup>, quem tamquam autorem doceremus ac interpretaremur. [109v]

Circa secundum visum est etiam patribus, non expedire, ut in sensu a sex patribus praescripto teneantur omnes de Societate in quibusdam D. Thomam interpretari, cum potissimum et litera D. Thomae aperte aliud sonet, et multi, hique ex praecipuis, eius interpretes alium sensum sequantur; et res ipsas denique in utramque partem sine ullo periculo pietatis ac soliditatis possint defendere, ut patet ipsismet exemplis illorum. Nam una ex his propositionibus est illa, quam inter liberas posuerunt: angelos in primo instanti peccare potuisse; oppositum namque sentire D. Thomam, et verba eius indicant, quas ipsi citant; et Caietanus, Capreolus alique plurimi existimant, hunc fuisse sensum D. Thomae, et eam tuerentur contra omnes aliorum impugnationes. Et si dicatur, in nullo offenditur aut pietas aut doctrina communis, cum haec tot habeat sequaces, ut non possit alia dici communis, et faveat magis modo loquendi Patrum, qui contra manichaeos utuntur ea ratione, quae est D. Thomae, quod si peccassent primo instanti, fuissent natura mali etc. Idem prorsus in alio exemplo apparet, quod scilicet divina essentia suppleat vicem speciei intelligibilis citra ullam prorsus informationem; quae est sexta ex definitis a patribus<sup>16</sup>; similiter et alia de Spiritu Sancto etc. Visum est et inutile et indecorum Societati, et plenum difficultatibus in tanta ingeniorum varietate, cum intelligent, se in similibus, quae non videntur esse magni momenti, astringi ac coarctari; et denique minime instituto nostro contrarium, quod in eiusmodi libertatem requirit, ut iam dictum est.

Circa tertium nihil aliud occurrit quam, non ideo, quia D. Thomas non tractavit illa, omnia esse definienda; sed aliam regulam definiendi esse nobis sequendam, de qua dicemus in explicatione proprii modi; tum multa alia esse a patribus praetermissa, quae tamen D. Thomas non attigit.

Circa quantum difficultates etiam graves occurrunt. Quarum prima est, quod scilicet sentiunt patres, esse definiendum numerum propositionum, quae libere relinquuntur; et tamen quam plurimas omiserunt simillimas iis, quas determinarant; ut exempli gratia: an detur tempus discretum; an sit unum aevum, an plura; an Deus sit finis naturalis; an supernaturalis; an Moyses, an Paulus viderint divinam essentiam; an per [110r] potentiam absolutam possit videri una persona sine alia; an Verbum procedat ex cognitione solius essentiae, an etiam creaturarum; an Spiritus Sanctus distingueretur a Filio, si non procederet ab eo; et aliae innumerae, quae cum non ponantur a patribus secundum modum suum, non erunt inter liberas, sed inter eas, quae debent secundum D. Thomam determinate defendi. Et hoc certe gratis, cum prorsus rationem eandem libertatis contineant cum caeteris.

2<sup>o</sup>, praeter has, a patribus positas inter liberas, sunt aliae longe minutiores ac leviores, quam eae, ad quas tamen volunt nos teneri et astringi. At quis non videt, quam sit indecorum ac praeter rationem, ad graviora non astringi, et ad alia, quae sunt illis longe leviora, immo levissima, teneri; quasi essent magni momenti, et quasi periculum aliquod esset, si aliud defenderemus?

<sup>15</sup> De doctrina scholastica S. Thomae in S.I. docenda cf. *Const.* P. IV c. 14 § 1; MP I 297.

<sup>16</sup> Vide MP V 9 n. 6.

3<sup>o</sup>, de tota massa propositionum theologicarum certum est, maximam omnium partem earum esse, quae non sunt tanti momenti, ut sine periculo et defendi et impugnari possint. Est igitur opus immensum et plane inutile, velle omnes numerare. Et ipsimet patres fatentur, se eas non numerasse omnes. Et merito; nec enim videtur fieri posse. Et praeterea, si definite ponantur, quae sunt pauciores, nonne statim sine enumeratione constat, alias omnes esse liberas?

Contra quintum et ultimum, quod scilicet ad caetera omnia omnes teneantur in omnibus sequi D. Thomam, patres maxime omnium dubitarunt, immo certo existimarunt, id nulla ratione esse faciendum.

Primo enim, cum certum sit, summam omnium propositionum, quae continentur in supradictis extra D. Thomam, parum excedere numerum 100; et praeter has, reliquas omnes multa millia propositionum continere, et fere in immensum excedere illas paucas, si in his tenemur sequi D. Thomam, iam efficimur thomistae, iam in verba unius iuramus<sup>17</sup>, iam sumus sectarii. Non enim impedit hoc paucarum exceptio, inter quas etiam quaedam D. Thomae consentiunt, cum nullus fere sit thomista, qui in paucis D. Thomam non deserat aliquando. At hoc etiam ab ipsismet patribus impugnatur, et merito. Nam et instituto nostro repugnat, ut ostendimus, et existimationi Societatis detrahit, et non sine iniuria omnium aliorum doctorum fieret, ac sectarum ac plurimorum contra nos et odium et studium excitabit cum perpetuo bello.

2<sup>o</sup> Mirum enim est ex una parte, patres extra D. Thomam levissima quaedam definire, [110v] qualis est e. gr. inter definitas ex prima parte propositio 2.a 5.a 6.a 20.a 21.a; tum ex 1.a 2.a et aliis partibus aliae similes; ex alia vero parte simillimas his plurimas similiter leves reliquisse determinatas in D. Thoma; immo, alias etiam longe illis leviores; tum multas gravissimas, quae erant determinandae, reliquisse ac praetermisisse; et ex alia parte tantam farraginem, quantam hoc ultimum eorum dogma continet, in qua continentur diversissima rerum genera, uno cancello D. Thomae aequaliter inclusisse.

3<sup>o</sup> Consentient quidem omnes in authore, si id praeciatur, sed in interpretando illo modo suo dissentient tam libere, ac si nullus esset author; et quidquid libuerit defendere, D. Thomae ascribent; et sic summa erit dissensio rerum et animorum, nec uniformitas erit alia quam materialis authoris, immo nominis eius. Et sic omnino incidimus in difficultates maximas omnium, ad quas vitandas totus hic labor erat susceptus; et eo magis, cum ipsemet D. Thomas in multis sit varius et forsitan secum aliquando pugnans.

4<sup>o</sup> Denique, cessabunt studia aliorum authorum et eruditio, quae summum affert Societati ornamentum, ut fecit in his, qui unum tantum authorem sequuntur. Nam hi, ut plurimum, alios nec legunt nec curant. Similiter ingenia nostrorum, cum intelligent in minutissimis se ligari, difficillime acquiescent. Scholarium concursus magna ex parte cessabit, si intelligant, nos etiam uni auctori addictos. Quod animarum fructum plurimum impedit.

Hae sunt difficultates praecipuae, quae patribus nostris tam graves visae sunt, ut penitus eos diverterint ab hoc modo sex patrum, et coegerint alium instituere, de quo iam dicemus.

Primo itaque visum est patribus, necessarium esse omnino, generales regulas aliquas formare, breves quidem et claras, quod et sex patres fecerunt, et necessarium esse ipsimet egregie demonstrant. Primo autem necessitas haec videtur esse ad hoc, ut instituti nostri ratio in his quasi principiis primis eluceret. – 2<sup>o</sup>, ut quilibet ex iisdem scopum intelligat, ad quem doctrina Societatis tendit. – 3<sup>o</sup>, ut quaecunque sigillatim definiuntur, non temere aut

<sup>17</sup> Vide supra, adn. 5.

casu definiri, [111r] sed mature ex eo colligatur, quia eiusmodi deducuntur ex illis principiis tanquam ex propria mensura, sicut fecerunt patres. Nam positis his regulis, omnia alia ex ipsis deduxere, ut patet in nostro Commentario propositionum definitarum.

Ante has omnes regulas supponunt patres, esse constitutum et ratum toti Societati, quod non solum haereses omnes ac errores, qui sunt contra Ecclesiae determinationem, sunt ab omnibus in Societate cavendae, ut sequamur omnes et innitmur Ecclesiae sanctionibus; sed etiam omnia, quae suspicionem erroris inducunt, et a suspectis authoribus docentur, penitus declinet ac detestetur; tum, praeter hoc commune principium, quod certissimum est, si propositiones huiusmodi omnes colligerentur, et fontes ac principia simul, unde deducuntur, esset utilissimus labor in Societate, et dignus, ut per R.P. Generalem demandetur viris doctis, ut illum persolvant. Quod nec est adeo difficile, et in docenda theologia scholastica, praesertim hac nostra aetate, valde usitatum.

Hoc fundamento supposito, posuerunt regulas, quae visae sunt constituendae, et hae habentur in actibus congregationis huius provinciae, et modo Romam mittuntur, nec admodum variant ab illis patrum. Omnes autem ad quatuor capita possunt referri: Primum est, cum in catholicis authoribus legantur et doceantur quae pietati non favent, vel potius nocent, haec omnia teneantur omnes cavere et iis contraria docere, ut doctrina Societatis in omnibus faveat et plurimum incitet ad pietatem. Haec propositio in sensu suo generali clarissima est et ab omnibus receptissima. Sed sola difficultas in eo posita est, quod valde dubium esse possit, quatenam sint haec. Et si iudicio cuiusque haec committantur, possent quidam, zelo non secundum scientiam<sup>18</sup> commoti, passim reprobare, quae tamen vere id non merentur; vel e contra, multa quae digna sunt ut vitentur, praeterire.

Huic incommodo ut obviarent patres, et ut cum luce procederetur in re tanti momenti, tamquam difficili, duo visa sunt esse remedia: Primum est, si explicaretur clare, quatenam intelligenda sint minus pietati favere. Primo igitur, sunt ea, quae repugnant modo claro et conspicuo loquendi conciliorum vel sanctorum, et multo magis aliorum fidei fontium ac principiorum, licet non sint tanquam de fide expresse determinata. Et ob id e. gr. constituerunt patres: divinas personas non per absoluta, sed per relationes constitui; divina attributa nullo modo ante opus intellectus distinguere; naturam humanam Christi in Verbo subsistere; in divinis tres esse relativas subsistentias; et his similia; quae cum autoribus, [111v] oppositum sentientibus, habentur in commentariis.

2<sup>o</sup> Quae fidei aliquod mysterium deprimunt et deiiciunt, ita ut ex doctrina eorum non is conceptus, scilicet tam altus ac eminens sequatur, qualis eius mysterii fides requirit; qualis e. gr. de Deo est illorum, qui Deum ponunt in praedicamento, univocum aliquid cum creaturis illi tribuunt, attributa in eo formaliter esse negant; vel si ponunt, distinguunt; similiter eorum, qui satisfactionem Christi non attollunt quoad suum formalem valorem supra aliam puri hominis; qui effectus gratiae viribus naturae tribuunt, ut posse servare praecepta, diligere Deum super omnia; et huiusmodi alia.

3<sup>o</sup> Quaecumque male sonant et pios offendere nata sunt, cum haec audiunt, ut e. gr. sufficientem auxilii gratiam ad salutem quibusdam in hac vita negari; et similia. Nam et pias offendunt aures et retardant plurimum devotionem et curam propriae salutis.

4<sup>o</sup> Quaecumque praxi valde communi Ecclesiae repugnare videntur, qualia in materia de indulgentiis et in materia de sacramentis et in aliis patres posuerunt, et rationem hanc expresse notarunt.

<sup>18</sup> Cf. Rom. 10 2.

5<sup>o</sup> Quae rationibus firmissimis vel naturae lumine vel gratiae, et his ab Ecclesiae doctoribus et scholasticis antiquioribus et doctoribus adductis probari solent; ut e. gr. Deum esse et esse causam efficientem omnium etc. lumine naturae demonstrari; similiter, angelos esse immateriales, simul cum mundo sensibili creatos, primo instanti non peccasse etc.

Secundum remedium patrum ad omnem contentionem vitandam fuit, singillatim definire omnes propositiones, quae sunt contra hanc primam regulam, de quo statim dicitur, et in singulis rationem et authores afferre. Haec autem prima regula seu propositio quam faveat et sit consona Instituto Societatis, quam in se rationabilis, et quanta ex eius opposito pernicies sequi posset, nisi ita constituatur, et patet ex dictis, et vere clarius est quam ut rationibus ullis confirmetur.

Secundum caput harum propositionum fuit hoc, ut nihil defendatur contra doctrinam communiter receptam ac approbatam. Rationes non desunt ad id confirmandum. Prima, quia haec doctrina securior est, omnique periculo vacat; non sic opposita illi; immo, e contra, est lubrica. – 2.a, est simpliciter verior, cum verisimile sit, maiori eam lumine illustrari a Deo, quam alterius cuiusque privati ac singularis. – 3.a, maturitatem ac gravitatem praebet et auctoritatem eam docentibus, conciliatque omnium animos. – 4.a, quod ad ingeniorum acumen spectat, optime illud exerceri potest, et expedit in eius explicatione et probatione magis, quam in impugnatione cum novitate, quae semper in huiusmodi periculosa est. Denique, expresse institutum nostrum, ut supra ostendimus, ita praescribit.

At, quoniam eadem difficultas hic videtur locum habere, quae in primo, iisdem etiam remediis est penitus sublata [112r] tum determinatione singularum propositionum, tum explicatione huiusmodi: ut primo, scilicet communissimae sententiae, in quibus maxima pars theologorum consentit, et solum unus aut alter, sive paucissimi dissentiant; hae, inquam, omnes sint in numero. – 2<sup>o</sup>, in aliis omnibus usus magis receptus sit iudex. Ille autem intelligatur, quem viri maturi, docti, pii, sine passione in re gravi iudicabunt communi consensu esse receptum ac retinendum. Qualis e. gr. ille, procul dubio, erit recipiendus, quem in tota Societate consentient patres, talem esse iudicandum; cui, iudicio deinde Societatis, perpetua traditio post haec plurimum suffragabitur. Et ob id patres huius provinciae omnes conveniunt in his, quas modo exhibent, et communiores esse ac magis receptas iudicaverunt, ut propriis locis in Commentariolo<sup>19</sup> notatur. Quod si tota Societas idem praestet, sperandum est fore, ut omnes conveniant, et ipsi se omnium iudicio libentissime subiiciunt.

Tertium caput continet, ut in omnibus aliis liberum sit omnibus docere, quicquid visum fuerit. Nam eiusmodi libertas est sine ullo periculo, ut satis patet ex dictis, et quadrat maxime nostro Instituto, est omnibus gratissima, eximit Societatem a sectis omnibus, simulque omnes, cum visum fuerit, honorat et complectitur, et inventioni multarum rerum, quae latent, et ipsismet ingeniis praestantibus campum aperit. Ut autem incommodis omnibus, quae nasci ex hac possent, occurrerent patres, duas condiciones apposuerunt huic libertati. Prima est, ne ullus contrariam sententiam condemnet tanquam falsam vel pietati non conformem, vel aliqua alia ratione detrahet his, qui aliter sentiunt; sed summa in hac re utatur modestia et potius commendet ac laudet; et agat tantum ac innitatur rationibus, quibus potest, efficacioribus. Sic enim pax et unio animorum maxime conservabitur. – 2.a est, ne levia et vana quaedam in suis dogmatibus afferat tam quoad res, quam quoad earum rationes, sed solida ac bene fundata, et digna ea maturitate, quam in omnibus Societas praesefert.

<sup>19</sup> Hic singularum propositionum commentariolus invenitur in cod. *Stud.* 3, f. 124-46; quem tamen ob rationem iam adductam omisimus.

<sup>40</sup> et ultimo, addiderunt patres, omnia haec providentia peculiari et continua vigilantia R.P.is Generalis esse curanda, qui per provinciales id praestabit; illi autem per rectores, praefectos et eorum consiliarios. Nam, nisi invigilent, nulla lex satis esse potest ad vitanda incommoda etc. Propterea plurimum videbatur expedire, ut praefectus frequentissime inquirat, ut sciat opiniones praeceptorum in philosophia et theologia. Quod illi facillimum erit, et eas perpendendo ex regulis et corpore definitarum propositionum, quidquid aperte et sine ulla dubitatione illis repugnat, omnino prohibeat. In dubiis opera aliorum et tandem superioris iudicio, tanquam suprema regula, utatur. Denique, quod humana diligentia, post omnem adhibitum conatum, non potest, id committat divinae providentiae, quae Societati compatietur, cum viderit, tam sollicitè ac mature iuxta Instituti sui normam praescripsisse omnia, et continuo invigilare, ut observentur; et compensabit sua virtute infinita imbecillitatem virium nostrarum. [112v]

Haec de regulis in communi patres senserunt. At, quoniam non satis hoc est, ut patet ex se, et experientia ipsa docuit, et ut recte sex patres adverterunt ac probarunt in suo libello, propterea visum est, quoad definita in prima secundaque regula, necessarium esse, ad singulas propositiones descendere easque definire. Primo, ut tollantur inter nostros lites omnes et contentiones, quae hinc nasci possent. Nam si nostra tota Societas consensu omnium aut plurimorum theologorum suorum omnes huiusmodi propositiones determinet, procul dubio omnes summa cum pace acquiescent, etsi qui nolint. Certe, paucorum pertinacia tantum bonum, non est cur impediatur. Praeterquam quod huiusmodi cerebrosi hominibus nunquam poterit satisfieri.

<sup>20</sup>, ut omnes de Societate eundem prorsus conceptum forment de divinis, et sic in hac parte omnes idem sapiamus, idem dicamus; in aliis autem, quae non sunt magni momenti, satis est conformitas, quae stare potest cum sensu uniuscuiusque, in quo abundare licere docuit Apostolus<sup>20</sup>. Itaque de divinitate, de Trinitate, de Incarnatione, de gratia et similibus omnes eundem sensum prorsus ac iudicium habituri sunt in his, quae pietati favent, et sunt magis recepta ac approbata. Quo certe nihil praestantius ac excellentius excogitari potest, nihil securius, nihil quod maiorem Societati et auctoritatem et pacem simul conciliet. Estque haec summa, quae potest esse unio in doctrina, qualem nec eundem habere auctorem, nec modus ullus alius quicumque qui excogitari potest, afferre unquam posset.

<sup>30</sup>, ut praesidio hoc firmissimo pietatis et communionis ac securioris doctrinae Societas nostra quam tutissime in summa quadam doctrinae puritate immaculata semper conservetur. Quod certissime futurum est, si ita fiat. Et simul est adeo rarum, ut nulla unquam religiosa familia hucusque id praestiterit.

<sup>40</sup>, visum est, nostro Instituto consonum plurimum, et hoc etiam quod Pater Ignatius Societati demandavit, ut ex iactis ab eo principiis doctrinam eligeret piam, sanam, securam, magis approbatam, quam omnes sequi tenerentur, ut patet ex iam dictis.

<sup>50</sup>, quia hoc pacto habemus vere genus doctrinae nostrae ac proprium; et tamen nulli sectae addicimur, nec novam formamus. Nam certum est, quod huiusmodi doctrinae corpus nec thomistas nos facit, nec scottistas, nec nominales, nec ulli auctori addictos. Nec tamen ullam ex illis damnat, sed omnes admittit, et solum quosdam, hosque paucos auctores relinquit, praesidio pietatis innixa, et plurimorum aliorum auctorum approbatorum, in propositionibus scilicet definitis, ut patet in nostro Commentario<sup>21</sup>. Immo (quod certe ad-

<sup>20</sup> Cf. Rom. 14 5.

<sup>21</sup> De commentario v. supra, adn. 19.

miratione dignum est) hoc nostro iudicio ac definitione harum propositionum simul de sectis ac authoribus summa cum modestia ac gravitate et sinceritate veritatis datur unicuique, quod illi debetur, ferturque iudicium rectissimum de omnibus ac singulis. Nam e. gr. ex nostro corpore disciplinae praestantia et excellentia D. Thomae elucet; cum nullibi umquam [113r] reiiciatur in singulis illis, ut patet legenti. Quod est, ac si diceremus ac profiteremur, solum hunc authorem inter scholasticos esse tantum ac tam integrum, ut nihil unquam contra pietatem aut receptam doctrinam docuerit. Quod, etsi tunc cum scripsit, aliqua docuerit, quae communiter a scholasticis non recipiantur; at postea adeo praevaluit huius viri sapientia, ut eadem dogmata ipsius magis recepta et approbata consensu plurimorum evaserint. Quoad thomistas, raro admodum notantur, et pauci. Quod non parum ad laudem huius sectae facit. Scotus saepius notatur et saepissime nominales; et potissimum quidam illorum, quia vere liberiores fuerant quam par est. Sed haec etiam non tam multa sunt, ut propterea secta ulla aut author omnino damnetur, cum in aliis multis eum sequamur. In his vero, quae nec cum pietate pugnant, nec communi doctrinae adversantur, cum libertatem promittimus, nonne inprimis nos nullius esse sectae, aperte profiteamur? Nonne omnes laudamus simul, cum liberum relinquamus nostris ingeniis, ut quam voluerint, in singulis admittant? Et cum praeterea prohibemus, ne contrariam sententiam gravius repraehendant, nonne est hoc, concordiam quandam inire cum omnibus, et in medio tot sectarum ac discordiarum pacifice degere, quasi neutrales, et quasi omnibus dominari, omnia metientes pondere rationum cum debita modestia?

At dicet statim aliquis: Speciosa quidem haec esse, sed in praxi difficillima, immo impossibile esse definire singillatim eas propositiones, tum ob multitudinem ipsarum, tum ob difficultatem conveniendi, quatenus pietati minus faveant, quae non; quae similiter contra communem sint, quae non; cum unus dicturus sit uno modo, alter alio. Ad hoc autem, ut respondeamus, dicimus, noluisse nos existimari, rem hanc esse impossibilem, nisi prius experiremur. Cum igitur quinque essent patres, constituerunt omnes uno ore, totam Summam D. Thomae ab initio ad finem usque eodem ordine percurrere, et singulas materias, quaestiones, immo et articulos perpendere; tum bis in hebdomada convenire, et proponere propositiones illius partis, quam privatim perlegerant, et seligere communi consensu singulas propositiones; et notare, quas omnes iudicabant esse cavendas, quia pietati non essent consonae vel communis doctrinae, notando authores et fundamenta, quibus movebantur ad eas excludendas. Et quamvis labore ac industria opus fuerit, tum inquisitione, disputatione et maturitate, tandem tamen Dei gratia convenerunt omnes in his, quas modo exhibemus. Et nihil fere in tota theologia praetermissum est, quod non expenderetur. Et sic experientia visum est, nec esse rem impossibilem, nec numerum harum propositionum esse immensum, cum materiae insignes non sint tam multae, et in his paucae sint, quae spectent ad primas duas regulas; reliqua libera sint relinquenda. Quod si idem fecerint omnes alii, facillime compensabunt, [113v] quidquid in hoc corpore doctrinae nostro desideratur. Interim exhibemus laborem hunc nostrum et subiicimus aliorum iudicio; hoc tantum admonentes, quod si totum perpendatur, intelligetur, materias quasi omnes potissimas, id est praecipua fidei et sacra theologiae mysteria nos attigisse, et per exclusionem propositionum nostrarum vel determinationem formari conceptum piissimum et doctrinae communi consonum de omnibus; ut e. gr. primo de Deo: An sit, cum definimus, Deum esse, et unum esse etc. posse demonstrari; et neminem ex Societate rationes ad hoc a Patribus vel doctoribus ordinarie allatas infirmare debere, sed pro viribus confirmare.

Quoad quaestionem, quid sit: non esse in praedicamento; nihil habere univocum cum creaturis; attributa sive perfectiones in Deo esse formaliter; nulla ratione ante opus intel-



lectus distingui perfectiones secundum quid eminenter. Quoad cognitionem Dei: Deum clare et distincte in sua divina essentia cognoscere omnes creaturas secundum esse proprium, quo inter se et a Deo distinguuntur; tum de quibuscunque rebus, etiam de actibus liberis, quamquam nunquam futuris, certo et infallibiliter cognoscere, quid quibus positus futurum esset. Similiter de voluntate etc.; et in aliis mysteriis similiter. Quod facile ex nostro Commentario<sup>21</sup> colligi potest. In quo, praeter ipsas propositiones, subiicimus auctores qui aliter docent, ut vitentur, et causas propter quas visum esse definiendas in singulis. Intentum itaque nostrum videtur utcunque assecuti, cum ex hoc nostro labore de Deo, de Trinitate, de creatione, de Incarnatione, de gratia, de peccato, de gloria, de sacramentis, et aliis similibus conceptum formavimus pietati summe conformem, maxime receptum et solidum, nostrisque praeceptoribus dignum, Instituto consonum, et in se omnium optimum et excellentissimum. In aliis enim materiis nihil nobis visum est, esse tanti momenti; vel si sit, adnotavimus; vel si omisimus, pauca certe sunt, et haec adiciant alii, crescatque in dies, sed mature, corpus hoc nostrae doctrinae. Quod, procul dubio, si conservetur, toti Ecclesiae utilitatem maximam est allaturum. Haec autem, quae modo exhibemus, patres alii coram Deo in sinceritate cordis perpendant, et forsitan nobiscum consentient, ut plurimum, emendent, expugnent, corrigant, immutent. Deus illos illuminet.

Definitis itaque singillatim omnibus, quae ad primas duas regulas attinent, et relictis aliis liberis, cum in illis levia ac minus solida doceri possint, huic incommodo in materiis infinitis et saepe minutis visum est impossibile posse occurri, descendere ad singula. Nam procul dubio, opus quoad hanc partem esse immensum, sed per ultimum caput existimavimus providi satis, si Societas ipsa invigilet per suos praefectos et alios operarios, qui assistendo huic operi, statim, si quid occurrat, ipsi sua prudentia remedium adhibeant.

Haec sunt, quae quoad nostrum modum in hac materia visum est proponere in hac nostrae praefatione. Certi quidem, non omnes difficultates potuisse nos omnino solvere. Sed illud etiam nobis est admodum verisimile, quaecunque hae sint in nostro hoc modo futurae, et multo maiores in alio; quas autem in nostro sustulimus, in aliis modis et potissimum in eo, qui in libello sex patrum continetur, non esse sublatas. Haec autem, quae diximus, si servantur, futurum, ut Societas in genere doctrinae omnium excellentissimo, sine periculo ullo aut offendiculo, maximo cum animarum fructu proficiat in dies magis ad maiorem Dei gloriam. [114r]

His ita constitutis de primo<sup>22</sup>, secundum aggressi, visum est principio, titulo aliquid addendum, hoc fere modo: De doctrinae et opinionum delectu in theologiae facultate. Non enim solum de opinionibus constituendum est in Societate, sed etiam de doctrinae genere et ratione, ut praefatum est, praecipue ex Parte 4 c. 5 & 4; P. 8 C I K et alibi.

Quoad regulas autem, quae initio ponuntur a sex patribus<sup>23</sup>, haec visa fuerunt annotanda.

Regula secunda (nam prima regula probatur) videtur aliquantum mutanda. Prior enim pars transferenda videtur in quartam regulam. Cui serviet loco proëmii, cum utrobique de opinionum novitate agatur. Proprium vero huius secundae regulae sit, agere de opinionum singularitate vitanda. Rursus initio particula «etiam» videtur iungenda sequentibus, non verbo priori, hoc modo: Expedit etiam nullum pietatis etc. Sed de hoc in praefatione.

<sup>22</sup> De primo scilicet labore a patribus commissionis suscepto, quo constituitur «Praefatio» quaedam, antequam tractatum sex patrum «De opinionum delectu» commentari inciperent.

<sup>23</sup> Quas regulas undecim videsis in MP V 6-13.

<sup>21</sup> De hoc Commentario vide supra, adn. 19.

Regula tertia placuit. Quae ut observetur, monendi sunt provinciales a Patre Generali, ut eiusmodi catalogum opinionum magis communium in sua quisque provincia conficiat.

Regula quarta – Demendum videbatur id, quod dicitur de non movendis novis quaestionibus vel dubitationibus in rebus ad pietatem spectantibus, vel quae alicuius momenti sunt, patre provinciali inconsulto. Nam nimia obligatio videtur indici nostris, et contingit, ut aliqua tamquam certa doctores supponant, de quibus dubitari potest, et quotidie a multis dubitatur; quia faecunda sunt hominum ingenia. In quibus si communem sententiam, ut regula secunda cautum est, sequantur nostri, nihil eveniet mali; et aliqua bona evenire possunt, [114v] vel pietatis promotio, vel magna doctrinae soliditas et certitudo, vel ingeniorum exercitatio.

In quinta regula, in qua doctrina S. Thomae nobis sequenda proponitur, visum est, cum aliqua commendatione tanti doctoris esse favendum, iuxta Const. P. 4 c. 14 § primo.

In hac quinta et sexta regula non est probatum patribus definire aliquid contra S. Thomam sentiendum et docendum, nisi in paucissimis, in quibus vel sensus vel praxis Ecclesiae habet contrarium, ut de conceptione Beatae Virginis sine peccato originali; de dispensatione in voto solenni castitatis religiosae per Pontificem; de canonisatione sanctorum et religionum approbatione. Et haec copiosius explicata sunt in praefatione cum suis rationibus.

In regula sexta quod praeterea additur, ne a S. Thoma recedere liceat in reliquis, quae aliquot propositionibus expressae non sunt, nullo modo visum est admitti debere, ut supra explicatum est.

Regula septima delenda est, cum sit appendix sextae, ex allatis causis sublatae.

Regula octava placuit, ita tamen, ut expressis et gravioribus verbis modestia in confundendis aliorum sententiis praecipiat, hoc fere modo: In his, in quibus aliqua libertas conceditur, nullus ita unam partem defendat, ut alteram parum modeste et religiose exagitet.

Regula nona inserenda videbatur quintae, vel saltem ei subiungenda, quia utrobique de S. Thomae doctrina agitur.

Regula decima probata est, et videtur subiungenda primae, cum utriusque sit argumentum de pietate doctrinae. In eadem videtur addendum illis verbis: vel novas excogitent; sic: vel novas leviter excogitent. Rationes enim ad confirmandam fidem faciunt, inquit Augustinus, modo leves non sint.

Regula undecima videtur subiicienda quintae, in qua utraque de delectu doctrinae et auctorum agitur. Hoc loco opportunum videtur monere, magnae utilitatis fore nostris, si catalogus conficiatur auctorum, qui in scholastica theologia vel controversiis legendi sunt, adhibito iudicio; in quo, quid in unoquoque egregium expectandum sit, indicetur, quid etiam vitandum, ne in scopulos incurramus. Nunc doctrinae corpus sequitur<sup>24</sup> . . .

### Provincia Neapolitana<sup>25</sup>

Regula 2.a – P. Bernardus Colnagus existimat tollendam primam partem regulae, quod ubi nullum pietatis et fidei periculum imminet, satis superque prospectum videatur novarum doctrinarum incommodis ac periculis (si qua interdum occurrere possent) cum

<sup>24</sup> Sequitur in codice «Catalogus propositionum, quae a nostris in theologia scholastica defendendae sunt; iuxta ordinem quaestionum Summae S. Thomae» (fol. 115-22) et «Commentariolus» (fol. 124-46) ad singulas catalogi propositiones explicandas.

<sup>25</sup> De adiunctis historicis, deque membris commissionis neapolitanae cf. supra, *Introd. gen.*

doctorum prudentia, tum superiorum moderatione, quorum consilio aut auctoritati standum esset in novarum opinionum delectu. Caeterum, si quid novi occurrat, quod recepta philosophorum ac theologorum axiomata vel communem scholarum theologiarum sensum non evertat, non putat ingeniis omnem omnino libertatem adimendam esse. Nam quae nunc iam inveterata ac recepta sunt, fuere olim nova et recentia. Alioqui nullas fere facultates haberemus absolutas, si omnes voluissent maiorum vestigiis penitus insistere, et nihil de suo addere; atque hoc ferme esse de ingeniis atque adeo de ipsa natura male mereri.

Pater Benedictus Iustinianus et Pater Benedictus Maiorius vellent in 2.a parte regulae illud «a plerisque viris doctis» commutari sic: «a provinciali cum doctoribus suae provinciae»; idque ut praecedantur occasiones contentionum. Reliquis tribus patribus probatur regula ut iacet.

Regula 3.a – Pater Bernardus vellet illam tolli et relinqui prudentiae provincialis; tum quod quae communis prudentiae sunt, non facile debeant in peculiare regulas referri; tum quod quae opiniones in praesentia in hac provincia aut civitate multos offendunt, forte paucis post diebus non ita sint offensurae; quin potius futurum sit, ut meliores [*Stud.* 3, f. 93v] videantur; tandem uno tempore recipiantur, quae alio explodebantur. Qua in re quid potissimum decernendum sit, non tam certam regulam, ut dixi, quam Superioris prudentiam desiderat.

Pater Rector censet, opiniones colligendas a provinciali ad Patrem Generalem prius esse transmittendas, atque ab eo probandas, ne passim ex mutatione provincialium huiusmodi opiniones pro cuiusque provincialis arbitratu varientur. Reliquis quatuor patribus probatur regula ut iacet.

4.a regula – Pater Bernardus censet, in quaestionibus ab aliis ante tractatis posse etiam nos sequi novas opiniones, dummodo non repugnet 2.a regula; quin etiam non debere prohiberi introduci, seu tractari novas quaestiones, et decerni etiam inconsulto Patre Provinciali, iisdem de causis, quas in 2.a regula attulit. Reliqui patres probant regulam ut iacet.

5.a regula – Probatur Patri Rectori et Patri Blasio. Reliqui tres vellent ita accommodari: in theologicis liberum sit omnibus sequi doctrinam D. Thomae, exceptis iis, quae infra definiuntur in 6.a regula. Non cogantur autem defendere philosophica, ut infra in regula 9.a dicitur; neque sententiam aliquam singularem, quam nemo praeter thomistas sequitur; vel cum eximius aliquis primae classis theologus diversam sententiam sequitur; vel quam provincialis aliquis in sua provincia iuxta dicta in 4.a regula iudicaverit, a nostris ibi non esse legendum. Nam praeterquam quod iusta ingeniorum libertas impeditur, aliis etiam nonnullis doctoribus videtur fieri iniuria, si hoc solo nomine, quod non sentiant cum Divo Thoma, communiter reiiciantur in Societate; cum non raro contingat, et eos per se satis celebres esse et amplam familiam ducere et in plerisque universitatibus communius recipi. Adde, quod hoc nomine non iniuria a ratione docendi Societatis nostrae possent homines advocari, quod intelligant nos esse nimium addictos Divo Thomae; in re praesertim quae non plurimi referat. Denique, regula eo modo, quo diximus accommodata, plane tolerabilior est, et quae nulli religioso debeat videri gravis . . . [95v] . . .

Regula septima – Patri Rectori et Patri Blasio praecise probatur; reliqui tres non putant nostros cogendos esse, ut exponant D. Thomam, et trahant ad sententias statutas in sexta regula; sive quia id plerumque vel nequit vel non est operae praecium fieri; sive quia id non est bona fide agere, si D. Thomae tribuantur sententiae, quas iam constat inter theologos, eius principiis doctrinaeque non obscure adversari.

Regula octava – Simpliciter placet tribus patribus; Patri tamen Bernardo videtur tota regula relinquenda cuiusque prudentiae. Pater Iustinianus reiicienda putat verba postrema

regulae «Cum commode conciliari possunt doctores, id vero non negligatur», isque totum permittendum praeceptorum iudicio . . .

### Provincia Sicula

Regula prima omnium sex patrum consensu approbata est. Sed brevitatis gratia reliqua omnia in libello contenta, quae hic non reiciuntur, communi omnium sententia recepta esse intelligantur.

Secundam regulam receperunt omnes patres. In dubium tamen revocarunt ultima illa regulae verba, quae sic habent: «vel contra communem scholarum theologiarum sensum a plerisque viris doctis esse iudicetur». His enim verbis alii existimarunt caveri, ne novae opiniones contra communem sensum scholarum theologiarum inducantur; alii vero nec novae nec antiquae, modo a viris doctis iudicentur esse contra communem sensum.

Circa quartam regulam dubitatum est, quomodo intelligenda sit illa particula «nemo novas sequatur opiniones»; an quod nemo debeat novas opiniones inducere in quaestionibus et materiis iam pertractatis; an quod ab aliis inductas iam sequi non liceat opiniones. Putarunt alii, non licere novas inducere; alii vero, nec sequi quidem inductas. Ex patribus autem unus existimavit, permittendum esse cuilibet novas discutere quaestiones, dummodo aliis regulis non repugnent, etiam inconsulto provinciali, praesertim si absens fuerit.

#### *Circa Commentarium.*

Prima formula universalis atque universaliter ut iacet, communi omnium sententia iudicata est insufficiens.

Secunda formula, si intelligatur ut verba sonant, nempe quod omnia ad praescriptum definiantur particulatim, et ad ea nostri cogantur, exclusa [*Stud.* 2, 28v] est omnium consensu. Si vero intelligatur, quod speciatim proponantur theologiae propositiones omnes, aliae quidem determinatae, aliae vero liberae cum quibusdam regulis universalibus, placet multis; et, licet opus sit magni laboris, esset tamen maioris utilitatis.

Tertiae formulae primus modus, si intelligatur, quod paucae aliquas propositiones determinandas et alias nonnullas liberas relinquendas cum regulis universalibus, non placuit. Si vero ita intelligatur, ut comprehendat propositiones omnes, quarum aliquae determinantur, aliquae vero liberae relinquuntur cum regulis universalibus, placuit iuxta secundam formulam.

Tertius eiusdem formulae tertiae modus non est receptus. Convenerunt tamen patres omnes, praeter unum, post sufficientem formularum et modorum discussionem in hanc formulam, quae quatuor membra continet: Primum, exigit regulas universales illas quatuor supra positas. Secundum requirit nonnullas propositiones determinatas, sive sint D. Thomae, sive aliorum doctorum, quae gravi maturoque iudicio erunt deffiniendae. Tertium est, ut nostri D. Thomam sequantur materialiter, id est eius doctrinam quantum ad substantiam, ad rationes autem D. Thomae non astringantur. Quartum est, ut locus sit tutissimae libertatis, quae ad nomen Societatis maxime conducit, liceat nostris opinari oppositum eius, quod docet D. Thomas, quando ratio urgens id persuaserit, iuxta primam regulam R.P.G. Aquavivae. Quod maxime dignoscetur suffragante autoritate ad minus quatuor doctorum classicorum. Quinam autem doctores classici censendi sint, communi Societatis consensu esset statuendum. Nobis tamen hi videntur: Alexander Alensis, Albertus Magnus, D. Bonaventura, Altisiodoriensis, Scotus, Durandus, Aegidius Romanus, Oc-

cham, Henricus, Gregorius Arim., Riccardus de Mediavilla, Herveus, Gabriel Biel, Thomas Argenteratensis, Adrianus, Gulielmus Parisiensis, Marsilius, Baccon, Ioannes Maior<sup>26</sup>.

Quinta regula placuit omnibus modo explicato circa Commentariolum. Verum dubitatum est primo, an, quando D. Thomas in Summa aliquid scripserit, cuius oppositum in aliis libris statuerit, Summam sequi oporteat, an sit liberum cuique amplecti utrum maluerit. Praeterea 2<sup>o</sup>, [29r] quando aliquid extra Summam scripsit, cuius in Summa nulla exstat mentio, an sit necessarium sectari D. Thomam, an vero liceat deserere. Quoad primum, alii voluerunt esse liberum, alii vero retinendam esse sententiam D. Thomae quae habetur in Summa, utpote in qua ratum firmumque illius iudicium contineatur. Quoad secundum, placuit nonnullis recipiendam esse sententiam D. Thomae eadem ratione, qua et in Summa; praeterea, etiam ut nostri doctores, quoad fieri potest, maxime consentiant. Alii vero existimarunt satis superque esse, addici nostros D. Thomae in Summa; in reliquis vero expedire fore liberos, ne magis nostri astringantur quam ipsi thomistae . . .

### Provincia Veneta

Pag. 10, regula 2.a: Magis perspicua desideratur explicatio verborum, quae postremo loco ponuntur «A plerisque viris doctis esse iudicetur». Cum enim tota regulae vis, totumque robur in iis ipsis verbis praecipue consistat, non est omittenda clarior ipsorum expositio, ut facile cum studiorum praefecti, tum etiam professores intelligant, quinam sint existimandi ex regulae praescripto ii viri docti, quorum iudicio standum sit; ut quae communis theologorum opinio sit, decernatur. Nam hoc incertum esse posse, patres Romae deputati in Commentariolo, dum pag. 20<sup>27</sup> quintum methodi 3.ae modum oppugnarent, lubricum esse docuerunt. Pro sua enim quisque sententia spectatos doctrina viros habere se dicet; ac proinde communem illam esse theologorum affirmabit.

Pag. eadem, regula 3.a: Idem plane desideratur in tertia et quarta regula, quosnam doctores intelligant, ex quorum iudicio provincialis decernere debeat, opiniones vel legendas, vel omittendas. Num fortasse ii sint, qui in primario suae provinciae collegio profitemur, an potius quoscunque ipse suo arbitratu maluerit eligere.

Pag. eadem, regula item 4.a: Durum accidet professoribus, inconsulto provinciali, nullam de quavis re ipsis licere introducere quaestionem, quemadmodum 4.a regula praescribitur. Adde, quod non raro inter professores et praefectos continget altercatio, contentente ex una parte professorum aliquo, introductam a se quaestionem nullius plane esse momenti; contradicente ex altera praefecto, illam magni esse ponderis, neque ab eo, provinciali inconsulto, innovari potuisse. Videtur igitur, liberum esse relinquendum professoribus, prima potissimum generali regula ac etiam 2.a et 3.a servatis.

Pag. eadem, regula 5.a: Quoniam regula haec, et quae sequitur 6.a, nimium D. Thomae doctrinae videtur nostros professores addicere, quod etiam saepius ac explicatius docent patres in Commentariolo, videntur quoque intolerabile plane iugum nostrorum professorum cervicibus imponere, et iure fortasse conqueri ipsi posse videbuntur. Propterea alia via ineunda videtur, ut variis prospiciatur incommodis, quae ex nimia professorum libertate profecta, non sine aliqua existimationis iactura Societas passa est, in diesque pateretur.

<sup>26</sup> De his antiquioribus theologis cf. MP V 18.

<sup>27</sup> Vide MP V 20.

Duo hic sese obtulerunt consideratione digna: alterum, utrum D. Thomae doctrinae nostros addicere expediat; alterum, utrum alia ratione prospici possit iis, quae diximus, incommodis. Quod ad primum spectat, copiosa, cum his notationibus, seorsim scripta mittitur disputatio, in qua quid ea in re faciendum esse iudicetur, copiose, quam res postulare videbatur, exponitur<sup>28</sup>. Quod autem ad alterum pertinet, multo aptior ac expeditior visus est ille modus, qui in 3.a methodo, postremo loco in Commentariolo reponitur pag. 19<sup>29</sup>. Nimirum, ut definitio enucleate descenderet ad singulas, libertas autem communi aliquo praecepto subsisteret. Persuadere posse hunc modum videntur multa; in primis, quia per ipsum nec tantum nec tam grave pondus professorum humeris sustinendum imponi fortasse videbitur; ac ob id ipsi minus gravate ferent multarum propositionum praescriptarum onus. Deinde, quoniam ea ipsi putabunt se frui posse libertate, quam tum Constitutiones tum inveterata ea, quae nobis quasi per manus a primis iisque sapientissimis patribus tradita consuetudo concedit; consultumque pariter erit incommodis, quibus periclitari posse videbitur nostrae Societatis existimatio. Denique, quia quaecunque contra hanc quintam rationem ac modum obiecta sunt in Commentariolo, facili negotio solvuntur. Priora duo per se sunt admodum manifesta, neque demonstrationem ullam desiderant. In postremi probatione insistendum. Fietque manifestum, si singillatim unumquodque eorum hic apponatur. [*Stud.* 3, f. 156v]

Et primo, dicitur pag. 19 ad finem, hunc modum eo «praecipue incommodo laborare, quod liberas vel omnes, vel aliquas generaliter indicat. Quod tutum minime est. Siquidem tunc oporteret vel iis, quae definire conduceret, omnibus singillatim enumeratis, in reliquis generaliter permittere libertatem. Ea vero enumeratio et inutilis et laboris esset immensi, nec plane fieri potest humano ingenio» etc. Sed hoc facile eluditur. Primum, cum sine ulla probatione dicant, fore prorsus inutilem enumerationem illam, gratis dicere videantur, cum contra perutilis videatur. Siquidem et incommodis ac periculis, in quae labi ex nimia libertate possent doctores nostri, consulitur; et minus gravis erit ipsis caeterarum propositionum definitarum praescriptio. Quam rem unam utilitatis plenissimam esse, nemo non videt. Non esse autem laboris immensi, experimento compertum est; cum vel paucorum dierum spacio, unus doctor e nostris propositiones, quae definiri possent ex prima parte Divi Thomae usque ad 2.am collegerit, fateaturque, id omnium minime laboriosum esse; ac si aliquando plus otii nancisci posset, non difficili negotio ex omnibus Summae D. Thomae partibus propositiones singulas, quae aliquid periculi continere viderentur, se brevi collecturum speraret. Ad id vero, quod additur «vel definitis nonnullis, de caeteris illud in universum statuere: Quoties aliqua de re plures sunt opiniones, quae bonis autoribus et rationibus nitantur, sequantur nostri, quam voluerint. Id vero lubricum sane est. Quidquid enim et quibuscumque verbis in genere praecipitur, variis eludi potest interpretationibus etc. Quocirca periculis obviam non satis iretur». etc. Sed hoc non videtur improbabilem hunc modum reddere posse. Primo, quia si quaque de re, in qua esse aliquid periculi cernatur, vel etiam aliqua appareat periculi suspicio, fiat certa negativarum aliquot, vel etiam, ubi opus sit, affirmatarum propositionum definitio, nihil lubricum esse poterit. Alioquin, si longe petatur periculi provisio, omnia ac singula ex praescripto docere deberent professores nostri, cum nulla pene sit theologiae quaestio (ut Commentariolus docet)<sup>30</sup> paulo gravior, in qua timeri non possit periculosus aliquis lapsus. Immo, non solum essent con-

<sup>28</sup> Quam Disputationem videsis *ib.* fol. 169-75.

<sup>29</sup> Vide MP V 20.

<sup>30</sup> Vide MP V 27.

clusiones praescribendae, verum etiam ipsa, quibus nituntur, fundamenta. Parum dico fundamenta, esset et praescribendus modus deducendi ex fundamentis conclusiones, vis consequentiae ex praescripto tradenda, et loquendi modus liber nostris professoribus nulla deberet ratione permitti. In his enim omnibus Labendi periculum non contemnendum Commentarioli auctores disertis verbis monuerunt, imminere professoribus, hoc pacto «cum nulla pene sit theologiae quaestio paulo gravior, in qua timeri non possit periculosus aliquis lapsus, vel in conclusione, quae defenditur, vel in aliqua praemissarum, quibus illa probatur, vel in vi consequentiae, vel in modo loquendi, vel in aliquo dicto seu fundamento, quod supponitur». Haec ibi. Nihilominus tamen liberam esse decernunt pag. 10<sup>31</sup> professoribus etiam definitarum propositionum fundamenta iaciendi potestatem. Itaque planum fit, si non in omnibus, ut ipsimet patres fatentur pag. 29<sup>32</sup>, at certe in quamplurimis hoc modo, quem dicimus, prospici sat posse incommodis.

Quod vero non satis apte diluantur obiecta contra eam, quam praescribunt, formulam, partim ostensum est in illa disputatione<sup>33</sup>, qua probatur, non esse alicuius auctoris doctrinae nostros addicendos, partim hic potest ostendi. Primo enim quod 23<sup>34</sup> pag. ponitur iis verbis: «Primum caput desumitur ex aliqua molestia» etc., hoc potius videtur objectionem confirmare, quam tollere; tum quia aliter sonare videntur Constitutionum verba<sup>35</sup>. Cum enim prohibent, ne novae opiniones admittantur, nisi ex praepositi generalis assensu, non tollunt [157r] in omnibus professoribus opinandi licentiam, sed in iis, quae excogitari possunt a nostris. Quo igitur tot propositionum, definitionum ac tanta definitarum opinionum praescriptio? Cum novas tantum sequi Constitutiones nostros professores prohibeant, ac probatos auctores securioremque doctrinam nostros amplecti cogunt. Cur unicum nostris auctorem praescribunt, uniusque solum doctrinae illos addicunt? Praesertim cum nec omnia D. Thomas attigerit, nec omnia ita bene, ut alii melius non exposuerint, nonnulla vero Commentarioli auctores ab eo ita tractata dicant, ut aliorum doctorum doctrinae esse postponenda fateantur; videntur in illud praecipue Constitutiones intendisse, ut ex omnium illustrium doctrina summa quaedam, et quasi flos decerneretur; quod ibidem significatur, scilicet illis verbis «ut si conficeretur aliqua etc.» (litt. B. 4 c. 14)<sup>36</sup>. Sed de hoc primo capite copiosius in disputatione, quae mittitur<sup>37</sup>; atque etiam de 2<sup>o</sup> cap. ibidem disseritur, et ostenditur, ex Constitutionibus contrarium plane deduci. Illud quod a praelatis obiectum nostris esse dicunt, tollitur facile, si non absolute nostris evellatur e manibus omnis de quavis re opinandi libertas, sed intra certos quosdam securitatis limites coerceantur. Alioquin dum vitia ... in contraria curremus [Ov. Sat. I 2 24]. Moderanda igitur illa est, non tollenda. Nemo autem ex professoribus non videbit, illam sibi penitus esse sublatam, cum partim quae sunt praescripta, partim quae D. Thomas tradidit, cogatur eadem et quae alii semper occinere. Neque videtur dubitari posse, quod aliud altercationum seminarium constituatur, cum pro sua quisque sententia et fundamenta iacere et D. Thomae sententiam interpretari possit.

Quod in 3 cap. primo obicitur, verum esse monstrabit experientia, et iugum grave, quod imponitur, non est quod Constitutionibus ascribatur; quae suave omnino iugum no-

<sup>31</sup> Vide MP V 6.

<sup>32</sup> Vide MP V 23-24.

<sup>33</sup> Vide supra, adn. 28.

<sup>34</sup> Vide MP V 21.

<sup>35</sup> *Const. P. III c. 1 n. 18; MI Const. III 86.*

<sup>36</sup> Vide MP I 297.

<sup>37</sup> Vide supra, adn. 28.

bis imposuerunt, ut planum videtur esse legentibus. Quare 5.a regula in hunc modum corrigenda videtur: In theologia nostri securiorem et magis approbatam doctrinam sequantur. Cuiusmodi est plerumque illa D. Thomae, in quam ut plurimum, quoad sententias et conclusiones, convenient, praesertim in rebus theologicis, praeter nonnulla, quae licet ei contraria sint, quia tamen sine periculo et valde probabiliter defendi possint, licebit cuique, ad ingeniorum exercitationem, et accuratius veritatis examen, quod maluerint, defendere. Cuiusmodi sunt, quae sequuntur.

Infinitam sane memoriam non satis futuram professoribus, iure quis existimare possit, quando praeter regulas tum communes, tum particulares cuiusque officii, ea quoque, quae in hac studiorum formula traduntur, ita debent memoria complecti, ut in promptu semper ipsis sit, quid ex praescripto, quid libere tradatur in scholis, quid in quovis huius studiorum formulae paragrapho praeciatur. Rursus praeter conciliorum ac summorum pontificum decreta, praeter sanctorum patrum sanctiones atque sententias, ea bene memoria tenere debebunt, quae in tot D. Thomae voluminibus extant, neque communes ac magis receptas eorum ipsorum interpretationes ignorare; ita, ut valde mirum accidere facile possit legenti illa formulae verba pag. 33<sup>38</sup> initio: «Nam de S. Thomae sententiis, quae vulgatissimae sunt, vel per se, vel per interpretum operam facilis suberit recordatio». Quod si eius familiae assecclas obiciant, qui a D. Thomae sententia ne latus quidem unguem recedunt, diceretur, ob id non commendari eorum doctrinam, neque in magno haberi precio; quippe, cum tantum operae eius doctrinae impendant, ut reliquum habeant nihil.

Regula vero, quae hanc 5.m in ordine sequitur, 6.a tollenda videtur. Pro qua satis esse potest tum 5.a regula, tum earum propositionum praefinitio, in quibus aliqua appareat periculi suspicio. Quae quidem propositiones, sive negativae sive affirmativae sint, distincte praescribendae videntur ... [157v] ...

Pag. 15.a reg. 7.a – Prorsus tollenda videtur. Nihil enim continet, quod reg. 5.a et 6.a non fuerit explicatum. Cumulare autem regulas, ubi nulla gravis cogit necessitas, est nihil aliud, quam grave onus humeris professorum imponere.

Pag. eadem reg. 9 – Cum nihil aliud praeciatur praeter id, quod regula 6.a continetur, quoad illam partem, qua nostros D. Thomae doctrinae addicit, tollenda esse videtur cum 6.a. Quod si 6.a non abrogetur, 9.a ut hic habetur, probanda est. Quamvis illud valde ad persuadendum difficile in ipsa videatur, ut rite possit aliquis conclusiones D. Thomae ex praescripto tueri, iis reiectis, quibus illae ab eodem auctore munitae sunt, fundamentis; sicut in disputatione supradicta<sup>39</sup> uberius ostenditur. Praesertim cum formulae auctores, D. Thomae commendantes doctrinam, sic scribant infra pag. 94<sup>40</sup>: «Dubitandum est enim, ne paulatim excidat etc.» usque ad illa verba: «Itaque principio etc.» Haec deinde annectunt: «Titulus articuli, tamquam fundamenti loco». Ex quibus videtur obiici posse, haec, quae hic demonstratur, contradictio vel implicatio manifesta; ac procul dubio doctrinam non minus penes fundamenta, quam conclusiones perpendendam esse, quanti sit facienda.

Pag. 17 et 18 – Multa dicuntur ad secundam methodum refutandam, quae, attentiore animo perpensa, mirum in modum valere videntur ad 6 et septimam regulam abrogandam. Praecipue cum dicitur ad finem pag. 17: «In theologica facultate pleraque esse certa de fide, multa etiam ita recepta ac perspicua, [158r] ut definitione non indigeant etc.» Quod si verum est, non erit laboris immensi, propositiones aliquas enucleate definire, et facili negotio

<sup>38</sup> Vide MP V 25.

<sup>39</sup> Vide supra, adn. 28.

<sup>40</sup> Vide MP V 55-56.



colligi poterunt; quod tamen paulo post pag. 20 dicitur «laboris esse immensi, nec plane fieri posse humano ingenio»; ex his vero, quae hoc loco scribuntur, docemur enumerationem fore perbreve, nec ulli humano ingenio difficile. Iterum illud, quod immediate subiicitur. «Intolerandum iugum nostris videretur, si omnia docere cogerentur ex praescripto, nulla facta potestate libere opinandi ullis de rebus. Quin etiam tam severis legibus nostrorum ingenia non modo astringi non deberent in omnibus theologiae quaestionibus, sed ne in iis quidem, quas S. Thomas pertractat, probatissimus auctor etc.» Atqui 6.a 7.a et 9.a regulae plane nostros in D. Thomae verba iurare<sup>41</sup> cogunt, in Commentariolo id ipsum non semel repetitur, ut a D. Thomae doctrina nostri non recedant. Quod si aliquam faciunt nostris libere de aliqua re opinandi copiam, ob id accidit, vel quia de illa nihil ex Divo Thoma habetur, vel quia nihil ab illo perspicue elicitur, vel quia probatos auctores melius sensisse testatur communis schola, quod 6.a regula dicitur; atque tunc etiam verentur D. Thomam relinquere, ac si fieri posset, eum explicari vellent. Denique, id quod ex Reverendi Patris Generalis auctoritate dicitur, destruit illas regulas, siquidem R. Patris praescriptum nostros D. Thomae non addicit. Eae vero regulae, et pleraque alia in Commentariolo scribuntur, quae in thomistarum sectam ac familiam nostros ascribunt. Atque id mirum accidere videbitur iis qui ea attentiori animo perpenderint, quod vel R. Patri Generali Constitutiones, vel Constitutionibus R. Patrem Generalem repugnantem faciunt, quando ipsis referentibus non semel affirmavit Rev. Pater Generalis, nolle se penitus inhibere, ne nostris liceat ulla in re a S. Thoma recedere<sup>42</sup>, nihilominus tamen, cum nostris professoribus ducem in theologia D. Thomam constituunt, quem ex praescripto sequantur, non gravate ferendum nostris esse persuadere contendunt, quod id Constitutiones praecipiant (P. 4 c. 14 litt. B)<sup>43</sup>. Et quamplurima alia ibidem habentur, quae, ut dictum est, praenominatas regulas abrogare videntur.

Pag. 19 – Ex quinque formulae describendae modis postremus videtur esse nostris studiis accommodator, cum (ut supra notatum est) neque enumeratio futura sit inutilis, neque laboris immensi; accedit, et multa esse in theologia plane philosophica et a philosophis libere defendi, ut praeter ea, quae fide tuemur, conciliorum ac pontificum sancita decretis, vel a sanctis patribus tradita vel communi sententia ac sensu recepta, paucissima esse constet ea, in quibus facienda sit enucleata aliquot propositionum praescriptio. Neque, ut dictum est, Constitutiones nostris D. Thomam absolute praefiniunt, cum concedant, ut etiam Sententiarum Magistrum interpretari possimus<sup>44</sup>. Quod a nostris primis patribus non sine laude factitatum esse intelligimus Societatis nostrae nascentis initio. Non videtur tamen D. Thomas alicui doctorum postponendus; quin immo praefendus omnibus; non ita tamen, ut in eius verba nostris iurandum<sup>45</sup> sit.

Pag. eadem, ad finem – In quinti modi confutatione docetur, si is modus esset probandus, omnium singillatim enumerationem fieri oportere. Sed id verum non est, cum satis esse videatur, si ad pauca quaedam, in quibus aliqua periculi suspicio cernitur, enumeratio descendat. Id autem ita esse, supra ostensum est.

Pag. 34 – Multa dicuntur, quibus 4.m caput oppugnatur. Verum in eorum aliqua partim supra animadversum est, partim vero non difficili negotio ea confutare quis posset; et primum id, quod dicitur de rationibus et fundamentis. [158v]

<sup>41</sup> Vide supra, adn. 5.

<sup>42</sup> Vide supra, mon. 7.

<sup>43</sup> Vide MP I 297.

<sup>44</sup> Vide *Const.* P. IV c. 14 litt. B; MP I 297.

<sup>45</sup> Vide supra, adn. 5.

Pag. 35, ad finem – Si tanti sunt ponderis rationes ac fundamenta, non deberet tanta in ipsis ponendis dari nostris professoribus potestas. Ea datur tamen amplissima pag. 10.

Deinde, cum dicitur, altercationem futuram inter nostros, sitne aliqua sententia gravioris an levioris materiae, coniunctane cum pietate, an abiuncta penitus, neminem movere id potest, ut quantum hoc caput reiiciat, cum minus difficile sit iudicium eius, qui vel mediocriter sit in theologia exercitatus in cognoscendo, quid in theologia grave, quid leve esse possit, quid pietati faveat, quid repugnet. Alioquin ex praescripto omnia tradenda forent professoribus, nec mediocris suppeteret exemplorum copia eorum, in quibus nullus fere timeri possit nostrorum lapsus; immo paucissima dictum est fore, in quibus possit esse in docendo lapsus; ita, ut oportune aliquot propositionum definitione obviam iri possit periculis, quoniam quamplurima sunt de fide vel ex Scripturis, vel ex conciliorum, summorumque pontificum decretis; vel communi patrum consensu atque scholasticorum sententia statuta sunt; nec pauca sunt, quae ex philosophicis principiis deducta libere disputanda permittuntur; ita, ut quae supersunt, non nisi pauca esse possint; neque dubitandum est, indoctos professores, vel quibus non est ocium res circumspectiendi, vel librorum copia deest, vel qui non valent ingenio, aut minime sunt in docendi munere versati, in varios errores labi posse. Verum neque hac ratione ipsis erit consultum, tum quia in iis, quae liberae sunt, atque etiam in philosophicis non levis error, nec minus periculosus lapsus ipsis accidet; tum quia in investigandis, ponendis ac statuendis principiis, in conclusionum deductione, in sexcentis aliis eiusmodi rebus Labendi erit ipsis perfrequens occasio. Alia igitur ineunda via, si illis atque id genus professoribus prospectum iri voluerint patres. Hoc vel id maxime confirmat, quod dicitur pag. 39, versus finem, etiam in ipsius D. Thomae interpretatione et in male opinando turpiter lapsos aliquos esse, ad Patrem Generalem saepe deferri ex provinciis, ut non solum a D. Thomae doctrina nostris recedendum non esset, ut omnia vitare possent labendi pericula, verum statuendae quoque singularum propositionum interpretationes atque in singulis materiis praescribendae sententiae, a quibus ne latum quidem unguem recederent nostri; quod et perquam laboriosum et perquam intolerabile omnibus accideret. Consultius igitur esset, quod ibidem scribitur, ut in iis, in quibus scitur, aliquando erratum esse, non obscure apparet labendi periculum, fiat aliquarum propositionum enucleata praefinitio.

Pag. 45 – Statim initio habentur haec verba: «Verum de iis etiam experimur dissideri, nec ad concordiam perturbendam magnopere interest, in magnisne, an in parvis dissideatur. Non enim solum rei gravitas, sed etiam aemulatio alit contentiones, ut nonnumquam de uno vocabulo loquendique modo acerbissima dimicatione certetur» – et quae sequuntur. Ex quibus efficitur, omnia esse ex praescripto tradenda, non in theologicis modo, verum etiam in philosophicis; in quibus, ut esse solet maior opinandi libertas, ita frequentior ac acerbior dissensio; nec non in philosophicis vel de accentulo et de alicuius voculae interpretatione inter nostros altercatio et non contemnenda discordia . . . [169r]

Ex quinta et sexta regula<sup>46</sup> magna est patribus orta difficultas. Quae etiam ex eo aucta est, quod illam patres Romae deputati praevidentes, in suo Commentariolo tollere contenderunt. Capita autem circa quae difficultas versatur, permulta sunt. Ad pauca tamen omnia revocabuntur.

Primum est, quod quae iis regulis praeciuntur, non videntur Constitutionibus consentanea, vel etiam sunt iis aliqua ex parte contraria. Hoc ita esse patet ex 4 P. in qua ex

<sup>46</sup> Quas videsis in MP V 6 9 et 13.

professo singula Pater Ignatius est persecutus, quae tum ad magistros, tum ad scholasticos domesticos et externos, tum ad doctrinam, tum denique ad auctores ipsos pertinere poterant; ita ut nihil desiderari posse videatur. Et tamen nunquam vel praecepit vel significavit, professores nostros alicuius quamvis insignis viri doctrinae in tam multis, ut patres facere videntur, addicendos esse. Quod si id expedire putasset, profecto non obscure indicasset Pater prudentissimus, sed apertissime declarasset. Eoque maxime in loco, ubi hac de re tractat cap. 14 eius partis, cum solidiorem doctrinam nostris doctoribus sequendam esse praescribit. At ibi nihil minus, praeter id, quod e solidiore doctrina dictum est.

Quemadmodum enim, quia methodum D. Thomae ad docendum aptissimam putavit esse, ibidem D. Thomam praelegendum statuit; ita, si nostris plane retinendam censuisset eiusdem D. Thomae doctrinam, id eodem praecepto complecti in ea Constitutionum parte ac loco debuisset. Neque probabili admodum deductione concludere patres deputati videntur, si solidiori doctrinae adhaerere in Constitutionibus nostri iubentur, et eiusmodi D. Thomae doctrina omnium fere consensu iudicatur, propterea huic necessario subscribendum esse. Primum, quia cum sigillatim etiam in unaquaque facultate quicquid momentum aliquod habere videbatur, expresserit Constitutionum auctor, hanc deductionem per negligentiam non omisisset. Neque patres, qui post Patris Ignatii obitum Constitutiones [169v] examinarunt, declararunt et communi consensu receperunt<sup>47</sup>, eam declarationem apponere neglexissent. Deinde, gravissimo tot ac tantorum nostrae Societatis doctorum, qui primorum patrum, etiam Patris Ignatii aetate floruerunt, exemplo docemur, nullius certi auctoris sententiis nostros esse alligandos. Idque ab ipso nostrae Societatis ortu ad hoc usque tempus deductus usus obtinuit, ut liberum sit professoribus nostris (intra tamen solidioris doctrinae limites consistentibus) eam sequi doctrinam, quam optimam iudicaverint. Quod si nonnullorum vel imperitia vel nimia subtilitate et ardentiori, quam par sit, novarum opinionum studio factum est, ut minus solida doctrina in nostrae Societatis studia irrepserit, remedio aliquo alio, quod cum Constitutionibus congruat, huic incommodo prospiciendum erit. Cuiusmodi remedium reperiri posse, non plane diffidimus.

Neque solum id a Constitutionibus discrepare videtur, ut diximus, sed etiam iis repugnare. Nam, cum in illis quis nobis auctor praelegendus sit, definiatur, non ita D. Thomas praescribitur, quin Sententiarum etiam Magister admittatur. Eodem enim in loco littera B scribitur «Praelegendus etiam Magister Sententiarum. Sed si videretur temporis decursu alius auctor studentibus utilior futurus, ut si aliqua Summa, vel liber theologiae scholasticae conficeretur, qui his nostris temporibus accommodatior videretur, gravi cum consilio etc.<sup>48</sup>». Quibus verbis non obscure declaratur, non ita praeferrī ceteris D. Thomae doctrinam, quin videatur sperandum, utiliorem et accommodatorem aliquando posse reperiri. Qui igitur cogere nostros professores in unius D. Thomae doctrinam contendunt, videant, ne plane Constitutionibus adversentur, cum eae tale quippiam non modo non praescribant, sed ne praescribendum quidem nostris esse definiant.

Secundum caput est, quod addicere doctores nostros D. Thomae vel cuiusvis auctoris doctrinae, est eos facere fere sectarios. At vero quam sit omnibus odiosum sectarii nomen, nemo non [170r] videt. In Italia praesertim, ubi non ita D. Thomae floret doctrina, ut aliorum scientia plane iaceat vel serpat humi. Hinc fiet, ut cum in praesentia ab omnibus familiaribus et sectis vel eam ob rem amentur nostri, quod nulli plane ita adversentur sectae, quin in

<sup>47</sup> Quod factum est anno 1558, in prima congregatione generali; vide decr. 10 et can. 4 huius in *Institutum S.I.* II 161 et 525.

<sup>48</sup> Vide MP I 297.

aliquo cum unaquaque conveniant; cum etiam ab omnibus magnifiant, quippe qui veritatis tantum, non certae alicuius sectae mordicus defendendae studio, non minus solidam, quam excellentem et a vulgo remotam doctrinam tradant, quod ab iis, qui in alicuius, ut ille ait, magistri verba iurarent<sup>49</sup>, fieri non posse, illi ipsi re fatentur. Hinc, inquam, fiet, si unius alicuius familiae opinionibus mancipati fuerint, ut cum aliis sectis inimicitias videantur suscipere, et vel ab iis ipsis, quorum se sententiis obligaverint, negligantur, si ex ipsorum tantummodo fontibus doctrinae rivulos viderint in nostra studia derivari. Nomen igitur excellentis ac praeclarae doctrinae perdent nostri, cum magna famae existimationisque iactura. Neque enim alia de causa tanti aestimari solet ab omnibus doctrina, quam tradimus, ut inter praeclarissima doctorum scripta in bibliothecis illustrium virorum nostrorum etiam professorum magna cum industria quaesita scriptis tradita monumenta servantur, et Patavii ab omnibus religiosorum familiis certatim conquirantur, singularisque beneficii loco ponant, si quando ea impetrarint, nisi quod existimant omnes flores quasi quosdam ex optimis quibusque auctoribus excerptos, et summam omnium bonarum artium esse Societatis nostrae doctrinam. Sciunt enim optime, nostros nulli addictos esse doctori, ut id solum docere cogantur, quod ab illo uno hauserint, quem ex praescripto sequuntur. Sed hinc inde quicquid ab antiquis cuiuscunque familiae doctoribus scriptis est optime traditum, id ipsos magna cum diligentia excipere, industria augere atque ingenio perficere, ut ob id ipsum etiam publice nostrorum scripta doctorum non mediocri pretio [170v] vendantur. Illustrabit autem nos D. Thomae doctrina, quod patres deputati in Commentariolo pag. 29 ad tertium «responde» 2 cap. significant: Si quicquid bene ab ipso dictum est, tradiderimus, ita tamen ut, si quid ab aliis melius dictum fuerit, id ne contemnere videamur. Neque enim solum thomistarum nomen nostris lucem afferet, sed ex gravissimorum quoruncunque auctorum fontibus praeclare hausta doctrina. Immo vero thomistarum nominis appellatio nos vel iis ipsis reddet odiosos; tum quod nomen ipsum ac doctrinam, quae duo haereditario quodam iure a suis maioribus consecuti sunt, nobis vindicare conemur; tum etiam quod in eadem familia primum doctrinae locum tenere omnibus viribus contendamus eiusdemque doctrinae, quam ab ipsis emendicavimus, laudem illam surripere, quam sibi a familiae principibus relictam ipsi studio ac labore non mediocriter auxerunt. Quod si iniquo ferunt animo, quia doctrinam nostram celebrari passim, maximoque in pretio haberi vident, iniquiore profecto animo ferent, nos enixe studere, quo primum in sua familia locum (quod ad scientiam pertinet) sortiamur. Huc accedit, quod caeterae familiae, ut supra significatum est, in nostros vehementer concitabuntur, si viderint, nos non suam, sed aliorum partem tueri. Quod si eos moleste ferunt et insectantur, qui in ea familia nati atque educati sunt, quid sperandum erit de nobis, qui ascriptitii et adventitii merito existimabimur?

Tertium caput est, quod non videntur haec duo admodum cohaerere, ut D. Thomae conclusiones retinere cogantur nostri, et liberum cuique sit, quibuscunque aliis fundamentis illas defendere (quod regula secunda<sup>50</sup> praecipitur). Cum enim conclusiones ex fundamentis naturali quadam connexionem nascentur, quemadmodum patres deputati sentiunt, et quidem iure, D. Thomam caeteris doctoribus, qui adhuc in celeberrimis theologorum gymnasiis floruerunt, praeferendum esse, ita etiam iudicare debebant, solidiora [171r] fundamenta a nostris ipsius conclusionum poni non posse, quam ab eo posita fuerint. Eoque

<sup>49</sup> Vide supra, adn. 5.

<sup>50</sup> Potius regula nona hoc praecipitur; vide MP V 6 et 13.

magis id patribus iudicandum ac statuendum fuit, quod nostri, libertatis plus quam oporteat aliquando studiosi, infirmae doctrinae, alioqui solidae, iacent fundamenta, et quae nonnunquam gravem aliquam ruinam minitentur. Maiorem deinde nostris invicem altercandi occasionem afferet haec libera fundamentorum positio. Hinc enim fiet ut, dum in conclusionibus conformes esse coguntur, acerbissime inter se ac magno cum concordiae detrimento dissideant. Neque hoc ex eo solum, quod diximus, innovandorum fundamentorum studio oriri posse videtur, sed etiam, quod verebuntur permulti, ne caeteris inferiores ingenio atque doctrina existimentur, si nihil afferent in gymnasium, quod tanquam proprium ac suum auditoribus tradant. Quibus eo molestior accadat necesse est, nostrorum inter se dissidentium concertatio, quo leviora erunt ea, quae disputabuntur, cum nodum, ut aiunt, in scirpo quaeri saepe continget<sup>51</sup>.

Quarto. — Cum certum sit apud omnes, philosophiam esse quasi fundamentum vel viam certam ac facilem ad theologiam scholasticam consequendam, si in hac professores nostri unius D. Thomae opinionibus addicuntur, non deberet iis esse tam ampla in illa facultate potestas; alioquin non sicut linum lino conveniet, ut in una D. Thomam sequantur, in altera quem maluerint auctorem, etiam ei doctrina contrarium. At conceditur omnibus fere libertas cuiuscunque in philosophia complectendae sententiae, iis duntaxat exceptis, quibus fidei firmitas et pietatis integritas minuatur.

Quinto. — Sunt praeterea illa capita, quorum sicut praevisa est difficultas a patribus Romae deputatis, ita minus ab iisdem videtur esse sublata. Ac primum illud est, quod sumitur ex aliqua molestia, quam nostris afferre possent et praeclusus aditus ad meliora excogitanda, et tanquam illata quaedam vis ingeniis, si, quibus non assentiuntur animo, [171v] ea dicere cogantur. Quam quidem molestiam tantam esse monstrabit experientia, quantam ne ferre quidem poterit moderatorum ac magistrorum vel patientia vel modestia. Et nunc probe norunt patres, qui Societatem gubernant, et quibus pergrave onus illud incumbit tum constituendi nostros in gymnasiis, tum iisdem praeficiendi, quanta insit in hac una re difficultas. Etenim adeo iam abhorrent nostri a docendi munere, in aliudque minus grave ac laboriosum propendunt, ut moderatores cogantur saepenumero eos magistros constituere, quos minus idoneos ad munus illud efficiendum intelligunt, vel quod immatura aetate sint, vel quod non admodum firma solidaque scientia. Unde fit, ut immaturam etiam atque infirmam tradant, non sine magno discipulorum, tum domesticorum tum externorum detrimento, doctrinam. Ac sane omnes novimus (domestica enim haec sunt, et quae ante omnium oculos quotidie versantur), quantam adhuc in omni doctrina ac disciplina fecerit Societas et scientiae et existimationis iacturam. Neque id tam ob nimiam illam, quam omnes praecidendam putant, doctrinae libertatem accidisse putandum est, quam quod professores non ii sunt, qui pro dignitate docere possint. Hinc igitur, quid in posterum sperandum sit de Societatis nostrae studiis atque doctorum disciplina, planum fiet, si docendi oneri, quod omnes fere intolerabile putant, etiam gravius istud pondus addatur.

Neque vero tale quippiam in Constitutionibus tradi aut imponi videtur professoribus, ut scilicet in alicuius auctoris doctrina conveniant, aut unam eademque omnes tradant. Nam eo loco, quem patres citant ex tertia parte capite primo § 18<sup>52</sup> non id praecipitur. Alioquin neque ipsi possent in fundamentorum eorum investigatione, quibus D. Thomae conclusiones niti debent, iudicium magistrorum integrum liberumque relinquere. Immo, in omni disciplina, ac philosophia praesertim tradenda, in qua cuiuslibet retinendae senten-

<sup>51</sup> TERENCE, *Andr.* 941.

<sup>52</sup> Vide *MI Const.* III 86.

tiae potestatem faciunt, coërcendi nostri essent, et cogendi, ut idem saperent, [172r] cum in ea Constitutionum parte non magis de una, quam de alia disciplina sit sermo. Et littera O exponitur, qualisnam debeat esse nostrorum et in quibus rebus consensus; in iis videlicet, quae magni sunt momenti et ad fidei firmitatem ac pietatis integritatem pertinent. Iis enim verbis: «Novae opiniones admittendae non sunt», statim subiicitur «et si quis aliquid sentiret, quod discreparet ab eo, quod Ecclesia et eius doctores communiter sentiunt, suum sensum definitioni ipsius Societatis debet subiicere». Et clarius ita esse ostendit locus ille, quem ex *Examine* citant cap. 3 § 11<sup>53</sup>. Atque eodem plane modo exponendum constat alium ex 4 p. *Const. cap. 5*<sup>54</sup>, ubi solidiorem doctrinam sequi iubemur; in iis videlicet rebus, quae aliqua ratione vel fidei firmitatem debilitare possent, vel pietatis minuire puritatem. Solidam enim doctrinam ei opponimus, quae periculum aliquod minari et minus favere fidei vel pietati videatur. At quis unquam infirmam dicet eam: materiam primam puram esse potentiam; vel theologiam non esse univoce scientiam cum scientiis naturalibus? Quod si solidiorem doctrinam interpretentur eam, quae firmioribus simpliciter nitatur principiis, hoc primum non in theologia tantum praeciipiendum esset, sed in caeteris etiam disciplinis. Deinde vero fundamenta illa, quae iecit D. Thomas conclusionum suarum, eodem essent comprehendenda praecepto, cum penes ea soliditatem doctrinae metiantur. Quare si iubentis animum spectes, in iis duntaxat doctrina solidior nostris retinenda censi debet, quae fidei ac pietati christianae detrimentum aliquod afferre posse videntur. Quod, ut supra monstratum est, perquam facile fieri poterit, si opiniones aliquot, quae non longe absunt a periculis, quam diligentissime explicentur ac definiantur. Caeterae vero sint omnibus integrae ac liberae, ut quam maluerint, complecti possint. Quae sane facultas quam modestis ingeniis [172v] conveniat, atque homines eos deceat, qui in nobilissimarum artium studio totum vitae suae tempus collocarunt, nemo non videt.

Quod vero subiicitur de libertate in investigandis distinctionibus ac fundamentis, nec non etiam opinionibus innovandis, ut difficillimum videtur, vel certe laboriosum futurum professoribus, praesertim cum nihil a maioribus traditum excipi posse conspiciant, ita permolestum ipsis accidit, eorumque animos a docendi munere deterrebit. Neque minor erit nostrorum de huiusmodi rebus altercatio, quam maxime vitandam esse ducunt patres deputati. Atque ea quidem tanto auditoribus molestior in disputationibus publicis futura est, quanto inutilior, cum saepe fiet, ut de re non admodum gravi, clamoribus potius quam argumentis excitata atque aucta, disceptetur, cuius tota difficultas in alicuius voculae interpretatione vel inauditae distinctionis explicatione consistat. Quid? Quod non minus videtur imminere periculum iunioribus in investigandis ponendisque principiis, atque in illa, quae conceditur, opinionis innovandae libertate, quam si tritam veterum doctorum semitam ingrederentur? Nec fieri posse videtur, ut infirmis ac debilibus fundamentis firma ac solida doctrina nitatur. Immo vero levis in principiis lapsus gravissimus fiet in conclusionibus error. Unde in iis collocandis existimat magis laborandum esse Philosophus, quam in eruendis, quae ex illis natura sua oriuntur, conclusionibus.

Minus praeterea consultum erit hac re iunioribus, quibus, quod in conclusionibus admittitur, id totum in fundamentis conceditur iaciendis. Sic enim contra spectata iam sapientia magistros arma sumere poterunt, eosque oppugnare maiori cum ipsorum molestia, quam si illi contrariam egregii alicuius doctoris sententiam defendendam assumerent. Minus

<sup>53</sup> Vide *MI Const.* III 13 § 11.

<sup>54</sup> Vide *MP I* 221 § 4.

enim grave videri solet, spectatis diu professoribus, gravissimi alicuius viri argumentis, quam levibus quibusdam iuniorum inventis oppugnari. [173r]

Quod ad modestiam nostrorum attinet, quae hac, quam patres ineunt, ratione magis in publicis disputationibus laedetur, alia constat esse quaerenda remedia. Ad collegiorum vero rectores ac studiorum praefectos spectare videtur, ut quorum causa ea violabitur, eorum publice ac privatim repriment audaciam, nulla, cum ita res tulerit, vel personae vel officii ac dignitatis habita ratione.

De iactura doctrinae atque existimationis, quam faciet Societas, si unici doctoris doctrinae addicatur, supra cap. 2 dictum est. Illud solum hic advertendum videtur: quod sibi patres obiiciunt de theologia nostra, quae non nitetur insigno aliquo doctore, eum per omnia sequendo, id praeter rem omnino accidere. Cum enim regulis 5 et 6 nostri D. Thomae opinionibus addicantur, atque id saepe in Commentariolo, ac passim in tota hac formula repetatur; et, quod maius est, eo ipso loco, quo id sibi patres obiiciunt, aperte declaretur, quis sanae mentis nobis obiiciet, nulla probati doctoris auctoritate niti theologiam nostram? Quasdam dicent definitas esse sententias, quasdam vero liberas relinqui. At eae sunt, de quibus vel nihil certe a D. Thoma traditum esse constat, vel aliquid ex ipso ad utriusque partis defensionem educi facile possit. Atque id ex sexta regula planum fit, in qua, cur quaedam definiantur, redditur ratio, ut nemini iam, qui hanc formulam legerit, possit esse dubium, quin nobis in theologia dux D. Thomas proponatur, ipsiusque doctrinae professores nostri mancipientur, atque id etiam eam ob rem in 2<sup>o</sup> cap. sit obiectum, ut involucro aliquo tegetur id, quod luce clarius est.

Quod vero ibi de retinenda concordia dicitur, ut verum esse fateri debent omnes, qui bonum Societatis optant et procurant, ita dissidentium nostrorum incommodo minus prospectum esse illo, quod asserunt patres deputati, remedio, monstratum est supra. Etsi enim in uno professoribus altercandi praeciditur facultas, multo amplior tamen in altero periculosiorque relinquitur; rerum [173v] experientia ipsa docebit apertius, aliunde petendam esse huic morbo medicinam. Constitutiones autem (quod supra dictum est) non significant, in quavis re idem nostris professoribus esse sentiendum, sed in gravi atque ea, in qua vel infirmandae fidei vel pietatis minuendae dari possit occasio. Alioquin etiam in grammaticis, rhetoricis ac philosophicis omnibus statuendis, quae saepe in controversiam aut disceptationem vocari solent a nostris, idem deberet esse omnium sensus; neque in theologicis esset liberum quippiam relinquendum, quod vel ad conclusiones vel ad rationes ipsas atque principia pertineret.

Cap. 3 in Commentariolo positum<sup>55</sup> a patribus eam continet difficultatem, quae supra exposita est; intolerabile nimirum onus imponi professoribus. Id, quod rerum magister, usus in dies magis docebit. Neque quod patres ex Constitutionibus afferunt, huic malo medetur. Non enim erunt ignari doctores nostri, nihil tale in Constitutionibus haberi, sed id a patribus deputatis potius extortum intelligent. Neque illud ipsis poterit unquam esse solatio, quod aliis religiosorum familiis ac professoribus idem quoque sit iugum impositum. Immo vero hoc ipsum iis accidet molestissimum, quod cum Constitutionum sapientissimus auctor nostros in omnibus plane ab aliis differre voluerit, haec studiorum formula certae eos familiae mancipet; et iugum, quod caeteri cuiuscunque sectae magistri ferre non possunt, et si possent, abiicerent, eorum cervicibus aliquanto imponi videri potest acerbius. Cumque gloriari merito consueverint Societatis filii, quod et externo corporis habitu atque vestitu atque vivendi modo, et Constitutionum ratione et doctrinae varietate

<sup>55</sup> Vide MP V 24-25.

singulares habeantur et sint, iure etiam merito videntur molestissime laturo, communi se cuidam subiici thomistarum docendi rationi; deplorabuntque saepe illa tempora, quibus et maior vigeat in amplectendis opinionibus libertas, et professores nostri in omni doctrinae atque scientiae genere maxime floreant.

Altercatio inter studiorum praefectos et magistros non minor, sed maior fortasse continget [174r] in fundamentorum positione, nec dispar in opinionibus innovandis industria. Cui quidem rei, cum molestior forsitan ac periculosior futura sit, quam unquam antea extiterit, prospiciendum erit in hac formula. Cum enim aliqua conclusionum fundamenta nonnunquam accadat esse conclusiones a D. Thoma alibi explicatas, si ea non amplectantur ac probent professores, sed refutent, excitabitur sine dubio inter eos et disputationum praefectos non optanda contentio. Cum hi quidem fundamenta illa, quod D. Thomae conclusiones sint, retinenda omnino esse contendunt; illi vero refutari merito posse, quod ut aliarum conclusionum fundamenta sumantur. Hinc illud identidem in quaestionem vocabitur, num principia firma sint, et conclusionibus apta stabiliendis, num D. Thomae doctrina consentanea. Cum vero novae opiniones aliquae statuentur, num illae firmatae sint ac solidae, num validis rationibus roboratae. Omitto caeteras altercandi occasiones, quae ex hoc uno capite orientur.

Quae in quarto capite afferuntur pro difficultatum, quarum ibi mentio fit, solutione, multa plane destruere videntur eorum, quae supra in Commentariolo statuta sunt. Primum enim quod aiunt, quartum illud genus definiendarum propositionum, earum scilicet, quae magis firmis rationibus ac fundamentis nituntur, ob id esse necessarium, quod propter rationes ac fundamenta doctoribus existimatio accedit vel recedit, hoc omnino destruit, quod supra positum est, dandam esse nostris libertatem in investigandis principiis ac rationibus. Idque nostris minus grave futurum, quam thomistis, qui Divi Thomae non modo conclusiones, sed rationes etiam ac fundamenta ex praescripto tuentur. Hic enim docent patres, rationum monumenta in hac forma suo iudicio iure subiicienda esse. Quae tamen supra integra professoribus liberaque concesserint. Cum vero de principiis loquentes iidem patres ostendunt, secundum genus non esse satis, nullam esse dicunt [174v] theologiae partem, in qua timeri non possit nostrorum lapsus; at id primum non est etiam exiguum in philosophia, si longe petitum periculum videant; quare neque in ipsa quicquam relinquatur, quod ipsorum iudicio definitum non sit. Supra tamen regula 3 statuunt, aliquas liberas, quod nullus in iis aut casus aut prolapsionis metus esse possit, ita namque ibi scribitur: «quia tamen contraria et sine periculo et valde probabiliter defendi possunt. Si quis haec docere velit, conniveant superiores ad ingeniorum exercitationem et accuratius veritatis examen»<sup>56</sup>. Praeterea, quod ad rationem ac principiorum inventionem attinet, libertas, ut saepe diximus, datur nobis amplissima, in solutione praesertim primae difficultatis, cum his verbis nostrorum professorum nituntur lenire molestias.

Huius formulae scriptores, post sedulam de tota re deliberationem, mediocritatem omnem in eo positam esse duxerunt, ut ingeniorum exercitationi campus aliquis pateat ac libertas primum in iis, quae libera relinquuntur, deinde in excogitandis distinctionibus ac fundamentis, quibus ea, quae definita sunt, stabiliuntur; et paulo post, tum in aliqua novarum quaestionum opinionumque excogitatione. Hic vero eandem videntur adimere, quod ea in re maximum inesse periculum iudicetur, cum aiunt: «Deinde, quod additur de periculis habentibus in re fundamentum, nihilominus hoc caput numerosum est, cum nulla plane

<sup>56</sup> Vide MP V 6.



sit theologica quaestio paulo gravior, in qua timeri non possit periculosus aliquis lapsus, vel in conclusione, quae defenditur, vel in aliqua praemissarum, quibus illa probatur, vel in vi consequentiae, vel in modo loquendi, vel in aliqua distinctione seu fundamento, quod supponitur»<sup>57</sup>. Neque vero, quod ibi significatur, iudicio praefectorum statuendam esse innovationem fundamentorum vel quaestionum ac opinionum, difficultatem tollere videtur. Etenim, neque in omnibus id fieri posset, nec sine ingenti tum professorum tum praefectorum molestia in paucis fieret; neque, quod addicitur, difficultatem [175r] elludit; tolli quidem non posse in omnibus, et in paucis praecidendam esse lapsuum occasionem. Nam, ut ex iis, quae adduximus, patet, etiam in definitarum propositionum fundamentis investigandis ampla conceditur professoribus facultas.

Ad extremum, cum tertium genus propositionum satis non esse probare contendunt, ad finem adiiciunt haec verba: «Verum, de iis etiam experimur dissideri, nec ad concordiam perturbendam magnopere interest, in magnisne, an in parvis dissideatur. Non enim solum rei gravitas, sed etiam aemulatio alit contentiones, ut nonnunquam de uno vocabulo loquendique modo acerbissima altercatione pugnetur»<sup>58</sup>. At vero supra et ad exercitationum ingeniorum, et ad veritatem accuratius investigandam conceditur libertas; atque etiam, ut aciores fiant inter nostros publicae disputationes, leniaturque molestia illa, quam possent ex omnium propositionum definitione concipere. Ex quibus omnibus primum pugnantia videri possent afferri, et quae supra sunt constituta, hic plane everti. Deinde vero non esse consultum nostrorum concordiae hac, quam constituunt, studiorum formula. Quae sane concordia eo etiam magis laedatur necesse est, quo vehementius professores in concertationibus publicis propositiones definitas oppugnabunt, atque eas praecipue, quae minus firmas ac veras iudicabunt; et quo infirmior erit earundem defendendarum ratio doctoribus iis, qui contra sentient ac defendent. Quae enim vera non putamus, et acius oppugnare solemus et aegrius defendere. Denique ex his colligitur, etiam in levissimis quibusque rebus idem esse sentiendum, ut inter nostros concordia servari queat, atque in iis omnibus D. Thomam sequendum. Quod significare ibidem patres videntur, cum dicunt, pietatem et concordiam plurimi nostris esse faciendam ex Constitutionibus; et cum in levibus utraque pars probabiliter defendi potest, si in alteram nostri partem propendere debent, non esse rationem, cur D. Thomam deserant.

Iam vero, ultimo capite quae dicuntur, nostros plane facere videntur thomistas, confirmantque [175v] quod antea dictum est, objectionem in 2 cap. positam praeter rem extitisse, non exiguum etiam futurum nostris laborem demonstrant. Quippe quibus in D. Thomae sententiis intelligendis et explicandis, si eas tueri cogantur, multum operis ponendum sit. Quod si hoc thomistis ipsis negotium facessivit, ac neotericos adeo fatigavit, ut post multas inter sese easque peracres concertationes, contraria plane iis, quae ab antiquioribus tradita fuerunt, ut se tanto labore tantaque molestia liberarent, definienda esse putarunt; quid laboris atque oneris nostrorum quoque professorum humeris impositum sit, ratio ipsa et experientia docebunt.

Quamvis in praescribenda quavis formula studiorum philosophiae ac theologiae graves ac multae difficultates occurrant, et difficillimum sit in moralibus aliquid statuere, quod omnia penitus incommoda tollere possit, ea tamen formula pauciora continere videtur, quae praeter generales regulas singillatim determinat omnia, quae aliquid periculi habere videntur, per negativas praesertim propositiones, vel etiam, ubi opus fuerit, per affir-

<sup>57</sup> Vide MP V 27.

<sup>58</sup> Vide MP V 30.

mativas. Hoc enim et gratissimum erit magistris Societatis, et facilius contentiones inter praefectos et professores evitabit; et opus erit difficile quidem, non tamen quod in immensum omnino procedat, cum in theologia plurima sint, quae explorata patet esse de fide, vel haeresim sapere, vel erronea aut temeraria esse. Plurima etiam reperiantur ex philosophicis dependentia, quorum priora vel nulla vel generali dumtaxat determinatione indigere videntur; posteriora vero non alia, quam quae in philosophicis fieri debet. Quare in theologia ea solum determinanda supererunt, quae non ita perspicue patet, periculum aliquod continere. Haec autem discurrendo tum per singulas quaestiones D. Thomae, tum per illas materias, quae ab illo non omnino exacte explicatae sunt, particulatim determinari poterunt. Et quidem si caeterae occupationes permisissent, additum hoc loco fuisset exemplum in una vel altera parte Summae D. Thomae.

### Didacus Tapia S.I.<sup>59</sup>

Advertendum in primis mihi vissum est, multas huius libri propositiones esse dubias, et posse trahi in sensus diversos. Quare saepe patres (quorum disputationi ego interfui) cum de eis deliberare volebant, de sensu propositionis nonnumquam inter se dissidebant. Et quia in uno sensu talis propositio erat vera, in alio falsa, liberam absolute, ut iacet, relinquebant propositionem. Aliquando, sine distinctione, nec affirmare eam volebant aut negare. Cuius rei multa possem adducere exempla, sed ex istis propositionibus multae notatae et distinctae inveniuntur in revisione siciliensi. Et quasdam ego statim notabo et distinguam. Hanc autem dubietatem maximum esse censeo inconueniens, cum, quia non proponitur nobis clare, quod affirmare debemus, vel negare, contra institutionis huius finem; tum etiam, quia erit nonnumquam disensionis causa inter praefectum studiorum et professores, dum unusquisque suum sequi sensum mallet, quam alterius; et denique hac ratione non unitatem in doctrina, quam praetendit Societas, habebimus. Quocirca oporteret ita clare et distincte propositiones ponere, ut non esset locus diversis expositionibus.

### Animadversiones circa regulas (f. 10)<sup>60</sup>

In secunda regula secunda pars eius sic videtur melius explicata: (quare opinionem ullam novam et singularem nemo defendat). Nam sic cohaeret sensus secundae partis cum sensu primae partis; et primum, quia loquitur regula de opinionibus novis prohibendis, quae quamvis hactenus disputatae non fuerint, censentur tamen contra communem sensum scholarum; non vero loqui intendit de opinionibus iam disputatis contra communem sententiam. Nam harum nonnullae tamquam plus verae aliquando defenduntur aliqua firma ratione, uno aut altero insigni autore sufragante.

In quarta regula, quae incipit: «In quaestionibus» inconueniens videtur, professores nostros non posse dubitationes novas introducere, si modo [*Stud.* 2, f. 40v] earum decissiones sint iuxta regulas supradictas. Tum quia praecluditur via bonis ingeniis et faecundis theologiam novis quaestionibus et decissionibus locupletandi; tum quia molestum esset semper, immo perdifficile, cum longe abesset provincialis, eius consensum et approbationem requirere. Satis forte esset consulere rectorem collegii et praefectum studiorum, et postea admonere provincialem.

<sup>59</sup> De D. Tapia S.I. et eius tractatu cf. supra, *Introd. gen.*

<sup>60</sup> Eas vide in MP V 6 9 et 13.

In quinta regula, quae incipit «In theologia etc.», quae advertenda videntur circa S. Thomae doctrinam conservandam et defendendam, dicam infra circa Commentariolum libri. Nunc accedam ad propositiones eas, in quibus aliquid novi habui dicendum, praeter id quod nomine provinciae missum est . . . [49r]

*Circa regulam 9.am, quae incipit: «In caeteris . . .» (fol. 15)*

Quoad secundam partem huius regulae, ubi non sic approbatur doctrina S. Thomae in philosophia ac in theologia<sup>61</sup>, hoc mihi admonere visum est, eius in philosophia doctrina non debere sic libere oppugnari, sicut a nonnullis oppugnatur; tum quia ipse secutus est exactissime vestigia Aristotelis, cuius sensus intime penetravit. Et sic illi Aristotelem potius oppugnabunt, cuius autoritas in philosophia apud omnes est et apud nos debet esse gravissima; tum etiam quia, cum theologia in multis supra principia philosophica nitatur, ex parte destructa philosophia S. Thomae, eius theologiam sequi non poterimus.

Scio nonnullos non ita celebrare S. Thomam in philosophia, ac in theologia celebrare illum videntur. Et hanc pro se adducunt rationem, quia S. Thomas graecam linguam non intellexit, et sic Aristotelis sensum non penetravit ita intense, ac alii antiqui et moderniores graecizantes. Horum rationem non esse tanti momenti, patet. Primo, quoniam S. Thomas, si graecam linguam non novit, vidit, legit, intellexit traductiones et commentaria graecorum, qui satius intellexerunt Aristotelem, quam illi moderni, qui S. Thomae philosophiae opponuntur. – 2<sup>o</sup> quia ea loca, in quibus inter graecizantes est controversia et Aristotelis sensum, pauca sunt; et pautiora illa, quae continent axiomata aut doctrinam aristotelicam magni momenti. Nam communiter omnes traductores conveniunt in modo traducendi Aristotelem, et sic si aliquem errorem in philosophia S. Thomas arguet, istorum ratio in his opinionibus erit, in quibus earum fundamenta sunt ex Aristotele varie traducta. – 3<sup>o</sup> quoniam in philosophia et metaphisica controversiae multae sunt, in quibus de sententia vel sensu Aristotelis non dubitatur. Saltem in his S. Thomas praeferendus aliis esset, sicut in theologia praefertur. In theologia enim is praefertur aliis propter eius ingenii acumen, propter eius in literis studium et exercitium continuum et alias similes qualitates. Ergo cur non in philosophia, cum propter eas potuerit in philosophia sicut in theologia esse facile omnium principem? Haec dixi quia, ut mihi videtur, expediret, ut S. Thomas etiam in philosophia esset in magno pretio, licet nos ad illum defendendum in ea ac in theologia adeo stricta lege non teneremur . . . [49v] . . .

*Animadversiones seu considerationes circa Commentariolum (fol. 16)*<sup>62</sup>

*De formula disponendi propositiones theologicas*

Circa formulam et modum disponendi theologicas propositiones, examinatis iis, quae in Commentariolo exponuntur, visum fuit huius provinciae patribus, duos modos proponere<sup>63</sup>: Primus est, ut, propositis primum quibusdam regulis generalibus iuxta illas, quae sunt fol. 9, per omnes materias omnes propositiones tam liberae quam determinatae staterentur eo modo, quo disponuntur propositiones de Scriptura, de Ecclesia, de pontifice etc. infra fol. 322<sup>64</sup>. Hic modus mihi placuisset, si factus esset is liber theologiae, de quo

<sup>61</sup> *In marg. m. Tapia* De retinendo S. Thoma in philosophia.

<sup>62</sup> Vide Commentariolum in MP V 18-31.

<sup>63</sup> *In marg. m. Tapia* Formula prima.

<sup>64</sup> Vide MP V 14-17.

Constitutionum 4 Parte c. 14 § p.o litera B fit mentio<sup>65</sup>. Absolute autem et omnino non mihi placet. Cuius rei hae sunt rationes: Prima, quoniam is videtur impossibilis. Conficere enim totum corpus theologicarum propositionum non monstrum, sed cohaerens et proportionatum, adeo, ut in propositionibus sit talis veritas et inter eas talis coherentia, ut ab universa Societate suaviter acceptetur, si non sit liber aliquis, qui earum reddat rationem, opus est magnum et perdifficile.

2.a, quia in omni facultate sit receptissimum, habere aliquem insignem doctorem in eam ducem a divina providentia mundo propositum, dignum et iustum est, ut in theologia scholastica hic non desit; et si non deest, haudquaquam reiiciatur. Sequuntur rhetores Demostenem et Ciceronem, poetae Virgilium, philosophi Aristotelem. Non ergo placet formula, quae contineat doctrinam theologicam, cuius non sit aliquis insignis dux et omnium facile princeps; maxime cum sit S. Thomas in theologia scholastica et metodica omnium praestantissimus, quem in eo pretio habet tota Ecclesia<sup>66</sup>, et specialiter nostra Constitutio<sup>67</sup>, ut dignum sit non solum, qui a nobis legatur, sed velut dux in theologica doctrina proponatur imitandus.

3.a, quoniam studentes addicti alicui doctore doctiores evadunt, sicut experientia comprobatum est, et ex proverbio, quod ab hominibus unius libri docet nos caveri. Ingenia enim, pro varios [50r] libros dispersa, maxime in principio potius distrahuntur, imo destruuntur quam instruuntur. Dum vero circa intelligendum aliquem authorem laborant, mire acuuntur et illuminantur, et ad alia et maiora intelligenda capaciora fiunt. Quocirca experti sumus, nostros studentes, qui S. Thomae et Caietani studiosissimi fuerunt, praestantissimos evasisse. Ex quo intelligitur, nulla ratione esse acceptandam eam formulam, quae ab uno insigni doctore, qui in Societate legatur, alienet scholasticorum animos. Is autem liber theologiae modo Summa S. Thomae est, non solum ex nostrae Constitutionis praescripto<sup>68</sup>, sed ex totius mundi suffragio. An autem fiat alius praestantior eo, nescimus.

In arte oratoria nullus sic superavit Ciceronem, immo nec ei se aequavit, ut in ea arte summus dux evaserit. Et idem dico in philosophia de Aristotele, et in arte poetica de Virgilio. Satis enim quisque praestantissimum se fecisse putat, si hos summos duces recte interpretari et exacte imitari cognoverit. Eodem ergo modo quandoquidem S. Thomas in eo pretio habeatur ab universa Ecclesia, ut sit summus (quid enim postea fiet, nescimus), satis se fecisse putent omnes, si eum recte interpretari scient, et eius in doctrina theologica vestigia sequi, nec formulam quaerant, quae ab studio huius sancti doctoris theologiae studiosos avertat.

Secundus modus<sup>69</sup>, qui placuit, est, ut propositis regulis communibus, propositoque catalogo uno propositionum determinatarum, altero propositionum liberarum, in reliquis omnes sequerentur doctrinam S. Thomae. Addunt vero <sup>40</sup> hanc legem universalem, ut liceat opinari contra S. Thomam, dum opinans habeat pro se contra eum quatuor classicos authores. Inter classicos autem admittunt innumeros, ut Scotum, Durandum, Alexandrum, Marsilium etc.<sup>70</sup>; et a classicorum numero excludunt Capreolum, Caietanum, Sotum etc., dicentes, hos et alios similes non ponere in numero cum S. Thoma, quod in eius verba iuraverint<sup>71</sup>.

<sup>65</sup> Vide MP I 297.

<sup>66</sup> Vide MP V 55 adn. 1.

<sup>67</sup> Vide supra, adn. 65.

<sup>68</sup> Const. P. IV c. 14 § 1; MP I 297.

<sup>69</sup> In marg. m. *Tapia* Formula secunda.

<sup>70</sup> De his antiquis theologis cf. MP V 18.

<sup>71</sup> HORATIUS, *Epistolae* I/1 14.

In hoc quarto puncto haud quaquam consensi. Cuius meae opinionis hae sunt rationes: Prima, quia hoc esset manifeste reiicere S. Thomam a scholis nostris (quibus autem rationibus hoc non sit expediens, diximus ex parte et statim dicemus). Exclusis enim opinionibus, quae manifeste in Scriptura fundantur aut in communi patrum doctrina, raro deerunt ex tanto numero scholasticorum quatuor doctores contra S. Thomam. – Secunda ratio, quia cum S. Thoma etiam reiicietur doctrina magis segura et approbata (quod neutiquam nobis nec ulli licet), quia ex tot doctorum scholasticorum non raro inveniuntur quatuor, qui in aliquam opinionem absurdam aut obsoletam comprobendam conveniant; deinde, quia si sunt quatuor opinantes contra S. Thomam, erunt forte pro ipso plures aut ex alienis aut ex thomistis. In quo casu etiam magis approbata doctrina deseretur. Nam si sunt cum S. Thoma quatuor ex alienis, iam manifeste patet non solum reiici S. Thomam (qui pro multis ex illis valet), sed quatuor aut plures aequalis aut maioris auctoritatis, quam illi quatuor, qui adducuntur ab opinante contra S. Thomam. Si vero sunt cum S. Thoma quatuor ex suis, hoc est ex illis, qui thomistae vocantur, eodem modo dicendum est. Nam Capreolus, Caietanus et alii similes, quando iurarunt<sup>71</sup> pro S. Thoma, illum sequuntur velut ducem verissimum, ut vere est. Quando autem in aliqua re a veritate discedit (erat enim homo), illum deserunt. Signum igitur est, ipsos authores in S. Thoma amavisse veritatem. Ergo sicut quando reiicitur S. Thomas cum quatuor alienis, reiicitur magis approbata doctrina; eodem ferme modo, quando reiicitur cum quatuor ex suis, tum quis vetat illos quatuor, qui alligantur contra S. Thomam, non esse etiam fautores alicuius doctrinae specialis? Cur ergo illi ut non suspecti admittuntur, [50v] isti reiiciuntur? – 3.a, quoniam si haec libertas admittatur, nihil minus erit apud nos, quam unio doctrinae, quae quaeritur. Nam, proposita aliqua quaestione, si unus S. Thomam et suos sequitur, alter quatuor quosdam, tertius nonnullos alios quatuor authores, necesse erit diversis opinionibus et dicendi variis modis scindi nostros professores. – 4.a, deerit etiam illa consensio et pax quae desideratur, propter diversos modos dicendi supradictos; et deinde, quia uno professore volente aliquam tueri sententiam, facile ad eam trahet quatuor scholasticos ex tanta multitudi- ne, sive clare sive obscure loquantur. Cui resistente alio vel praefecto, necesse erit, ut ea pax et concordia desit, quae maxime hac studiorum ratione praetenditur.

*Modus quo supradicta formula debeat statui, et S. Thomae doctrina a nostris defendi*

Ex dictis colligo, quid videatur mihi circa formulam proponendam de delectu theologiarum propositionum. Imprimis regulae statuuntur universales supradicto modo. Deinde statuatur, ut nostri non opinentur contra S. Thomam, saltem in Summa, nisi in expressis propositionibus. Harum autem fiat catalogus duplex, in uno ponantur determinatae contra eum, et hae sint paucissimae. In secundo ponantur liberae propositiones, ut illa, si homo non peccaret, Christus fuisset nihilominus incarnatus. Tertio, de his, quae S. Thomas non tractavit, vel non distincte expressit suam mentem, possit fieri catalogus alius de determinatis et liberis propositionibus, et observetur illa regula undecima fol. 15<sup>72</sup>, quae praescribit, ut nostri sequantur probatos authores.

Explico omnia, quae dixi in hac formula<sup>73</sup>. Et in primo puncto nulla est controversia; [Aliter] in secundo. Hic sunt enim, qui refugiunt valde, S. Thomae esse alligatos. Quorum

<sup>72</sup> Vide MP V 13.

<sup>73</sup> *In marg. m. Tapia* Quo modo non solum legere S. Thomam, sed eius opiniones sequi debeamus.

obiectioes praetendunt hac via doctrinam veriore et maiorem Societatis existimationem. Vide eas in Commentariolo fol. 25 et 30<sup>74</sup>. Quidam alii volunt sequi thomisticam doctrinam, sed facto videntur negare, dum tot propositiones determinatas contra eum et tot liberas nobis proponant, ut ferme nihil de S. Thomae doctrina sequendum necessario praescribant. Et isti sunt plures, et fere videntur authores illi, qui composuerunt librum de ratione studiorum. Nam si relinquamus conclusiones, quae inveniuntur in S. Thoma, de fide vel consensu ecclesiasticorum doctorum corroboratas, in quibus omnes scholastici et catholici doctores conveniunt (hae enim in rigore non pertinent ad doctrinam S. Thomae, sed ad communem Ecclesiae), et accipiamus eas, quae sunt controversae inter scholasticos, quas S. Thomas affirmavit contra aliquem vel aliquos ex illis, tot ex illis negantur in hac formula, vel liberae in ea relinquuntur, ut doctrina S. Thomae vix subsistere videatur. Si quis enim S. Thomam legeret ac interpretaretur, et omnimoda facultate concessa uteretur ad illum contradicendum, nihil minus legeret, quam S. Thomam. Plures enim eius conclusiones contradiceret, quam acceptaret; et sic omnem eius fere doctrinam everteret, ut in iis, quae dixi supra; maxime circa 11.am propositionem ex liberis<sup>75</sup>, in cuius principiis ipsa nititur; quantum ad ea, quae lumine naturali cognoscuntur, ut supra dixi circa reg. 9.am fol. 15. Deinde nonnunquam negantur aliquorum sanctorum patrum dicta, quae miro studio secutus est S. Thomas, ut supra etiam dixi. Quam autem immerito hoc fiat, his rationibus probatur. [51r]

Primo, quia S. Thomas, absque controversia, omnium scholasticorum est facile princeps, iuxta ea, quae dicuntur in Commentariolo f. 22 23<sup>76</sup>. Quae nos inducere deberent ad illius doctrinam omnino tenendam. Habuit enim (ut breviter loquar) has excellentias: prima, acumen ingenii et claritatem supra omnes; – 2.a sanctorum patrum lectionem et exercitium in lectionibus et disputationibus assiduum adeo, ut in hoc longe alios superaverit; – 3.a non scripsit iuvenis, sed postquam multa viderat, legerat et scripserat. Summam edidit veteranus; – 4.a non vanae gloriae appetitu, non contradicendi studio scripsit (quod multos seduxit et a veritate distraxit), sed amore Dei et reipublicae iuvenesque studiosos adiuvandi voluntate; – 5.a fuit divinis inspirationibus et supernis illustrationibus frequenter illustratus, quibus ad veritatem inveniendam ducebatur eius animus.

Ex quibus intelligitur, qua ratione S. Thomae doctrina adeo sit pura et sanctorum doctrinae concors et veritati, ut in ea nihil temerarium, nihil erroneum aut scandalosum aut male sonans inveniatur. Intelligitur, quam merito ab Ecclesia sit approbata et ab universitatibus recepta, et in maximo pretio habita<sup>77</sup>. Immerito ergo nos talem ducem non sequemur in theologica doctrina.

Secunda ratio, quoniam nostra Constitutio S. Thomam legere nobis praecipit (4 P. c. 14 § p.o)<sup>78</sup>; et eadem praescribit sequi debere doctrinam severiorem et magis approbatam, et legere libros, qui continent (4 P. c. 5 § 4)<sup>79</sup>. Ergo sensit eam esse in S. Thoma, et idcirco volumus non tantum legere, sed illius opiniones sequi. Confirmatur: nam omnes patris praecipula plerumque pluerunt; maxime R.P. noster Claudius praecepit, ut nostri auctoritas non discerneretur a magnis de causis, ut refertur in lib. fol. 22<sup>80</sup>.

<sup>74</sup> V. c. 2 et 24.

<sup>75</sup> Quod est ratio

<sup>76</sup> V. c. 1.

<sup>77</sup> In. I.

<sup>78</sup> In. I.

<sup>79</sup> In. I.

<sup>80</sup> In. I.

ntem operationem » etc.; vide MP V<sup>1</sup> 1.

Tertia ratio, quoniam non solum non existimatio Societatis minuetur, sed adiungetur maxima, et conciliabitur ei publica benevolentia. Cum enim S. Thomas apud omnes Ecclesiae universitates sit in tanto pretio, quando videant in Societate sic bene nostros interpretari eum, studiose sequi, non poterunt de nobis non concipere bonam existimationem, et erga nos benevolentiam habere maximam. Sicut, si videant nos illum frequenter improbare, non deerunt aemuli magnae existimationis, qui nostram diminueret et omnino tollere praesumant.

In secundo et tertio puncto, de componendo cathalogo propositionum determinatarum et liberarum, maxima est, meo iudicio, difficultas<sup>81</sup>; praecipue si uno eodemque tempore conficiendus sit. Rationes sunt hae: Prima, quia inter innumeras conclusiones totque tantorum doctorum opiniones statuere, quid in universa Societate tenendum sit, quodque omnino convenientius, difficillima sane res est. – 2.a, quia Societatis provinciae sunt diversissimae; quodque in una indubie defendi, in aliis non sine offensione saltem defendi poterit. Sicut enim diversitate temporum diversae fuerunt opiniones theologicae supra multas quaestiones, ita pro diversitate locorum. Quocirca in faciendo cathalogo haec omnia considerata sunt. – 3.a, ingenia hominum non secus ac facies et voces sunt diversissimae; et unusquisque naturaliter vult in suo sensu abundare<sup>82</sup>. Difficile ergo erit cum ea, quae convenit, suavitate uno tempore et simul cathalogum conficere propositionum, in quibus omnes unanimiter consentiant. – 4.a, quia Ecclesia non uno tempore a principio habuit omnia tenenda et credenda explicite. Habuit certe necessaria, at multa dogmata [51v] fidei discursu temporis cognovit ex definitione pontificorum et conciliorum aut sanctorum concordii doctrina, prout necessitas occurrebat respondendi dubiis, quae oriebantur, vel contradicendi haereticis, male res fidei interpretantibus. Iuxta hanc ergo similitudinem videtur, unitatem in doctrina a nobis esse quaerendam.

Fiat ergo modo cathalogus brevissimus, ut paucae admodum propositiones determinentur et liberae relinquuntur; et deinde secundum quod occurrunt dubia et occasiones, copiosior fiat. V. gr. statuatur, quod omnes teneant B. Virginem fuisse sine peccato originali sine fomite etc. et aliae similes. Statuatur, ut sint liberae aliae v. gr. Si homo non peccaret, Christus non fuisset incarnatus; puer in primo instanti usus rationis tenetur converti in Deum; et aliae, quas facile omnes acceptabunt esse liberas, ut patebit ex iis quae mittentur modo a provinciis. Statuatur praeterea, ut nullus contra S. Thomam opinetur sine facultate et maturo consilio; id est, sine facultate provincialis; cuius consilii provincialis certiorum faciat R.P. Generalem. Tunc autem ille visis rationibus revisisque iis, quae de tali propositione in diversis provinciis observabuntur; consultataque propositione non solum Romae, sed in aliis provinciis pro eius qualitate, poterit R.P. Praepositus maturius et suavius statuere, quid teneri debet in tali quaestione universaliter; et deliberare, an in aliqua provincia ad evitandam offensionem aliter teneri debeat, quam in reliquis partibus. Sic ergo quo modo occurrerint dubia consultationesque, poterit fieri cathalogus ille duplex, de quo supra diximus. Non parum ad hanc unionem statuendam iuvaret, si fierent commentaria super Summam S. Thomae locupletissima<sup>83</sup>, in quibus spetialiter bene exponerentur et fundarentur, in quae Societatis nostrae professores convenire debent. Expediens etiam hoc esset, ut nostri a nostris haberent modum interpretandi et defendendi S. Thomam. Et forte commentaria haec adeo erudita et limata possent esse, ut nostris auferrent ex toto vel magna ex

<sup>81</sup> *In marg. m. Tapia* Paulatim sunt conficiendi cathalogi propositionum.

<sup>82</sup> Cf. Rom. 14 5.

<sup>83</sup> De commentariis in Summam S. Thomae conscribendis vide opinionem patrum Bellarmino et Tucci; supra, mon. 4 et 9.

parte dictandi in scholis laborem. Saltem servirent pro scholasticis nostris, qui prae sanitatis debilitate scribere non possunt. Nec desunt in Societate (Dei gratia) viri eruditi et magnae existimationis, qui hoc munus subire possunt. Alia enim typis mandantur optima certe, non tamen adeo necessaria. Cur ergo ad haec conficienda commentaria nostri non animum applicabunt? Sed ex praescripto R.P. nostri Generalis hoc fieri deberet . . .

Franciscus Marino S.I.<sup>84</sup>

*Circa formulas substantiales studiorum*

Multae formulae adducuntur, nulla sufficiens. Et illa, quae potissimum approbatur, quatuor continens membra, nimirum propositiones aliquas determinatas, liberas nonnullas, generales quosdam regulas, postremo obligationem in reliquis sequendi Thomam, multa secum affert incommoda; alia ex parte formae, alia ex parte materiae. Ex parte quidem formae: Primo, quia facile nobis imponetur nomen thomistarum, neque retinebimus primas partes huius nominis praeiudicata opinione pro fratribus illius ordinis. Vocantur illi thomistae primarii, nostri secundarii. Deinde, facile amittimus magnam illam existimationem nominis, quam hactenus comparavimus, nulli sectae addicti, tanquam amatores veritatis. Quo nomine velut iudices nostrorum aliqui inter partes dissidentes appellati et auditi sunt. Iam vero, si semel intelligatur obligatio haec nostra sequendi Thomam, nomen iudicis in partem commutabimus. Cavebunt nos scotistae, cavebunt nominales, durandistae caeterique sectarii, quod hac ipsa nostra obligatione videamur bellum illis indixisse.

Ex parte materiae plura incommoda oriuntur. Primo quidem, maxima difficultas et vanus labor sciendi ad hominem. Oporteret enim, inducta huiusmodi obligatione, mandare memoriae, quae docet Thomas, concordare contradictiones et tueri doctrinam ex dictis illius. – 2<sup>o</sup>, ratione huiusmodi difficultatis et obligationis occludetur nostris aditus studendi aliis doctoribus, et inquirendi multa atque praeclara, quae extant apud patres aliosque insignis nominis scholasticos doctores. Quorum experti sunt atque omnino ieiuni vel ob hanc solam causam thomistae, quibus non vacat doctores huiusmodi subolfacere, Thomae addictis ac tanto onere oppressis. – 3<sup>o</sup>, huiusmodi obligatio non potest [*Stud.* 2, f. 96v] induci sine detrimento solidioris doctrinae. Multa enim possunt occurrere, quae maior commendaret auctoritas, et ratio efficacior comprobaret, et nos adducemus nonnulla et adduci ab aliis possunt. Quare contra rectam rationem obligatio haec inducitur et grave iugum sequendi Thomam imponitur. Postremo, tollitur libertas illa, quam magni facit nostra Societas.

Alia ergo forma invenienda est, qua libertati nostrae et existimationi consulatur, quaque sciamus tute atque ample, loquamur severe et, quantum fieri potest, uniformiter, tum omnibus occurramus incommodis.

Forma autem erit isthaec continens tria membra: Primum, statuantur regulae universales illae, quae prosunt plurimum, cavent multa pericula et incommodis multis occurrunt. – 2.m, proponantur nonnullae propositiones, a quibus non liceat recedere. Illae autem maxima consideratione maturoque iudicio doctorum Societatis ad plura suffragia definiantur, ut sint maioris auctoritatis, et suaviter ab universa Societate admittantur. – 3.m, in reliquis nostri sequantur D. Thomam ita, ut liceat eum deserere, si occurrat oppositum, quod quatuor classici doctores expressi doceant<sup>85</sup>. Non videtur standum rationi soli. Quoniam,

<sup>84</sup> De Fr. Marino S.I. et eius tractatu cf. supra, *Introd. gen.*

<sup>85</sup> Quid hac de re P. Tapia senserit, vide superius, p. 77.



cum quisque abundet in suo sensu<sup>86</sup>, quae uni demonstratio, alteri vix erit ratio probabilis; et quae hunc concludet, alium nihil omnino movebit. Atque ita nullus unquam erit finis litium et controversiarum. Quibus facile occurret expressa auctoritas doctorum quatuor; qui nisi adducantur, detineatur Thomas. Ita tamen illum nostri consecrentur, ut doctrinam sequi liceat, et tueantur ratione, non autem nomine et auctoritate Thomae. Quod proprium est thomistarum iurantium in verba magistri<sup>87</sup>. [97r]

### Assistentia et Provincia Lusitaniae

Primum, quod attinet ad regulas, quae pro cohibenda opinandi licentia statuuntur<sup>88</sup>, quarta dubitationum plena est, nec parum severa. Dum enim praecipit, ne quis in quaestionibus iam ante explicatis, novas sequatur opiniones, ambiguum est, quas opiniones novas appellet. Easne, quae tunc primo in ea provincia docentur; an, quae a magistrorum, qui in eodem gymnasio versantur, sententiis antea traditis dissident? Utcunque regula haec intelligatur, non videntur theologiae professores in eas angustias coercendi. Cur enim caeteri eius vestigiis insistere cogentur, qui ante ipsos hanc aut illam opinionem amplexus est? Certe, si ita fiet, auctoritas sequendi, quod libuerit, imo, et praescribendi aliis, quid sequi debeant, erit quasi primo occupantis; cum tamen is interdum minus ingenio, minus doctrina et eruditione valeat. Accedit, quod in diversis eiusdem provinciae collegiis, ut in eborensi et conimbricensi, vel in diversis provinciis, ut in romana et lusitana, nonnunquam praeceptores nostri contraria docuerunt. Quorum ergo iudicio standum erit? Aut quam sententiae ducem posteriores sequentur? Sane vero, cum Societas alia non minoris momenti negotia collegiorum rectoribus committat, non est, cur eis ea facultas omnino adimatur, ut (cum nec provincialis facile adiri, nec res tractanda commode differri potest) quid in eiusmodi eventis fieri conveniat, statuunt ipsi, adhibitis in consilium viris doctis, qui in collegiis [*Stud.* 2, f. 294v] fere non desunt. Ita tamen, ut, si res flagitarit, quid actum sit, primo quoque tempore ad provincialem referatur.

Eadem moderatione eget secunda eiusdem regulae pars. Etenim, licet ferenda non sint eorum ingenia, qui opinionum dissidia, ex quibus simultates non raro existunt, consecrari solent, quique studio res novas moliendi novas passim quaestiones comminiscuntur; non est tamen cur usque adeo inventioni vena occludatur, ut non liceat theologiae professori, rectoris assensu, novam interdum quaestionem aut dubium, a quo subiectae rei intelligentia pendet, enodare. Praesertim cum theologiae difficultates utilibus doctorum hominum inventis magis in dies illustrentur. Accedit quod, si in posterum nostris non nisi trita et antiqua identidem inculcanda sint, et quasi ex aliena quadra vivendum, videbuntur eorum ingenia (non sine comparatae existimationis iactura) quasi effaeta ante tempus aruisse; languescet studendi et disputandi ardor, ac multo minus in posterum alii aliorum opera proficient, privati magna ex parte facundiae inventionis fructu, quem meliora ingenia tamquam uberiores agri ferre solent. Nec satisfaciet, qui dixerit, satis amplum inventioni campum dari, dum novae quaestionis aut dubitationis excogitatio non omnino interdicitur, sed cum provincialis facultate permittitur. Non, inquam, satisfaciet, quia cum iam praelectio et dubii explicatio urget, proinde est eam facultatem a provinciali absente peti debere, atque omnino denegari. Caeterum huiusmodi facultatis concedendae ius non ordinario, sed commissione provincialium rectoribus videtur committendum.

<sup>86</sup> Cf. Rom. 14 5.

<sup>87</sup> HORATIUS, *Epistolae* I/1 14.

<sup>88</sup> Quas regulas de Delectu opinionum videsis in MP V 6 9 13.

5.a etiam regula, quae praecipit, ut nostri D. Thomae doctrinam paucis exceptis defendant, non nihil ambiguitatis continet. Quaeri enim potest, num de omnibus, quae uspiam D. Thomas docuit, intelligenda sit, an non? P. Ludovicus Molina<sup>89</sup> sentit, intelligi debere de sola Partium doctrina, et iis, quae ad eam absolvendam ex eodem autore aliunde supplenda sunt, quae ipse morte praeventus nondum in Summam coaptaverat. Nam caetera fere ad scholasticam theologiam pertinentia, quae extra Partes reliquit, sub ultimae manus censuram non adduxerat, ac multa etiam illorum non tam ex suo sensu, quam ex vulgata sui saeculi opinione pronuntiaverat. Praeterea D. Thomae doctrina tam late funditur, ut vel eius fines perlustrare, nedum eos ab adversariorum incursibus tueri, nimis difficile ac laboriosum sit.

Caeteri patres eam regulam de tota D. Thomae doctrina, quae ab eo ex professo tradita est, cum ea moderatione, quae ad nonam regulam adhibetur, explicandam existimant. Quia multo, inquit, tutius ac solidius est, tantum doctorem in iis etiam, quae alibi scripsit, nec in Partibus disputavit, ducem sequi, quam, cum ea pertractanda occurrunt, omnino libere vagari. Hoc ipsum quoque rationes eae, quibus pagina 22 et 23 D. Thomae doctrina universim commendatur<sup>90</sup>, non parum suadent. Quod tamen sic accipiendum erit, [295r] ut cum D. Thomas a se alibi dicta in Partibus retractat, non nisi doctrinae partium inhaerendum sit.

Omnium tamen patrum sententia est, non ita nostros D. Thomae addici oportere, ut urgente causa (quod regulae per hos annos a R.P. Generali editae<sup>91</sup> mittebant) ab eo interdum discedere non possint; superiorum tamen iudicio atque assensu ad eum modum, qui a nobis in observatione quartae regulae proponebatur. Maxime, cum perspicuum sit, praeter eas opiniones, quibus libertas expresse datur, alias quoque apud D. Thomam legi, in quibus aliter sentire non minus tutum ac solidum sit, ut ipsi etiam patres Romae deputati pagina 52<sup>92</sup> non diffitentur.

#### *De liberis et definitis opinionibus*

Ad 5.am et 6.am regulam duae classes ponuntur: una, in qua liberae, altera, in qua definitae opiniones continentur. Sed enim, quoniam inter liberas quaedam in utranque partem aequae probabiles, aliae quarum altera pars verisimilior habetur, connumerantur, sentit P. Paulus Ferrer, ne per occasionem datae libertatis, eae quae minus probabiles sunt, ut probabiliores vel aequae probabiles defendantur, operae pretium fore, ut dum praedictae liberae opiniones in libro de ratione studiorum recensentur, quatenus pars verisimilior sit, ibidem exprimat, ut in prima et decima earum quae ad 1.am 2.am et 3.am Partem D. Thomae spectant, pagina 312 et 314<sup>93</sup> expressum est.

Plures liberae opiniones colligendae forent. Hac enim amplioris libertatis indulgentia quodammodo recreati praeceptores, minus gravate definitas opiniones tuebuntur.

Non placet vero patri Georgio Sarrano, ut cum D. Thomae sententia maiorem vel etiam aequalem probabilitatem prae se fert, ab ea discedendi libertas detur. Siquidem Constitutiones 4 par. cap. 14 D. Thomae doctrinam nostris praelegendam decernunt<sup>94</sup>. Est au-

<sup>89</sup> De L. Molina S.I. et de aliis, qui inferius occurrent, vide supra, *Introd. gen.*

<sup>90</sup> Vide MP V 20 21.

<sup>91</sup> Quae regulae habentur superius, mon. 7.

<sup>92</sup> Vide MP V 32-33.

<sup>93</sup> Vide MP V 7-8.

<sup>94</sup> Vide MP I 297.

tem vetus academiæ consuetudo, ut quam quisque authorem explicandum sumit, eum quod minimum caeteris paribus defendat.

Omnibus, excepto patre Ludovico Molina et patre Emmanuele Goes, visum est proponere ut, si expedire videbitur, ad maiorem doctrinae facilitatem, separato aliquo commentariolo nostris conscripta tradantur praecipua fundamenta opinionum, quae ipsis fugiendae vel sequendae particulatim designantur; earum praesertim, quae magis reconditae et implicatae sunt.

Illud certe ordinis perspicuitatem iuverit, si in libro de ratione studiorum primo quidem continuata serie omnes undecim regulae, quae ad opinionum delectum pertinent, deinde liberae et difinitae opiniones suis distinctae classibus subiiciantur.

### Ferdinandus Peres S.I.<sup>95</sup>

[*Stud. 3, f. 297r*] . . . Quartae regulae, decernenti, ut nemini lectorum liceat absque provincialis consensu etc. dubitationes novas alicuius momenti introducere, crederem aliquam explicationem aut moderationem adiungendam. Etenim, cum per totum annum et frequenter futurum sit, ut dubitationes novae, hoc est ab aliis intactae, nostris lectoribus occurrant, et tamen raro et per parum temporis Pater Provincialis in quovis collegio demoretur, fore videtur, ut haec regula nostris lectoribus onerosa et perdifficilis impletu fiat. Praesertim in materia morali, cuius praxis etiam discipulis suggerit in dies plura novaque dubia, de quibus praeceptorem plerique interrogant. Unde regula haec moderanda videtur, ut non solum intelligatur de quaestionibus maximi ponderis aut solis speculabilibus alicuius momenti, aut saltem, utrum sit ad Patrem Provinciale deferenda res necne, relinquatur iudicio rectoris . . . [301r]

#### *Circa quaestiones scholasticas et quintam regulam et sequentes*

Tria mihi in genere monitu dignissima fuerunt. Primum est, ex una parte prius in ipsa ratione studiorum tam asseveranter asseri, P.N. Generalem nihil magis commendasse patribus deputatis quam, ut opinandi licentia et libertas cohiberetur, atque summam nostrorum vicissim consensionem, per Constitutiones P.N. Ignatii et per egregias ibidem adductas rationes summopere nobis commendatam<sup>96</sup>. Ex altera vero parte in eadem quinta regula<sup>97</sup> et sequentibus ad tam variantes et discrepantes opiniones dari licentiam, ut non solum videatur indulta multo maior, quam unquam antea inter nostros dissentio, sed etiam ut nostri deinceps possint inter se ad invicem magis, quam Scotus a D. Thoma aut Durandus a Scoto dissentire.

Secundum est, cum in eadem ratione studiorum ex una parte ad D. Thomam communiter sequendum per Constitutiones nostras et per egregias etiam ibidem adductas rationes exhortatio fiat; tamen ex altera parte ad discrepandum a D. Thoma tanta concedatur libertas unicuique nostrorum, ut certe magis et pluries adversari D. Thomae possint, quam Durandus, qui dicitur acerrimus D. Thomae impugnator. Praescribitur enim ibidem in nona regula, ut nostri D. Thomae nequaquam astringantur ad alia, quam quoad conclusiones<sup>98</sup>. Deinde in eadem regula, ut neque ad conclusiones, quae non tam theologiae, quam

<sup>95</sup> De F. Peres S.I. et de eius tractatu cf. supra, *Introd. gen.*

<sup>96</sup> Vide MP V 6.

<sup>97</sup> Vide MP V 6-7 reg. 5.

<sup>98</sup> Vide MP V 13.

philosophicae sunt. Postremo, quoad conclusiones etiam theologicas et maxime celebres et controversas tam ampla fit facultas post eandem quintam regulam, et postea in fine totius tractatus, ut verissime possimus dicere, non solum nostris praeberi amplam licentiam ad raro sequendum D. Thomam, sed etiam ad rarius sequendum, quam sequantur augustiniani aut franciscani aut alii, quibus nullo modo praescriptum est, ut sequantur D. Thomam. Cum autem respondent, opiniones omnes, ad quas ibi datur licentia, iam in scholis communiter defendi, quo modo ita sit, ego plane non video, cum nunquam communius defenderetur D. Thomas in scholis, quam modo in dies defendatur. Cuius rei universitates, quae magis modo celebres sunt, etiam magis testes esse possunt. Cum vero iterum aiunt, eam dissensionem oportere admitti ad exercendum et ostendendum ingenium, certe responderi potest, plus quam satis ostentari ingenium posse atque tutius altercationis exercitationisque commodum haberi, si communiores D. Thomae opiniones tueamur accurate; praesertim, si etiam opiniones D. Thomae communiori-que sententiae contrarias tanquam probabiles defendamus, quanvis nobis non liceat vindicare censoriam auctoritatem, ut quisque nostrorum reiiciat passim D. Thomam communioresque sententias, atque serio frequenterque affirmet, falsum reiiciendumque esse, quod alter etiam nostrorum et forte paulo ante eisdemque discipulis verum et amplectendum asseveravit . . .

## ASSISTENTIA HISPANIAE

### *Provincia Aragoniae*

In 2.a regula<sup>99</sup> praecavetur defensio eiusmodi opinionum, quae contra recepta philosophorum aut theologorum axiomata, vel contra communem scholarum theologicarum sensum a plerisque viris doctis esse iudicantur. Ut antevertatur incommodis, quae ex callida legis interpretatione possent existere, videtur permagni interesse, si his addatur: Non licere hoc vel exercitationis gratia neque intra privatos parietes.

In quibusdam provinciis non raro contingit, homines haud indoctos plerumque offendi opinionibus, quas tamen pervulgare ibi ac tueri oportet vel ad extirpanda commercia iniqua, sive alia vitia; vel denique, quod id magis faciat ad gloriam Dei. Tunc ergo videtur ratio postulare, ut in 3 regula subiungatur: Provincialis permissu licere eiusmodi opiniones doceri, posthabita offensione illa vitiosa, quam habet haec res apud aliquos.

Quod attinet ad 5 regulam, optandum in primis esset, ut offi-[*Stud.* 2, f. 208v]tium sequendi doctrinam S. Thomae, demptis iis, quae excipiuntur, in sola eius theologiae Summa cum additionibus intelligatur. Et quoniam unusquisque suam opinionem, quantumlibet errantem et vagam, contendit affingere D. Thomae, operae pretium erit, ut lege caveatur, ne quis ex proprio tantum sensu, sed de communi explicatione expositorum S. Thomae, aut de alicuius quidem horum celeberrimi D. Thomam interpretetur; vel certe alio limite certiori campus huius regulae latissime patens terminetur . . . [220v]

### *De methodo servanda in propositionibus liberis definitisque, deque ipsis in genere*

Etsi praestantior methodus non occurrit praeter eam tertiam, quam una cum divisione propositionum liberarum definitarumque et earum regulis patres romanae congregationis inierunt, tamen ut coerceatur opinandi libertas, tum etiam, ut quam suavissime consen-

<sup>99</sup> Regulas *De delectu opinionum* vide in MP V. 6 9 13.

In quinta regula, quae incipit «In theologia etc.», quae advertenda videntur circa S. Thomae doctrinam conservandam et defendendam, dicam infra circa Commentariolum libri. Nunc accedam ad propositiones eas, in quibus aliquid novi habui dicendum, praeter id quod nomine provinciae missum est . . . [49r]

*Circa regulam 9.am, quae incipit: «In caeteris . . .» (fol. 15)*

Quoad secundam partem huius regulae, ubi non sic approbatur doctrina S. Thomae in philosophia ac in theologia<sup>61</sup>, hoc mihi admonere visum est, eius in philosophia doctrina non debere sic libere oppugnari, sicut a nonnullis oppugnatur; tum quia ipse secutus est exactissime vestigia Aristotelis, cuius sensus intime penetravit. Et sic illi Aristotelem potius oppugnabunt, cuius autoritas in philosophia apud omnes est et apud nos debet esse gravissima; tum etiam quia, cum theologia in multis supra principia philosophica nitatur, ex parte destructa philosophia S. Thomae, eius theologiam sequi non poterimus.

Scio nonnullos non ita celebrare S. Thomam in philosophia, ac in theologia celebrare illum videntur. Et hanc pro se adducunt rationem, quia S. Thomas graecam linguam non intellexit, et sic Aristotelis sensum non penetravit ita intense, ac alii antiqui et moderniores graecizantes. Horum rationem non esse tanti momenti, patet. Primo, quoniam S. Thomas, si graecam linguam non novit, vidit, legit, intellexit translationes et commentaria graecorum, qui satius intellexerunt Aristotelem, quam illi moderni, qui S. Thomae philosophiae opponuntur. – 2<sup>o</sup> quia ea loca, in quibus inter graecizantes est controversia et Aristotelis sensum, pauca sunt; et pautiora illa, quae continent axiomata aut doctrinam aristotelicam magni momenti. Nam communiter omnes traductores conveniunt in modo traducendi Aristotelem, et sic si aliquem errorem in philosophia S. Thomas arguet, istorum ratio in his opinionibus erit, in quibus earum fundamenta sunt ex Aristotele varie traducta. – 3<sup>o</sup> quoniam in philosophia et metaphisica controversiae multae sunt, in quibus de sententia vel sensu Aristotelis non dubitatur. Saltem in his S. Thomas praeferendus aliis esset, sicut in theologia praefertur. In theologia enim is praefertur aliis propter eius ingenii acumen, propter eius in literis studium et exercitium continuum et alias similes qualitates. Ergo cur non in philosophia, cum propter eas potuerit in philosophia sicut in theologia esse facile omnium principem? Haec dixi quia, ut mihi videtur, expediret, ut S. Thomas etiam in philosophia esset in magno pretio, licet nos ad illum defendendum in ea ac in theologia adeo stricta lege non teneremur . . . [49v] . . .

*Animadversiones seu considerationes circa Commentariolum (fol. 16)*<sup>62</sup>

*De formula disponendi propositiones theologicas*

Circa formulam et modum disponendi theologicas propositiones, examinatis iis, quae in Commentariolo exponuntur, visum fuit huius provinciae patribus, duos modos proponere<sup>63</sup>: Primus est, ut, propositis primum quibusdam regulis generalibus iuxta illas, quae sunt fol. 9, per omnes materias omnes propositiones tam liberae quam determinatae staterentur eo modo, quo disponuntur propositiones de Scriptura, de Ecclesia, de pontifice etc. infra fol. 322<sup>64</sup>. Hic modus mihi placuisset, si factus esset is liber theologiae, de quo

<sup>61</sup> *In marg. m. Tapia* De retinendo S. Thoma in philosophia.

<sup>62</sup> Vide Commentariolum in MP V 18-31.

<sup>63</sup> *In marg. m. Tapia* Formula prima.

<sup>64</sup> Vide MP V 14-17.

Constitutionum 4 Parte c. 14 § p.o litera B fit mentio<sup>65</sup>. Absolute autem et omnino non mihi placet. Cuius rei hae sunt rationes: Prima, quoniam is videtur impossibilis. Conficere enim totum corpus theologicarum propositionum non monstrum, sed cohaerens et proportionatum, adeo, ut in propositionibus sit talis veritas et inter eas talis coherentia, ut ab universa Societate suaviter acceptetur, si non sit liber aliquis, qui earum reddat rationem, opus est magnum et perdifficile.

2.a, quia in omni facultate sit receptissimum, habere aliquem insignem doctorem in ea ducem a divina providentia mundo propositum, dignum et iustum est, ut in theologia scholastica hic non desit; et si non deest, haud quaquam reiiciatur. Sequuntur rhetores Demostenem et Ciceronem, poetae Virgilium, philosophi Aristotelem. Non ergo placet formula, quae contineat doctrinam theologicam, cuius non sit aliquis insignis dux et omnium facile princeps; maxime cum sit S. Thomas in theologia scholastica et metodica omnium praestantissimus, quem in eo pretio habet tota Ecclesia<sup>66</sup>, et specialiter nostra Constitutio<sup>67</sup>, ut dignum sit non solum, qui a nobis legatur, sed velut dux in theologica doctrina proponatur imitandus.

3.a, quoniam studentes addicti alicui doctore doctiores evadunt, sicut experientia comprobatum est, et ex proverbio, quod ab hominibus unius libri docet nos caveri. Ingenia enim, pro varios [50r] libros dispersa, maxime in principio potius distrahuntur, imo destruuntur quam instruuntur. Dum vero circa intelligendum aliquem authorem laborant, mire acuuntur et illuminantur, et ad alia et maiora intelligenda capaciora fiunt. Quocirca experti sumus, nostros studentes, qui S. Thomae et Caietani studiosissimi fuerunt, praestantissimos evasisse. Ex quo intelligitur, nulla ratione esse acceptandam eam formulam, quae ab uno insigni doctore, qui in Societate legatur, alienet scholasticorum animos. Is autem liber theologiae modo Summa S. Thomae est, non solum ex nostrae Constitutionis praescripto<sup>68</sup>, sed ex totius mundi suffragio. An autem fiat alius praestantior eo, nescimus.

In arte oratoria nullus sic superavit Ciceronem, immo nec ei se aequavit, ut in ea arte summus dux evaserit. Et idem dico in philosophia de Aristotele, et in arte poetica de Virgilio. Satis enim quisque praestantissimum se fecisse putat, si hos summos duces recte interpretari et exacte imitari cognoverit. Eodem ergo modo quandoquidem S. Thomas in eo pretio habeatur ab universa Ecclesia, ut sit summus (quid enim postea fiet, nescimus), satis se fecisse putent omnes, si eum recte interpretari scient, et eius in doctrina theologica vestigia sequi, nec formulam quaerant, quae ab studio huius sancti doctoris theologiae studiosos avertat.

Secundus modus<sup>69</sup>, qui placuit, est, ut propositis regulis communibus, propositoque cathologo uno propositionum determinatarum, altero propositionum liberarum, in reliquis omnes sequerentur doctrinam S. Thomae. Addunt vero <sup>4o</sup> hanc legem universalem, ut liceat opinari contra S. Thomam, dum opinans habeat pro se contra eum quatuor classicos authores. Inter classicos autem admittunt innumeros, ut Scotum, Durandum, Alexandrum, Marsilium etc.<sup>70</sup>; et a classicorum numero excludunt Capreolum, Caietanum, Sotum etc., dicentes, hos et alios similes non ponere in numero cum S. Thoma, quod in eius verba iuraverint<sup>71</sup>.

<sup>65</sup> Vide MP I 297.

<sup>66</sup> Vide MP V 55 adn. 1.

<sup>67</sup> Vide supra, adn. 65.

<sup>68</sup> Const. P. IV c. 14 § 1; MP I 297.

<sup>69</sup> In marg. m. *Tapia* Formula secunda.

<sup>70</sup> De his antiquis theologis cf. MP V 18.

<sup>71</sup> HORATIUS, *Epistolae* I/1 14.

In hoc quarto puncto haud quaquam consensi. Cuius meae opinionis hae sunt rationes: Prima, quia hoc esset manifeste reiicere S. Thomam a scholis nostris (quibus autem rationibus hoc non sit expediens, diximus ex parte et statim dicemus). Exclusis enim opinionibus, quae manifeste in Scriptura fundantur aut in communi patrum doctrina, raro deerunt ex tanto numero scholasticorum quatuor doctores contra S. Thomam. – Secunda ratio, quia cum S. Thoma etiam reiicietur doctrina magis segura et approbata (quod neutiquam nobis nec ulli licet), quia ex tot doctorum scholasticorum non raro inveniuntur quatuor, qui in aliquam opinionem absurdam aut obsoletam comprobendam convenient; deinde, quia si sunt quatuor opinantes contra S. Thomam, erunt forte pro ipso plures aut ex alienis aut ex thomistis. In quo casu etiam magis approbata doctrina deseretur. Nam si sunt cum S. Thoma quatuor ex alienis, iam manifeste patet non solum reiici S. Thomam (qui pro multis ex illis valet), sed quatuor aut plures aequalis aut maioris auctoritatis, quam illi quatuor, qui adducuntur ab opinante contra S. Thomam. Si vero sunt cum S. Thoma quatuor ex suis, hoc est ex illis, qui thomistae vocantur, eodem modo dicendum est. Nam Capreolus, Caietanus et alii similes, quando iurarunt<sup>71</sup> pro S. Thoma, illum sequuntur velut ducem verissimum, ut vere est. Quando autem in aliqua re a veritate discedit (erat enim homo), illum deserunt. Signum igitur est, ipsos authores in S. Thoma amavisse veritatem. Ergo sicut quando reiicitur S. Thomas cum quatuor alienis, reiicitur magis approbata doctrina; eodem ferme modo, quando reiicitur cum quatuor ex suis, tum quis vetat illos quatuor, qui alligantur contra S. Thomam, non esse etiam fautores alicuius doctrinae specialis? Cur ergo illi ut non suspecti admittuntur, [50v] isti reiiciuntur? – 3.a, quoniam si haec libertas admittatur, nihil minus erit apud nos, quam unio doctrinae, quae quaeritur. Nam, proposita aliqua quaestione, si unus S. Thomam et suos sequitur, alter quatuor quosdam, tertius nonnullos alios quatuor authores, necesse erit diversis opinionibus et dicendi variis modis scindi nostros professores. – 4.a, deerit etiam illa consensio et pax quae desideratur, propter diversos modos dicendi supradictos; et deinde, quia uno professore volente aliquam tueri sententiam, facile ad eam trahet quatuor scholasticos ex tanta multitudine, sive clare sive obscure loquantur. Cui resistente alio vel praefecto, necesse erit, ut ea pax et concordia desit, quae maxime hac studiorum ratione praetenditur.

*Modus quo supradicta formula debeat statui, et S. Thomae doctrina a nostris defendi*

Ex dictis colligo, quid videatur mihi circa formulam proponendam de delectu theologiarum propositionum. Imprimis regulae statuantur universales supradicto modo. Deinde statuatur, ut nostri non opinentur contra S. Thomam, saltem in Summa, nisi in expressis propositionibus. Harum autem fiat catalogus duplex, in uno ponantur determinatae contra eum, et hae sint paucissimae. In secundo ponantur liberae propositiones, ut illa, si homo non peccaret, Christus fuisset nihilominus incarnatus. Tertio, de his, quae S. Thomas non tractavit, vel non distincte expressit suam mentem, possit fieri catalogus alius de determinatis et liberis propositionibus, et observetur illa regula undecima fol. 15<sup>72</sup>, quae praescribit, ut nostri sequantur probatos authores.

Explico omnia, quae dixi in hac formula<sup>73</sup>. Et in primo puncto nulla est controversia: [Aliter] in secundo. Hic sunt enim, qui refugiunt valde, S. Thomae esse alligatos. Quorum

<sup>72</sup> Vide MP V 13.

<sup>73</sup> *In marg. m. Tapia* Quo modo non solum legere S. Thomam, sed eius opiniones sequi debeamus.

obiectioes praetendunt hac via doctrinam veriore et maiorem Societatis existimationem. Vide eas in Commentariolo fol. 25 et 30<sup>74</sup>. Quidam alii volunt sequi thomisticam doctrinam, sed facto videntur negare, dum tot propositiones determinatas contra eum et tot liberas nobis proponant, ut ferme nihil de S. Thomae doctrina sequendum necessario praescribant. Et isti sunt plures, et fere videntur authores illi, qui composuerunt librum de ratione studiorum. Nam si relinquamus conclusiones, quae inveniuntur in S. Thoma, de fide vel consensu ecclesiasticorum doctorum corroboratas, in quibus omnes scholastici et catholici doctores conveniunt (hae enim in rigore non pertinent ad doctrinam S. Thomae, sed ad communem Ecclesiae), et accipiamus eas, quae sunt controversae inter scholasticos, quas S. Thomas affirmavit contra aliquem vel aliquos ex illis, tot ex illis negantur in hac formula, vel liberae in ea relinquuntur, ut doctrina S. Thomae vix subsistere videatur. Si quis enim S. Thomam legeret ac interpretaretur, et omnimoda facultate concessa uteretur ad illum contradicendum, nihil minus legeret, quam S. Thomam. Plures enim eius conclusiones contradiceret, quam acceptaret; et sic omnem eius fere doctrinam everteret, ut in iis, quae dixi supra; maxime circa 11. am propositionem ex liberis<sup>75</sup>, in cuius principiis ipsa nititur; quantum ad ea, quae lumine naturali cognoscuntur, ut supra dixi circa reg. 9. am fol. 15. Deinde nonnunquam negantur aliquorum sanctorum patrum dicta, quae miro studio secutus est S. Thomas, ut supra etiam dixi. Quam autem immerito hoc fiat, his rationibus probatur. [51r]

Primo, quia S. Thomas, absque controversia, omnium scholasticorum est facile princeps, iuxta ea, quae dicuntur in Commentariolo f. 22 23<sup>76</sup>. Quae nos inducere deberent ad illius doctrinam omnino tenendam. Habuit enim (ut breviter loquar) has excellentias: prima, acumen ingenii et claritatem supra omnes; – 2. a sanctorum patrum lectionem et exercitium in lectionibus et disputationibus assiduum adeo, ut in hoc longe alios superaverit; – 3. a non scripsit iuvenis, sed postquam multa viderat, legerat et scripserat. Summam edidit veteranus; – 4. a non vanae gloriae appetitu, non contradicendi studio scripsit (quod multos seduxit et a veritate distraxit), sed amore Dei et reipublicae iuvenesque studiosos adiuvandi voluntate; – 5. a fuit divinis inspirationibus et supernis illustrationibus frequenter illustratus, quibus ad veritatem inveniendam ducebatur eius animus.

Ex quibus intelligitur, qua ratione S. Thomae doctrina adeo sit pura et sanctorum doctrinae concors et veritati, ut in ea nihil temerarium, nihil erroneum aut scandalosum aut male sonans inveniatur. Intelligitur, quam merito ab Ecclesia sit approbata et ab universitatibus recepta, et in maximo pretio habita<sup>77</sup>. Immerito ergo nos talem ducem non sequemur in theologica doctrina.

Secunda ratio, quoniam nostra Constitutio S. Thomam legere nobis praecipit (4 P. c. 14 § p.o)<sup>78</sup>; et eadem praescribit nos sequi debere doctrinam severiorem et magis approbatam, et legere eos libros, qui eam habent (4 P. c. 5 § 4)<sup>79</sup>. Ergo sensit eam esse in S. Thoma, et idcirco nos debemus non solum illum legere, sed illius opiniones sequi. Confirmatur: nam omnes Societatis praepositi hoc voluerunt; maxime R.P. noster Claudius praecepit, ut nostri a S. Thoma non discederent, nisi magnis de causis, ut refertur in lib. fol. 22<sup>80</sup>.

<sup>74</sup> Vide in MP V 22 et 24.

<sup>75</sup> Quae est: «Angelis rationem essendi in loco esse transeuntem operationem» etc.; vide MP V 7 n. 11.

<sup>76</sup> Vide MP V 20 21.

<sup>77</sup> Vide MP V 55 adn. 1.

<sup>78</sup> Vide MP I 297.

<sup>79</sup> Vide MP I 221.

<sup>80</sup> Vide supra, mon. 7 § 1.



Tertia ratio, quoniam non solum non existimatio Societatis minuetur, sed adiungetur maxima, et conciliabitur ei publica benevolentia. Cum enim S. Thomas apud omnes Ecclesiae universitates sit in tanto pretio, quando videant in Societate sic bene nostros interpretari eum, studiose sequi, non poterunt de nobis non concipere bonam existimationem, et erga nos benevolentiam habere maximam. Sicut, si videant nos illum frequenter improbare, non deerunt aemuli magnae existimationis, qui nostram diminuere et omnino tollere praesumant.

In secundo et tertio puncto, de componendo cathalogo propositionum determinatarum et liberarum, maxima est, meo iuditio, difficultas<sup>81</sup>; praecipue si uno eodemque tempore conficiendus sit. Rationes sunt hae: Prima, quia inter innumeras conclusiones totque tantorum doctorum opiniones statuere, quid in universa Societate tenendum sit, quodque omnino convenientius, difficillima sane res est. – 2.a, quia Societatis provinciae sunt diversissimae; quodque in una indubie defendi, in aliis non sine offensione saltem defendi poterit. Sicut enim diversitate temporum diversae fuerunt opiniones theologicae supra multas quaestiones, ita pro diversitate locorum. Quocirca in faciendo cathalogo haec omnia considerata sunt. – 3.a, ingenia hominum non secus ac facies et voces sunt diversissimae; et unusquisque naturaliter vult in suo sensu abundare<sup>82</sup>. Difficile ergo erit cum ea, quae convenit, suavitate uno tempore et simul cathalogum conficere propositionum, in quibus omnes unanimiter consentiant. – 4.a, quia Ecclesia non uno tempore a principio habuit omnia tenenda et credenda explicite. Habuit certe necessaria, at multa dogmata [51v] fidei discursu temporis cognovit ex definitione pontificorum et conciliorum aut sanctorum concordia doctrina, prout necessitas occurrebat respondendi dubiis, quae oriebantur, vel contradicendi haereticis, male res fidei interpretantibus. Iuxta hanc ergo similitudinem videtur, unitatem in doctrina a nobis esse quaerendam.

Fiat ergo modo cathalogus brevissimus, ut paucae admodum propositiones determinentur et liberae relinquuntur; et deinde secundum quod occurrunt dubia et occasiones, copiosior fiat. V. gr. statuatur, quod omnes teneant B. Virginem fuisse sine peccato originali sine fomite etc. et aliae similes. Statuatur, ut sint liberae aliae v. gr. Si homo non peccaret, Christus non fuisset incarnatus; puer in primo instanti usus rationis tenetur converti in Deum; et aliae, quas facile omnes acceptabunt esse liberas, ut patebit ex iis quae mittentur modo a provintiis. Statuatur praeterea, ut nullus contra S. Thomam opinetur sine facultate et maturo consilio; id est, sine facultate provincialis; cuius consilii provincialis certiolem faciat R.P. Generalem. Tunc autem ille visis rationibus revisisque iis, quae de tali propositione in diversis provinciis observabuntur; consultataque propositione non solum Romae, sed in aliis provinciis pro eius qualitate, poterit R.P. Praepositus maturius et suavius statuere, quid teneri debet in tali quaestione universaliter; et deliberare, an in aliqua provincia ad evitandam offensionem aliter teneri debeat, quam in reliquis partibus. Sic ergo quo modo occurrerint dubia consultationesque, poterit fieri cathalogus ille duplex, de quo supra diximus. Non parum ad hanc unionem statuendam iuvaret, si fierent commentaria super Summam S. Thomae locupletissima<sup>83</sup>, in quibus spetialiter bene exponerentur et fundarentur, in quae Societatis nostrae professores convenire debent. Expediens etiam hoc esset, ut nostri a nostris haberent modum interpretandi et defendendi S. Thomam. Et forte commentaria haec adeo erudita et limata possent esse, ut nostris auferrent ex toto vel magna ex

<sup>81</sup> In marg. m. *Tapia* Paulatim sunt conficiendi cathalogi propositionum.

<sup>82</sup> Cf. Rom. 14 5.

<sup>83</sup> De commentariis in Summam S. Thomae conscribendis vide opinionem patrum Bellarmino et Tucci; supra, mon. 4 et 9.

parte dictandi in scholis laborem. Saltem servirent pro scholasticis nostris, qui prae sanitatis debilitate scribere non possunt. Nec desunt in Societate (Dei gratia) viri eruditi et magnae existimationis, qui hoc munus subire possunt. Alia enim typis mandantur optima certe, non tamen adeo necessaria. Cur ergo ad haec conficienda commentaria nostri non animus applicabunt? Sed ex praescripto R.P. nostri Generalis hoc fieri deberet . . .

Franciscus Marino S.I.<sup>84</sup>

*Circa formulas substantiales studiorum*

Multae formulae adducuntur, nulla sufficiens. Et illa, quae potissimum approbatur, quatuor continens membra, nimirum propositiones aliquas determinatas, liberas nonnullas, generales quosdam regulas, postremo obligationem in reliquis sequendi Thomam, multa secum affert incommoda; alia ex parte formae, alia ex parte materiae. Ex parte quidem formae: Primo, quia facile nobis imponetur nomen thomistarum, neque retinebimus primas partes huius nominis praeiudicata opinione pro fratribus illius ordinis. Vocantur illi thomistae primarii, nostri secundarii. Deinde, facile amittimus magnam illam existimationem nominis, quam hactenus comparavimus, nulli sectae addicti, tanquam amatores veritatis. Quo nomine velut iudices nostrorum aliqui inter partes dissidentes appellati et auditi sunt. Iam vero, si semel intelligatur obligatio haec nostra sequendi Thomam, nomen iudicis in partem commutabimus. Cavebunt nos scotistae, cavebunt nominales, durandistae caeterique sectarii, quod hac ipsa nostra obligatione videamur bellum illis indixisse.

Ex parte materiae plura incommoda oriuntur. Primo quidem, maxima difficultas et vanus labor sciendi ad hominem. Oporteret enim, inducta huiusmodi obligatione, mandare memoriae, quae docet Thomas, concordare contradictiones et tueri doctrinam ex dictis illius. – 2<sup>o</sup>, ratione huiusmodi difficultatis et obligationis occludetur nostris aditus studendi aliis doctoribus, et inquirendi multa atque praeclara, quae extant apud patres aliosque insignis nominis scholasticos doctores. Quorum experti sunt atque omnino ieiuni vel ob hanc solam causam thomistae, quibus non vacat doctores huiusmodi subolfacere, Thomae addictis ac tanto onere oppressis. – 3<sup>o</sup>, huiusmodi obligatio non potest [*Stud.* 2, f. 96v] induci sine detrimento solidioris doctrinae. Multa enim possunt occurrere, quae maior commendaret auctoritas, et ratio efficacior comprobaret, et nos adducemus nonnulla et adduci ab aliis possunt. Quare contra rectam rationem obligatio haec inducitur et grave iugum sequendi Thomam imponitur. Postremo, tollitur libertas illa, quam magni facit nostra Societas.

Alia ergo forma invenienda est, qua libertati nostrae et existimationi consulatur, quaque sciamus tute atque ample, loquamur severe et, quantum fieri potest, uniformiter, tum omnibus occurramus incommodis.

Forma autem erit isthaec continens tria membra: Primum, statuatur regulae universales illae, quae prosunt plurimum, cavent multa pericula et incommodis multis occurrunt. – 2.m, proponantur nonnullae propositiones, a quibus non liceat recedere. Illae autem maxima consideratione maturoque iudicio doctorum Societatis ad plura suffragia definiantur, ut sint maioris auctoritatis, et suaviter ab universa Societate admittantur. – 3.m, in reliquis nostri sequantur D. Thomam ita, ut liceat eum deserere, si occurrat oppositum, quod quatuor classici doctores expressi doceant<sup>85</sup>. Non videtur standum rationi soli. Quoniam,

<sup>84</sup> De Fr. Marino S.I. et eius tractatu cf. supra, *Introd. gen.*

<sup>85</sup> Quid hac de re P. Tapia senserit, vide superius, p. 77.

cum quisque abundet in suo sensu<sup>86</sup>, quae uni demonstratio, alteri vix erit ratio probabilis; et quae hunc concludet, alium nihil omnino movebit. Atque ita nullus unquam erit finis litium et controversiarum. Quibus facile occurret expressa auctoritas doctorum quatuor; qui nisi adducantur, detineatur Thomas. Ita tamen illum nostri consecrentur, ut doctrinam sequi liceat, et tueantur ratione, non autem nomine et auctoritate Thomae. Quod proprium est thomistarum iurantium in verba magistri<sup>87</sup>. [97r]

### Assistentia et Provincia Lusitaniae

Primum, quod attinet ad regulas, quae pro cohibenda opinandi licentia statuuntur<sup>88</sup>, quarta dubitationum plena est, nec parum severa. Dum enim praecipit, ne quis in quaestionibus iam ante explicatis, novas sequatur opiniones, ambiguum est, quas opiniones novas appellet. Easne, quae tunc primo in ea provincia docentur; an, quae a magistrorum, qui in eodem gymnasio versantur, sententiis antea traditis dissident? Utcunque regula haec intelligatur, non videntur theologiae professores in eas angustias coercendi. Cur enim caeteri eius vestigiis insistere cogentur, qui ante ipsos hanc aut illam opinionem amplexus est? Certe, si ita fiet, auctoritas sequendi, quod libuerit, imo, et praescribendi aliis, quid sequi debeant, erit quasi primo occupantis; cum tamen is interdum minus ingenio, minus doctrina et eruditione valeat. Accedit, quod in diversis eiusdem provinciae collegiis, ut in eborensi et conimbricensi, vel in diversis provinciis, ut in romana et lusitana, nonnunquam praeceptores nostri contraria docuerunt. Quorum ergo iudicio standum erit? Aut quam sententiae ducem posteriores sequentur? Sane vero, cum Societas alia non minoris momenti negotia collegiorum rectoribus committat, non est, cur eis ea facultas omnino adimatur, ut (cum nec provincialis facile adiri, nec res tractanda commode differri potest) quid in eiusmodi eventis fieri conveniat, statuunt ipsi, adhibitis in consilium viris doctis, qui in collegiis [*Stud.* 2, f. 294v] fere non desunt. Ita tamen, ut, si res flagitarit, quid actum sit, primo quoque tempore ad provincialem referatur.

Eadem moderatione eget secunda eiusdem regulae pars. Etenim, licet ferenda non sint eorum ingenia, qui opinionum dissidia, ex quibus simultates non raro existunt, consecrari solent, quique studio res novas moliendi novas passim quaestiones comminiscuntur; non est tamen cur usque adeo inventioni vena occludatur, ut non liceat theologiae professori, rectoris assensu, novam interdum quaestionem aut dubium, a quo subiectae rei intelligentia pendet, enodare. Praesertim cum theologiae difficultates utilibus doctorum hominum inventis magis in dies illustrentur. Accedit quod, si in posterum nostris non nisi trita et antiqua identidem inculcanda sint, et quasi ex aliena quadra vivendum, videbuntur eorum ingenia (non sine comparatae existimationis iactura) quasi effaeta ante tempus aruisse; languescet studendi et disputandi ardor, ac multo minus in posterum alii aliorum opera proficient, privati magna ex parte facundae inventionis fructu, quem meliora ingenia tamquam uberiores agri ferre solent. Nec satisfaciet, qui dixerit, satis amplum inventioni campum dari, dum novae quaestionis aut dubitationis excogitatio non omnino interdicitur, sed cum provincialis facultate permittitur. Non, inquam, satisfaciet, quia cum iam praelectio et dubii explicatio urget, proinde est eam facultatem a provinciali absente peti debere, atque omnino denegari. Caeterum huiusmodi facultatis concedendae ius non ordinario, sed commissione provincialium rectoribus videtur committendum.

<sup>86</sup> Cf. Rom. 14 5.

<sup>87</sup> HORATIUS, *Epistolae* I/1 14.

<sup>88</sup> Quas regulas de Delectu opinionum videsis in MP V 6 9 13.

5.a etiam regula, quae praecipit, ut nostri D. Thomae doctrinam paucis exceptis defendant, non nihil ambiguitatis continet. Quaeri enim potest, num de omnibus, quae uspiam D. Thomas docuit, intelligenda sit, an non? P. Ludovicus Molina<sup>89</sup> sentit, intelligi debere de sola Partium doctrina, et iis, quae ad eam absolvendam ex eodem autore aliunde supplenda sunt, quae ipse morte praeventus nondum in Summam coaptaverat. Nam caetera fere ad scholasticam theologiam pertinentia, quae extra Partes reliquit, sub ultimae manus censuram non adduxerat, ac multa etiam illorum non tam ex suo sensu, quam ex vulgata sui saeculi opinione pronuntiaverat. Praeterea D. Thomae doctrina tam late funditur, ut vel eius fines perlustrare, nedum eos ab adversariorum incursibus tueri, nimis difficile ac laboriosum sit.

Caeteri patres eam regulam de tota D. Thomae doctrina, quae ab eo ex professo tradita est, cum ea moderatione, quae ad nonam regulam adhibetur, explicandam existimant. Quia multo, inquit, tutius ac solidius est, tantum doctorem in iis etiam, quae alibi scripsit, nec in Partibus disputavit, ducem sequi, quam, cum ea pertractanda occurrunt, omnino libere vagari. Hoc ipsum quoque rationes eae, quibus pagina 22 et 23 D. Thomae doctrina universim commendatur<sup>90</sup>, non parum suadent. Quod tamen sic accipiendum erit, [295r] ut cum D. Thomas a se alibi dicta in Partibus retractat, non nisi doctrinae partium inhaerendum sit.

Omnium tamen patrum sententia est, non ita nostros D. Thomae addici oportere, ut urgente causa (quod regulae per hos annos a R.P. Generali editae<sup>91</sup> mittebant) ab eo interdum discedere non possint; superiorum tamen iudicio atque assensu ad eum modum, qui a nobis in observatione quartae regulae proponebatur. Maxime, cum perspicuum sit, praeter eas opiniones, quibus libertas expresse datur, alias quoque apud D. Thomam legi, in quibus aliter sentire non minus tutum ac solidum sit, ut ipsi etiam patres Romae deputati pagina 52<sup>92</sup> non diffitentur.

#### *De liberis et definitis opinionibus*

Ad 5.am et 6.am regulam duae classes ponuntur: una, in qua liberae, altera, in qua definitae opiniones continentur. Sed enim, quoniam inter liberas quaedam in utranque partem aequae probabiles, aliae quarum altera pars verisimilior habetur, connumerantur, sentit P. Paulus Ferrer, ne per occasionem datae libertatis, eae quae minus probabiles sunt, ut probabiliores vel aequae probabiles defendantur, operae pretium fore, ut dum praedictae liberae opiniones in libro de ratione studiorum recensentur, quaenam pars verisimilior sit, ibidem exprimat, ut in prima et decima earum quae ad 1.am 2.am et 3.am Partem D. Thomae spectant, pagina 312 et 314<sup>93</sup> expressum est.

Plures liberae opiniones colligendae forent. Hac enim amplioris libertatis indulgentia quodammodo recreati praeceptores, minus gravate definitas opiniones tuebuntur.

Non placet vero patri Georgio Sarrano, ut cum D. Thomae sententia maiorem vel etiam aequalem probabilitatem prae se fert, ab ea discedendi libertas detur. Siquidem Constitutiones 4 par. cap. 14 D. Thomae doctrinam nostris praelegendam decernunt<sup>94</sup>. Est au-

<sup>89</sup> De L. Molina S.I. et de aliis, qui inferius occurrent, vide supra, *Introd. gen.*

<sup>90</sup> Vide MP V 20 21.

<sup>91</sup> Quae regulae habentur superius, mon. 7.

<sup>92</sup> Vide MP V 32-33.

<sup>93</sup> Vide MP V 7-8.

<sup>94</sup> Vide MP I 297.

tem vetus academiarum consuetudo, ut quam quisque authorem explicandum sumit, eum quod minimum caeteris paribus defendat.

Omnibus, excepto patre Ludovico Molina et patre Emmanuele Goes, visum est proponere ut, si expedire videbitur, ad maiorem doctrinae facilitatem, separato aliquo commentariolo nostris conscripta tradantur praecipua fundamenta opinionum, quae ipsis fugiendae vel sequendae particulatim designantur; earum praesertim, quae magis reconditae et implicatae sunt.

Illud certe ordinis perspicuitatem iuverit, si in libro de ratione studiorum primo quidem continuata serie omnes undecim regulae, quae ad opinionum delectum pertinent, deinde liberae et difinitae opiniones suis distinctae classibus subiiciantur.

### Ferdinandus Peres S.I.<sup>95</sup>

[*Stud. 3, f. 297r*] . . . Quartae regulae, decernenti, ut nemini lectorum liceat absque provincialis consensu etc. dubitationes novas alicuius momenti introducere, crederem aliquam explicationem aut moderationem adiungendam. Etenim, cum per totum annum et frequenter futurum sit, ut dubitationes novae, hoc est ab aliis intactae, nostris lectoribus occurrant, et tamen raro et per parum temporis Pater Provincialis in quovis collegio demoretur, fore videtur, ut haec regula nostris lectoribus onerosa et perdifficilis impletu fiat. Praesertim in materia morali, cuius praxis etiam discipulis suggerit in dies plura novaque dubia, de quibus praeceptorem plerique interrogant. Unde regula haec moderanda videtur, ut non solum intelligatur de quaestionibus maximi ponderis aut solis speculabilibus alicuius momenti, aut saltem, utrum sit ad Patrem Provinciale deferenda res necne, relinquatur iudicio rectoris . . . [301r]

#### *Circa quaestiones scholasticas et quintam regulam et sequentes*

Tria mihi in genere monitu dignissima fuerunt. Primum est, ex una parte prius in ipsa ratione studiorum tam asseveranter asseri, P.N. Generalem nihil magis commendasse patribus deputatis quam, ut opinandi licentia et libertas cohiberetur, atque summam nostrorum vicissim consensionem, per Constitutiones P.N. Ignatii et per egregias ibidem adductas rationes summopere nobis commendatam<sup>96</sup>. Ex altera vero parte in eadem quinta regula<sup>97</sup> et sequentibus ad tam variantes et discrepantes opiniones dari licentiam, ut non solum videatur indulta multo maior, quam unquam antea inter nostros dissentio, sed etiam ut nostri deinceps possint inter se ad invicem magis, quam Scotus a D. Thoma aut Durandus a Scoto dissentire.

Secundum est, cum in eadem ratione studiorum ex una parte ad D. Thomam communiter sequendum per Constitutiones nostras et per egregias etiam ibidem adductas rationes exhortatio fiat; tamen ex altera parte ad discrepandum a D. Thoma tanta concedatur libertas unicuique nostrorum, ut certe magis et pluries adversari D. Thomae possint, quam Durandus, qui dicitur acerrimus D. Thomae impugnator. Praescribitur enim ibidem in nona regula, ut nostri D. Thomae nequaquam astringantur ad alia, quam quoad conclusiones<sup>98</sup>. Deinde in eadem regula, ut neque ad conclusiones, quae non tam theologicae, quam

<sup>95</sup> De F. Peres S.I. et de eius tractatu cf. supra, *Introd. gen.*

<sup>96</sup> Vide MP V 6.

<sup>97</sup> Vide MP V 6-7 reg. 5.

<sup>98</sup> Vide MP V 13.

philosophicae sunt. Postremo, quoad conclusiones etiam theologicas et maxime celebres et controversas tam ampla fit facultas post eandem quintam regulam, et postea in fine totius tractatus, ut verissime possimus dicere, non solum nostris praeberi amplam licentiam ad raro sequendum D. Thomam, sed etiam ad rarius sequendum, quam sequantur augustiniani aut franciscani aut alii, quibus nullo modo praescriptum est, ut sequantur D. Thomam. Cum autem respondent, opiniones omnes, ad quas ibi datur licentia, iam in scholis communiter defendi, quo modo ita sit, ego plane non video, cum nunquam communius defenderetur D. Thomas in scholis, quam modo in dies defendatur. Cuius rei universitates, quae magis modo celebres sunt, etiam magis testes esse possunt. Cum vero iterum aiunt, eam dissensionem oportere admitti ad exercendum et ostendendum ingenium, certe responderi potest, plus quam satis ostentari ingenium posse atque tutius altercationis exercitationisque commodum haberi, si communiores D. Thomae opiniones tueamur accurate; praesertim, si etiam opiniones D. Thomae communiori-que sententiae contrarias tanquam probabiles defendamus, quanvis nobis non liceat vindicare censoriam autoritatem, ut quisque nostrorum reiiciat passim D. Thomam communioresque sententias, atque serio frequenterque affirmet, falsum reiiciendumque esse, quod alter etiam nostrorum et forte paulo ante eisdemque discipulis verum et amplectendum asseveravit . . .

## ASSISTENTIA HISPANIAE

### *Provincia Aragoniae*

In 2.a regula<sup>99</sup> praecavetur defensio eiusmodi opinionum, quae contra recepta philosophorum aut theologorum axiomata, vel contra communem scholarum theologiarum sensum a plerisque viris doctis esse iudicantur. Ut antevertatur incommodis, quae ex callida legis interpretatione possent existere, videtur permagni interesse, si his addatur: Non licere hoc vel exercitationis gratia neque intra privatos parietes.

In quibusdam provinciis non raro contingit, homines haud indoctos plerumque offendi opinionibus, quas tamen pervulgare ibi ac tueri oportet vel ad extirpanda commercia iniqua, sive alia vitia; vel denique, quod id magis faciat ad gloriam Dei. Tunc ergo videtur ratio postulare, ut in 3 regula subiungatur: Provincialis permissu licere eiusmodi opiniones doceri, posthabita offensione illa vitiosa, quam habet haec res apud aliquos.

Quod attinet ad 5 regulam, optandum in primis esset, ut offi-[*Stud.* 2, f. 208v]tium sequendi doctrinam S. Thomae, demptis iis, quae excipiuntur, in sola eius theologiae Summa cum additionibus intelligatur. Et quoniam unusquisque suam opinionem, quantumlibet errantem et vagam, contendit affingere D. Thomae, operae pretium erit, ut lege caveatur, ne quis ex proprio tantum sensu, sed de communi explicatione expositorum S. Thomae, aut de alicuius quidem horum celeberrimi D. Thomam interpretetur; vel certe alio limite certiori campus huius regulae latissime patens terminetur . . . [220v]

### *De methodo servanda in propositionibus liberis definitisque, deque ipsis in genere*

Etsi praestantior methodus non occurrit praeter eam tertiam, quam una cum divisione propositionum liberarum definitarumque et earum regulis patres romanae congregationis inierunt, tamen ut coerceatur opinandi libertas, tum etiam, ut quam suavissime consen-

<sup>99</sup> Regulas *De delectu opinionum* vide in MP V. 6 9 13.

sus in doctrina teneatur, atque ex tribus modis tertiae methodi ultimus ille ab eisdem electus nobis maxime probatur; tamen oblata sunt interim super iis rebus aliqua proponenda.

Principio, quando ita usu comparatum est, ut aliqui thomistae mentem S. Thomae aperiant inauditis quibusdam et extraordinariis sensibus, atque interdum etiam in materiis magni momenti, res ipsa postulat aliam classem propositionum, quibus lex huiusmodi praefigatur: His in rebus sic explicandus est S. Thomas, posthabita quacunque alia interpretatione; vel excludantur quidem expositiones proposito aberrantes. Quod si nova classis non placet, saltem eas inter definitas propositiones recensere oportet. Magnum enim fieret operae pretium et ad convenientiam consensumque doctrinae, quam nobis Constitutiones tantopere commendant; et ad nostrorum concordiam conspirationemque animorum.

Propter brevitatem propositionum magnae saepe inciderunt difficultates in eruendo sensu aliarum etiam, praeter eas quas sigillatim observavimus. In propositionibus definitis, quas non tractant doctores scholastici usitatiores (verbi causa in illa, qua iubemur docere, eum qui existimat, se esse baptizatum, cum re ipsa non sit, recipere Eucharistiae sacramentum, sed non effectum ex opere operato, et in aliis similibus), necesse est assignare aliquem modum docendi confirmandique illas, vel in margine citare scriptores, qui illam tradant. [221r]

Professores nostri necessario secuturi sunt ordinem S. Thomae. Ideoque opus est et in definitis et in liberis propositionibus eundem tenere ordinem; non in quaestionibus solum, verum etiam in articulis, propter incommoda, quae consequi possent . . .

Ut colligitur ex IV P. Const. cap. 14<sup>100</sup>, nostri debent esse thomistae, quamvis nullius addicti iurare in verba magistri<sup>101</sup>. Ex quo infertur, S. Thomam non esse deserendum, nisi quando eius doctrina commode defendi non potest, aut cum ex contraria parte manifestissime rationes superant. Itaque R.P.N. Generalis singularibus verbis cavit, ne S. Thomas sine magnis caussis deseratur<sup>102</sup>. Unde sequitur, sufficientem non esse causam ad permittendum deseri S. Thomam, quia opposita sententia sit aequae probabilis aut paulo amplius; neque ad faciendam nostris optionem. Hoc iccirco commemoramus hic tanquam rationem universam, cur liberae relinquendae videri non debeant propositiones illae, quas antea significavimus, in medio non esse relinquendas. Atque imprimis honor maximus habendus est S. Thomae in 1.a 2.ae, quia in eiusmodi materiis praeclare operam suam collocaverit praeter omnes. In qua tamen parte romanae congregationis patres libentius indulsisse nostris visi sunt . . . [227v] . . .

*De caeteris regulis quae habentur in formula et generatim de omnibus*

Si regula nona magis non restringitur, multis exposita erit incommotis. Nam alius conclusionem unam educit ex uno articulo, alius vero duas aut etiam tres vel quatuor, et praemissae sumptiones unius articuli D. Thomae, ut plurimum, sunt conclusiones aliorum articulorum. Ac proinde tantum concedenda esset libertas reiiciendi consecutionem; atque hoc quidem non nisi praecedente magna consultatione et iudicio. Quod serio disertisque verbis nostris commendandum etiam atque etiam esset, ut quantum temporis in novarum rerum excogitatione conficiunt, tantum collocarent in inveniendis distinctionibus et funda-

<sup>100</sup> Vide MP I 297.

<sup>101</sup> HORATIUS, *Epistolae* I/1 14.

<sup>102</sup> Vide supra, mon. 7 § 1.

mentis, quibus constabulantur sententiae S. Thomae ad theologiam vel ad eius fundamenta pertinentes. Atque in iis firmandis ingenii vim expromant. Quod si praestare non possunt, at certe verba non faciant ulla, quae detrahare quidquam de dignitate S. Thomae videantur. Quamvis autem hac de re agatur in capite 2 de theologia scholastica § primo<sup>103</sup>, oporteret eam reponere in formula ipsa.

Atque hoc ipsum providendum esset etiam magis in regula 10.a erga doctores sacros. Ut omnes vigilanter incumbamus ad confirmandas eorum rationes de rebus fidei; singulas pro dignitate, necessarias ut necessarias, congruentes item ut congruentes. Ac in omnibus denique summus honos sacris doctoribus habeatur.

Etiam permagni interesset commemorare hac in formula finem ac scopum litterarum Societatis ut in prooemio 4 partis Constitutionum. Hoc enim pacto novarum rerum studium mire coërceretur. Revocare quoque ad hanc formulam quidquid ad eam facit ex constitutionibus atque decretis. Etenim brevissima est modo haec forma ad tam ingens opus.

Refertur de professione fidei huic tractatui inserenda, quam [228r] Pius IV fieri iussit ab omnibus professoribus; licet in Hispaniam haec consuetudo nondum sit inducta apud nostros; expediretque non modicum eo quo fieri debet ab omnibus recipientibus aliquem gradum.

Desideratur in hac formula, vel in regulis concionatorum, explicatio, qua manifestum fiat eos vel imprimis huius formulae observantia tanto magis obligari in concionibus, quanto rempublicam gravius vulneraret quaelibet doctrinae licentia varietasque opinandi apud nostros.

Quod attinet ad ordinem harum regularum, nona et pars extrema undecimae optime simul cohaerere possent cum initio quintae; regula item decima cum prima. Multo etiam commodius tota formula per se ex una parte stare posset; ex altera vero sequenti catalogi propositionum liberarum et necessariarum etc.

#### *De Commentariolo*

Quoniam R.P.N. Praepositus Generalis in epistola sua praemonitum voluit (idemque fecerunt patres romanae congregationis p. 69)<sup>104</sup>, fore ut peracta iudicatione de omni ratione studiorum, caeteris resectis, ipsae tantum decisiones retineantur atque evulgentur<sup>105</sup>; visum est referre prius ad eum de iis, quae pag. 22 et 23 dicuntur ad retinendam S. Thomae doctrinam<sup>106</sup>, ut collocentur ea in ipso tractatu, qui per universam Societatem disseminandus erit. Quod etiam scribitur in primo cap. de cohibenda nostrorum licentia de novitatibus sectandis etc., nonnulla praeterea ex 2 et 3 cap. scribenda essent illa quidem litteris aureis; dum subiceantur ea, quae existimationem Societatis imminuere aliquo modo possent. Nec inutile esset, illis addere rationem hanc optimam et satis per se valentem: reprimere appetentiam corruptae naturae in excogitandis proferendis rebus novis. Quod Ecclesia, cui studia nostra deserviunt, praeclare muneri suo satisfecit adhuc, sine hoc novo invento, cum apud eam tamen floruerint tot illustres sancti, quibus Deus opt. max. tantam cogitationis intulit lucem; quodque eodem modo satis sibi ipsa erit in posterum [228v] ad exiguum aetatis curriculum, quod mundo superest transigendum; et quamquam Deus instituit, ut Ecclesiae lux gradatim capiat incrementa, recurrentibus annis, raro tamen hoc acci-

<sup>103</sup> Vide MP V 52-53.

<sup>104</sup> Vide MP V 42.

<sup>105</sup> Vide MP V I.

<sup>106</sup> Vide MP V 20-21.



dit; tuncque modestos ad hanc rem sibi comparat ministros. De quorum numero cum ipsum quoque esse dignabitur, profecto eandem mentem afflabit ei, qui apud nos locum Dei tenet, ut idem probet; secus vero nostrae inventiones frequentibus periculis fluctuabunt.

### Collegii hispalensis patres<sup>107</sup>

Circa regulas Delectus opinionum – 1<sup>o</sup> Sentiunt, laxiorem hoc libello dari opinandi licentiam, quam etiam novatores postularent, cum et temporum ratio et hic studiorum ordo iure velint vincere opinandi libertatem.

2<sup>o</sup> Circa regulam tertiam rogant, quid agendum sit, siquando aliqua ex sententiis, quas hoc libro iubemur defendere, defendat [offendat ?] multos non indoctos aliqua in civitate?

3<sup>o</sup> Circa quintam regulam notant, multa in ea permitti contra D. Thomam, quae nec ita recepta nec ita probabilia sunt, nec ita bene et facile defenduntur, ut ea, quae docet D. Thomas; cum et Constitutiones nostrae et hic studiorum ordo pag. 51 recte postulent<sup>108</sup>, ut non solum quando D. Thomae doctrina probabilior est defendatur a nostris, sed et quando est aequae probabilis. Subiiciam autem exempla opinionum, in quibus sententiae D. Thomae probabiliores, tutiores et veriores sunt oppositis, quae hac regula permittuntur . . . [Stud. 2, f. 284r]

### Provincia Castellana<sup>109</sup>

Reg. 3: Prudenter sancitur ut «Quae opiniones, cuiuscunque doctoris aut auctoris sint, in aliqua provincia aut civitate multos nostrorum» etc.<sup>110</sup> Cum hoc tamen videtur pugnare, quod pag. 13 et deinceps designantur una et viginti propositiones ex p.a p. S. Thomae; et pag. 315 ex 1.a 2.ae propositiones 13; ex 2.a 2.ae vero septem; ex 3 p. 37; quae sunt in universum propositiones 78; quae docendae omnibus praescribuntur, ut disertis verbis scriptum est pag. 311<sup>111</sup>. Permittitur etiam, ut defendantur contra S. Thomam opiniones 52.

Haec res summi momenti est, et matura eget consideratione. Verendum est enim, ne magnas tragaedias hoc excitet praesertim in Hispania et nobilibus eius academiis; et in Societate nostra parum sit fructuosum propter causas quae sequuntur.

Multae ex his propositionibus defenduntur in utramque partem probabiliter, ut secunda ex p.a p.: Utrum theologia sit formaliter, an eminenter practica et speculativa; et 13: num detur causa reprobationis; et 19: num angelus sit proprie mobilis et locabilis; et 21: num repugnet pluribus in locis adaequatis esse angelum. Ad has et similes, et omnino ad nullam, quae sit contra D. Thomam nostri essent cogendi, exceptis tribus aut quatuor, de quibus est iam summus con-[Madrid, Bibl. Acad., f. 1v]sensus apud omnes. De caeteris, si quid publice statuatur, fieri non potest sine magna offensione multorum in Hispania, ac praesertim Compluti, ubi etiam illi, qui ab academia sunt lecti, ut Scotum aut Durandum interpretentur, nomine tenus id praestant, re autem vera D. Thomam interpretantur.

<sup>107</sup> De collegii hispalensis patribus et eorum tractatu cf. *Introd. gen.*

<sup>108</sup> Vide MP V 32.

<sup>109</sup> De patribus commissionis provinciae Castellanae et de eorum tractatu vide supra, *Introd. gen.*

<sup>110</sup> Vide MP V 6.

<sup>111</sup> Vide MP V 7.

2<sup>o</sup> – Odiosum certe quidem erit, et Societatis auctoritatem elevabit, publico decreto hoc statui. Nam, cum superioribus annis quidam ex nostris coram academia defenderet, in Christo Domino esse duplex esse, magni motus concitati sunt. Quod si in re tam exigui momenti et maxime probabili hoc accidit, quid fiet, si intellectum fuerit, publico Societatis iudicio tam multa et statui et permitti contra D. Thomam?

Atque hac de causa ne permittendum quidem esset, ut tam multa docerent contra D. Thomam. Nam ut sint probabilia in utramque partem, tamen id sine multorum offensione non fiet. Ad quam vitandam adhibetur hic labor. Verendum enim est, ne non remedium, sed pro illo tot existant incommoda, quot iam praevidentur.

3<sup>o</sup> – Quotiescunque Salmanticae aut Compluti aliquid accidit, quod laborem facesset, id ideo accidit, quia nostri discederint a placitis D. Thomae. Cum igitur non quaeramus, quae nostra sunt, sed quae aliorum, et debeamus placere proximo nostro ad aedificationem, consultius erit id sequi, quod experientia docet, congrue-[2r]re cum Societatis estimatione et externorum aedificatione.

4<sup>o</sup> – Videndum est, an sit hoc labefactare auctoritatem Constitutionum, in quibus Pater noster Ignatius tantum defert D. Thomae doctrinae, quantum aequum est.

5<sup>o</sup> – Fortasse aperitur ianua, ut nostri cum magno suo incommodo et eorum, quos docendos suscipiunt, D. Thoma non ut praeceptore, sed ut scriptore aliquo utantur. Id quod proculdubio in magnum vergit detrimentum. Magnopere enim christianae reipublicae refert, ut divus hic author, cui tantum deferunt summi pontifices<sup>112</sup>, concilia, nobiles academiae in Hispania, quemque tanto odio prosequuntur haeretici, in summo pretio habeatur. Humani autem ingenii hoc vitium est, ut ubi alicuius auctoritatem coepit in rebus etiam exiguis negligere, deinde in maioris etiam momenti rebus negligat.

6<sup>o</sup> – Pro consensione animorum, quae tanto labore inter nostros quaeritur, forte maior quam hactenus dissensio commovebitur. Nam qui sunt D. Thomae cupidi, sunt autem plurimi, perfunctorie docebunt contra illum; aut sic docebunt, ut non obscure significant, se in contraria esse sententia. Deinde cum ea, quae docent in theologia, inter se nexa sint, ut in aliis disciplinis, necesse erit, ut multo plura contra D. Thomam docenda sint, quam in hoc libro vel statuatur vel permittantur. Unde rursus aliae existent contentiones. Nam qui sunt novitatis a-[2v]vidi, opiniones comminiscuntur, quas dicent cum his cohaerere, ad quas nostri adiguntur vel quae illis permittuntur; de quo rursus erit contendendum, et videndum, an ita sit.

7<sup>o</sup> – Multae opiniones, de quibus in diversis regionibus inter nostros fuit contentio et dissensio, ne attinguntur quidem in hoc libro; et quotidie aliae exorientur de rebus, de quibus non agit. Quibus incommodis aliud remedium erit excogitandum, ne in infinitum serpat hoc malum, nisi nobis D. Thomas dux sit.

8<sup>o</sup> – Ut patres qui sunt convocati ad studiorum rationem concinnandam, fuerint doctrina praediti singulari, et administrandarum scholarum usu praediti, gnari etiam singulorum provinciarum suarum, tamen efficere non potuerunt, nec fuit ab illis postulandum, ut in omnibus provinciis eadem vigerent sententiae in theologia, et non multa negligerentur in Italia, quae in Hispania in magno habentur precio; contraque in Hispania multa existimentur valde probabilia, quae itali improbabilia esse sibi persuadent. Non ergo potest quadrare omnibus provinciis, quod effectum est. Nam ut si hispanus gallorum utatur vestitu, aut gallus hispanorum, non effugiet multorum reprehensionem, sic nimirum, si quis velit in Hispaniae academias opiniones introducere, quae Lutetiae aut Romae vigent, nec id

<sup>112</sup> Vide MP V 55 adn. 1.

assequetur et in multorum odia incurret. Suum enim unicuique pulchrum, ut est in proverbio. [3r]

9<sup>o</sup> – Permittitur nostris, ut possint contra D. Thomam defendere supradictas opiniones; reliquas autem eius conclusiones sic tueantur, ut rationes quibus illae nituntur, non cogantur defendere; id est, ut possint vel confutare ut falsas, vel negligere ut infirmas. Certum autem est, rationes et conclusiones inter se solo enunciandi modo differre. Nam rationes in conclusiones facile rediguntur. Quaerit S. Thomas q. 14 art. 12 p. ae p., utrum Deus possit cognoscere infinita. Probat autem illum infinita cognoscere, qui sciat omnia, quae sunt non solum actu, sed etiam in potentia vel sua vel creaturae. Haec autem sunt infinita. Deinde idem probat de scientia visionis, quia Deus cognoscat cogitationes et affectiones cordium, quae in infinitum multiplicabuntur creaturis rationalibus in aeternum permanentibus. Iam hae conclusiones erunt: Si dicas, cogitationes et affectiones cordium in aeternum infinitum multiplicabuntur; et si dicas, in potentia creaturae sunt infinita. Quod si ita est, non iam 52, sed multo plures atque adeo innumeras opiniones contra D. Thomam permittitur nostris defendere, nec dissensionibus materia subtrahitur, sed ingens campus aperitur. Et auctoritas D. Thomae, quae amplius verbis in hoc libro extollitur, re ipsa non solum elevatur, sed omnino obscuratur. Ut omittam quod, cum rationes sint firmamenta conclusionum, si rationes labefactentur, conclusiones etiam labefactantur. Accedit ad haec, quod multi praeceptores avide irruent in rationes D. Thomae, ut vide-[3v]antur ingeniosi; irruent autem eo libentius, quo minus licet irruere in conclusiones.

10<sup>o</sup> – Remedium dissensionum in variis opinionibus non ex indulgentia defendendi multas opiniones contra D. Thomam et infirmandi eius rationes passim, sed ex obedientia petenda est, ut in eius obsequium captivemus intellectus nostros. Alioquin remedium, quod petitur ex hac indulgentia, verendum est, ne sit caducum et fragile, et magis alat quam restinguat licentiam ingeniorum, quae novitatis sunt avida. Nec vero iubentur nostri captivare intellectum, sed, ut rectius dicamus, animo et voluntate propendeant in nobilissimi auctoris doctrinam, sicuti hac et superiori aetate fecerunt viri doctissimi.

11<sup>o</sup> – Multis de causis optandum est, ut quod de ratione studiorum decernatur, firmum sit et stabile. Agitur enim in eo auctoritas R.P.N. Generalis, utilitas totius Societatis, animorum consensio. Magna etiam eorum, qui nobis bene cupiunt, expectatio commota est. Observamur etiam ab his, qui alieno a nobis sunt animo. Metuendum autem est, ne, propter rationes supradictas, non multo post ad alia remedia confugiendum sit.

His autem omnibus incommodis fortasse occurritur, si D. Thomas noster dux sit et antesignanus propter quas causas, quae redduntur huius libri pag. 23 et 24; nec permittatur nostris, ut eius aut opiniones aut rationes impugnent passim; nedum ad id adigantur, praeterquam cum agitur de conceptione [4r] B. Virginis, de dispensatione in voto solemnii, et de puero, qui venit ad usum rationis. In caeteris servanda esset regula tertia, ut «Quae opiniones, cuiuscunque auctoris sint» etc.<sup>113</sup> Et si quid indulgendum esset, aut indulgeri posset sine ullo detrimento, id provinciales, habito mature consilio cum his, qui ad consultandum adhiberi deberent, possent ac deberent potius referre ad R.P.N. Generalem. Hoc fortasse nihil reperietur nec ad usum facilius, nec ad fructum utilius, nec ad retinendam inter nostros concordiam accommodatius, nec ad vitandam multorum offensionem aptius, nec ad perpetuitatem firmitus, nec ad tuendam atque adeo augendam in singulis provinciis Societatis existimationem efficacius. Nam in singulis provinciis deberent ea, in quibus R.P.N. Generalis iudicaret posse indulgeri, praeceptoribus manu scripta ad rationem stu-

<sup>113</sup> Vide MP V 6.

diorum typis excusam adiungi<sup>114</sup>, curarique summopere, ut diligentissime custodirentur. Alioquin quid prosunt leges sine moribus? Et si qui sint novitatis cupidi, et qui se ad rem tanti momenti difficiles et parum tractabiles praebeant, fortasse conduceret eos, quantumvis docti sint, a docendo remove. Quod si factum esset et quod primo P.N. Ignatius statuit, satis superque fuisset ad omnia incommoda vitanda, et quae decrevit postea R.P. Franciscus de Borja<sup>115</sup> et quae postremo sanxit R.P. Aquaviva<sup>116</sup>. Haec autem omnia cum ea moderatione sunt intelligenda, de qua dicitur in pag. 13<sup>117</sup>. [4v]

#### Provincia Toletana<sup>118</sup>

Pag. 10 Regula 5: *exceptis paucis*. Nullae videbantur excipiendae, ita ut libertas concedatur discedendi a S. Thoma. Nam, cum ex Constitutionibus teneamur communioem et magis probatam doctrinam sequi, aut istae opiniones, quae hic permittuntur, sunt communiores et magis probatae; et tunc non erant permittendae, sed potius definiendae; et statuendum, ne ab illis liceret recedere. Si autem sunt minus communes et minus probatae, eas permittere est contra nostras Constitutiones.

Sed dices, de illis non constare, utra contradictionis pars sit communior et magis probata, et ideo permissum esse cuique, quam velit defendere et docere. Sed esto, ita esset, nonne multo melius et consultius esset, et nostris Constitutionibus magis consentaneum, in doctrinis aequae communibus et probatis tanti viri et Angelici Doctoris auctoritatem sequi, et illi contrarias nec docendas, nec tenendas statuere?

At dicet aliquis, ad ingeniorum exercitationem maiorem et accuratius veritatis examen illas fuisse permittendas. Sed haec ratio parum urget, cum peritissimis viris persuasum semper fuerit, in veris securioribusque sentiis ingenii vim ostendere, plus habere subtilitatis, laudis et commodi, ut etiam liber fatetur, quam in minus veris, minusque probatis sentiis defendendis. Praesertim, cum ex illa libertate opinandi contra S. Thomam et opinandi in utramque partem licentia, varietatem opinionum inter nostros oriri sit necesse, quam tanto opere prohibent Constitutiones dicentes: Idem sapiamus omnes, idem dicamus (3 P. c. 1)<sup>119</sup>. Cum ergo ex tali permissione doctrinas differentes inter nostros prodire necesse sit, fit ut illas excipere doctrinas, quae in 5 regula excipiuntur, non sit ad mentem nostrarum Constitutionum.

Nec sufficit, tales permissas propositiones tuto et valde probabiliter defendi posse. Nec enim solum tutam et probabilem doctrinam a nobis exigunt nostrae Constitutiones, sed magis tutam et magis communem et magis probatam. Quare non est sufficiens ratio ad illas permittendas, quae in Libro traditur. Et cum S. Thomae doctrina non solum communior et magis probata sit iam in Ecclesia, sed ut talis a nostris Constitutionibus recepta in scholastica doctrina [4 P. c. 14 § 1]<sup>120</sup>, et eam P.N. Generalis Claudius Aquaviva in ea formula, quam de ratione studiorum misit ad provintias<sup>121</sup>, expresse securiorem et magis probatam vocet; atque ideo ab ea non esse recedendum statuatur, id ipsum in Ratione studio-

<sup>114</sup> Quod consilium a P. Generali acceptum est; vide desideria provinciarum, quae tempore congregationis generalis quintae (1593-94) Patri Generali in scripto data sunt; vide MP V 330-37.

<sup>115</sup> Decretum de opinionibus tenendis (1565) Francisci Borja v. in MP III 382-85.

<sup>116</sup> Instructionem Patris Acquaviva de ratione studiorum (1582) vide supra, mon. 7.

<sup>117</sup> Vide MP V 9.

<sup>118</sup> De patribus commissionis examinandae Rationis studiorum (1586) videsis in *Introd. gen.*

<sup>119</sup> Vide MI *Const.* III 86 § 18.

<sup>120</sup> Vide MP I 297.

<sup>121</sup> Scriptum Patris Acquaviva de doctrina in S.I. tenenda (1582) vide supra, mon. 7.

rum, ut statuatur, maxime desideramus, nullam contra S. Thomae doctrinam permittendo; et, ut quibus possit modis, huius Sancti reverentia et ad eius doctrinam devotio in nostris promoveatur, potius quam permissione ulla tenendi et docendi contra illum retardetur. Quare nobis omnibus maxime optandum videbatur, ut in universali Societate S. Thomae doctrina ut magistra et viae ductrix haberetur, eamque omnes sequeremur in omnibus, non solum in conclusionibus, sed etiam in rationibus et earum fundamentis, sive ad scholasticam theologiam, sive ad philosophiam ea pertineant.

Quod si ob varietatem provinciarum ac nationum et ingeniorum fieri non possit, ut id statuatur, ne ullo modo debilitetur pietas et affectio, qua nostri fere in Hispania D. Thomae doctrinam complectuntur. Quod in hoc Libro fieri videtur. At illud videtur statuendum, ut nullo modo nostri obligentur ad aliquam contra D. Thomae opinionem tuendam. Eam excipio, quae de immaculata Virginis conceptione [2r] iam in Ecclesia magis communis et magis probata est. Nec in voluntatem nostrorum relinquendum videtur, in ulla alia opinione a S. Thoma recedere. Certe, id lege lata concedere, magnis incommodis obnoxium nobis videbatur. Deinde, ut quam maxime omnibus sit commendatum, ut a S. Thomae placitis quam minimum recedant, et P.N. Generalis gratissimum sibi fore explicet, si cognoverit, nostros quam maxime doctrinae S. Thomae esse deditos, neque alicui licere ab eius doctrina recedere; nisi forte in aliqua provincia, graves authores sequendo, communem magis in ea probatam sententiam sequantur. Quod si in aliqua provincia expedire videatur, ut nostri aliquas particulares opiniones contra D. Thomam tueantur, quod ibidem communiore et magis probatae videantur, tales opiniones in hac ratione studiorum non explicantur, quae communis esse debet omnibus provinciis, sed in scriptis, particulariter ad illam provinciam directis, licentiam ad id R. admodum P.N. Generalis concedat<sup>122</sup>.

In his, de quibus D. Thomas nihil egit, scilicet de quibus dubium est, an secundum eius sententiam sint nec ne, aut ubi de sensu S. Thomae sunt quaestiones, pari etiam ratione statuendum videtur, ut nostri communem et magis receptam opinionem inter authores, qui modo in Ecclesia magis florent, sequantur et doceant. Si tales autem essent res aut conceptus, ut neque ab antiquioribus, neque a recentioribus Ecclesiae doctoribus sint pertractata, optandum esset, ut nostri ab eis abstinerent, sibi sufficere arbitantes, si quae iam ab aliis tractata sunt, edocuerint; si tamen aliquid novum, neque ab aliis tractatum docere nostri voluerint, id minime faciant, praesertim in rebus alicuius momenti, nisi prius consulto superiore, iuxta ea quae 4 P. cap. 5 § 4; cap. 14 § 3 nostrae Constitutiones statuunt<sup>123</sup>.

Pag. 12 Regula 6 – Quae hac regula 6 definiuntur, non videbantur definienda. Primo, quia solum ea statuenda videbantur, quae omnibus nationibus et provinciis possent esse communia. Cum tamen multa ex iis, quae in hac regula definita sunt, minus probabilia in Hispania habeantur, quanvis in aliis provinciis [2v] probabiliora iudicentur. Si enim velimus opiniones, quae in Italia vigent, in Hispaniam introducere, et frustra laborabimus, et in multorum odia incurrere erit necesse. Unde solum ea videbantur statuenda, quae ita certa sunt, ut contraria vix cum fide et religione stare possint, ne veluti articuli parisienses a multis parvi fiant<sup>124</sup>, cum auctoritatis nostrae Societatis non parvo detrimento. Nec verum omnibus videtur, quod de definitis opinionibus in Libro dicitur magis esse approbatas communiter, nec parum adjuvare pietatem. Neque quod pag. 52<sup>125</sup> dicitur: Definitum ni-

<sup>122</sup> Idem petierunt patres provinciae Castellanae; vide supra, adn. 114.

<sup>123</sup> Vide MP I 221 299.

<sup>124</sup> Vide supra, prov. mediol., mon. 10 adn. 11.

<sup>125</sup> Vide MP V 32.

hil est, nisi quod S. Thomas docet vel communior theologorum schola. Et licet satis fortasse esset haec in communi de definitis dixisse: praesertim aliquas opiniones ex illis non esse communiores et magis probatas, non erit difficile videre; atque adeo eas definire expediens non fore.

### Provincia Sardiniae<sup>126</sup>

Cum duo sint praecipua methodi huius capita: unum ad opinionum delectum, alterum ad scholarum administrationem pertinens, haec fere sese nobis offerunt, sub censura tamen admodum R.P.N. Generali. Imprimis de opinionibus, quae afferuntur in regula quinta, ad quas nostri non cogantur. Videtur expedire, ne nostris praescribantur, multoque melius futurum, si relinquantur, neque ulla de iis fiat mentio; idque plures ob causas. Primum, quod neque ut idem sentiamus omnes, idemque dicamus<sup>127</sup>, neque ad pietatem promovendam quicquam valeat earum enumeratio, sed potius, ut in contraria studia nostri scindantur et abeant. Maior quoque harum propositionum pars ab omnibus prope theologis tam nostris quam externis tota Hispania defenditur. At vero contraria pars ponitur hoc loco, ut magis aut saltem aequae probabilis et communis. Praebetur autem hoc propositionum numero non parva occasio deserendi D. Thomam deinceps, aut certe in utramque partem, et problematicae disputandi eas opiniones, quae non nisi definite ad mentem D. Thomae in scholis praelegebantur. Ponuntur item plurimae sententiae D. Thomae doctrinae contrariae ut probabiliores et longe receptiores; quibus admissis, auferuntur statim complura fundamenta, discursusque theologici insignes Summae D. Thomae tolluntur e medio. Quemadmodum de ratione formali existentis Dei in loco, de angelorum motu et loco, de beatitudine, de praestantia intellectus et voluntatis, de connexione gratiae cum virtutibus etc.

Mirum etiam est quod, cum ad eas solum defendendas cogamur, quae praescribuntur in sexta regula, reliquae omnes relinquantur liberae, hae potius propositae sint quam aliae. Videtur enim hoc dedita opera fortassis factum, ut pars B. Thomae contraria probabilis ostenderetur, magisque apta, quae doceatur in scholis. Quod quidem aliquos male habet. Interim ab externis quoque doctoribus in Hispania saltem nonnihil nobis erit metuendum, qui tot opiniones his regionibus minus receptas ut probabiliores induci libereque et palam doceri, explosa reiectaque communi D. Thomae, aegerrime ferent. Porro, cum crebro in [*Stud.* 2, f. 257v] Commentariolo (ubi de delectu opinionum agitur) repetatur, quod, tametsi ex Constitutionibus non cogamur universam D. Thomae doctrinam defendere, debemus tamen sequi ut doctorem ac ducem, quem in theologia scholastica in scholis nostris interpretemur, neque ab eo, nisi forte in levibus ut ad communem et receptam opinionem magis accedamus, recedere liceat; quod fit tandem, ut in hac propositionum serie plurimae graves admodum numerentur, a quibus tam facile liceat discedere, ac si essent levissimae? Ut est ex propositionibus subiectis regulae quintae ex prima 2.ae prima conclusio de beatitudine formali, 8.a de virtutum infusarum distinctione a caeteris, 9.a de donis Spiritus Sancti; 2.a conclusio primae partis S. Thomae de ratione formali, qua Deus sit in loco, et 11.a de ratione, qua itidem sint in loco angeli, et consequentibus; 15.a f. 313 de remissione peccati, sine superadditione qualitatis; 10.a item 3.ae partis f. 314 gratiam deperditam non recuperari in toto etc.; atque alia id genus D. Thomae placita. Quae si leviuscula censeantur et parvi ponderis, ecquae (obsecro) dicentur graves sententiae? Quare facile nostri praeceptores in-

<sup>126</sup> De commissione examinandae Rationis studiorum (1586) huius provinciae et de eorum scripto cf. *Introd. gen.*

<sup>127</sup> Vide *Const. P. III c. 1 § 18; MI Const. III 86.*

de colligent, cum id sibi iuris in praecipuis D. Thomae decretis concedatur, idem in caeteris omnibus esse permissum.

Postremo, quae tanquam aequae probabiles aut probabiliores proponuntur, eae in Hispania parum habent probabilitatis, veluti est ex subiectis regulae 5.ª sexta in ordine f. 11, et ex 3.ª parte 3.ª f. 313 et ex p.ª 2.ª 14.ª f. eodem, et 16.ª ibidem. Ex 3.ª parte etiam 12.ª f. 314.

Quoad eas deinde sententias, ad quas nostri coguntur, nonnullae sunt, quae utrinque doctores habent admodum graves et rationes satis firmas, idque sine pietatis vel levissimo detrimento. Nimium igitur severe actum videtur, ut in definitarum classem reiectae sint, quas fortassis liberas esse oportuit. Eiusmodi sunt: Ex subiectis regulae 6.ª et ex prima parte D. Thomae 10.ª conclusio 13.ª, 15.ª f. 14; ex prima 2.ª 4.ª et 13.ª f. 315 et 316; ex 2.ª 2.ª f. 316; ex 3.ª parte 8.ª 13.ª f. 318 et 19.ª primae partis f. 14 atque aliae . . .

### Alfonsus Escudero S.I.<sup>128</sup>

El negocio de asentar doctrina en la Compañía es de mucha importancia, pues es una de las principales partes de su instituto; y así es menester que se mire bien, porque como dixo Aristóteles: Parvus error in principio magnus evadit in fine. Y así si al principio de asentar la doctrina uviese descuido, redundaría después en grande daño della. Y así es menester se mire con cuidado. Por tanto me parece que aunque el libro tiene mucho trabajo, studio y buenas trazas, pero algunas cosas no parece están tan puestas en razón como conviene; y dexando el orden de enseñar la doctrina para después comenzaré de la misma doctrina.

Lo 1º – No me parece bien la licencia que se da de apartarse de S. Thomás en aquellas 49 proposiciones que pone el libro, juntamente con las razones que pone el Santo en los artículos y la doctrina que trae en philosophia. Lo 1º – Porque lo que se pretende en este libro, es dar una buena instrución para la unánime doctrina de la Compañía juntamente con la edificación y ayuda spiritual de los próximos. Y concediéndose como se concede esta licencia, no parece que se puede alcanzar este fin; porque como los ingenios de los hombres sean tan varios, unos se conformarán con las proposiciones, razones dichas y doctrina que el Santo trae en philosophia, otros no se conformarán sino defenderán lo contrario, pues para ello se les da licencia. Y practicándose ésto como moralmente es tan practicable, supuesta la grande variedad de los ingenios, ya en muchas cosas no abrá conformidad de doctrina, ni tampoco se edificarán los externos viendo que unos defendemos cosas contrarias de los otros nuestros, y así se frustraría el fin pretendido.

Lo 2º – Porque la doctrina de S. Thomás es la más sana y segura, y tiene excellencia entre las de los doctores escolásticos. Lo qual se prueba por algunos puntos: Lo 1º – Porque es muy reçibida de famosas y muy principales universidades, y así es justo antes las ayudemos a llevar su buen intento adelante, que no que les demos ocasión con nuestro exemplo de tener en menos a S. Thomás y dexar su doctrina. Lo 2º – Porque la Iglesia nos tiene dado a S. Thomás por Santo doctor suyo, y así tener licencia de apartarse del Santo en tantas cosas, parece que es derogar algún tanto a la aprobación de la Iglesia que aprobándole a él por doctor suyo, consequentemente aprobava en general su doctrina. Lo 3º – Porque la misma Iglesia pide en la oración que pone de S. Thomás que sintamos su doctrina diziendo, mira eruditione clarificas etc., da nobis quaesumus ea quae docuit intellectu conspiciere. Y si la doctrina de S. Thomás tiene tantas quiebras, como se insinúa, no parece

<sup>128</sup> De A. Escudero S.I. et de eius scripto vide supra, *Introd. gen.*

que era segura petición, ni tampoco discreta, que omnia de Ecclesia non sunt dicenda quae gubernatur Santo Spiritu [Madrid, Bibl. Acad., f. 1v] Lo 4º – Porque en la historia de S. Thomás se dize que dezía él muchas vezes a su compañero Reginaldo que su doctrina más la sabía por oración y illustration de Dios que por estudio proprio. Y allí también se dize que estando en Napoles, haziendo oración al crucifixo, le dixo: bene scripsisti de me, Thomas, quam mercedem accipies. Y así tiniendo la doctrina de S. Thomás tan buenos apoyos y testimonios, como es el de la oración y revelación de Cristo, no es razón dar licencia de apartarse de su doctrina en tantas cosas. Lo 5º – Porque por tradición tenemos que preguntado Juan XXIIº cómo canonizava a S. Thomás sin tanta multitud de milagros, respondió que los artículos de S. Thomás valían por milagros. Lo 6º – Porque nuestro Padre Ignatio ilustrado con luz divina en la 4 P. de las Constitutiones c. 14 nos le dá por autor sin ninguna excepción, diziendo: Legatur theologia scolastica S. Thomae<sup>129</sup>. Lo 7º – Porque muchas de las determinaciones de los concilios son conclusiones de S. Thomás. Que es buen argumento de lo que él dezía en vida que su doctrina más la adquirió por particular luz del S. Spiritu en la oración que por trabajo proprio. De todo lo qual se collige la verdad, seguridad y excelentia de la doctrina de S. Thomás. Y así que no es cosa conveniente dar tan larga licencia para apartarse de su doctrina en tantas propositiones.

Ni se responde bien a todo lo dicho en esta 2.a razón que basta defender a S. Thomás en todo regulariter; porque dándose tanta licencia para ir contra S. Thomás en 49 propositiones las razones de los artículos y doctrina philosophica, no es defenderle regulariter, sino dexarle en muchas cosas de harta importancia; de manera que así como si agora diéramos licencia para defender cinquenta propositiones contrarias a las contenidas en los thomos de S. Agustín o S. Ambrosio, no sonare bien por ser doctores de la Iglesia aprovados por ella; así es justo veneremos y tengamos respecto a la doctrina de S. Thomás como de S. Doctor declarado por el vicario de Cristo.

A esto se allega también que como los ingenios de los hombres son talmente libres y enemigos de subjectarse, es abrir puerta y camino para que como agora se da licencia para no defenderle en 49 propositiones, se dé adelante en otras muchas; y así corre peligro su doctrina que para nosotros sería total perdition.

Allégase también que como la doctrina de S. Thomás vaja tan encadenada y travada, para defender aquellas 49 propositiones contra él, será menester ir contra otras muchas del Santo. Y aunque el libro dize que se miró y que no ai esto [2r] pero ello es increíble, como se muestra en la práctica, quando uno defiende propositiones contra su autor; porque no es posible en las razones, demandas y respuestas dexar de encontrarse. Allégase también que a los frailes dominicos que le tienen por autor y nos an sido algún tanto aversos, les daríamos ocasión para más aversión y calumnias, viendo que a su autor y santo le teníamos en poco, que no dexará todo esto de traer adelante pesados inconvenientes. De todo lo qual se sigue ser mui puesto en razón levantemos y encumbremos la doctrina de S. Thomás para que así nos unamos y conformemos en la doctrina y los próximos se edifiquen, que es el fin santísimamente pretendido.

Ni obsta dezir que la doctrina de S. Thomás no es de fe, para que así en todas las cosas vamos atados a él. Porque aunque esto sea verdad, no parece que ai otro más conveniente medio para conseguir el fin pretendido de la unión entre nosotros y edificación de los próximos, que seguir al Sancto en todo lo posible. Y aunque esto no oviere, vastava entender que el que se arrimó a S. Thomás nunca se tuvo por sospechoso in fide en tribunales de

<sup>129</sup> Vide MP I 297.



inquisición, ni en universidades; y los que se an arrimado a otros doctores, sí, como la experiencia a mostrado; mas cómo puede ser tenido por sospechoso el que se arrima a un entendimiento de un angel como es el de S. Thomás (por donde se le dió renombre de doctor angélico) ilustrado del cielo, de carne y en carne convertido y arrebatado en éxtasis y raptos de cherubín, declarado por verdadero por el que tiene las vezes de la summa verdad, verdaderamente es luz, lustre y gloria a los sequaces de su doctrina y así no se sufre dexarle.

Ni obsta lo 2º el atar demasiado los ingenios a la doctrina de S. Thomás, porque propter bonum communis se a de posponer algún trabajo particular, de modo que así como el libro dize que nos emos de subjectar a S. Thomás en todas las demás conclusiones (fuera las exceptadas) aunque algunos entendimientos sentirán dificultades en aquellas otras y se an de subjectar a ellas, así dezimos aora que propter bonum communis et aedificationem proximorum se procure de tener y defender a S. Thomás en todo lo posible las opiniones de los otros doctores tiniendo bastantes fundamentos para ello, y verdaderamente no se puede bien dezir subjection a la doctrina de S. Thomás sino subida libertad porque así como los sanctos en el cielo por ser inpecables non pierden si no antes ganan mucho, así el estar subjectos a la doctrina de S. Thomás tan sana y verdadera, es tener los ingenios como imposibilitados para opinioncillas y delgadezas que más son fuslería que verdad. [2v]

Y en espeçial en la doctrina de philosophía ai un argumento contra el libro ad hominem; porque el libro dize que en philosophía se sigue la doctrina de Aristóteles: y quien a leído a S. Thomás, en genere echará de ver que va tan apegado a Aristóteles que donde Aristóteles habla contra la fe, como es en lo de mundi aeternitate, y otros semejantes, dize el Sancto que Aristóteles non existimavit se demonstrasse, sed probabiliter, dice, locutus est. Siendo pues esto así, si la doctrina de Aristóteles se a de seguir, también consequenter la de S. Thomás, pues es toda una y fundamento de lo que el Sancto despues enseña en su theologia scolastica.

Y así recogiendo lo dicho infiero lo 1º que no es cosa conveniente que en libro impreso ande licencia de poderse apartar de la doctrina de S. Thomás que deroga mucho a su autoridad y a la nuestra. Infiero lo 2º que públicamente no se sustente opinión contra S. Thomás. Infiero lo 3º que conclusiones, razones de S. Thomás juntamente con la doctrina de philosophía regulariter se a de defender pues todo va encadenado y travado. Infiero lo 4º que si alguna vez el respondiente e presidente en disputas o liciones se vieren atajados por no entender alguna opinión de S. Thomás o por sentir ellos a su entendimiento lo contrario, que procuren siempre darle buena salida como que allí locutus est probabiliter o que en otra parte se declara o otro tio semejante. Y esto modo parece adaptado para lo que S. Thomás escribió fuera de las partes, como es los sentenciaros, disputadas, opúsculos, summa contra gentes y nel methaphisica, en lo que el Sancto mezcla ex propria sententia de manera que siempre se le tenga respecto como el Sancto lo haze quando se aparta de algún otro eclesiástico escriptor. Todo lo qual se prueba vastantemente por las razones dichas arriba; y así no a para que repetillas.

Lo 5º infiero que si en la Iglesia por costumbre o declaración de Pontífice se platicare otra cosa como agora acontesçe en la doctrina de la concepción de Nra Señora o cosa semejante, que aquello se tenga y defienda, pues entonzes ai otro testimonio más fuerte en estrirar que es la autoridad de la Iglesia. Así estuvo muy considerada la regla que el libro pone que la proposición que en una provincia causare scándalo, disonantia y turbación, que no se enseñe porque los que emos de edificar la charidad, no emos de ser contra ella. Y si se objectare que en Francia y Alemania será dificultoso introducir tanto a S. Thomás, se responde que será cosa muy conveniente que allí se introduzga como por acá, para que se tome

afición a la doctrina de S. Thomás que tan contraria [3r] es a la de los herejes, que si en tiempos pasados en las universidades se oviere tenido cuidado de seguir a la doctrina de S. Thomás, y no divertirse a opinioncillas de nominales y otros autores libres, no estuvieran tan fáciles para recibir las herejías contra el SS.mo Sacramento, contra la iustificación y los sacramentos y otras cosas semejantes, que el Sancto así en esto como en lo demás tan docto y santamente ajustó con la fe.

Y así por el fin dicho de la unión entre todos, que de tiempo en tiempo nos pasamos de unas provincias a otras y de unas naciones a otras, como por la seguridad y buen nombre de los nuestros en aquellas regiones como también por la utilidad que poco a poco de años en años y sin sentir se les irá siguiendo a los estudiantes y gente de aquellas regiones, y cierto será grande gloria de la Compañía (que Cristo N. Señor a tomado para propagación y declaración de su fe) que toda ella tenga sobre su cabeza el autor que tanto la sustenta y defiende y que tan enemigo es de los herejes enemigos della.

Ioannes Mariana S.I.<sup>130</sup>

Multa praecipitata visa sunt et tumultuaria, praesertim ubi de opinionum delectu agitur.

Multa obscure dicta, vix ut intelligi possint, collectoris fortassis vitio.

Multa minuta, et quae cum moribus omnium provinciarum convenire non possint.

Hoc libro ea tantum comprehendenda putabam, quae omnibus nationibus communia esse possent; propria singulis provinciis aut nationibus relinquenda.

In opinionibus, eas modo designandas, quas nostri docere non debent; easque magno delectu, magnoque iudicio propter rei gravitatem. In aliis commendarem, ut sequerentur nostri fere S. Thomam, ut faciunt Constitutiones<sup>131</sup>, neque ultra procederem.

Nisi magna diligentia, magnumque iudicium adhibeatur, verendum est, ne usu pleraque, ut multa alia, inepta appareant, implicenturque nostrorum studia magis quam iuventur.

Illud providendum arbitror, ne ingeniorum impetus angustiae spatiis inclusi refringantur.

Doctrinae praeficiendi essent non leves et vani iuvenes, nam ii nullis remediis sanentur; sed modesti, prudentes, humiles, quae si desint, nae, multis quanvis legibus latis, parum proficias.

Multa facile dicuntur, quae usu difficilia erunt inprimis. Legislatores autem non quid statui possit, sed quid in usum induci, debent considerare.

Cum opinionem aliquam placere nego, non de veritate disputo; sed illud contendo, nil definitione opus esse, nihilque in alterutram partem praescribendum videri. [*Gall. 62, f. 19v*] ...

Pag. 32. Multitudinem legum, quam defendit is locus, semper accusavimus in Societate; sed (ut video) semper erit in dies maior. Nec verum est, nullam gentem pluribus legibus arctari quam christianam; nec si ita esset, laudandum id esset. Et vere multitudo legum eo pertinet, ut ferme omnes contemnantur; quod passim factitari videmus.

Bartholomaeus Perez S.I.<sup>132</sup>

Pars libri, quae de primo capite agit, absolute et in genere loquendo mihi placet, et immerito displicet quibusdam enumeratio illa opinionum, quae in regula quinta et sexta con-

<sup>130</sup> De I. Mariana S.I. et de eius scripto, vide supra, *Introd. gen.*

<sup>131</sup> *Const. P. IV c. 14 § 1; MP I 297.*

<sup>132</sup> De B. Perez S.I. et de eius scripto vide *Introd. gen.*

tinentur. Nam, cum in regula quinta ponantur eae propositiones, de quibus erit liberum cuius opinari etiam contra S. Thomam (quia scilicet utrinque probabiles sunt), non potest non placere omnibus, tam iis qui S. Thomam sequi in omnibus volunt, quam illis, quibus recedere ab eo aliquando placet, cum utrisque satisfactum sit. Id solum obici posset ab his, qui maiorem optant libertatem, plures inter has debuisse annumerari, de qua re statim dicam.

In aliis autem opinionibus, quae regula sexta deffiniuntur, id solum desiderari posset, ut scilicet aliquae ex illis tollerentur vel plures adderentur. Quibus omnibus obiectionibus, ni fallor, iidem ipsi patres satisfaciunt, cum advertant, rem non esse sic stabilitam, ut non relinquunt aliis locum addendi vel subtrahendi; imo existimo, melius consultum fuisse rationi studiorum, ut paulatim successu temporis id fiat, quam si semel res omnino deffiniatur; quia cum negotium hoc nec exigui sit temporis nec laboris, et requirat studium totius Summae S. Thomae, melius id praestabitur a lectoribus Societatis decursu temporis; ii enim exacte rem ipsam considerantes, pro ratione temporum, regionum et occasionum, monebunt Reverendum P. Nostrum Generalem, an aliqua sint deffinienda de novo vel libera relinquenda, et illi quibus Liber traditus est videndus, incipere possunt et advertere, quicquid in hac parte iudicabunt perlegendo omnes partes S. Thomae aut discurrendo per ipsas.

Sed, quamvis in genere totum opus probem, annotabo tamen brevissime aliqua, quae, mea sententia, possent in hoc Libro desiderari ad maiorem illius perfectionem.

*Annotationes. [Stud. 3, f. 400v]*

Regula quarta videtur redundare, quia cum per regulam secundam sufficienter provi- sum sit illis quaestionibus vel dubitationibus novis, quae a plerisque viris doctis iudicantur esse contra communem sensum theologorum, ut in eadem regula 2.a dicitur, et in reliquis dubitationibus quantumvis novis, satis esset praefectum consulere, qui pro rei qualitate vel connivere posset vel provincialem consulere, si aliquid additur in quarta, facile in secunda includi posset.

In regula quinta inter 17 opiniones ibi connumeratas, ad quas nostri non coguntur, aliquae aliae eiusdem generis omissae videntur, ad quas defendendas non deberent nostri cogi, quamvis S. Thomae sint. Et quia, si omnes essent a me notandae, oporteret discurrere per partes S. Thomae, quod mihi per tempus modo non licet, tam in hac quinta regula, quam in sexta, solum attingam exempli gratia aliquas, quae obiter se mihi obtulerunt . . . [401r] . . .

Tandem in hac regula 6.a aliquas alias propositiones tollendas esse iudico, et paucissimas deffiniendas, eo quod per hanc regulam veluti fertur iudicium damnans doctrinam oppositam propositionibus contentis in hac regula, tanquam improbabilem et non tenendam; vel saltem patres dominicani ac multi alii in eo sensu accipiunt, quasi videamur doctrinam S. Thomae reiicere, et quodammodo damnare vel reprobare; unde paucissimas ex his [402r] quae sunt expresse contra S. Thomam, deffiniendas censeo; et in illis quae deffiniuntur contra S. Thomam, addendum esset in haec verba similia: non ideo deffiniri, quia contrariae improbabiles iudicentur, sed quia multis de causis expediat nostros in hac doctrina conformari.

Hieronymus de Ripalda S.I.<sup>133</sup>

Muy reverendo padre en Christo. Pax Christi etc.

El parecer que V.R.<sup>134</sup> me ordena diga en lo de *ratione studiorum* que ha venido de Roma, es éste: que, attento, que en lo de las particulares opiniones que permite se puedan tener contra S. Thomás, y en las que determina se tengan, ha de haver de acá, destas provincias, grandes dificultades y réplicas, como se verá, por el effecto, por muchas y graves razones que ay para oponerlas; y que el venir a assentar en particular cosas de opiniones en particular que devan permittirse libres o determinarse, será negocio muy largo y muy dificultado; sería de parecer que sólo viniessse ahora lo que toca a la práctica y orden de los studios: que, aunque será dificultado en muchas cosas, pero no en tantas ni con tantas réplicas delos de dentro y ocasión de offensión de los de fuera. Y, quanto a lo de la conformidad de las opiniones, viniessen solamente, a lo menos impressas, las proposiciones generales que hablan de ellas, las quales quadran a todos. Las opiniones en particular no viniessen sino remittidas a los superiores, aparte. Quando, todavía, se juzgasse no convenir dexar de venir algunas, para que ellos, poco a poco, las hiziessen a los lectores poner en práctica, si donde leen no fuessen offensivas, o sobre ello informassen por cartas missivas, y por ellas se les ordenasse lo que deve hazer.

Este parece camino de tener presto el orden en el modo del leer y exercitar los studios, que ha tanto que se dessea y que tan conocidamente se vee ser necessario, y haver desórdenes grandes; porque dar a electiones particulares y tan varios el modo de leer theología, artes y casos de consciencia etc., si se confunde lo de la elección de las opiniones con el orden de leer, en muchos años no se assentará, como lo enseñará la experiencia. La divina Magestad ordene y trayga a effecto lo que más convenga a gloria suya.

De Villagarcía a 1 de julio 1586.

De V. R. hijo y siervo en Christo

Hierónymo de Ripalda

Ludovicus de La Puente S.I.<sup>135</sup> — Petro Villalba praep. prov. Castiliae S.I.<sup>136</sup>

Muy Reverendo Padre en Cristo – Pax Christi.

Leý el libro de *Ratione studiorum*, y con particular cuydado el tratado de *Delectu opinionum*; y lo que cerca dél se me offrece, pues V. R. ordena que lo diga, es lo siguiente:

<sup>1º</sup> – Si es verdadera y se a de guardar la 3.a regla de aquel tratado, en ninguna manera conviene que se publique en nuestra España. La regla dice que no se lean opiniones de qualquier autor que sean, si con ellas se a de dar offensión a muchos, o de los nuestros, o de los de fuera; y este, en la provincia o ciudad adonde se seguirá la tal offensión. Y es assí, que este libro tiene muchas opiniones y proposiciones, las quales offenderán a muchos y muy doctos assí de los nuestros, como de los padres dominicos y otros doctores, y de echo les han offendido y no poco; luego por la misma regla no se debe publicar en España.

<sup>133</sup> De H. Ripalda S.I. et de eius scripto vide supra, *Introd. gen.*

<sup>134</sup> Petrus Villalba S.I., praep. prov. Castellanae (1585-1590); v. *Synopsis historiae S.I.* 656.

<sup>135</sup> De L. de La Puente S.I. et eius epistola cf. supra, *Introd. gen.*

<sup>136</sup> Petrus Villalba S.I.; cf. supra, adn. 134.

2º – En nuestra España está muy recebida, y con razón, la doctrina de Santo Tomás, y la Yglesia universal la aprueba; luego no puede dejar de ser muy odioso a todos los padres dominicos y doctores de la universidades, que son discípulos deste S. Doctor, ver que Nuestro P. General y toda la Compañía dé firmado contra Santo Tomás un decreto por palabras tam pesadas como son las que tiene este libro, folio 18, diciendo que en algunas sentencias, aunque pocas, Santo Tomás «discrepat, vel a loquendi modo sanctorum patrum, vel a communiore veterum recentiorumque theologorum schola»; y que, in iis «aliisque id genus, par est ei doctores alios anteferre». Ciertó, si esta proposición se pusiese en unas conclusiones públicas, encendería un fuego, que abrasase y turbase la universidades, y a nosotros que ponemos la leña.

Quánto más que, aunque dice que son pocas las sentencias, en que se desví de Santo Tomás, pero dan cathálogo de muchas, porque expressamente se ponen casi cinquenta, sin las que necessariamente se deducen dellas. Y algunas están tam recibidas en España, que tendrían por noveleros a los que leyesen las contrarias, como ya comiençan a tener a algunos de los nuestros.

Demás desto abre puerta para contradecir a Santo Tomás en muchas cosas; y assí, pretendiendo este libro apoyar nuestra Constitución, que nos encomienda la doctrina de Santo Tomás<sup>137</sup>, será ocasión de destruirla. Y luego que leý esto, se me offreció que la Compañía hazía contra sí y contra su doctrina una información, qual la hizo el P. Abreo<sup>138</sup> contra nosotros en ótro punto. Y librenos Dios Nuestro Señor de la guerra que nosotros mismos nos hazemos, aunque con título de mayor bien<sup>139</sup>.

Entre los nuestros se seguirá de aquí no pequeña dissensión; porque entrellos hay algunos muy afficionados a la doctrina de Santo Tomás, otros no tanto; los unos harán vando por síi fiándo se de la autoridad deste sancto y de nuestra Constitución; los otros harán otro vando, apoyando sus opiniones con la libertad que dá este libro; y es muy offensivo a los seglares, que un maestro de los nuestros lea a mañana una opinión y otro lea la contraria a la tarde, o a lo menos en una misma semana o mes; y yo e visto amarguras entre los maestros sobre esto.

En Castilla no es uno tenido por más docto de quanto es thomista, y aunque haga milagros, si se desví de Santo Thomas, es desechado, como yo lo e vistó por experiencia en algunos de los nuestros, que, por esta causa, perdieron reputación y el fructo que pudieran hazer, si se llegaran a Santo Tomás. Luego si la reputación de doctos nos conviene para nuestros ministerios, no conviene salga a luz este libro, porque será dar con él un pregón de que nuestras letras son sospechosas y no bien fundadas.

Podríanme responder, que este libro no ordena, sino permite seguir las opiniones contrarias a Santo Tomás, que aquí señala. Pero esto non satisface; porque los ingenios de los nuevos van ya de modo, que, si no les enfrenan, appellidarán mucha libertad; y a se nos revestido un spiritu de parecernos que no emos de jurar in verba D. Thomae<sup>140</sup>, que se tiene por genero de agudeza desviarse dél en algo. Y esto, que hasta aquí era poco, será muy mucho en adelante.

Quánto más, que algunas destas proposiciones no se ponen por vía de permisión, sino como de ordenación. Scilicet, las que se siguen post regulam 6. Y es cosa terrible obligar a

<sup>137</sup> *Const.* P. IV c. 14 § 1; MP I 297.

<sup>138</sup> Franciscus Abreu S.I. conscripsit nonnulla Memorialia contra Institutum S.I., quae tradidit Inquisitioni Hispanicae; cf. ASTRAIN, *Historia* III 354-57 490-93 537-39.

<sup>139</sup> De conflictu S.I. cum Inquisitione Hispanica ob Rationem studiorum 1586 cf. *Introd. gen.*

<sup>140</sup> HORATIUS, *Epistolae* I/1 14.

uno de la Compañía a leer y enseñar doctrina, que no sólo no es de fee, ni de concilios y santos, pero que tiene contra sí muchos de los principales santos y etrellos a Santo Thomás y a todos los de su familia y escula. Y que, si en España se juntaran otros seis, o sesenta, o seiscientos doctores muy graves, quizá decretaran lo contrario, como cosa muy llana; y entrellos algunos de los nuestros, y por ventura los más eminentes han leydo y sentido lo contrario de lo que el libro enseña.

Y aunque todo sea permissão, ésta vasta para que nuestra doctrina sea menos estimada de los que ya nos tienen en esta parte por sospechosos.

Finalmente, muchas cosas es lícito sentir, y aun leer, pero no es lícito dar decreto autorizado por toda la religión de que expediant. Menos inconveniente será tolerar los que hasta aquí se an seguido, o refrenarlos en particular por vía de los superiores, deponiendo de officio de letor, al que no le hiziere como la Compañía quiere, que no hazernos autores de una cosa que a de parir grandissimos y muchissimos inconvenientes. Vastaría dar algunas reglas universales en favor de la doctrina común y de Santo Thomás, sin explicar particular cosa contra él, o quando mucho la opinión de la Concepción; aunque ésta no es menester, porque ya se está dicho.

De las proposiciones particulares no he querido decir nada, porque es cosa larga, y aun manifiesta quán reçebidas sean muchas de las que aquí se permitten dejar.

En las demás cosas deste libro, otros darán a V. R. su parecer, que tienen más experiencia dellas; y aun el que e dicho se pudiera excusar, si V. R. no hubiera ordenado lo hiciera. Creo que e hablado con más libertad de la que mis pocas canas, sciencia y experiencia pedían; pero, como V. R. me conoce, estoy consolado, porque sé hará de mi dicho el caso que merece. No más de encomendarme hùmilmente en los santos sacrificios y oraciones de V. R. De Villagarcia y de junio 15 1586 . . .

De V. R. mínimo hijo y siervo indigno en Christo

Luis de la Puente

#### Assistentia Germaniae — Provincia Germaniae Superioris<sup>141</sup>

Placet in primis ea formula statuendi de delectu opinionum, quae prae duabus aliis hic probata est, et latius postea in Commentariolo defenditur; ut scilicet neque solum in genere quaedam, neque etiam omnia in particulari definiantur, sed quaedam in genere, quaedam etiam in particulari determinantur, prout fit in regulis, quae hoc loco proponuntur.

In regula 3. – Non opus erit in hac regula rationem habere offensionis etiam nostrorum. Nam si opinio, quae nostrorum aliquos offendet, pugnaverit cum aliis regulis, quae de ratione studiorum in Societate praescribentur, per eas ipsas regulas sufficienter cautum erit, ne talis opinio doceatur. Si autem cum nulla eiusmodi regularum pugnaverit, minime debet aliquem e nostris hominibus offendere; siquidem omnes ad rationem studiorum, quae in Societate praescribetur, merito se conformare et in ea acquiescere debebunt.

In eadem regula. – Posset etiam aliqua melior opinio ibi doceri, ubi externos alioqui offendit, si propter auctoritatem doctoris aut ob alias circumstantias spes sit fore, ut superata denique atque sublata eiusmodi offensione, veritas persuaderi possit. Quod si hoc minime speretur, docenda talis opinio non est; modo tamen ipsius contraria non sit ex genere earum, quae hic prohibentur in prima et secunda regula. Et quidem si utramque quaestio-

<sup>141</sup> De patribus huius commissionis et de eorum scripto vide supra, *Introd. gen.*

nis partem per regulas, quae in Societate praescribentur, opinari licuerit, et quaestio sit celebrior, quam ut facile praeteriri a professore queat, illa potius pars docenda videtur, quae in tali loco est recepta. Sin vero altera quaestionis pars fuerit in Societate definita, eaque alicubi offendet, praetermittenda erit ibi eiusmodi quaestio; nisi forte aut par aut maior offensio timeatur ex omissione talis quaestionis; tunc enim iudicio P. Provincialis decernendum esset, utrum expediat, opinionem ibi receptam, tametsi contrariam opinioni in Societate definitae, docere ad offensionem externorum cavendam, modo non sit ex genere illarum, quae prohibentur in prima et secunda regula, hoc est, quae male conveniunt cum pietate et fide, aut sint contra communia axiomata etc. Atque haec quidem in specie essent explicanda in hac tertia regula.

In regula 4. – Operae precium erit addere in hac ipsa regula, esse nihilominus quaedam, quae nove excogitare et tradere licebit; nempe ad bene conciliandas opiniones contrarias (id quod postea commendatur in regula octava) et ad illa asserenda, quae libera relinquentur, et ad distinctiones et fundamenta ponenda, quibus ea, quae definita fuerint, constabuntur, et diluantur contraria, ut postea in hoc libro pag. 25 nominatim explicatur in responsione ad primum caput difficultatum contra istam regularum formulam . . . [*Stud. 3, f. 195v*] . . .

In regula 6. – Videndum fortassis esset, an non expediat facultatem facere in hac regula, ut liceat tamen sententiam contrariam sententiae D. Thomae tunc defendere, cum et eam [196v] tuentur plures, aut aequae multi authores classici; nec alioqui pugnat cum aliqua ex definitionibus aut regulis, quae in ratione studiorum praescribentur a Societate. Videtur enim haec etiam concessio posse pertinere ad illam moderationem, qua par est nostros homines sequi doctrinam D. Thomae, iuxta sententiam Constitutionum nostrarum et mentem nostri Patris Generalis, prout exponitur in hoc libro pag. 18<sup>142</sup> et alias. Nam neque ideo D. Thomam ordinarie non sequeremur; cum pauca illa sint in quibus plures aut aequae multi et celebres D. Thomae ac eius sectatoribus refragentur; neque videremur tunc plus quam nostrum Institutum deceat, in verba D. Thomae esse iurati<sup>143</sup>. Ac certe, si aliquando integrum esse debet (ut Societas vult) a D. Thoma recedere, tunc vel maxime id licere posset, cum quis aut plurium aut aequae multorum autoritate nititur, et res ipsa periculo per se caret. Nec vero ob hanc libertatem dissiparetur nostrorum necessaria consensus. Haec enim non in ipsa ratione quasi individua et determinata doctrinae esse semper potest (siquidem plurima in utramque partem permittuntur in Societate libera), sed in ipso potissimum doctrinae genere; ut scilicet sit non modo secundum fidem et pietatem, sed etiam bene fundatum et solidum; quale etiam illud censi debet, quod et plurium doctorum illustrium autoritate nititur, et ab aliis regulis atque definitionibus de ratione studiorum Societatis non abhorret; quantumvis non etiam habeat D. Thomam suffragatorem; maxime cum plurima alia futura sint, in quibus oportebit nobis ex vi eiusmodi regularum sequi D. Thomam.

#### Provincia Rhenana<sup>144</sup>

Quaerunt in regula 3 patres, si in aliqua urbe vel provincia earum opinionum, quas Societas finit, aliqua minus proberetur, et non indoctos plerosque offenderet, quid faciun-

<sup>142</sup> Vide MP V 19.

<sup>143</sup> Cf. HORATIUS, *Epistolae* I/1 14.

<sup>144</sup> De commissionis huius provinciae patribus et de adiunctis historicis v. *Introd. gen.*

dum? Si loco nihil datur, offensio est; si datur, nova dissensionis occasio. Dum enim nostri huic sese loco accommodabunt, et a finitis in Societate quaestionibus discedent, alii vero alibi easdem, uti par est, mordicus tenebunt, discordiarum quaedam quasi semina spargi videbuntur. Verbi gratia, Parisiis de concilii supra pontificem auctoritate, et in quibusdam Germaniae nostrae academiis, de B. Virginis conceptione.

Quarta et secunda regulae in unam tantum, breviter et perspicue redigi posse videntur, partim, quia eadem omnino de re agunt, novitate scilicet cavenda; partim, quia si quid explicatius in quarta sciscitur, quod in secunda praeteritum videatur, id octava et nona regula satis compensatur. Est autem, caeteris paribus, legum paucitas semper gratior<sup>145</sup>.

Circa ipsam tamen quaestionum seu dubitationum novitatem, haec difficultas occurbat: Si nova quaequam, ut saepe fit, quaestio, vel erroris novi materia et periculum ab externo aliquo [*Stud.* 3, f. 242v] homine docto, verbi gratia, academiae alicuius professore excitaretur, annon liceat nostris etiam subito novas in schola quaestiones et dubia excitare, quibus periculosae illi novitati obviam temporius eatur? Videbatur patribus istud regula non prohiberi, ut folio 25 significatur.

Videbatur etiam abs re non futurum, si vel aliqua regula nova, vel aliqua potius alicuius particula perspicue vetaretur, ne nostrum quisquam doceat, quod Societatis instituto adversetur; verbi causa, non licere ante fraternam correctionem occulta superiori peccata indicare; voti solemnitatem religionis essentiam constituere; votum Societatis simplex non dirimere matrimonium . . .

Ita Commentariolus totus patribus arridebat, ut eum vel seorsim, vel cum regulis ipsis exire percuperent, quo nostris professoribus et nonnullis, si ita res ferret, externis hominibus communicari posset. Ea tamen circumcidenda viderentur, quae vel universam Societatis famam, vel paucorum prolapsiones attingunt; verbi causa: Sectarum semina cerni etc.

#### Provincia Franciae<sup>146</sup>

1<sup>o</sup> – Placuit patribus deputatis hoc loco examinare titulum de opinionum delectu; tum ut simul absolveretur tota theologia; tum quia nunc magis vacabant, quam sperarent in posterum; tum quod omnia praesidia iam praesto habebant, quae expectabantur. Nam accepta iam fuerant iudicia cum P. Nicolai Cleri rectoris mussipontani<sup>147</sup>, qui unus fuerat ex deputatis, tum theologorum mussipontanorum<sup>148</sup>. Sic ergo de re hac tota senserunt.

In primis ergo pag. 9.a, in praefatione ante regulas, iudicarunt, citanda esse et in unum congerenda omnia loca Constitutionum et declarationum, quae commendant nostris conformitatem doctrinae et soliditatem ac firmitatem et approbationem, et postea sigillatim variis in locis in Commentariolo citantur, ad maiorem auctoritatem conciliandam et regulis et toti tractatui de opinionum delectu.

2<sup>o</sup> – Iudicarunt, singulis regulis subiicienda esse, exempli gratia, aliquot illustria exempla opinionum, aut quae iubentur, aut quae vetantur in ipsis regulis, ut ex his, de aliis similibus et novis, seu praetermissis iudicium facilius ferri possit.

3<sup>o</sup> – Convenerunt, opiniones omnes tam liberas quam definitas referendas esse iuxta ordinem quaestionum et articulorum D. Thomae singularum partium Summae D. Tho-

<sup>145</sup> P. Mariana eiusdem fuit sententiae; vide supra, p. 97.

<sup>146</sup> De patribus huius commissionis et adiunctis historicis vide *Introd. gen.*

<sup>147</sup> Scriptum huius patris vide inferius, p. 108-09.

<sup>148</sup> Professores theologiae in collegio mussipontano erant: Ioannes Bleuse et Ioannes Bapt. Gonzales; quorum iudicia v. inferius, p. 108-09.



mae, quod saepe non fit, annotatis in margine et quaestionibus et articulis D. Thomae, atque etiam aliorum, quorum sunt, quando contra D. Thomam definiuntur, ut sciant professores, quorum opiniones tueantur.

4<sup>o</sup> – (Regula 3.a pag. 10.a) ubi dicitur «catalogum opinionum, quae in quavis provincia aut nostros aut externos catholicos offendere possunt, esse colligendum a Provinciali cuiusque provinciae, audito consilio doctorum suae provinciae», visum est omnibus, huiusmodi catalogum ex singulis provinciis contexendum et mittendum esse ad R.P. Generalem, ut ab illo recognoscatur, priusquam professoribus ad sequendum proponatur; et forte non abs re esset, ut singularum provinciarum catalogi cum caeteris communicarentur ad maiorem instructionem.

5<sup>o</sup> – (Regula 4.a eadem pagina) visa est parum aut nihil differre a 2.a, proindeque eidem seu appendicem illius subiungi posse. Ibidem quibusdam visum est, explicandum esse, quidnam intelligat per novas opiniones, an diversas ab opinionibus aliorum professorum, qui ante eum docuerunt et praecesserunt, ut quibusdam visum est; an, ut aliis, opiniones diversas ab opinionibus auctorum et scriptorum antiquorum et aliorum, qui huiusmodi de rebus disputarunt.

6<sup>o</sup> – Antequam vel ad examinationem opinionum liberarum, aliarumve regularum, aut etiam definitarum opinionum accederetur, visum est patribus deputatis, hoc loco duas quaestiones generales, quae totius [*Stud. 3, f. 352v*] negotii fundamentum sunt, exagitare. Quarum prior est: Num expediat in Societate esse aliquas opiniones definitas aut earum delectum; an potius omnes relinqui prorsus liberas, ut hactenus, ita ut cuivis integrum liberumque sit in probabilibus docere quod lubet. Posterior est: Posito opinionum delectu in Societate, cuiusmodi is esse debeat, et quomodo faciendus?

Ad priorem quaestionem responderunt unanimiter omnes patres deputati, expedire maxime, ut fiat aliquis delectus, nec relinquendam esse professoribus libertatem; 1<sup>o</sup>, ut serventur Constitutiones, quae uniformitatem doctrinae tantopere commendant<sup>149</sup>; – 2<sup>o</sup>, ut accommodemus nos voluntati P.N. Generalis, qui id maxime cupit<sup>150</sup>; – 3<sup>o</sup>, propter pericula et incommoda multa, quae hactenus acciderunt in Societate ex tanta opinionum diversitate et libertate, et magis accidere possunt in posterum amplificata et aucta Societate; quibus nulla alia ratione occurrere posse videtur, nisi ut fiat opinionum delectus et aliquae definiantur; – 4<sup>o</sup>, propter opiniones multas valde absurdas, quas aliqui sequuti suas cogitationes introduxerunt non absque aliqua et nostrorum et externorum offensione; – 5<sup>o</sup>, quia non aliter videntur coerceri posse libera multorum ingenia; – 6<sup>o</sup>, ut etiam nostri discant, etiam in iis, quae spectant ad doctrinam, captivare intellectum suum in obsequium Societatis atque superiorum, proinde atque in iis, quae ad voluntatem attinent. Cum non facile obedient affectu, qui non etiam intellectu obediunt, quum facultates appetitivae sequantur apprehensivas; – 7<sup>o</sup>, ut accommodemus nostram theologiam nostris temporibus. Nam multae opiniones olim erant probabiles, quae nunc minus probabiles videntur et contra, multae nunc probabiles, quae olim improbabiles videbantur. At unus P. Clerus absens ex deputatis sensit, nullum esse incommodum, ut nostris libertas in multis non definitis unquam de fide ab Ecclesia relinqueretur.

At vero, ut aliquae opiniones ab ipsa Societate expresse definiantur, neque multis incommodis vacare, neque periculo. Cum illo idem senserunt omnes theologi mussipontani,

<sup>149</sup> Vide *Const. P. III c. 1 § 18*; *MI Const. III 86*.

<sup>150</sup> Vide epistolam Patris Generalis (IX 1582), qua instructionem de doctrina in S.I. sequenda ad provincias mittebat; supra, mon. 7 introd.

ut constat ex illorum scriptis ad nos missis, et professores cum theologiae, tum philosophiae collegii parisiensis.

1º, quia fieri potest, ut temporis decursu Ecclesia definiat propositionem aliquam contrariam ei, quam nos hic iubemur defendere; quod non fiet sine nostro dedecore; id quod multo verisimilius est, quam ut definiat pro nobis, quod Ecclesia hactenus in suis definitionibus in conciliis oecumenicis videtur sequuta opiniones et doctrinam D. Thomae, quam tot pontifices confirmarunt et approbarunt<sup>151</sup>.

2º, quia videtur absurdum et incommodum dicere Constitutiones nostras, quae urgentur pro huiusmodi delectu, non fuisse hactenus observatas in Societate, quum tamen primi patres nostri et fuerint Constitutionum observantissimi, optimeque eas intellexerint; quibuscum tamen pugnare non existimarunt huiusmodi opinionum libertatem, quae hactenus in Societate observata est.

3º, quia quum haec sit natura opinionum probabilium, ut in dies mutantur, videtur probabile quod hae ipsae opiniones, quae nunc definiuntur, ut veriores et probabiliores, decursu temporis invenientur forsitan minus probabiles, earumque contrariae, ceu probabiliores definientur, ut iam videmus accidisse. Nam R.P. Borgia, bonae memoriae, prohibuit suis propositionibus<sup>152</sup>, ne quis defenderet in divinis quatuor esse subsistentias, sed tres duntaxat; et tamen inter propositiones nunc definitas, contraria prorsus praecipitur defendenda. Accedit huc, quod opiniones, quae in quibusdam locis, regionibus atque provinciis censentur probabiles, in aliis iudicantur omnino improbabiles, et contrariae multo probabiliores; atque ita non erit conformitas, cum nostri debeant docere opiniones probabiliores in locis atque provinciis, in quibus sunt.

4º, quia praeceptores omnes abhorrent plurimum ab hoc opinionum delectu, et durum admodum illis videtur cogi ad docendum contrarium illi, quod existimant verum esse; praesertim cum opiniones hic definitae contrarias probabilitate non vincant, neque magis promoveant pietatem, cum in illis nil sit periculi. Quare omnes animum deiciunt, detrectabunt onus docendi, et taedio afficiuntur.

5º, quia aegre ferent veterani professores retractare et mutare opiniones illas, quae hactenus docuerunt, et nunc docere contrarias, cum non sint illae minus his probabiles et a bonis auctoribus doceantur.

6º, quia non videtur aequum astringere omnia totius Societatis nostrae ingenia et quae in posterum furura sunt, ad sex duntaxat patrum ingenia, quibus fortasse plurimi alii sunt in Societate, si non superiores, ingenio, doctrina et iudicio, at certe pares, aut non multo inferiores, aut saltem temporis decursu futuri sunt. [353r]

7º, quia professores cogentur mentiri docendo, dum docent illam opinionem veram esse, quam iudicant falsam esse, quaeque nulla ratione eis persuaderi potest vera esse. Neque facile contineri poterunt, quin prorumpant in haec aut similia verba: Ego contrariam opinionem iudico veriore aut verissimam, hanc autem falsissimam; sed cogor eam docere, ut quibusdam hactenus accidit, et debacchabuntur in illam, quam compulsi docent.

8º, quomodo poterunt professores tueri in disputationibus opiniones, quas omnino falsas esse putant, nec sibi persuaserunt? Certe non nisi frigide admodum, et fatebuntur aliquando, se non posse dissolvere argumenta alterius opinionis; neque illas poterunt persuadere discipulis, et nascetur contemptus doctrinae.

<sup>151</sup> Cf. MP V 55 adn. 1.

<sup>152</sup> Vide decretum Francisci de Borja, praep. gen. de opinionibus a nostris tenendis et docendis in theologia et philosophia (1565); MP III 382-85 n. 14.

9<sup>o</sup>, professores non erunt ita diligentes in evolvendis et legendis auctoribus, ac modo sunt, neque in commentandis, excogitandis et inveniendis novis opinionibus, eisque exponendis et explicandis; atque hac ratione fient in dies indoctiores. Neque multum studebunt, videntes se astrictos certis opinionibus.

10<sup>o</sup>, discipuli, intelligentes futurum, ut qui curriculum philosophiae aut theologiae docturus est, eadem prorsus, quae praedecessor tradidit, docturus sit, contemnent novum praeceptorem, et modo habeant scripta praeceptoris alicuius, erunt contenti; dicentque externi, nos semper eandem cantilenam occinere.

11<sup>o</sup>, quia in hoc opinionum delectu nihil aliud effectum videtur, nisi quod nomine tenus servato D. Thoma, re tamen ipsa excluso et expulso atque e sede sua deturbato, Scotus aut Nominales quidam, vel etiam recentiores fortasse introducuntur, qui volunt suas opiniones nobis pro verissimis obtrudere, deserto D. Thoma eiusque opinionibus posthabitis.

12<sup>o</sup>, quia definitis hisce opinionibus pro Scoto et Nominalibus quibusdam, ut fit, et relictis aliis liberis, quae liberae relinquuntur, quaeque certe praecipuae sunt in D. Thoma, et maxime controversae inter ipsum eiusque discipulos, et Scotum eiusque sequaces, quid hoc aliud est, quam pro Scoto contra D. Thomam sententiam ferre atque pronuntiare, et retento specioso D. Thomae nomine et titulo, eum a nostris scholis expellere? Nam his sublati, quae vel in D. Thoma liberae relinquuntur vel contra ipsum definitae sunt, reliquae opiniones exigui, aut nullius prorsus momenti sunt.

13<sup>o</sup>, ex hoc delectu occasionem dabimus externis professoribus, optimis academiis et familiae D. Dominici atque aliis religiosis familiis, nos irridendi, nostramque doctrinam improbandi, confutandi atque calumniandi et explodendi.

14<sup>o</sup>, quid aliud hoc est, quam novam sectam inducere et veluti factionem creare, qualem videmus inter franciscanos et dominicanos, praesertim cum facile futuri sint, qui nobis contradicant, cum tamen infra (pag. 18.a lin. 5.a)<sup>153</sup> R.P. Generalis dicitur, nolle penitus inhibere, ne liceat nostris ulla in re a S. Thoma recedere, ne professi sectam aliquam videamur iurati in verba magistri<sup>154</sup>. At si Societas proponat, quae nos sequi cogamur, res videbitur nihilominus ad sectam spectare.

15<sup>o</sup>, quia huiusmodi opinionum delectus videtur repugnare illis, quae sequuntur (pag. 80 cap. 1<sup>o</sup> De scholastica 5<sup>o</sup>): «Imo, inquit, opiniones, quas nunc passim damnamus, possent aliquando iure quodam suo reviviscere, tamquam nondum plane examinatae et vix poterimus esse parati, ut oportet, ad satisfactionem omni poscenti nos de ea, quae in nobis est spe et fide»<sup>155</sup>.

16<sup>o</sup>, cur volumus posterorum diligentiam atque industriam inhibere?

17<sup>o</sup>, hoc pacto magis coarctabuntur nostri, quam vel ipsi dominicani aut franciscani, quibus liberum est saepe vel a suo D. Thoma aut a Scoto recedere.

18<sup>o</sup>, quia, etsi Constitutiones commendent unitatem et conformitatem doctrinae inter nostros, non tamen tantam, ut in omnibus etiam probabilibus debeamus idem sequi. Adde, quod neque ex isto opinionum delectu consequimur hanc uniformitatem doctrinae, quia cum multae relinquuntur opiniones liberae in D. Thoma, in quibus nostris permissum est vel cum illo sentire vel ab illo recedere, in illis erit magna diversitas; deinde in aliis, in quibus D. Thomam sequi iubemur, et in definitis opinionibus quilibet interpretabitur D. Tho-

<sup>153</sup> Vide MP V 19.

<sup>154</sup> Cf. HORATIUS, *Epistolae* 1/1 14.

<sup>155</sup> Vide MP V 48; cf. I Pt. 3 15.

mam aut opinionem definitam suo modo, eamque defendet, et D. Thomam trahet quisque in suam sententiam.

19<sup>o</sup>, quia cum tam opiniones hic definitae, quam contrariae sunt probabiles, absurdum erit, aliquas esse opiniones probabiles, quas nullus in tota Societate defendet.

20<sup>o</sup>, quia cum altera tantum pars opinionum probabilium sit vera, quaecumque illa sit, si ponamus, quod fieri potest, aliquam opinionem hic definitam esse falsam, et eius contrariam veram esse, quod necesse est, si altera sit falsa; consequens hinc fiet, alicuius rei veritatem non inveniri in tota Societate, et contrariam falsitatem inveniri. Quod magnum incommodum et dedecus esse videtur.

Ob has igitur et similes rationes iudicarunt commemorati omnes, nullum oportere esse opinionum delectum in tota Societate. Has tamen rationes exigui esse momenti et facile solvi posse existimarunt patres deputati.

Ad posteriorem vero quaestionem omnes patres deputati responderunt: In primis, in genere a nostris tenendas esse opiniones D. Thomae, eiusque doctrinam sequendam, ut praescribunt Constitutiones<sup>156</sup>, et quod omnium optima, securissima et maxime approbata tum ab Ecclesia tum a summis pontificibus<sup>157</sup>, tum a celeberrimis quibusque academiis et viris doctis; ac denique quod summae apud omnes D. Thomas auctoritatis sit. Deinde, in quaestionibus maioris momenti a D. Thoma traditis, in quibus ille vel in diversas sententias atque opiniones trahi solet aut varie explicari [353v] exponique eius opinio, definiendam certo esse opinionem D. Thomae, et quae certo eius esse putatur; et similiter definiendam certam explicationem D. Thomae ex multis congruentiorem. Tum vero aut tollendum esse penitus catalogum opinionum liberarum ex D. Thoma, nec ullam eius opinionem relinquendam esse liberam, quae vel a nostris defendatur aut reprobetur, ut quidam putarunt, aut certe contrahendum, ut alius iudicavit (licet uni visum sit, relinqui posse, aut relinquendum huiusmodi catalogum): – 1<sup>o</sup>, quia quilibet in liberis trahet D. Thomam in suum sensum et opinionem. – 2<sup>o</sup>, quia multae sunt quaestiones, quas D. Thomas non tractavit, et in illis quilibet sequitur suam sententiam. – 3<sup>o</sup>, quia sic non habebimus certum auctorem. – 4<sup>o</sup>, quia experientia hactenus docuit, non sufficere generaliter praecipere, ut in omnibus sequantur nostri D. Thomam, ut cohibeantur a varietate opinionum.

Tandem, esse aliquas opiniones definiendas certo, quae a nostris defendantur: – 1<sup>o</sup>, quia ita fit in aliis religionibus dominicanorum, franciscanorum, augustinorum et carmelitarum. Nam et singuli habent suas opiniones, quas tueantur; et auctores, quos sequantur. – 2<sup>o</sup>, ut simus conformes in doctrina, quoad fieri potest, ut monent Constitutiones<sup>158</sup>, et simus unius moris [Ps. 67 7] in domo. – 3<sup>o</sup>, ut evitentur discordiae, rixae, et simultates inter nostros. – 4<sup>o</sup>, quia multa non sunt tractata a D. Thoma, quae tamen ab aliis explicata sunt; et in his expedit, ut nostri habeant aliquid certi, quod sequantur tuto, sicut in aliis D. Thomam habent. – 5<sup>o</sup>, quia si nihil nunc definiatur, sed liberum sit cuivis docere, quae lubet, postea, si fiat Summa theologiae a Societate<sup>159</sup>, cogentur nostri vel multa retractare, aut problematice docere in utramque partem, propositis et solutis utriusque partis argumentis, quod non carebit prolixitate.

Huiusmodi vero delectum opinionum iudicarunt hoc modo faciendum: 1<sup>o</sup>, ut fiat catalogus omnium opinionum periculosarum et absurdarum atque minus faventium fidei et

<sup>156</sup> *Const. P. IV c. 14 § 1; MP I 297.*

<sup>157</sup> *Vide MP V 55 adn. 1.*

<sup>158</sup> *Const. P. III c. 1 § 18; MI Const. III 86.*

<sup>159</sup> *Vide supra, mon. 9 (An liber aliquis edendus . . . ).*

pietati, aut etiam inclinantium aliquo modo in doctrinam haereticorum absurdam aut periculosam, et prohibeantur. Deinde, contexendum alium catalogum opinionum minus probabilium, tum in D. Thoma, tum in aliis auctoribus; et prohibendum, ne nostri illas defendant. Demum, in materiis, quas D. Thomas non tractavit, et explicatae sunt ab aliis auctoribus, contexendum esse catalogum probabiliorum opinionum, et praescribendum, ut illas nostri sequantur, non alias. Sed iudicant omnes, huiusmodi catalogum, seu catalogos diversos, qui totam Societatem et universam eius posteritatem constringere debent, non ex sex patrum duntaxat iudicio, sed ex plurium convocandorum ex diversis aut omnibus Societatis provinciis ad id deputandis, auditis theologorum provinciae sententiis et eorum iudicio cognito.

Itaque haec fuit patrum deputatorum sententia et opinio. At duo theologi parisienses, duo item mussipontani collegii professores theologiae senserunt, ex hypothesi, si ullus opinionum delectus habendus est (quem non probant), non alium habendum esse, quam ut D. Thomas proponatur in omnibus sequendus, notatis duntaxat opinionibus D. Thomae, atque prohibitis, quae aliquid periculi habere videntur, si quae sint eiusmodi in D. Thoma. Nam cum maior sit unius D. Thomae auctoritas, quam omnium nostrorum, minus aegre ferent praeceptores, si cogantur adhaerere D. Thomae, quam aliquot novis doctoribus, qui facerent alium delectum. Deinde hoc erit minus obnoxium calumniis externorum. Iudicant nihilominus, in his argumentis, quae D. Thomas non attigit, relinquendam esse professoribus libertatem, nisi quod cupiunt fieri catalogum omnium opinionum periculosarum, absurdarum, minus convenientium cum fide aut pietate, vel faventium doctrinae aut modo loquendi haereticorum, tam in his materiis, quam in aliis omnibus; et huiusmodi strictae omnibus nostris prohiberi, ne illarum ullam defendant aut doceant.

#### Provincia Lugdunensis<sup>160</sup>

Videtur nimis arctari libertas nostrorum theologorum, si ita in doctrinam D. Thomae conspirare cogantur. Est etiam periculosum propter nonnullas D. Thomae sententias, quae vix deffendi possunt, ut mundum potuisse esse ab aeterno etc. Esset ergo illis concedendum, ut in quibus nullum est fidei aut pietatis periculum, a D. Thoma libere possint recedere. [*Stud. 3, f. 394v*]

#### Ioannes Bleusius S.I.<sup>161</sup>

Circa 2.am et 3.am regulam pag. 10, expedit definire, quanti sorbonica decreta, sive parisienses resolutiones, quae communiter habentur in fine Magistri Sententiarum, facere debeamus<sup>162</sup>. [*Stud. 3, f. 372r*]

#### Nicolaus Cleri S.I.<sup>163</sup>

Pag. 12 – Reg. 6 «Expresse tamen definienda nonnulla videntur»<sup>164</sup> — Ut nostris quaedam non definita tamquam de fide, relinquuntur libera, quaeque defendere non cogantur (qualia supra sat multa numerata sunt), videtur non repugnare, neque habere quid-

<sup>160</sup> De commissione huius provinciae et eius scripto v. *Introd. gen.*

<sup>161</sup> De I. Bleusio S.I. et eius scripto de Rat. st. vide supra, *Introd. gen.*

<sup>162</sup> De decretis universitatis parisiensis v. supra, adn. 11.

<sup>163</sup> De N. Clero S.I. et eius scripto v. supra, *Introd. gen.*

<sup>164</sup> Vide MP V 9.

quam periculi. At ut alia ab ipsa Societate expresse definiantur, fortassis neque incommodo vacat, neque periculo. Primo enim, quid si aliquando Ecclesia contra definiat? Neque enim id fieret sine aliquo nostro dedecore. – 2<sup>o</sup>, posset hoc veluti sectam sapere progressu temporis, et veluti factionem creare, qualem videmus inter franciscanos et dominicanos; praesertim cum facile futuri sint, qui vel studio nobis contradicant etc. – 3<sup>o</sup>, infra 18, lin. 5.a<sup>165</sup> Reverendus Pater Generalis dicitur, nolle penitus inhibere, ne liceat nostris ulla in re a S. Thoma recedere, ne professi sectam aliquam videamur, iurati in verba magistri<sup>166</sup>. At si Societas proponat, quae nos sequi cogamur, res videbitur nihilominus ad sectam spectare. – 4<sup>o</sup>, hoc videtur repugnare illis, quae sequuntur pag. 80, c. 1<sup>o</sup> de scholastica § 5<sup>o</sup>: «Immo, inquit, opiniones quas nunc passim damnamus, possent aliquando iure quodam suo reviviscere, tamquam nondum plane exanimatae et vix poterimus esse parati, ut oportet, ad satisfactionem omni poscenti nos de ea, quae in nobis est spe et fide»<sup>167</sup>. – 5<sup>o</sup>, cur volumus posterorum diligentiam atque industriam inhibere? . . . [Stud. 3, f. 366r]

#### Ioannes B. Gonzalez S.I.<sup>168</sup>

Vehementer cuperem, ut ea dumtaxat decernerentur, quae sine controversia sunt periculosa; alia omitterentur, ne id nos nunc definiamus, cuius contrarium aliquando Ecclesia sit definitura; aut certe quod in optimis academiis improbetur, irrideatur, neque sine dissensione aliqua et charitatis christianae iniuria confutetur. Melius, ni fallor, ac tutius omnibus videbitur, si D. Thomam omnino sequi iubeamur, exceptis paucis, quae ferme omnes reiiciunt, cum id iubeant Constitutiones<sup>169</sup>, nec satis huic fiat obiectioni pag. 29<sup>170</sup> . . . [Stud. 3, f. 373v]

#### Iacobus Sallesius S.I.<sup>171</sup>

Vereor imprimis, ut expediat quicquam definiri contra D. Thomae sententias, excepta illa de conceptione Beatae Virginis; ita ut pluris faciam unam illam regulam R.P. Generalis, initio generalatus ipsius ad nos perscriptam: Licere in omnibus sequi D. Thomam, excepta opinione de Conceptione<sup>172</sup>, quam quicquid hîc etiam statuitur. Itemque, salvo meliori iudicio, tutiorem et ad finem Societati propositum commodiorem arbitror; tum quia turbæ et dissensiones in Societate non magnopere ex hac parte oriantur; et orientur minus, si res definita fuerit; tum quia pontifices generatim doctrinam D. Thomae pronuntiant securam, et erroris expertam, et quotidie secundum eam definiuntur res in Ecclesia; et contra, videatur una autoritas D. Thomae maxime obstitisse, ne de conceptione Beatae Virginis definiretur.

2<sup>o</sup> – Durum videtur astringi ad multas opiniones, quae lapsu temporis aequae fieri potest, ut contra nos definiantur ac pro nobis. Huiusmodi sunt, in quarum contrariis opinionibus nullum est periculum, nec in ipsis magna veritatis evidentia et omnino quaecumque sunt contra D. Thomam, quoniam contra eius doctrinam non facile definitur; et si definire-

<sup>165</sup> Vide MP V 19.

<sup>166</sup> Cf. HORATIUS, *Epistolae* I/1 14.

<sup>167</sup> Vide MP V 48.

<sup>168</sup> De I. B. Gonzalez S.I. et eius scripto de Rat. st. vide supra, *Introd. gen.*

<sup>169</sup> *Const.* P. IV c. 14 § 1; MP I 297.

<sup>170</sup> Vide MP V 23-24.

<sup>171</sup> De I. Salesio S.I. et eius scripto de Rat. st. vide supra, *Introd. gen.*

<sup>172</sup> Vide instructionem Patris Acquaviva de doctrina tenenda (1582); supra, mon. 7.

tur, tolerabilius esset contra nos definiri simul. Quae autem adversantur D. Thomae, ea magis sunt obnoxia censurae. Porro, quam molestum erit ad res incertas et, quod videtur consequens, interdum, imo saepe (ut in tanta multitudine opinionum definitarum) falsas et censurae obnoxias definite astringi, praesertim contra authorem, quem praelegimus.

3<sup>o</sup> – Consideratione dignum iudico, num expediret, ea quae definienda proponuntur, praesertim contra D. Thomam, Summo Pontifici declarari, permittique, imo etiam peti, ut ea suo concilio examinanda praeberet, non ut tamquam articuli de fide ipsius auctoritate definirentur, sed ut posset deleri, si quid ab huiusmodi hominibus ipsius auctoritate rem gerentibus delendum iudicaretur; id quod eo minus improbandum puto, quod iam cum Pontifice de hoc negotio agi caeptum est. Ita porro maius erit robur et momentum eorum, quae definita fuerint.

4<sup>o</sup> – Definiendum aliquid videtur de Catechismo Concilii Tridentini<sup>173</sup>, sitne potius sequendus, quam D. Thomas, si quando discrepant, atque usus quidem nostrorum patrum, ut audio, utque ratio flagitare videtur, catechismum praeponit. Hinc forte sequitur, anguste praefiniri sententias D. Thomae, ad quas nostri non sunt cogendi, quando fieri potest, ut in pluribus dissentiant, quatenus vel liberae relinquantur vel definiantur.

5<sup>o</sup> – Iubemur quasdam omittere quaestiones, quae forte utilius percurrerentur iuxta priorem monitionem R.P.N. Generalis, indicata solum breviter doctrina D. Thomae; praesertim cum harum quaestionum resolutio responsioque ad articulos nude propositos non facile occurrit. Hoc autem facere si licet, admonendi videntur, ne, si qui faciendum duxerint, improbentur. Deinde propter auditores videntur etiam principia philosophica D. Thomae tractanda breviter, quia saepe nesciuntur.

#### *Circa modum praelegendi*

6<sup>o</sup> – Circa modum docendi, minuta quaedam interdum praeciuntur (ut pag. 94 in medio)<sup>174</sup>, quae ingenio potius et prudentiae cuiusque videntur relinquenda. Non enim una aliqua ratio docendi exacte observari potest aut debet, cum diversam diversae materiae postulent, et unusquisque proprium ex Deo donum habeat, longeque graviora professoribus suo iudicio agenda relinquantur. Verendum etiam, ne huiusmodi non necessaria praescriptionum multitudo, quae ne mente quidem facile [*Stud. 3, f. 370v*] haberi potest, multis fiat scrupulorum seges. Id quod etiam multo magis in tractandorum omittendorumque varietate ac multitudine notandum occurrebat, cum ea legerem. Metuendum enim est, ne ita subintret lex multiplex et ingeniis gravis, ut abundet delictum<sup>175</sup>. Non enim tantum nitimur in vetitum semper [OVIDIUS, *Am. III 4 17*], sed etiam fieri potest, ut iustis de causis aliud agendum videatur, quam praescribitur; et alioqui durum est etiam in exiguis rebus (quod non dicerem, nisi facta nobis esset potestas nostras eloquendi sententias) et crebro et in omnem posteritatem nostrorum hominum adimi astringique omnem ingeniorum libertatem. Unde necessario consecuturi videntur multi vel lapsus aliter agentium ac praescriptum erit, vel angores obsequentium, vel scrupuli obliuiosorum, et perpetua quaedam sollicitudo dubitantium, quid tractari, et ubi et quomodo quidve omitti debeat. Eo vero gravius id iugum futurum puto, quod hominibus Societatis nostrae doctissimis quibusque imponetur. Hoc ipsum forte permultos avertet a studiis, fortassis etiam a Societate, qui haec noverint, cum in nulla alia religione aliquod huiusmodi sit onus. Quare cogitan-

<sup>173</sup> *Catechismus ex decreto Concilii Tridentini ad parochos Pii V pontifici maximi iussu editus*. Romae 1566.

<sup>174</sup> Vide MP V 56.

<sup>175</sup> Cf. Rom. 5 20.

dum primo, an non magis expediret nihil praecipi, nisi grave et quasi necessarium, ut multo pauciora essent praecepta, quam hic proponuntur. Deinde vero quaecumque minus necessaria sunt, ea non tam praecipi, quam consuli atque indicari universe dicendo, commodum videri, si ita fiat, vel certe ita commode posset fieri. Illud etiam spectandum, non uno omnes ingenio esse, ne illos quidem, quos claros et Ecclesiae Dei utiles Societas putat; item sponsam ipsam Christi circumdatam esse varietatibus; expedire interdum, ut quae unus leviter tractavit, alius abunde persequatur, ne quicquam nobis desit in ulla gratia [1 Cor. I 7], aut sapientia.

Sed hoc loco non praetermittam, quod sane ad R.P.N. Generalem scripsissem, si ad ipsum haec mitti oportuisset. Est vero sententia quaedam D. Augustini, epistula 119 c. 29 ad hanc rem non minime fortasse pertinens, quam D. Thomas approbat 1.a 2.ae q. 107 a. 4 in corp.: cavendum, ait, ne humanis praeceptis conversatio fidelium onerosa reddatur. Quidam enim ipsam religionem nostram, quam in manifestissimis et paucissimis celebrationum sacramentis, Dei voluit misericordia esse liberam, servilibus premunt oneribus. Adeo, ut sit tolerabilior conditio iudaeorum, qui legalibus sacramentis, non humanis praesumptionibus subiiciuntur. Haec ille. Quae ideo adduxi, ut probarem, non mihi soli, nec primum, praeceptorum multitudinem non probari<sup>176</sup>, quantumquidem ante res constitutas sententiam meam explanare iubeor.

#### *De delectu opinionum*

(Pag. 10, regula 4.a) Multis scrupulum movebit hominibus acrioris ingenii. Quidni enim quod unus aut multi breviter solum indicarint sine quaestione, alius interdum uberius et quaestione proposita persequatur? Fieri etiam potest, ut alii tractarint quaestionem, quod tamen ignores. Quis enim, non dico omnes, sed vel plurimos docendo possit legere? Scribi autem ad P. Provinciale omni oblata simili occasione mature non poterit, cum non ita multo ante, ut plurimum, paratae lectiones habeantur. Quare permittendum videtur hac de re iudicium rectori et praefecto studiorum.

#### *De opinionibus liberis in D. Thoma*

(Pag. 11.a) Propositiones illae, quae liberae relinquuntur, quanto graviores sunt et in alteram partem definitioni magis obnoxiae, quam multae, quae postea definiuntur? An vero istae ipsae cum iis, quae fol. 311 et sequentibus habentur, non amplam suppeditabunt materiam dissensionum, si quaevis opinionum diversitas eam parere potest? Et vero, cur istae minus, quam plurimae, quae contra D. Thomam definiuntur? Itaque quod pag. 40<sup>177</sup> urgentur Constitutiones, vel eo valere debet, ut quasi nulla relinquatur libera sententia, nisi in rebus nullius momenti; vel eo, ut ne contra D. Thomam definiatur. Verum cuiusmodi sententiarum diversitas sit maxime periculosa, pia memoriae P. Ignatius caeterique generales videntur declarasse, cum salvis Constitutionibus permiserunt semper D. Thomae sententias, imo et commendarunt; eas vero solum notandas censuerunt, quae propter Ecclesiae definitiones periculosae viderentur, [371r] aut quae communissimae doctrinae graviter adversarentur, et ex quibus velut caeterarum principiis, multa deinceps oriretur opinionum diversitas, non sine aliqua etiam fidei macula. Caeterum, non sane meminisse, vel propter D. Thomae sententiam aliquam, vel propter illas, quae nullam haberent cum fide connexionem, exceptis paucis nominalium, turbas aliquando, aut simultates aut dissensiones exortas esse . . .

<sup>176</sup> Vide e. gr. declarationem Patris Mariana; supra, p. 97.

<sup>177</sup> Vide MP V 28.



(Pag. 311) De opinionibus, quae liberae relinquuntur, quoniam eo videntur adducti patres, ut eas proponerent, quod putarent opiniones D. Thomae contrarias probabiliores esse, aut saltem aequae probabiles; quo fit, ut contra ipsorum opinionem definiendum non arbitrer; et quoniam contra D. Thomam aliquid definiendum non iudico, censeo omnes has opiniones in liberis relinquendas esse. Quod si aliquid definiendum esset, potius in D. Thomae sententiam definiendum putarem . . .

Caeterum, difficile est, ut uno tempore et opere ratio haec studiorum, quae constat longo usu et probatione, perficiatur. Praestaret igitur, ut ex omnibus initio et hac prima veluti institutione solum deligerentur necessaria et omnibus, aut certe plurimis probata. Deinceps addi et commutari sensim aliqua possent, ut in regulis Societatis fit. Quamquam cavendum maxime, ne in opinionum delectu quicquam ullo tempore commutandum praecipiat, vel cuius oppositum aliquando definiri possit. Ita enim tot fere essent magistri haeresis, quot lectores Societas habuisset. Unde et ipsi Societati non tantum esset infamia, sed ingens scandalum et occasio ad haeresim (quod absit) amplectendam, sicut religiosos quosdam et caenobitas olim ad haereses integre defecisse legimus . . .

#### Provincia Poloniae<sup>178</sup>

Primo omnium formula ipsa patrum romanorum discussa, quam servandam praescribunt fol. 19; quaesitum, sitne ea omnium commodissima ad finem, qui quaeritur, consequendum, puta doctrinae securitatem et concordiam maiorem in Societate. – Secundo, hinc regulae ipsae singulae examinatae ex folio 9 10 usque ad 16. – Tertio denique, opiniones singulae quae definiuntur, sigillatim expensae.

Utrum formula de opinionum delectu praescripta in ratione studiorum sit omnium commodissima — Ea in hoc est posita, ut nulla relinquatur nostris in genere libertas opinionum, sed si quae liberae sint futurae, eae explicite enumerentur; reliquae omnes definiantur, partim generalibus regulis, partim enumeratione singularum. Haec ita statuitur folio libelli 19, et servatur a pag. 9 et deinceps. Ibi enim liberae paucae exprimuntur ex singulis D. Thomae partibus; definiuntur reliqua omnia partim explicite partim [*Stud. 2, f. 131v*] generalibus regulis; illa praesertim sexta, qua ad S. Thomam nostri adstringi videntur in reliquis omnibus. In caeteris, inquit, quae hic excepta non sunt, a S. Thoma nostri ne recedant.

Hac de re saepe per dies plures disputatum, ac visum omnino minus idoneam esse formulam istam, nimiamque imponere obligationem nostris, in eo maxime, quod ad unum D. Thomam ita arcte velit nos esse constrictos; idque propter varia: – 1<sup>o</sup>. Quia id multa incommoda, graviora commodis, quae sperari inde possent, annexa habere videntur. – 2<sup>o</sup>. Quia nec ipsa quidem commoda, quae quaerentur, unio, inquam, maior ac securitas doctrinae satis inde sperari possint. – 3<sup>o</sup>. Quod eadem aliis rationibus facilioribus absque tanto onere possint haberi. – 4<sup>o</sup>. Denique, quia rationes, quas pro uno D. Thoma sequendo adfert libellus pag. 22 et 23, tanti esse non videntur, ut tantam obligationem Societati subeundam suadere habeant.

#### 1. *Varia incommoda, quae ex obligatione ad unum D. Thomam sint consecutura*

1. Bono publico Ecclesiae repugnare videtur. In ea enim multa saepe probabilia videri solent, dum pacata sunt omnia; quae si haereses novae oriantur et discutiantur accuratius,

<sup>178</sup> De commissione huius provinciae et eius scripto de Rat. st. vide supra, *Introd. gen.*

animadvertuntur in contrarium definienda. Praecludetur autem aditus illustrandae veritatis in multis [132r] talibus. Nam D. Thomam in tot millibus articulorum in solis 50 scopum dubie attigisse<sup>179</sup>, in reliquis omnibus vidisse verum prae omnibus (licet saepe ei contraria sint praeclarissima ingenia; verbi gratia Halensis, Bonaventura, Scotus, Occam, Albertus, Durandus, Gregorius et alii<sup>180</sup>; quibus etiam non immerito nostrorum professorum non pauci addantur, noti omnibus; qui vel omnes vel plerique non raro vel opiniones minus commodas aliquas annotarunt, vel probabilius aliquid invenerunt) vix est credibile. Plura enim vident oculi quam oculus, et nihil est facilius, quam in tanto opere et in tanta rerum multiplicitate aliqua praeterire sicciore pede. At in talibus nulla iam spes relinquitur veritatis pro tota Ecclesia inveniendae ac ne quaerendae quidem. Cum enim iam et ex se thomistae valde potentes sint, si nostrae etiam Societatis, cuius iam studia florent, consensione ac definitione roborabuntur, non est videre, per quos ulterius illustranda sit in talibus veritas.

Quodsi obiiciatur, tales opiniones examinandas, si quae sint eiusmodi, ac Romam mittendas; norunt patres romani probe, qui et quot doctores et in quibus quaestionibus repugnent D. Thomae, ut non sit necesse aliunde haec illos petere. Rationes vero pro singulis talibus expendere ac describere, ut Romam mittantur, infinitae molis esset ac temporis; et forte parvum operae precium, si soli tandem eorum sententiae et examini subiiciendae sint, qui toti a D. Thoma iam ante stant.

Particulariter autem non adeo omnia assecutus videtur [132v] D. Thomas in Scripturis ipsis interpretandis, ut ipsius causa deserenda sit et antiquorum patrum sententia et positivorum quoque, qui Scripturae ex ipsis fontibus tractant. Quod tamen necesse erit, si a D. Thoma praeter praescripta discedere non licebit. Oportebit enim eum etiam sequi in omnibus, quae in 3 parte de Christo et historia eius evangelica habet. Si dicatur, iuberi ista omitti in scholastica pag. 118 libelli romani. At cum ex iis saepe aliae quaestiones D. Thomae pendeant (ut sunt connexa omnia), etiamsi in uno loco omittantur, alibi tamen dicenda erunt; sicque etiam fiet, ut liceat uni professori, quod alteri non licebit. Nam qui Scripturas interpretabitur, sequetur communio sententiam patrum et positivorum, aut alioqui probabiliorem, iuxta quod instruitur pag. 74, ubi de Scripturis agitur. Contra vero scholasticus professor non poterit talia. Unde potius materia dissensionum aliqua orietur.

Denique quid, si Societatis nostrae hunc doctrinae modum ac libertatem ideo suscitavit in Ecclesia Deus, ut ea ratione et exemplo mederetur nimis quorundam affectibus, qui personae magis unius authoris, quam veritati aliquando servisse videntur? Id quod in materia de conceptione B. Virginis prope palpatur, et similibus aliis.

2<sup>o</sup> – Sed et particulariter contra bonum Societatis commune idem pugnare videtur. Primo, quia ipsae Constitutiones hoc nolunt, ut ad unum nostri, paucissimis exceptis, adstringantur.

Tum quia expresse P. 4 c. 5 § 4 dicunt: «Sequantur [133r] in quavis facultate securiorem et magis approbatam doctrinam, et eos autores, qui eam docent»<sup>181</sup>. At neque securior est ea doctrina, quae unius est, sed fere quae plures habet doctores. Quia, ut libellus ipse habet p. 29, Melior est communis doctorum sensus communiter, quam unius. Si quando ergo communior opinio a D. Thoma dissentiat, securius fuerit cum iis sentire. Neque magis approbata, quia id magis approbatum dicitur, quod a pluribus probatur, quam

<sup>179</sup> Id est, in 50 articulis, qui liberi relinquuntur in Libello; vide MP V 7-9.

<sup>180</sup> De his antiquis theologis cf. MP V 18 adn. 1.

<sup>181</sup> MP I 221.

quod ab uno. Denique expresse Constitutiones hic authores in plurali sequendo praeci-  
piunt in quavis facultate, non unum.

Tum, quia concedunt Constitutiones, praeter D. Thomam, etiam alios praelegi in  
scholis posse, puta Magistrum P. 4 c. 14 B<sup>182</sup>; imo et cursum aliquem theologiae novum  
nostris temporibus accommodatum. Cum ergo, ut habet libellus ipse pag. 22, regulariter  
sequendus sit is, qui praelegitur auctor, Magister vero in multis dissentiat a D. Thoma, id-  
que fieri possit et in cursu novo, apparet manifeste, Constitutiones maiorem relinquere So-  
cietati libertatem; quae ideo non esset ita arcte hac formula constringenda.

Secundo, particulariter vero excellentiae doctrinae obfuturum in Societate videtur.  
Adstrictus enim iam ex obedientia ad D. Thomam, nemo diversum quid conabitur, aut ad  
id animum serio applicabit, ut inveniat, num quae diversa sunt a D. Thoma, [133v] meliora  
sint. Itaque Societas nostra nunquam ultra assurgat, nec iam aliquis in Societate insignis  
scriptor qualis D. Thomas sperari poterit; uti nec ipsum habuisset dominicana familia, si  
doctrinam suam ad unum aliquem certum authorem ante ipsum D. Thomam adstrinxisset.  
Cum tamen P. Ignatius ipse id et sperasse et quodammodo cupiisse videatur, cum summae  
vel cursus novi theologiae conficiendi, qui et utilior sit studentibus et accommodatior his no-  
stris temporibus, ita meminit, ut eiusmodi praeferrere tum posse Summae S. Thomae, non  
obscure insinuet.

Ut quid ergo attinet, sic illigare Societatem et ingenia eius praepedire, contra quam  
Pater noster, sanctae memoriae, optaverit? Cum merito aliquos in Societate perdoctos spe-  
rare possimus, quando ita numero operariorum adoleverit, ut soli studio theologiae (uti S.  
Thomas) absque alia occupatione possint aliqui plures annos incumbere. Nam et nunc  
quoque nostrorum ingenia aliis religiosis familiis parum cedunt, et studiorum ratio longe  
videtur accuratior ac etiam accommodatior. Sed et ipsa studia non poterunt non languere;  
tum professorum, quia iis non iam inquirendum erit, quid sit verum in re ipsa, quidve ideo  
sequendum, sed quid D. Thomas docuerit aut suus praedecessor; quod si satis confirma-  
tum viderint, ne de rationibus quidem novis multum erunt solliciti, sed mutabunt quadrata  
rotundis, eademque ipsa paulo aliter dicent; tum discipulorum qui, intelligentes omnes cur-  
sus esse ferme eosdem quoad essentiam, aliorum sibi [134r] quovis tempore describent dic-  
tata, parumque praeterea de scholis ac scholasticis exercitiis solliciti erunt. Huc accedunt  
multae quaestiones, confirmationes, disputationesque parum utiles. Saepe enim iam quae-  
rendum erit: an D. Thomas hoc vel aliud senserit. Saepe quaestiones probabuntur ex verbis  
D. Thomae coacervatis. Saepe disputabitur de mente D. Thomae. Ubi non parum tempo-  
ris teretur quandoque, dum argumentans allato textu D. Thomae argumenti loco conten-  
det pro se illum esse, respondens contra, ut eum solvat et sibi accomodet, laborabit. Ex  
sola enim iam D. Thomae assertione argumentari licebit non minus, quam ex textu Aristo-  
telis. Unde plura etiam alia inconvenientia timenda, dum auditores ex tali disputatione di-  
scedentes dicent, se audivisse disputari non quid hac vel illa in re sit verum, sed quid D.  
Thomas senserit. Quod quantum irridebunt, maxime haeretici in his partibus, facile intelli-  
git, qui novit, quam ubique subsannandi rationes inquirent.

Ad haec, iam vocabimur thomistae aut iurati in verba magistri<sup>183</sup>, ac vix non mona-  
chi. Magis enim fere quam thomistae ipsi D. Thomae alligamur, qui ex 5000 articulorum  
vix 50 habemus liberos<sup>184</sup>, cum forte inter ipsos thomistas nemo sit, qui non pluribus dis-

<sup>182</sup> MP I 297.

<sup>183</sup> Cf. HORATIUS, *Epistolae* I/1 14.

<sup>184</sup> Vide supra, adn. 179.

sentiat a D. Thoma. Quod si alicui etiam illi 50 arriserint, is certe meracissimus thomista erit. [134v] Quam vero male sonent cognomenta ista, semel in unam congregationem inducta, notius est, quam ut exaggerari oporteat. Praeterea, longe libentius communiter studiosi audiunt eos magistros, quos nulli multum astrictos esse intelligunt, sed liberius seligere meliora ex omnibus. Sed et si in moralibus vel casibus conscientiae, ubi plus inest periculi et scandali, non astringuntur ita nostri, neque forte conveniet in toto; minus astringi deberent in minus lubricis et scandalosis, qualia non possunt non esse plurima in tanto corpore D. Thomae. Quin et in philosophicis magna libertas opinandi (et merito) relictæ est infra, ubi de philosophia agitur. Licebit ergo philosopho a D. Thoma, ubicumque videatur, discedere. At in theologia D. Thomas ex principiis suis philosophicis multa saepe concludit, in quibus omnibus novam simul philosophiam nostri theologi, priore relictæ, amplecti debebunt. Denique, huc eadem faciunt, quæ in ipso libello pag. 18 adferuntur, ubi rationes afferuntur, quare non simpliciter in omnibus ad D. Thomam debuerimus alligari.

2<sup>o</sup> – Commoda, quæ quaeruntur, hac ratione non satis certo consecutura — 1<sup>o</sup> – Quia propter nimiam definitorum multitudinem [135r] vis quodammodo nimia afferri videtur iudicio nostrorum; unde verendum est, rem tam violentam diuturnam esse non posse, ac vix ultra unius praepositi generalatum duraturam.

Habemus rei huius testem experientiam in ipsa iam etiam Societate. Neque enim hæc gravius poterunt statui quam paucae quaedam sententiae a Patre Borgia (bonae memoriae) ante aliquot annos definitae fuere (Circa annum 1565), quibus quidem tale mandatum annexum et in provincias transmissum, una cum propositionibus ipsis, sic habet:

«Hic, inquit, ordo praescriptus a praeceptoribus nostris omnino servetur, neque contra propositiones hic scriptas neque publice neque privatim ullo modo loquantur, neque pietatis neque veritatis neque alterius rei praetextu aliter doceant, quam constitutum et definitum est. Haec enim esse docenda a nostris non tantum admonemus, sed etiam statuimus»<sup>185</sup>. Haec P. Borgias. At vero tantum abest, ut servata hæc ita diu fuerint, quemadmodum experientia constat, ut etiam ex ipsis illis prohibitis tam serio propositionibus et valde paucis iam in hoc ordine novo sint positæ, et una prorsus in contrarium definita, tanquam communior et magis recepta. Ea est 15.a in definitis ex prima parte quæ sic habet: «Tres sunt in Deo relativæ subsistentiae; est et una communis absoluta et essentialis; non tamen propterea sunt 4»<sup>186</sup>. Quæ et postea pag. 43 ostenditur, plurimorum doctorum esse. At in illis P. Borgiae [135v] 12.ma huic omnino contraria videtur. Sic enim habet: «Essentia divina non habet unam subsistentiam communem omnibus personis, sed tantum 3 personales subsistentias»<sup>187</sup>. Unde ad oculum licet conicere, quid etiam de hac tam arcta definitione futurum sit, nisi summa moderatio adhibeatur omnique violentia absit.

2<sup>o</sup> – Etiam ut maxime servetur, nisi alia aliunde remedia adhibeantur, non adeo multum ista contulerint ad ea, quæ quaeruntur. Nam quod ad animorum unionem pertinet, ad eam turbendam sufficient paucae illæ liberae et reliquæ in genere definitæ in S. Thoma. Id quod experientia docet, etiam in thomistis dominicanæ familiae, qui cum iurare etiam putentur in D. Thomam<sup>188</sup>, in multis tamen acriter inter se dissentiunt, etiam libris scriptis.

<sup>185</sup> Vide MP III 385.

<sup>186</sup> Vide MP V 9 n. 15.

<sup>187</sup> Vide MP III 385 n. 14.

<sup>188</sup> Vide supra, adn. 183.

3<sup>o</sup> – Aliis rationibus commoda, quae quaeruntur, quam per formulam istam haberi posse. – Duo potissimum ea sunt, ut ex pag. 9 rationis studiorum colligitur: Consensio nostrorum, quae alioqui contentionibus exposita videtur libertate maiore opinandi; et securitas soliditasque doctrinae. Primum illud maxime omnium per regulam 8.am consequemur, quae pag. 15 habetur; hoc est, per modestiam in disputando, si «nemo in iis, quae libera sunt, alteram partem plus quam charitas permittit, exagitet». Propria enim contentionum causa non tam est opinandi [136r] libertas, quam contentiosus modus sua defendendi et oppugnandi contraria.

Secundum vero, si catalogus aliquis conficiatur doctorum classicorum, iique exprimentur, et praescribatur, quot ex iis qualesque haberi debeant pro ea opinione, in qua a D. Thoma discessuri sint nostri, ut ne tamen omnis libertas, quod sine periculo et detrimento non fieret, nostris permissa putetur. Sed ante omnia, diligens superiorum cura utraque haec plurimum promoverit; quae nisi adfuerit, parum profecerint, quaecunque tandem leges scribantur vel praescribantur.

4<sup>o</sup> – Solvuntur, quae pro uno D. Thoma communiter sequendo adferuntur pag. 22 et 23 libelli – 1. Ab ipsis Societatis incunabulis S. Thomae scholasticam doctrinam praelegendam Constitutiones 4 P. c. 14 decernunt<sup>189</sup>; ergo et regulariter sequendam. – 2. In quavis facultate securiorem et magis approbatam doctrinam iubemur sequi 4 P. c. 5<sup>90</sup>. – 3. Omnium, maxime theologorum, in Patribus et Scripturis versatus est. – 4. Summi pontifices tanquam tutissimum commendaverunt<sup>191</sup>, et concilia iuxta eum dogmata ecclesiastica saepe declararunt. – 5. Per florentissimas quasque academias maxime nunc est in precio. [136v]

Ad primum – Decernunt et Magistrum<sup>192</sup>, qui et lectus est et legitur etiamnum in nonnullis locis. Deinde, unum eundemque Magistrum praelegere D. Thomas, Scotus, Bonaventura, Durandus, nec tamen propterea non dissentiunt ab illo; sed et ipse D. Thomas, omnium modestissimus, non ideo non in multis dissentit a Magistro, quia eum praelegit. Sed et aliud est: regulariter est sequendus D. Thomas, aliud quod regula sexta praescribitur: in caeteris (exceptis fere 49 articulis) a D. Thoma non discedant.

Itaque, qui praelegitur, regulariter ita sequendus videtur, ut ei unus alius solus regulariter non praeferatur; non, ut ipse semper omnibus. Faciuntque hanc differentiam ipsae Constitutiones. Nam, dum praelegendum authorem proponunt, unum fere D. Thomam nominant; at, dum de sequendo authore loquuntur (eos authores, qui etc.), in plurali iam enuntiant de pluribus.

Ad secundum – Securius est doctrina Divi Thomae, si cum quovis altero scholasticorum conferatur; non si simul, vel omnibus vel pluribus. Ut ergo in theologia in universum securior est sensus communis Ecclesiae, quam cuiusvis doctoris privati, sic in singulis quaestionibus securior consensus doctorum plurimorum, quam unius solius. Merito ergo D. Thomas communiter praefertur singulis, at non universis; cum fieri possit (quemadmodum et modo contingit in multis), ut futuris temporibus etiam plures ab illo dissentiant vel dissensisse deprehendantur.

Ad tertium – Patet ex dictis. Attamen et hoc forte [137r] dici posset, uni Augustino plus omnibus addictum fuisse, cum tamen non sine causa Deus plures semper doctores in

<sup>189</sup> Vide MP I 297.

<sup>190</sup> Vide MP I 221.

<sup>191</sup> Vide MP V 55 adn. 1.

<sup>192</sup> Petrus Lombardus (1100-1160), Magister Sententiarum dictus; de quo cf. MP I 54 adn. 9.

*Ecclesia posuerit. Et, ut ipse Augustinus suo tempore non pauca retractavit propter haereses exorientes, ita nunc, si viveret, plura etiam forsitan retractaret.*

*Ad quartum – Id evincit, merito magni faciendum prae singulis aliis doctoribus, non communiter prae plurimis aut omnibus. Quamquam et hic forte dici possit, vel pauca vel nulla pro D. Thoma declarata a pontificibus, quae ita propria ipsi fuerint, ut communiter omnes vel multi classici doctores in iis ab eo discesserint. Si qua enim ex eius doctrina definita sunt, ea fere sunt, quae communia cum multis vel omnibus habuit.*

*Ad quintum – Est sane in precio, sed ut privatus unus doctor, isque excellentissimus. Nec minus tamen communis academiarum sensus est, et scotistas nimium Scoto et thomistas nimium D. Thomae addictos esse, eo quod singuli suo tribuant omnia. Quin propterea nostrorum scripta et praelectiones multis ideo gratiora sunt, quia uni alicui adeo addicti non simus, quin, si verum apud alios videatur, id sequamur. [137v]*

*De regulis pro opinionum delectu iudicium*

*Circa secundam iudicatum est, esse necessarium, ut explicetur, qui et quot doctores consentientes communem scholarum theologiarum sensum (de quo hic fit mentio) facere censendi sint; cum alioqui quivis suam sententiam soleat communem asserere.*

*Hic simul elenchus aliquis classicorum doctorum formandus est visus; et ex iis assignandi, quos et quot, si consentiant, tuto nostri tamquam communem opinionem sequi possint; ut securitati sic doctrinae nostrorum, de qua supra, consulatur.*

*Denique vel huic vel cuivis alteri regulae adiungendam etiam prohibitionem de non movendis quaestionibus curiosis et absurde sonantibus, nisi peculiaris causa moveat, puta propter haereticos; propter quos etiam de mure comedente Eucharistiam agendum est.*

*Circa quartam, ubi vetat in rebus, quae alicuius momenti sunt, novas introducere quaestiones seu dubitationes, P. Provinciali inconsulto etc.; si ut sonant, ista accipienda sint, visa est nimis aspera. Fieri enim non potest, quin, dum tractatur quaestio quaevis, et conferuntur opiniones ac firmamenta earum, saepe oriantur dubia [138r] varia ac nova, quae professor nec viderit ante, nec an uspiam ab aliis mota fuerint, sciat. Ubi si ea tractare aut proponere non poterit, nisi ea vel invenerit ab aliis ante tractata vel responsum a Provinciali (qui longe saepe abest) habuerit, transibit lectionis tempus decies. In casibus vero conscientiae non possunt non ob eventus quotidianos novae quotidie quaestiones et dubia moveri. Iudicatum ergo est, explicatione maiore opus habere regulam.*

*Circa quintam, sextam et nonam, omnino mutanda illa tanta ad D. Thomam obligatio iudicata est propter varias causas supra allatas, maxime, ne thomistae dicamur, et studiosi ob id a nobis avertantur; quos id latere non poterit. Posset vero mutari in aliquam formularum, quae sequuntur, vel similem; puta:*

*In theologia doctrina scholastica D. Thomae praelegatur, nisi P. N. Generali videretur vel retinendus Magister Sententiarum, ubi hactenus legi consuevit, vel alia summa in Societate conficienda utilior et his temporibus accommodatior, iuxta Constitutiones<sup>193</sup>. Sequantur vero in docendo omnes semper securiorem et magis approbatam doctrinam, et eos autores, qui eam docent<sup>194</sup>. Qualis, quia D. Thomas communiter [138v] censetur, nostri ab eius conclusionibus et methodo quaestionum ne discedant, nisi a classicis doctori-*

<sup>193</sup> *Const. P. IV c. 14 § 1 et litt. B; MP I 297.*

<sup>194</sup> *Const. P. IV c. 5 § 4; MP I 221.*

bus multis et gravibus contrarium, idque verbis clavis, non per interpretationem traductis, doceatur, vel in academiis communiter ut magis receptum obtinuerit.

Vel sic: In theologia (et ut supra usque ad illa: qui eam docent); inde subnectatur: Hanc vero illam iudicamus, primum quidem, in quam omnes graves et praecipui doctores, licet uno vel altero excepto, conspirant. Deinde, doctrinam D. Thomae, quae cum semper ab Ecclesia magni habita sit, et graves authores habeat, qui ipsam sequuntur, talem esse censemus, quam vel solam nostri in omnibus sequi possint, paucis illis, quae hic definiuntur, exceptis. Postremo, illam in quam unanimiter quatuor vel quinque doctores ex iis, quorum elenchus supra positus est, consenserint, etiamsi quid diversum a D. Thoma dicant. Ubi enim talis consensus non est, pro tali qualem nobis Constitutiones nostrae, nempe securiorem ac magis approbatam doctrinam commendant, habendam non esse iudicamus.

Circa septimam, quod iubet conari nostros debere, ut D. Thomam etiam in definitis paulo ante ibidem positis interpretentur pro se, visum est inconsultum ac potius omittendum; tum ne catholici nobis [139r] imputent, nos doceri, ut etiam nolentem D. Thomam trahamus quo libeat; tum ne haeretici ansam arripiant obiiendi (quod et ante iam faciunt) nobis consuetum esse et Patres et Scripturam ipsam attrahere ad nostra sensa, ut volumus. Regula autem ista tale quid videtur docere. Nam ad omnes praecedentes refertur, ut patet, in quibus constat aliquas contra D. Thomam definitas esse, et tamen de iis dicit: cum secundum eas Doctor non incommode possit exponi etc. Quod si manere regula debeat, istam saltem affirmativam in condicionalem mutandam esse, ac dicendum: Quando secundum eas Sanctus Doctor non incommode poterit exponi.

Circa nonam – Ea iam cum quinta et sexta expensa est. At si manere omnino debeant, iudicatum est alias etiam quasdam exceptiones hic inserendas.

1<sup>o</sup> – In articulis, qui proprie circa Scripturarum interpretationem versantur, ne aliquid hic positivo liceat, quod scholastico sit vetitum. Infra enim, ubi de Scripturis agitur pag. 74, non D. Thomae, sed Patribus et aliis interpretibus alligatur Scripturarum interpretis. Sed et recentes interpretes multum contulere ad Scripturarum intelligentiam.

2<sup>o</sup> – In controversiis huius temporis, quae, cum videantur hoc saeculo solidioribus tractari fundamentis, quam fieri a D. Thoma potuerit, qui illas non vidit, non expediret in iis D. Thomae uni nimium esse astrictos, si meliora alibi inveniantur.

3<sup>o</sup> – In iis, quae non quidem mere philosophica sunt, [139v] sed ex philosophicis D. Thomae opinionibus pendent. Alioqui philosopho licebit hic defendere contra D. Thomam, quod theologo non licebit; eritque ipse theologus, qui in philosophia D. Thomam deseruerat, hic astrictus, ut mutet sententiam et philosophiam suam. Sic ergo regula ista formanda foret:

In caeteris ita nostri S. Thomae astringantur, ut non nisi ad eius conclusiones cogantur, nec ad res, quae non tam theologicae, quam philosophicae sunt, aut certe ex philosophicis consequuntur; de quibus ea libertas vel obligatio sit, quae in philosophia statuatur. In iis etiam, quae ad Scripturarum interpretationem proprie spectant, illud servabitur, quod infra (pag. 74) de Scripturis dicitur. Quae vero ad controversias horum temporum pertinent, si quid novi scriptores solidius aut quod fundamenta haeticorum melius evertat, invenerint, illud quoque quominus nostri sequantur, nihil vetuerit.

Circa decimam – Illud «Non facile» potius astringendum esset magis, ne quis hinc sibi plus licentiae, quam par est, arripiat ad refellenda vetera. Illud vero de novis inveniendis, aliqua forte interpretatione indigeret. Videtur enim nimium arctari professor. [140r]

*De opinionibus in particulari vel definiendis vel liberis relinquendis*

Si ea admittantur, quae fuse disputata sunt superius de libertate aliqua in genere nostris danda, maxime a D. Thoma, visum est opus non esse liberas hic ullas in specie exprimere; satis esse ponere definitas. Sed si omnino sancitum illud in genere de D. Thoma manere debeat, saltem longe plures liberas relinquendas, nulli dubium fuit; quae scilicet vel nullum habent periculum annexum, in utramvis partem teneantur, vel multos et graves doctores pro se a D. Thoma dissentientes rationesque non contemnendas.

Laurentius Faunteus S.I.<sup>195</sup>

Formula, quae opinionum delectum praescribit, placet admodum. Commentariolus quoque admodum probatur ob efficacissimas rationes, quibus abundat. Unum tamen aut alterum in utroque desidero.

1. Velim in formula explicari, quomodo se gerere debeat professor, cum in quaedam dogmata inciderit, de quibus aliud Patres, aliud scholastici decernunt; verbi gratia de materia ordinis. Patres eam esse volunt impositionem manuum episcopi; scholastici fere universi calicem et patenam cum pane et vino in sacerdotio, porrectionem evangelii in diaconatu etc. Atque idem de reliquis, quae occurrunt, controversiis.

2. In formula quaedam de dogmatibus sententiae necessario sequendae praescribuntur, quas putarem non incommode liberas relinquere posse . . . [*Stud.* 2, f. 172r]

Ioannes Leopolitanus S.I.<sup>196</sup>

De priore parte, quae est de Opinionum delectu, illud occurrit, verendum esse, ne multitudine cautionum et paucitate liberarum opinionum, quarum plures concedi possent sine periculo, et scrupulosi homines pluribus scrupulis implicentur, et liberioribus detur occasio frequentius praevaricandi, aut imperfectis tentationum contra vocationem, cum viderint se ita constrictos in rebus per se alioqui liberis. Remedium hoc putarem, ut aut per totam theologiam plures colligerentur opiniones liberae, quae sunt contra S. Thomam, et pleraeque impugnantur ab ipsismet tomistis, aut daretur facultas superioribus collegiorum, ut, si aliquis professorum non putaret se nec sibi nec aliis posse satisfacere in defendenda aliqua opinione S. Thomae, ex cuius contraria nullum omnino sequeretur periculum, possent superiores id illi liberum concedere, modo cum consultoribus et theologis illius collegii talem esse illam opinionem iudicarent, ex qua nullum omnino sequeretur periculum nec scandalum; nec esset illa opinio plane contraria praescriptis regulis in hac Ratione studiorum. Saepe enim excitantur ingenia et professorum et auditorum novis et bonis beneque probatis opinionibus; languescunt in tritis et usitatis, cum praesertim inveniuntur, qui diutius profitendo theologiam, soleant invenire in rebus dubiis aliquid certius aut probabilius et magis consentaneum traditioni Ecclesiae et ss. Patrum consensui. Quod si inveniatur, tacere ac dissimulari haud scio, an possit.

2<sup>o</sup> – Videntur etiam quaedam esse opiniones inter has, quae sunt praescriptae in libro, omnino ad defendendum a nostris, quarum contrariae multo utilius defenderentur in partibus haeresi infectis. Ut verbi gratia: Opinio de praedestinatione D. Thomae et D. Augustini, quae nullam habet rationem meritorum in homine, et media magis respicit, quam fi-

<sup>195</sup> De L. Faunteo S.I. et eius de Rat. st. scripto cf. *Introd. gen.*

<sup>196</sup> De I. Leopolitano S.I. et eius de Rat. st. scripto cf. *Introd. gen.*



nem; etsi forte magis satisfaciat acrioribus ingeniis italicis et hispanicis, tamen in his partibus difficillime capi potest a quoquam. Cum autem contraria sententia et ante S. Augustinum sit defensa ab omnibus fere patribus, et modo a multis viris doctis defendatur et satis commode explicetur, sitque etiam defensa a nostris magni nomini theologis, ut P. Turriano in libro *De electione divina*<sup>197</sup>, P. Maldonato<sup>198</sup> in tractatu theologico, quem confecit Parisiis (credo dum explicaret M. Sententiarum); non video, quare et haec opinio in nostris partibus non possit concedi; non solum quod et in theologia sit adhuc libera, ut quae nitatur bonis Scripturis, auctoritatibus, rationibus (intelligo autem bene et commode explicatam), sed etiam multo utilius et tutius videatur docenda in his partibus; in quibus negatur ab haereticis liberum arbitrium, negliguntur bona opera, Deus malorum auctor asseritur; sed quae non tam facile refutari possunt, posita priore opinione, sicut posteriore. Certe Claudius de Sanchez<sup>199</sup>, scribens contra Calvinum, ut planius posset ostendere, liberum arbitrium in hominibus, nec Deum esse auctorem malorum etc., hanc posteriorem opinionem de praedestinatione pro fundamento suae disputationis dicitur posuisse in suis tomis gallice scriptis contra Calvinum; et ita rem explicasse, ut et doctiorum et indoctorum ingeniis satisfacisse videatur. [*Stud.* 3, f. 291v] Equidem illa opinio minus acutis hominibus vel desperationis vel praesumptionis ansam dare videtur. Novi quendam in hac provincia, qui cum esset in Societate per aliquot annos, dotibus naturae bonis praeditus, tandemque pertaesus vitae religiosae, instaret, ut dimitteretur, cum moneretur a fratribus, ut videret in quantum discrimen salutem suam coniiceret, nihil fere aliud respondebat, quam hoc: Ego si sum praedestinatus, non potero damnari. Nuper etiam ex ore cuiusdam viri nobilis accepi, cum diceret, ante annos aliquot audisse se concionatorem dicentem in concione: Facias quidquid vis et potes; si non es praedestinatus, numquam salvaberis. Addebatque ille, ex hoc dicto magnum fuisse sequutum scandalum in populo. Et sane difficile est cohibere, quin tales sententiae ita in scholis adamatae interdum erumpant vel in concionibus vel in colloquiis. Quare amplius delibendum censerem, ultra sententia tutius doceri et praedicari debeat, in his praesertim partibus. Imo, putarem et hanc tamquam liberam et aequae probabilem admittendam; et illi alteri, ex qua quotidie tam gravia pericula emergunt, cancellos circumdandos et cautiones ponendas; nimirum, ut separentur ea, quae sunt fidei et quae opiniones, et de quibus tantum in scholis disputari debeat ab his, quae possint praedicari populo, vel dici in colloquio habenti difficultatem in tali materia.

3. Talis et illa opinio D. Thomae de adoratione crucis et imaginis Christi cultu latrae censeri debet; ex qua nimirum plus periculi et scandali, quam utilitatis timendum sit. Si enim haereticis et catholicis inter eos commistis aegre persuademus, imagines Christi retinendas in ecclesia ad memoriam, et honorandas propter prototypa, quomodo latrae adorationem eis persuaserimus, cum praesertim illi clament, nos rebus creatis et inanimis divinum deferre honorem; ideoque nos idolatras vocare passim non erubescunt, et eo nomine traducere apud vulgus. Addo, quod D. Thomae rationibus bene examinatis, manet tamen aliquis scrupulus circa istam adorationem, nec videtur fuisse ista opinio antiquorum Patrum, nec veteris Ecclesiae. Quare contraria sententia multo tutius et utilius in his partibus docenda et defendenda videtur.

<sup>197</sup> Franciscus Torres S.I. (1504-1584), *De electione divina* . . . ; cf. SOMMERVOGEL VIII 115 n. 8.

<sup>198</sup> De I. Maldonado S.I. cf. supra, mon. 5 adn. 1, et SOMMERVOGEL V 408 n. 6.

<sup>199</sup> Claudius Sánchez (1525-1591), gallus; scripsit *Confession de la foi catholique* . . . (Paris 1561); cf. *Dict. d. Theol. Cath.* XIV (1939) 754-55.

Possent, credo, ab aliis, qui praesertim theologiam in partibus istis diutius sunt professi, tales opiniones plures colligi. Ex quibus etiam patet, esse utile vel toti Ecclesiae, vel locis aliquibus particularibus, ut professoribus theologiae relinquatur aliqua libertas ad veritatem opinionum melius investigandam, et ad loca atque tempora accommodandam. Una mihi praeterea occurrit opinio, prioribus haud absimilis. Theologi professores ex D. Thomae sententia defendunt, manere Christum in Eucharistia quamdiu manent species, ubicumque tandem sint illae. Si hanc tamquam opinionem probabilem in schola proponerent, bene quidem. Nunc autem illam ita mordicus tuentur, etiam assertionibus excusis, ut contrariam videantur reiicere tamquam erroneam, quae dicit: Tamdiu manere species, quamdiu sunt aptae ad usum sacramenti. Haec opinio cum sit D. Bonaventurae et aliorum, et rationi satis consentanea, neminem potest scandalizare. Contra illam alteram furunt haeretici, nec possunt ferre ullas rationes, obiiicientes illa, quae ipsis videntur absurda: quod si mus voret hostiam etc. Cur itaque, ut facilius istis medeamur, non possimus et hanc tamquam probabilem opinionem illis concedere?

Alfonsus Pisa S.I.<sup>200</sup>

In libro de Ratione studiorum pag. 10 regula quinta est: «In theologia doctrinam S. Thomae nostri sequantur, exceptis paucis» etc. Haec regula videtur indigere maiore discussione antequam admittatur et confirmetur. Rationes sunt:

Prima, quia haec regula facit Societatem thomistam et ita sectariam. Quot turbas dererunt hactenus in Ecclesia nomina thomistarum et scotistarum etc. inter catholicos? Quantam occasionem obtrectandi haereticis? Hae turbae iterum suscitantur dum Societas fit thomista, et sic quodammodo damnat S. Francisci religiosos, qui S. Bonaventurae magis, quam S. Thomae sint addicti; et alios religiosos, qui omnes suum ducem sequuntur.

2. Theologia est de iis, quae Deus per Ecclesiam, Ecclesia per Scripturas et traditiones sanctorum patrum revelavit. De iis ergo oportet nos esse sollicitos, non quid senserit hic aut ille doctor sive sanctus; sed quid Ecclesia definivit, quis sensus Scripturae, prophetae vel apostoli, quo s. patres consentiunt etc. Potius ergo statuendum esset aliquis liber praelegendus, in quo audiremus vocem Ecclesiae, quam ubi audiremus unum tantum doctorem.

3. Cum theologos in s. patribus versari oporteat, et illi sint per 1500 et amplius annos sexcenti et ultra sine hyperbole, cur astringat se theologus ad unum potius, quam ad alium? Sunt patres graeci, sunt latini, sunt veteres, sunt recentiores; ex toto eorum numero cur solus S. Thomas deligetur, et recentior et minoris autoritatis apud haereticos et graecos, et ideo apud catholicos, qui contra illos agere debent?

4. In partibus enim his septemtrionalibus pudet catholicos, cum agunt cum haereticis, citare S. Thomam, quem illi non habent, nisi pro uno monacho, non valde antiquo, qui nescivit graece et hebraice; qui, etsi fuerit diligentissimus, tamen plurima non vidit, quae post eius obitum edita sunt et ex aliis linguis in latinum versa, quia tunc non erat typographia. Non vidit tomos conciliorum, quorum numerus quotidie crescit, non vidit definita post suum saeculum a variis pontificibus et conciliis provincialibus et generalibus, et novissime a concilio tridentino.

5. S. Thomas fere conflatus est ex Aristotele et S. Augustino. Quae Aristotelem sapiunt, metaphysica, nostri septemtrionales nec legunt nec intelligunt; nec libenter audiunt, quia nullum eorum usum experiuntur. Et plus satis sunt tractata in philosophia, ut non

<sup>200</sup> De A. Pisa S.I. et de eius scripto de Rat. st. vide *Introd. gen.*

oporteat denuo in theologia replicari relationes, distinctiones, metaphysicas etc., sed supponi iam nota ex philosophia. Quae ex S. Augustino habet S. Thomas, ea melius ex ipso Augustino colligerentur, imo collecta iam sunt a P. Torrensi in *Confessione Augustiniana*<sup>201</sup>. Nomen Augustini et apud ipsos haereticos quandam adhuc venerationem retinet, et sine pudore ubique citari potest. Sed, ut dixi, vox potius Ecclesiae audienda esset, quam unius doctoris, in cuius lectione dum haeret studiosus, interim negligit Scripturas et alios patres et traditiones et concilia. Itaque commodius videretur iuxta praedicta, ut pro controversiis [Stud. 3, f. 283v] legerentur dogmatici canones concilii tridentini, quod propter controversias convocatum fuit; pro casibus conscientiae legerentur decreta tridentina de reformatione, pro qua etiam fuit celebratum illud concilium; pro utrisque accuratius legeretur Scriptura.

6. Concilium tridentinum, quid legendum esset in Ecclesiis, graviter definivit. In his tantum commendavit lectionem Scripturae et grammaticae. Et quamvis haeretici multa obiciant contra scholasticos, tamen concilium de scholastica theologia nihil definivit, neque de philosophia. Quae tamen procudubio tridentini patres non putarunt negligenda, sed proposuerunt magis necessaria. In Scripturis tractari possunt, quae ad controversias de fide et casus de moribus spectant.

7. Constitutiones nostrae iubent S. Thomam praelegi<sup>202</sup>. Legatur in nomine Domini. At non iubent Constitutiones, ut doctrinam S. Thomae sequamur, sed doctrinam approbatam et communem<sup>203</sup>. At saepe doctrina invenitur approbatio et communio in aliis doctoribus, quam in S. Thoma, ut etiam liber iste de Ratione studendi subindicat. Solet quidem deferri aliquid auctori, qui praelegitur, sed solet etiam saepe relinqui eius sententia, quod liber iste non diffidetur.

8. va ratio erit in exemplis. De conceptione B. Virginis notissimum est exemplum. Secundum exemplum sit: Docet S. Thomas eos, qui professi non sunt, non esse veros religiosos. At contrarium iam est definitum a Gregorio XIII de nostris fratribus<sup>204</sup>. Docet S. Thomas solemnitate voti consistere in rei natura, ipsius scilicet voti; quo scilicet aliquis se tradit et consecrat Deo. At Gregorius XIII in praedicta definitione non dubitat, solemnitate voti ab Ecclesiae auctoritate pendere. Quod prius dixerat Bonifacius<sup>205</sup>. Item S. Thomas docet crucem Domini et eius imaginem et Christi adorandam esse latria. At concilium generale nicaenum secundum<sup>206</sup> pro imaginibus celebratum et patres in eo loquentes saepe et diserte hoc negant, quia crux Domini et imago, quomodocumque sumatur, differt a Crucifixo et re per imaginem repraesentata; et solus Deus est adorandus latria; crux autem et imago non est Deus. Illos autem motus metaphysicos non intelligit populus, nec ullam eorum mentionem faciunt concilia, etiam tridentinum. Et theologi etiam et philosophi satis docti et acuti fusissime hoc impugnarunt, et novissime P. Bellarminus integro capite in suis *Controversiis*<sup>207</sup>. Et tamen hoc punctum non est positum in hoc libro inter ea, quae libera

<sup>201</sup> Hieronymus TORRES S.I. (1532c-1611), *Confessio Augustiniana* . . . (Dillingae 1567); vide SOMMERVOGEL VIII 126-29; cf. etiam MP II 452-57.

<sup>202</sup> *Const.* P. IV c. 14 § 1; MP I 297.

<sup>203</sup> Vide *Const.* P. III c. 1 § 18; MI *Const.* III 86.

<sup>204</sup> Vide litteras apostolicas «Quanto fructuosius . . . » et «Ascendente Domino . . . » Gregorii papae XIII (1583 et 1584); vide in *Institutum S.I.* I 87-90 et 90-98.

<sup>205</sup> Vide *Corpus Iuris Canonici* (ed. Friedenberg – 1959) II (Liber III Decr. Sexti, Tit. XV cap. un.) p. 1053.

<sup>206</sup> Vide *Concil. Oecum. Decreta* (1962) 111-14.

<sup>207</sup> Vide R. BELLARMINO S.I., *De controversiis christianae fidei* . . . , tom. I; lib. II cap. XXVI *De adoratione crucis*; vide etiam SOMMERVOGEL I 1156 n. 8.

sunt relinquenda. Fui ego [284r] in quodam collegio nostro, ubi sex fratres doctiores, inter quos unus erat sacerdos et concionator, propter hanc solam opinionem defecerunt a Societate, et fere omnes etiam ab Ecclesia. Inter quos erant philosophi et qui philosophiam docuerant. At praecipuus illorum paenituit, cum ego illi ostendissem, non esse illud Ecclesiae fidem, sed opinionem tantum S. Thomae; et ita reconciliatus fuit Ecclesiae. Iam dicent aliqui: imaginum latrariam esse communem opinionem, et in Societate communes opiniones esse defendendas, et sic de particularibus aliis. At apud alios non censetur opinio communis, nisi thomistarum, qui omnes propter studium sectae pro uno theologo censi possunt. Opinio communis, imo fides, est sententia veterum patrum, quorum nullus ita docuit. Opinio communis est concilii generalis niceni secundi<sup>208</sup> etc.

9.na ratio – Theologus debet esse versatus in traditionibus s. patrum. Sed quia nimis longum esset legi multos patres, colligendae essent sententiae s. patrum ab aliquo ex nostris, ut olim fecerat Magister Sententiarum<sup>209</sup>, qui propterea olim legebatur in academiis et adhuc legitur, ubi thomistarum autoritas nondum invaluit. Praelatus fuit Magistro Sententiarum S. Thomas primo propter meliorem et clariorem methodum; deinde quia est sanctus canonizatus, Petrus autem Lombardus non sic. Deinde, quia quidam errores fuerant notati in Magistro; et quia itali faverunt italo doctore, et dominicani dominicano. Sed iam in libro nostro notantur circiter quinquaginta opiniones, computatis his, quae notantur circa finem libri, quas volunt licere defendi contra S. Thomam; et nisi obstaret praepudicata opinio, possent notari nullo negotio aliae totidem. Forte autem ut in grammaticis habemus nostrum Emanuele<sup>210</sup>, in rhetoricis nostrum Cyprianum<sup>211</sup>, in dialecticis nostrum Fonseca<sup>212</sup>, in physicis nostrum Toledum<sup>213</sup>, in mathematicis nostrum Clavius<sup>214</sup>, in hebraicis nostrum Bellarminum<sup>215</sup>, in catechismo nostrum Canisium<sup>216</sup>, ita esset e re Societatis, ut aliquis patrum librum conficeret sententiarum, in quo sententiae siue traditiones s. patrum colligerentur in tota theologia perspicua methodo. Quod etiam tractabatur adhuc tempore S.P. Ignatii, sed quia statim erat aliquid legendum, et haec res indigebat longiori tempore et maiori molimine, nihil occurrit speciosius, quod statim legeretur, quam S. Thomas. Sed in nostro septemtrione longe utilius et speciosius legerentur quatuor libri de fide orthodoxa S. Ioannis Damasceni<sup>217</sup>. Quod fecit Matthaeus Galenus Vestcapellius<sup>218</sup> Dilingae, antequam nostri eo vocarentur. Is qui cum magna laude obiit in academia duacensi, edi-[284v]tis multis libris adversus haereticos et hac vita mortali satis pie transacta. Quare non ab re posset dispensare R.P. Generalis, ut in septemtrione legeretur Damascenus loco Magistri et S. Thomae interim, dum nostri aliquem talem librum ederent; aut semper, si nunquam nostri ederent, etiam si alibi legeretur S. Thomas. Ne quis autem putet, me aliquo minus ordinato affectu agere contra S. Thomam, profiteor coram Deo, me nulli patrum Societatis cedere in devotione erga hunc S. Doctorem, nec minus me

<sup>208</sup> Vide supra, adn. 206.

<sup>209</sup> Petrus Lombardus; cf. supra, adn. 192.

<sup>210</sup> E. ÁLVARES S.I., *De institutione grammatica*; de quo cf. MP II-V passim.

<sup>211</sup> C. SOARES S.I., *De arte rhetorica*; cf. MP V 565 adn. 80 et passim.

<sup>212</sup> P. de FONSECA S.I., *Institutiones dialecticae*; cf. MP V 100.

<sup>213</sup> F. de TOLEDO S.I., *In Aristotelis Physicam Commentaria*; cf. SOMMERVOGEL VIII 68 69.

<sup>214</sup> Chr. CLAVIUS S.I., *Epitome arithmeticae practicae* (Romae 1583); cf. MP V 110.

<sup>215</sup> R. BELLARMINO S.I., *Institutiones linguae hebraicae* . . . (Romae 1578); cf. MP V 94.

<sup>216</sup> De variis Petri Canisii S.I. catechismis cf. MP I-IV 593 et passim.

<sup>217</sup> I. DAMASCENUS (ob. 749), *De fide orthodoxa*; cf. *Encicl. Catt.* VI 547-52.

<sup>218</sup> Matthias Galenus (Van Galen – 1528-1573), flander, theologus, professor Dilingae annis 1559-1562; cf. *Encicl. Catt.* V 1866-67.

laborasse et adhuc laborare in eius opinionibus defendendis, quam ullus alius in Societate. Et hoc semper feci propter obedientiam etiam Societatis et consensionem, dum docui in Societate triginta et aliquot annis.

10. ma ratio – Videmus multos thomistas, non obstantibus suis legibus et affectu propriae religionis, discedere in multis ab opinione S. Thomae; et quidem sunt ii ex numero eorum, qui se opponunt murum pro domo Israel<sup>219</sup> adversus haereses, ut Petrus Sotus<sup>220</sup>, Ambrosius Catarinus<sup>221</sup>, ipse Caietanus<sup>222</sup> et alii. Quod certe non facerent, nisi coacti testimoniis et rationibus sufficientibus permoti. Et forte haec esset bona methodus colligendi, quae sint relinquenda libera in S. Thoma, ut scilicet illa fere omnia relinquantur libera, quae aliqui thomistae non defendunt.

11. S. Augustinus fecit librum retractationum. Nec dubito, quin S. Thomas simili modestia, si hodie viveret inter nos, faceret librum retractationum, cum videret quasi alium mundum exortum, alias Ecclesiae necessitates, et infelices illius saeculi, quo ipse floruit, discussam caliginem. Infelix dico illud saeculum quoad ea, quibus caruit, Dei beneficia, quibus hodie fruimur per Dei singularem gratiam.

12. Quae praescribuntur in hac parte, tyronibus tantum (ut habet hic liber) praescripta optarem. Nam veterani, qui diu multumque laborantes pro defensione alicuius sententiae S. Thomae, postea deprehendunt clare illam esse falsam, merito excusandi sunt. Contingit enim scholastice disputari de aliqua opinione S. Thomae, inveniuntur aequae fortia argumenta contra S. Thomam, ut pro illo. Hic noster pro obedientia inclinabit voluntatem, ut potius defendat S. Thomam, quam alium. Contingit plura et probabiliora invenire contra S. Thomam, quam pro ipso. Interrogat frater et facit, quae pro sancto potest. Nemo satisfacit. Adhuc tamen, quia sunt opiniones, pro sua obedientia mortificet se et cogat intellectionem suam aliorum auctoritati patrum cedere. Quod faciet cum merito et sine periculo. Sed omnibus tandem exploratis, non iam probabiliter, sed certo agnoscit opinionem S. Thomae falsam esse. Quid tunc faciet? Impugnare veritatem agnitam non debet nec potest, cum sit unum ex peccatis in Spiritum Sanctum. Taceat ergo propter obedientiam et ne turbas excitet, dicet aliquis. Sed charitas postulat, ut veritatem tanto labore cognitam communicet amicis et familiaribus, imo toti Societati et Ecclesiae. Imo, si res est alicuius momenti, non inutilis speculatio, charitas postulat aliquando, ut toleret paenitentias, si quae imponentur, et nihilominus doceat veritatem. Nonne S.P. Ignatius fuit a praelatis Ecclesiae toties coniectus in carcerem, prohibitus docere, donec studeret etc.? At ille si tacuisset, si non perstitisset, Ecclesia hodie Societatem non haberet. Sed huc non venietur facile, si fiat, quod sex patres monent; nempe, ut alii theologi iubeantur notare quaecumque iudicant relinquenda esse libera in S. Thoma. Fatentur enim se non omnia collegisse. Quare non facile est iniungenda retractatio in opinionibus, sed tantum in manifestis erroribus. In tali ergo casu, supra commemorato, ego non video, quid modestius fieri possit, quam ut S. Thomae dicta interpretemur candide in bonum sensum, ut ipse S. Thomas solet aliorum patrum dicta interpretari. Et qui veritatem invenit, eam proponat non suis, sed aliorum s. patrum verbis, citatis locis. Eamque prius proponat superioribus, quam discipulis. Deus enim non derelinquet sincere agentem pro veritate. Et si pro illa ignominiam aliquam passus fuerit, nihil novi, passus est et Pater S. Ignatius et alii. Sed Deus movebit tunc superiores, cum videbunt illum modeste et constanter et docte agere.

<sup>219</sup> Cf. Ezech. 13 5.

<sup>220</sup> Petrus de Soto O. Pr. (1495-1563); cf. *Encicl. Catt.* XI 1004.

<sup>221</sup> Ambrosius Catarinus O. Pr. (1484-1553), italus senensis; cf. *Encicl. Catt.* IX 1686-87.

<sup>222</sup> Caietanus Thomas de Vio – 1468-1534) O. Pr., card.; cf. *Encicl. Catt.* IV 1506-09.

Occurrit exemplum. S. Augustinus primus cepit post apostolos docere praedestinationem sine praevisis meritis. Et scandalizati sunt aliqui episcopi in Gallia, et accusarunt illum apud Sedem Apostolicam. Tandem superavit D. Augustinus, quamvis et ipse quater mutavit sententiam. Opinio communis ante Augustinum erat contraria. Si D. Augustinus tacuisset et secutus fuisset opinionem tunc communem, nunquam hanc veritatem sic haberemus illustratam. Idem hodie potest contingere et re vera contingit. Quare non ita oportet constringi Societatis doctores, ut cogantur vel improbare veritatem agnitam, vel etiam illam subtrahere Ecclesiae, quae fortassis illius veritatis manifestatione indiget. Sed dicet aliquis: facilius continget, ut aliquis putet se veritatem invenisse, et tum decipit illum sui ipsius amor. Et hoc ipsum clamant haeretici, cum suas haereses defendunt adversus Ecclesiam. Respondeo: Facile mihi est probare, haereticos sic clamare contra suam conscientiam, et impugnare illos veritatem agnitam [285v] aut saltem post talem agnitionem datos esse in reprobum sensum. Et inter catholicos scio contingere, quod obiicitur. Sed non erit difficile prudentibus superioribus agnoscere, quis vere invenit veritatem, et quis falso putat se invenisse, ex docendi et obediendi modestia, ex pondere et multitudine argumentorum, ex perseverantia docendi, ex agendi prudentia, ex patientia erga adversarios, et denique ex gratia Dei, quae ipsos gubernat.

12. Timeri solet scandalum et dissensiones inter fratres, si talis aliqua libertas concedatur. Sed revera experientia longa tot annorum me docuit, scandala non provenire ex diversitate opinionum, sed ex immodestia et parva mortificatione opinantium; qui captant, ut abducant discipulos post se, inanem aliquam gloriolam, et magis docent ad ostentationem, quam ad utilitatem. Adhibeantur remedia huic immodestiae et ambituinculae, et relinquatur libertas veritati, quae quantumvis prematur, non opprimitur, sed tandem sese exerit. Vidi tempore S. Patris Ignatii magna libertate docentes opiniones satis paradoxas et aliis patribus contrarias, sed cum tanta modestia, ut auditores non solum non scandalizarentur, sed etiam aedificarentur. Vidi similia usque ad ultimos hos annos. Novi enim patres similia docentes cum magna tranquillitate et sine ullo scandalo aut perturbatione. Quae si inciderent in iuvenes aliquos sciolos, minus modestos, nec publicis paenitentibus possent cohiberi. Et quosdam tales scio apostatas factos, non propter opiniones, sed propter immodestiam defendendi illas opiniones.

13. *ma ratio* – Liber hic incipit ab opinionibus S. Thomae, sed postea in ordine lectionum prius agit de Scripturis, postea de scholastica, tertio de controversiis, quarto de casibus conscientiae. Scripturam autem oportet semper primum habere locum et honorem. Quosdam ex scholasticis theologis scio apostatas factos, non sic autem ex professoribus Scripturae. Et tamen Scriptura non illum habet honorem in Societate, qui ei debetur. Minoris fiunt auditores Scripturae et casuum quam scholasticae. Scholastici scilicet sunt philosophi et promoventur. Ad Scripturam et casus admittuntur, qui non habent tantum ingenii. Cum tamen pro exponendis Scripturis et casibus definiendis tota panoplia scholasticae, philosophiae, linguarum, Patrum etc. vix sufficiat. Curandum ergo esset, ut lectio Scripturae et casuum esset magis in honore, et qualis et quanta cura habetur ordinis in lectionibus grammaticis, tanta et maior haberetur lectioni Scripturae et casuum. Lectiones istae non ubique habentur. Et ubi habentur, quasi per accidens tractantur, quasi minus necessariae, quasi quinta rota in curru. Vix veniunt aliqui patres ad conferentiam de casibus. Et tamen nihil magis necessarium. Lectio hebraica et casuum et mathematicae habentur quasi ultra numerum, et non audiuntur serio, [286r] nisi ab aliquibus, quos specialis Dei gratia ad illas audiendas impellit. Si legeretur Damascenus *De orthodoxa fide*<sup>223</sup>, aut aliquid simile, refu-

<sup>223</sup> Vide supra, adn. 217.

gerent quidam, quia non haberent dictata suorum praeceptorum, neque tot commentarios. Sed qui quaerit utilitatem auditorum, non curat ista, et doctus professor facile ea, quae tractantur in S. Thoma utiliora, posset transferre ad suum Damascenum. Et cum per aliquot paucos annos esset lectus ille auctor, iam abundaremus scriptis. Sed neque nunc desunt annotationes Fabri<sup>224</sup> in illum. Nec Magister nec S. Thomas in principio habebant commentarios. Sed de his iam forte satis, quamvis nihil solet esse satis iis, qui alicuius iurant in verba magistri<sup>225</sup>.

Addatur igitur 14.ma ratio – Impossibile est ut intellectus hominis acquiescat iis, quae putat esse falsa. Magna est varietas ingeniorum, non minus quam faciei aut styli. Et vidi aliquando provincialem quendam, qui totis viribus conatus est pauca collegia, quorum curam habebat, reducere ad omnimodam conformitatem, sed non potuit. Et invita Minerva nemo bene docet<sup>226</sup>. Et si aliquid obiiciatur, in quo ipse habet difficultatem, cogetur obmutescere non sine dedecore Societatis; aut dicet, quod quosdam scio dixisse, quamvis sine aedificatione: mihi quidem placet haec opinio, sed non licet nobis eam defendere, aut aliquid simile. Scripsit Aristoteles infinitas redituras esse easdem opiniones, et tale quiddam audiui Romae concionantem s. memoriae P. Lainem<sup>227</sup>. Itaque haec repagula constringentia libertatem spiritus piorum doctorum quaerentium veritatem, prosunt aliquando ad hoc, ut liberius per aliam partem effluant, ut torrens aquarum solet, alicubi impeditus, per aliam viam erumpere. Novi quaedam responsa R.P. Everardi<sup>228</sup> tempore congregationis generalis, usque in hodiernum diem non potuisse persuaderi quibusdam nostris patribus, satis alioquin religiosi et boni nominis in Societate nostra. De quo non mirarer, nisi plus aliquid addidissent cum aliquorum offensione pro sua sententia.

Pag. 12 – Regula sexta est de his, quae definiuntur a nostris defendenda. Inter quae dicitur, esse quaedam paucissima contraria S. Thomae. Omnia, si numerentur cum iis, quae ponuntur circa finem libri, sunt circiter 80. Et quia paucissima dicuntur esse contra S. Thomam, ponamus verbi gratia esse decem. Quae coniuncta cum iis, quae regula quinta libera reliquit, erunt 60. Iam regula nona docet, haec esse intelligenda de conclusionibus S. Thomae, non de rationibus, quibus probantur a S. Thoma conclusiones. Quae procul dubio non erunt pauciores, quam conclusiones. Et iam erunt 120 propositiones, ut minimum, contra S. Thomam. Et haec quidem, ut habet eadem regula nona, intelliguntur de theologicis propositionibus, non de philosophicis. [286v] Philosophicas autem verisimile est non futuras pauciores quam theologicas. Ergo erunt aliae 60 propositiones. Quae prioribus adiunctae, conficiunt numerum 180. Et iam incipiet laborare memoria, et dubitare, an liceat vel non liceat in hac vel illa quaestione opinari, ne forte sit contra S. Thomam. Satiuse ergo esset, saltem pro nostro septentrione, legere Ioannem Damascenum *De fide orthodoxa*<sup>229</sup>, in cuius opinionibus nihil scio vocatum esse in controversiam. Et his tamen non obstantibus, non est dubium alios doctores nostros longe plura inventuros, in quibus videatur

<sup>224</sup> Iacobus Faber, qui primus Ioannis Damasceni opera latine edidit anno 1507 Parisiis; cf. *Encicl. Catt.* VI 548.

<sup>225</sup> Cf. HORATIUS, *Epistolae* I/1 14.

<sup>226</sup> Cf. HORATIUS, *Ars poetica* v. 385.

<sup>227</sup> Iacobus Láinez S.I. (ob. 1565), secundus S.I. praep. gen.; cf. *Synopsis historiae S.I.* (1950) 608; et MP I-III 45 et passim.

<sup>228</sup> E. Mercurianus S.I. (ob. 1580), quartus S.I. praep. gen.; cf. *Synopsis hist. S.I.* 608, et MP II-III 205 et passim.

<sup>229</sup> Vide supra, adn. 217.

non esse cogendos nostros, ut teneant cum S. Thoma. Fatentur hoc sex patres in hoc libro. Ego in sola materia de sacramentis proponam aliqua expendenda, an libera relinqui possint. Cuius libertatis ego aliquam rationem indicabo in singulis, quia iussi sumus reddere rationem censurarum nostrarum. Nam si plene deberent probari, scriptum hoc prolixius aequo evaderet; et sex patres huius libri autores non in singulis propositionibus, quas liberas relinqui voluerunt, rationes addiderant, sed rationibus generalibus contenti fuerunt . . .

## 11

### IUDICIA CONGREGATIONUM, IN PROVINCIIS CONSTITUTARUM DE TRACTATU (RAT. STUD. 1586): «DE SCRIPTURIS»<sup>1</sup>

#### ASSISTENTIA ITALIAE

#### Professores Collegii Romani<sup>2</sup>

Circa Prooemium de Scripturis, cum in eo nihil praescribatur, nihil nobis dicendum sese offert, excepto P. Parra, qui totum censet tollendum.

Circa § primum – De progressu faciendo in legendis Scripturis et de resecandis extraneis atque inutilibus: Placet omnibus.

Circa 2.m § – De iis, quae conducunt ad exponendum fideliter litteralem Scripturae sensum: Placent omnia ut iacent. P. Pererio vero non videntur haec esse ponenda in ordine studiorum. Dissentit etiam P. Augustinus [Giustiniani], qui non censet in hoc ordine praescribendum esse, quo modo sit inveniendus sensus literalis; licet probet, quae definiuntur de adhibendo moderato linguarum usu, de versionibus etc., ut circa ea prohibeantur abusus.

Circa 3.m: Placent omnia, eo excepto, quod praescribitur: Proprias Scripturae quaestiones raro esse tractandas. Nam eae potius semper enucleandae sunt; quamvis breviter, ut ibi definitur; excepto patribus Pererio, qui et controversiarum tractationem non censet ullo modo excludendam a Scripturae explicatione; praesertim iis in locis et regionibus, in quibus ea separatim non praeleguntur. Vult etiam proprias Scripturae quaestiones copiose pertractari, si res id postulaverit; et Parra, qui omnia approbat ut iacent.

Circa 4.m – De moralibus et allegoricis Scripturae sensibus: Placent omnia, excepto P. Pererio, qui vellet etiam sensus mysticos fusius quam ipsi definiunt, pertractari. [*Stud.* 3, f. 35v]

Circa 5.m – Quod definitur de non explicandis libris historicis per quaestiunculas: Omnes approbant, excepto P. Pererio, cui modus hic a Societatis patribus inventus et usurpatus, tanquam optimus, videtur esse retinendus. Circa librorum, qui praelegendi sunt, enumerationem: Non placet Cantica publice explicari. P. Parra omnia probat, ut iacent.

Circa 6.m, in quo agitur de particularibus tractatibus et observationibus, et de ponderibus etc.: Omnibus videtur delendus hic §.

Circa 7.m – Ex tribus, quae ibi definiuntur, primum de coniungendis quibusdam Scripturae libris, videtur tollendum, quod supervacaneum videatur aliquid ea de re prae-

<sup>1</sup> Textum tractatus De Scripturis v. in MP V p. 43-47.

<sup>2</sup> De notis biographicis patrum, quorum nomina in sequentibus sine ulla adnotatione occurrent, videas tractatum «De opinionum delectu» inscriptum; supra, mon. 10.



scribere; excepto P. Parra, qui censet illud retinendum. – 2.m de enarrandis Veteri et Novo Testamento alternis annis: Probatur omnibus. – 3.m de eiusdem libri repetitione, videtur paulo aliter definiendum, ut mox dicemus; excepto P. Parra, qui nihil censet immutandum.

Visum est autem spatium octo annorum praelegendis praecipuis Sacrae Scripturae libris constituendum, hoc fere ordine: ut primo anno explicetur Matthaei evangelium; 2<sup>o</sup> Job vel Daniel; 3<sup>o</sup> Epistola ad Romanos; 4<sup>o</sup> Genesis; 5<sup>o</sup> Evangelium S. Ioannis; 6<sup>o</sup> Esaias; 7<sup>o</sup> Epistola ad Hebraeos vel duae ad Corinthios; 8<sup>o</sup> Psalmi. Singulis vero annis utile erit et curandum, ut explicationi libri principalis adiungatur etiam expositio alterius libri ex brevioribus Novi et Veteris Testamenti; quales sunt: Ecclesiastes, aliquis de Prophetis minoribus, Iosue, non tamen Cantica, aliqua ex reliquis D. Pauli vel aliis catholicis epistolis. Explicatio vero Apocalypsis non videtur promiscue cuilibet permittenda. Non assentiuntur PP. Parra et Bellarminus; ipsis enim haec spatii octo annorum et librorum distributio non placet. Vellet enim Bellarminus multo plures libros explicari spacio octo annorum<sup>3</sup>.

### Provincia Mediolanensis

Omnia, quae a sex patribus animadversa fuerunt, visa sunt omnibus consideratione digna. Ad quae pauca quaedam occurrebant addenda.

1<sup>o</sup> – Curandum esset, ut ineatur ratio, qua nostri auditores Scripturae studium probent et ad illud afficiantur. Inter multa haec fere occurrebant.

1. Si doctores scholastici praeseferant, magni se facere hoc studium, et facto doceant autores Scripturae graviter et accommodate citando, et si in disputationibus proferantur in medium, curandum, ut non eludantur, sed ponderentur, examinentur, diligenter explicentur.

2. Si doctor Scripturae sibi auctoritatem conciliet. Quod quidem fiet, si fuerit bene doctus in theologia scholastica, Scripturam calleat, linguas etiam bene sciat, hebraeam propter textum Veteris Testamenti, graecam propter textum Novi et Septuaginta, latinam, ut sensa animi facile expromat. Cum enim Scripturae maior sit varietas, quam scholasticae, maiorem etiam eloquentiam exigit.

3. Si in disputationibus publicis, tam annuis quam mensuris, loca difficiliora Scripturae proponantur.

4. Si superiores curent hoc studium promovere, et auditorum frequentiam, quantum fieri potest, nec facile concedant nostris, ut absint.

5. Si doctor tandem, quae sua sunt, praestet, ab inutilibus absterneat, scholasticas quaestiones missas faciat, multum progrediatur, graviora explicet, omissis levioribus.

Addunt etiam, quae sequuntur

1<sup>o</sup> Curet R.dus Pater Generalis, si quae praeclare a nostris circa Scripturam facta sunt, ut monotessaron, temporum supputationes, linguarum observationes, locorum difficultium explanationes, ne pereant, sed dato autori otio ad perficiendum, tipis excudantur pro communi utilitate nostrorum.

2<sup>o</sup> Non facile nostri textum hebraeum vel graecum in difficultibus negligant vel corruptionis arguant, praesertim cum, vocibus aliquanto mutatis, graeca vel hebraea accommodari possunt, vel una sententia inveniri potest, quae omnibus congruat.

3<sup>o</sup> Si quid rabini dicant, quod faciat contra iudeos vel hebraeos, videntur citandi. In reliquis nomina suppressi possunt, ut volunt sex patres. [*Stud.* 3, f. 148r]

<sup>3</sup> «Vellet . . . annorum» manu Patris Bellarmino exarata.

### Provincia Neapolitana

De Prohemio, quia in illo nihil praescribitur, nihil etiam nobis dicendum videtur.

Paragraphus primus – Uni Patri Iustiniano videtur tollendus, tum quia spectat ad praefationem, tum quia praecepta, quae continet, satis per se nota sunt, et cuiusvis pervia; reliquis omnibus probatur.

§ 2.us – Probatur tribus patribus, quanquam Patri Bernardo [Colnago] expungenda videntur verba illa in fine paragraphi «caetera vero rarius usque ad finem», nihil enim, inquit, incommodi est etiam, si frequenter usurpentur et plurimum scrupuli ac religionis iniicitur iis, qui ea consecantur. Patribus Maiorio et Iustiniano totus paragraphus videtur tollendus a regulis studiorum; videretur tamen ponendus in quadam communi institutione, quae non haberet vim regulae.

§ 3 – Nemo omnino iudicat prohibendum esse, quin lector Scripturae, ubi non fuerit separatus praeceptor controversiarum, possit, habita ratione loci et temporis, incidentes controversias explicare; quin etiam Pater Bernardus [Colnago] ab ipsis etiam quaestionibus Scripturarum propriis non putat removendam esse methodum ac formam scholasticam, modo id breviter fiat, et resecantur methaphisica, quae sunt propria scholasticorum.

§ 4 – Quatuor magnopere placet, sed Patri Bernardo non videtur cogendus Scripturae doctor, ut afferat ea, quae pertinent ad conciones, etiam si sapiant aliquid ingeniosum ac perspicax.

§ 5 – Quod attinet ad ea, quae hoc paragrapho definiuntur, variae fuerunt sententiae. Primum quidem, nulli videtur reiiciendus modus usurpatus a sanctis patribus explicandi libros historicos per quaestiunculas, cum brevitati et perspicuitati sit valde accommodatus. Deinde Patri Rectori [Spinelli], Patri Maiorio et Patri Iustiniano non placet in scholis explicari Cantica propter honestatem, et Apocalipsim propter obscuritatem; sed ea in re dissentiunt Pater Bernardus et Pater Blasius [Mucantius], quibus uterque liber videtur explicandus.

§ 6 Nulli placet, quod de coniungendis Scripturae libris praescribitur; imo, non videtur id passim faciendum, nisi cum vel res eadem omnino narratur in diversis libris; ut cum verbi gratia eadem historia, idem miraculum, eadem parabola describitur a pluribus evangelistis, vel cum diversa loca concilianda videntur. Monotessaron autem evangeliorum texere nullo modo probatur, quia repugnat brevitati et perspicuitati, cui studere praecipimur. [Stud. 3, f. 97r]

### Provincia Sicula

Secundum punctum de sensu literalis ex conciliis et canonibus pontificum defendendo quatuor placuit ut iacet, quintus censuit id ipsum magis explicandum, sextus existimavit adadiendum esse, concilia quandoque uti sensu allegorico ad probandum.

Circa quintum punctum de libris fusius explicandis voluerunt quidam addi librum Sapientiae et Ecclesiastici, vel certe reduci oportere ad aliquem ex praedictis.

Quoniam vero sacrarum literarum professores ac doctores idoneos, quique cum dignitate possint huiusmodi munus obire, impraesentiarum non reperiri in omnibus provinciis existimamus, fuit communis patrum sententia, nonnullos esse seligendos, quibus assignato tempore hoc studium et munus profitendi hasce litteras iniungatur, sive id faciendum sit privato cuiusque studio, sive academia ad hoc instituta; ut hac ratione instituantur primi professores, qui praescripto modo possint legere.

Quaesitum praeterea est de tempore assignando auditoribus. Ad quod responsum est ab omnibus, sufficere biennium communiter. His vero, qui easdem litteras erunt professuri, ad minus triennium esse concedendum, sive tertius annus in schola sive privato studio sit conterendus.

Quaesitum est tandem in primone, an in secundo biennio inchoandum sit studium sacrarum literarum. Ad quod responsum est, in secundo, si non sint aliae lectiones. [*Stud.* 2, f. 33v]

### Assistentia et Provincia Lusitaniae

Cum in omni disciplinarum genere nihil fere auditorum studia magis acuat, quam [*Stud.* 2, f. 299v] si se in palaestram descensuros, ac sui specimen daturus intelligant, deberent nostri, quo in divinas litteras maiori in posterum alacritate incumbant, inter caeteras conclusiones theologicas unam aliquam e Sacra Scriptura, si non singulis hebdomadis, saltem decimo quinto quoque die proponere, adversus quam etiam disputaretur; non quidem ut contra alias fieri solet, longo argumentorum filo, sed strictim et concise proferendo alia; verbi gratia, sacrae paginae testimonia ad oppugnandam loci alicuius explicationem in conclusione assertam; aut petendo, quo pacto haec cohaereant cum antecedentibus, cum quibus minus congruere videntur, aut similium locorum explanationem aliave huiusmodi a proposito non aliena postulando. Idem servari posset in publicis actibus, qui pro gradibus obtinendis haberi consueverunt.

Videtur quoque ad Sacrarum Literarum doctrinam facilius capessendam valde utile futurum, si iussu R.P. Generalis alicui nostrorum cura demandetur conficiendi institutiones aliquas, quibus ars intelligendi interpretandique Sacras Litteras cum reliquis huius argumenti observationibus tradatur.

### ASSISTENTIA HISPANIAE

#### Provincia Aragoniae

Ante § 1 – Si verba ipsa huius loci retinenda sunt, mollienda esset tanta exaggeratio de studio Scripturarum apud nostros parum vigente, neque ubi de eodem studio agitur, commemorare oporteret verba illa: Sed non adeo honorificum etc.

De § 2 – Quo loco tractantur facultates et adiumenta Scripturae bene intelligendae et interpretandae, disertis verbis ponderandum esset, praecipuum esse praesidium in iugi oratione, qua lux caelitus imploretur; et in ipsa dispositione, quam per se quisque adiungere debet ad cordis humilitatem puritatemque animae obtinendam. Quoniam Scriptura tota revelatio est, intelligendaque est eodem, quo scripta est, spiritu.

De § 5 – Oportet posse praepositum provincialem interdum dare facultatem prosequendi anno insequenti librum, qui praecedenti caeptus fuerit. Unde etiam fieret, ut necesse non esset semper alternis annis Testamentum Vetus et Novum subinde mutare. Praesertim quando praeligitur aliquis evangelista, cui inserenda sint reliqua aliorum. Pauca enim uno anno percurri possunt, auditores vero modicam haurient inde notitiam, et lectores ipsi nunquam omnibus numeris absoluti, nec perfecti in aliqua re prorsus evadent. Neque scripta in omnes Scripturas habebimus. Quod, si caepti libri absolvantur, saltem principaliores poterunt sibi invicem nostri scripta commodare, resque habere consummatas in praecipuam partem Scripturarum.

De § 6 – Monothesarion ex quatuor evangeliiis efficere, perquam arduum est praeceptorum, ingratum ac insuave plerumque discipulis, progressum vero cursumque expeditum valde retardans. Sufficeret potius, hoc servandum praescribere, ubi res ipsa postularet ad eruendum penitus sensum alicuius loci et omnino in quibuscumque rebus gravioribus. [*Stud.* 2, f. 228v]

### Provincia Baetica

Quod ad Scripturarum studia pertinet, satis e re Societatis videmur facturi, si dederimus operam, ut theologi postremos duos curriculi sui annos animum ad ea studia adii-ciant. [*Stud.* 2, f. 280r]

### Provincia Castellana

Ea, quae scribuntur in hoc loco de divinarum litterarum dignitate et utilitate, et earum ignoratione atque inscitia, qua nostri laborant, verissima sunt. Tantum enim valet depravata consuetudo, ut cum divinae Scripturae cognitio iucundissima et summe necessaria sit nostris litteratis, sive secum agant, sive cum aliis, sive populum de superiori loco doceant, sive cum haereticis disputent, sive paganos instituunt; tamen, illa neglecta, in una scholastica theologia discenda omnes nervos intendant. Paulo autem post, cum disputandi ardor deferbuit, et hanc facile dediscunt, et illa, quam nunquam didicerunt, orbat, fructis carent studiorum suorum. Quasi vero non Damascenus et B. Augustinus et horum imitator B. Thomas non utramque cum summa sua laude et Ecclesiae utilitate coniunxerint. Sed in re tam deplorata non multum prodesse solent adhortationes, nisi remedia praeterea adhibeantur, quae inveterato malo afferant medicinam. In hoc autem libro solum praescribuntur quaedam praeceptoribus, quo facilius et expeditius sacras litteras possint interpretari. Sed quantum id est, quod promovere possunt? Si quis [Madrid, Bibl. Acad., 5r] Esaïam totum et epistolam ad Rom. biennio exponat, satis fuerit ille diligens in suo munere obeundo. Quid fiet cum reliquis Novi et Veteris Testamenti libris, qui et sunt plurimi et ita obscuri, ut fatigarent Hieronymi et Augustini felicissima ingenia? Quare aliquid statuendum est, quod nostrorum animos incendere et studia possit iuvare. Cuiusmodi esset, ut aliquoties in fratrum aut condiscipulorum conventu aliquid, qui sunt provectiores praeceptores invitati, exponerent de Sacris Litteris; et ut aliquando proponerentur theses Scripturae propriae, vel simile aliquid fieret. Esset etiam operae pretium praescribere illis aliquid anno quarto, quod ipsi discerent in Sacris Litteris, et praecipue eo tempore, quod nostris ad recolenda theologiae studia concedendum est. Aliquid demum esset excogitandum, ut nostri in hoc pulcherrimo studio aliquos progressus facerent.

### ASSISTENTIA GERMANIAE

#### Provincia Germaniae Superioris

In praefatione huius capitis cavendum occurrit, ne in tractatu seu regulis conficiendis, aliquid inseratur minus commode dictum; qualia sunt: odiosa illa nonnihil inter studium Scripturarum et scholasticae theologiae comparatio, in Societate nullum esse Scripturae honorem, nullam exercitationem, solis propemodum Scripturis praelia Domini praeliari nos debere et similia.

In methodo et ordine bene et utiliter Scripturam explicandi, viderentur haec simul proponenda professori Scripturae: ut primo fiat summa capitis et continuatio cum superioribus; secundo, ut difficiliora et graviora loca duntaxat explicentur; tertio, ut inter explicandum quatuor fiant: primo, ut professor sensum maxime literalem persequatur, sicut numero secundo praescribitur, reiecto adulterino hostium nostrae religionis sensu; secundo, ut videatur, num is locus usum aliquem in scholastica doctrina quapiam confirmanda habeat, aut etiam commode habere possit; tertio, an sit aut commode esse possit eius loci usus in controversiis, quae nobis cum haereticis atque aliis fidei adversariis sunt; quarto, quis sit

aut esse possit commode eius loci usus in concionibus aut sermonibus moralibus, expensis variis Scripturae sensibus, ut numero quarto praescribitur.

In § secundo addendum occurrit, ut Scripturae professoribus, qui in Septentrione versantur, singulariter commendetur, ut haereticorum versiones malas aperiant, atque efficaciter refellant. Atque adeo maxime expediret, si R.P.N. Generalis mandaret alicui in transalpinis partibus, ut insignes haereticorum in vertendis Scripturis errores et notaret et evulgaret. Eo enim labore et multum ii professores iuvarentur et, experientia teste, multum inde confunderentur haeretici.

In eodem § monendus videtur professor, ut memor sit in explicatione alicuius loci, analogiae fidei in aliis materiis, atque etiam dogmatum theologiae scholasticae, quibus nunquam debet Scripturae interpretatio repugnare.

In § 5 inter libros ad longum explicandos addendi essent Ecclesiasticus ac liber Sapientiae, cum sint eodem genere scriptionis atque alii Sapientiales. [*Stud.* 3, f. 200v] Ibidem, post enumeratos eos libros, addendum: Quamvis in iis ipsis libris, quae facilia sunt, summam comprehendere possent. Item non placet, non licere professori librum uno anno inchoatum in alterum reservare finiendum. Ita enim fieret, ut liber ad longum explicandus, saepe imperfectus necessario relinqueretur.

In § 6 – Quod dicitur de conficiendo Monotessaro, curandum esset, ut modo quam simplicissimo et minime implicato conficeretur. Qui modus talis occurrit, si ex uno evangelista integrae historiae vel conciones aut similia explicentur; post quam explicationem suo quoque loco addatur explicando, quid unus aut plures evangelistae ad eam rem addant; et si qua dissensio inter eos esse videatur, eam simul componendo. Quando vero contextus unius evangelistae ita se habet, ut inter illius contextus partes ex aliis evangelistis constet alia facta aut dicta plane diversa intercedere, illa ipsa ex iis evangelistis retentis, et ubi opus est, expositis ipsorum verbis, eo loco inserantur; v. gr. ex Ioanne sermo Christi post caenam, cum alii evangelistae post caenam statim ad hortum veniant. Illius vero evangelistae historia et pars ordinarie explicetur, qui uberius eam rem complectitur; ad quem, ut dictum est, alii deinde adhibeantur.

Ad illud, de enarrandis Novo ac Veteri Testamento alternis annis, addendum est, nisi aliud iudicio superiorum eius loci, temporis aut loci ratio postulet.

### Provincia Rhenana

Divinarum Scripturarum commendationem summa non tantum laude afficiendam, sed summo etiam parendi studio a tota Societate audiendam, et ad opus quam studiosissime traducendam patres censuere. Ad hoc autem non parum forte adiuverit, si divinae huic professioni tantum a nostris omnibus, superioribus maxime, tribuatur, quantum rei ipsius dignitas et magnitudo postulat. Quae enim in theologis et professoribus aliis singula requiruntur, haec in eximio Scripturarum interprete omnia simul esse oportet.

Illud vero perquam studiose ab admodum R. Patre N. patres petebant, ut authoritatis et paternae suae curae aliquam eo partem conferre dignetur, ut vel unius vel plurium aliquorum Societatis patrum lucubratione, qui quidem doctrina, iudicio, linguarumque peritia praestantissimi viderentur, brevis in tota Biblia exegesis ederetur, quae sensum, maxime litteralem, ubi difficultatis aliquid haberet, breviter, docte et dilucide iis indicaret, qui Sacrarum Scripturarum studio tenentur. Tenentur autem quamplurimi non e Societate nostra tantum, sed externi etiam homines, quorum quotidiana de huiusmodi aliquo Sacrorum Librorum explanatore audimus, neque tamen, vel in bibliothecis, praeter glossam ordinariam, indicare ullum possumus. [*Stud.* 3, f. 243r]

Totum vero istud de Scripturis caput, sicuti et Commentariolum typis dignissimum aiebant.

## Provincia Aquitaniae

Pag. 76 num. 5 – Libris, qui explicandi ad longum dicuntur, addendae videntur epistolae D. Pauli omnino. [*Stud.* 3, f. 375r]

## Provincia Franciae

Circa titulum de Scripturis haec observata sunt

1<sup>o</sup> – Consenserunt cuncti, expungenda illa verba, quae habentur (pag. 70 lin. tertia) «quod apud nostros parum viget»; deinde, post illam clausulam, quae habetur (lin 5.a) «Ad id enim nos hortantur» collocandum decretum Concilii Tridentini, quod habetur sess. 5.a cap. 1<sup>o</sup> de reformatione: De lectione Scripturae Sacrae habenda in singulis conventibus regularium et academiis<sup>4</sup>; nec deprimendam scholasticam, ut videtur fieri, cum illa sententia (lin. 8.a) «quam in tot quaestiones incumbere»; tum in altera (lin. 10.a) «quam in nostris cogitationibus ac speculationibus consensescere». Quae praetermittenda videntur, tum ne loqui videamur aliqua ratione cum haereticis scholasticam theologiam elevantibus; tum ut accommodemus nos et Constitutionibus nostris loco hîc citato, quae prius mentionem faciunt scholasticae theologiae, quam Scripturae<sup>5</sup>, et regulis beatae memoriae P.N. Ignatii, ut sentiamus cum orthodoxa Ecclesia; ubi monet, semper honorifice loquendum esse de scholastica theologia et doctoribus scholasticis<sup>6</sup>. Huc accedit, quod scholastica theologia non constat tantum quaestionibus aut cogitationibus et speculationibus nostris, ut hic dicitur, verum etiam decretis fidei, testimoniis Sacrarum Literarum, conciliorum generalium, antiquorum Patrum et rationibus naturalibus, quarum auctor Deus est, perinde atque ipsius naturae. Quid, quod scholastica theologia est maxime accommodata necessitati horum temporum posteriorum? Et ipsi doctores scholastici nostrae aetatis doctores, qui non minus habent assistentiam Spiritus Sancti, nec minus luculentam Dei promissionem (1.a Cor. 12 cap. Ad Ephes. 4<sup>o</sup>; et aliis quam plurimis Scripturae Sacrae locis), quam priores illi. Sane, si quis haereticus in hunc, aut alium quemcumque similem libri a nobis editi locum incideret, praeclare secum agi putaret, multumque suae causae accessisse, quod nostra auctoritate scholasticam theologiam elevare, aut non usque adeo probare posset. Multo sane aliter alicubi D. Augustinus de scholastica, quae vel suo tempore, licet rudis adhuc et inchoata fuit: Huic, inquit, duntaxat scientiae illud tribuo, qua fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur et roboratur. Quare (lin. 16.a) moderandum esset, quod ibi habetur «ut commentarios sequi videantur etc.»; [in] hunc vel similem modum «ut quasi commentarios», vel «ut quodammodo commentarios aut rivulos». Et lin. 19.a delendum illud «qua in re nostra Societas non audit optime». Similiter moderanda illa sententia (lin. 21.a et 22.a) «Scripturae vero modicus sit honor, exercitatio nulla», hunc in modum «Scripturae vero modicus fere sit honor, exercitatio non adeo frequens».

2<sup>o</sup> – Diiudicarunt omnes, vel auferenda omnino esse illa verba omnia, quae habentur (pag. 71.a a linea 1.a usque ad 9.am), ubi reprehenduntur catholici transalpini, vel restringenda saltem esse, et ad quaedam regionum transalpinarum loca, et ad quosdam etiam catholicos, ne vel de nostris, vel etiam de omnibus universim catholicis intelligantur. Pari ratione moderanda videntur, quae sequentibus quinque lineis post 9.am de Societate dicun-

<sup>4</sup> Vide in *Conc. Oecum. Decr.* (1962) 644 n. 5.

<sup>5</sup> *Const.* P. IV c. 5 § 1, et c. 12 § 1; MP I 217 et 281.

<sup>6</sup> Vide *Regulae ad sentiendum cum Ecclesia* n. 11; in *MI Exerc. spir.* (1969) 411.

tur, et (linea 14.a), ubi dicitur «quo propemodum solo» substituendum «quo veluti praecipuo», quia ita loquuntur haeretici. [*Stud.* 3, f. 334r]

3<sup>o</sup> – Quibusdam non est visa satis propria et apta illa comparatio, quae habetur (linea 22.a), ubi dicitur «et inflante scientia, tunc equus nimium saginatus recalcitrabit», quia non est continua et sui similis.

4<sup>o</sup> – Omnes convenerunt, vel omittenda esse haec verba (lin. 8.a pag. 72) «sed non adeo honorificum», vel moderanda hac aut simili aliqua ratione «sed non usque adeo nonnullorum opinione honorificum». Nam nihil honorificentius studio Sacrae Scripturae, cui in universitatibus primaria cathedra assignatur.

5<sup>o</sup> – Maior pars sensit, haerendum aliquantulum esse in initiis librorum Sacrae Scripturae, praesertim si locus sit paulo difficilior, cuius contrarium praecipi videtur (pag. 72 lin. 12.a).

6<sup>o</sup> – Consenserunt universi (pag. 73 lin. 16.a), ubi mentio fit de editione vulgata latina, praecipendum esse, ut nostri eam sequantur, cum iuxta decretum Concilii Tridentini sess. 4.a de canonicis Scripturis<sup>7</sup>, tum iuxta Constitutiones nostras Part. 4.a cap. 6 § 5<sup>a</sup>, quae iubent, ut nostri sequantur editionem approbatam ab Ecclesia; et hoc loco ponenda esse tam Concilii, quam Constitutionum verba.

7<sup>o</sup> – Putarunt omnes (pag. 74 lin. 5.a 6.a et 7.a), ubi mentio fit 70 interpretum, excipiendam esse eorundem editionem, quae iam Romae correcta esse dicitur<sup>8</sup>, ne et huius quoque auctoritas in dubium vocetur.

8<sup>o</sup> – Placuit quoque (pag. 74 lin. 21.a), ubi habetur «memores professionis fidei, quam ineundo magisterium iurarunt» ponendum «memores et decreti Concilii Tridentini sess. 4.a de Scripturis canonicis, et professionis fidei iuxta bullam Pii IV, quam ineundo magisterium iurarunt»<sup>10</sup>; et utriusque verba integra citanda.

9<sup>o</sup> – Nonnullis visum est texendum esse catalogum recentiorum illorum interpretum christianorum, qui plus nimio sequuti rabinos, de vulgata editione latina male merentur, ut dicitur (pag. 75 linea 9.a 10.a et 11.a); atque una cum ipsa studiorum ratione evulgandum esse. Quod tamen aliis quibusdam minime probatum est, ne videamur velle esse aliorum, forte alioquin catholicorum, et de Ecclesia ac nobis optime meritorum censores, eosve traducere, et quia facile a doctoribus ipsis internosci possunt. Plerisque tamen visum est conscribendum pro nostris tantum esse eiusmodi catalogum, neque in lucem edendum, sed ad singula duntaxat collegia mittenda aliquot exemplaria, ut facilius et cognosci et caveri queant.

10<sup>o</sup> – Dubitarunt aliqui, num saltem refutandi rabini, si non sequendi, de quibus fit mentio (pag. 75 lin. 2.a 11.a et 12.a). Consenserunt cuncti, non impugnandos, nisi, ubi illustriores essent depravationes quaedam, aut absurdae admodum expositiones et mysteriis fidei repugnantes.

11<sup>o</sup> – Non defuit quispiam, qui arbitraretur interpretem Scripturae in quaestionibus parciorem esse non oportere, ne auditoribus omnino careat, contra quam praecipitur (pag. 75 lin. 17.a et aliquot sequentibus). Caeteris tamen omnibus visum est, id recte praecipi; praesertim, ubi plures sunt doctores scholasticae theologiae aut controversiarum, praeter

<sup>7</sup> Vide *Conc. Oecum. Decr.* 639-40 n. 1.

<sup>8</sup> Vide MP I 233.

<sup>9</sup> Versionis S. Scripturae graecae, quae Septuaginta dicitur, nova editio facta est Romae anno 1587; cf. *Lex. f. Theol. u. Kirche* II 379.

<sup>10</sup> De iuramento professorum v. MP V 45 adn. 8.

Scripturae interpretem. Iudicarunt nihilominus omnes, ubi unus [334] duntaxat est lector theologiae huiusmodi ordinarie debere Scripturam Sacram interpretari, praesertim in transalpinis regionibus et inter haereticos, nisi alicubi lectio casuum conscientiae utilior foret lectione Scripturae, aut alternatim Scriptura cum casibus conscientiae legenda videretur. Et tunc huiusmodi Scripturae interpretem posse paulo fusius, data occasione, tractare controversias, et interdum etiam, ubi se se offerret occasio, breviter attingere definitiones, seu decisiones et resolutiones duntaxat quaestionum scholasticarum, ut auditores discant secure ac proprie loqui in theologia. Probatur quoque omnibus est, nullum certum tempus huiusmodi lectori praefigendum esse, ut theologiam aut Scripturam perficiat.

12<sup>o</sup> – Placuit omnibus (lin. 29.a pag. 76), ubi sic legitur «epistolae canonicae» sufficiens esse «epistolae B. Pauli et septem canonicae», quod septem ultimae communiter dici soleant canonicae, non item illa D. Pauli (quantum observare potuimus), licet certum sit, illas esse canonicas, id est, ab Ecclesia approbatas, non minus quam aliae sunt.

13<sup>o</sup> – Dubitatum est ab omnibus et disputatum, num expediret ex quatuor evangelistis Monotessaron confici. Putarunt omnes, id nulla ratione commode fieri posse, et uno praesertim anno tantum; tum propter Ioannem, qui seorsum omnino legendus videtur, tum ob confusionem et difficultatem ordinis temporum; tum etiam, quia pauci, aut omnino nulli ex antiquis patribus id fecerunt, exceptis quibusdam graecis; tum ob prolixitatem, tum quia vix iidem auditores totum audirent; et denique quia in nullis academiis id fit. Et quamvis nonnullis initio visum sit, dum explicatur Mattaeus, posse pariter explicari, quae sequentibus duobus cum illo sunt communia; tum vero, illo absoluto, quae illis sunt propria, ut citius absolvantur hac ratione; tamen omnibus tandem placuit magis, exponi singulos evangelistas seorsim, ita tamen, ut quae aliis cum illo sunt communia in medium adferantur. Ita enim futurum est, ut qui unum aliquem evangelistam audiat, caeteros quoque intellecturus sit facile. Monotessaron improbavit etiam unus ex theologis mussipontanis.

14<sup>o</sup> – Quoniam superius in prima parte huius operis de opinionum delectu multae quaestiones, quae a theologis scholasticis tractari solent, reiectae fuerunt in Scripturae interpretem, et in titulo de Scripturis (pag. 75 linea 16.a et sequentibus aliquot) iubetur interpres Scripturae, ne ad quaestiones aut controversias digrediat, iudicarunt omnes, expedire catalogum contexi earum [335r] quaestionum, quae in Scripturae interpretem reiciuntur, et quibus in locis illae tractandae sint, et quam fuse. Probarunt praeterea omnes, loco prologomenorum Scripturae haec sufficere, quae sequuntur:

Primo, confirmentur tantum libri omnes canonici ex decretis conciliorum et veterum testimoniis, nec proponantur argumenta haereticorum, nec dissolvantur, sed indicentur tantum auctores, qui hac de re optime scripserunt, et breviter agatur de libris canonicis et apocriphis. Deinde agatur de variis versionibus Scripturae, graeca, haebrea, 70 interpretum, editione vulgata et paraphrasi chaldaica. Tum agatur de auctore, origine, antiquitate et dignitate ac difficultate Sacrarum Literarum, eiusque interpretibus breviter. Praeterea de variis figuris, metaphoris et phrasibus Scripturae Sacrae, tum de eius sensibus. Et licet aliquis putaverit, horum tractationem ad quatuor menses extendi posse, tamen aliis visum est, non nisi succincte et multo breviori tempore perstringendam esse.

Pari ratione, etsi quibusdam visum sit, huiusmodi prolegomena quolibet biennio tractari posse, praesertim Romae, ubi non nisi biennium nostris conceditur ad audiendam Scripturam; tamen maiori parti placuit, non nisi quadriennio quolibet haec tractanda esse, tum ut temporis parcat, tum ne iidem auditores bis eadem audiant.

Demum, in exordio cuiusque libri seu auctoris explicanda esse, quae illius auctoris aut libri sunt propria; et si in dubium vocetur liber ab haereticis, defendendum.



## Ioannes Balmesius S.I.

8º – Cur non praelegitur Scriptura toto theologicorum studiorum decursu? Quod non erit difficile, si inanes digressiones praetermittantur, cum litteralem sensum omnium difficillimum solum debeat professor attingere. E manibus theologi numquam deponi debent Biblia, concilia et caetera Ecclesiae decreta; alii autores in forulis.

## Nicolaus Clerus S.I.

Pag. 70 13 «Sed longe maius in vero germanoque Scripturarum sensu pervestigando; ex iis enim desumendae sunt veritates, in quibus explicandis scholastici versantur». At verendum est, ne constitutis multis opinionibus, quas sequi necesse sit, facultas germane interpretandi Scripturam multum minuatur.

Pag. 73 lin. 26.a «Aquilae, Symmachi, nisi errores et insignes sint, et probabile aliquod prae se ferant fundamentum». Idem videtur dicendum de haeticorum interpretationibus, idem de rabinorum commentariis aut interpretationibus. [*Stud. 3, f. 366v*]

Pag. 74 lin. 11.a «Pontificum et conciliorum canones». Quid, si non sint concilia generalia? In quodam, ni fallor, toletano, quaedam citantur e Scriptura, ut videtur, longe aliena a sensu litterali; qualia exagitat nonnulla Calvinus cum alibi, tum in prooemio *Institutio-num*. Tum videtur hic inprimis distinguendus sensus litteralis a mystico, ac rursum mystici inter ipsos. Sunt enim, qui horum nonnullos confundant cum litterali. Neque omnes hac de re sentiunt cum S. Thoma.

Linea 18.a «Quem plerique omnes Patres». At quot Patres faciunt istos plerosque omnes? V. gr. Decem tenent unam interpretationem, duo tresve contrariam. Illi suam vix verisimiliter confirmant, hi propemodum demonstrant. Alii non attingunt. Qui si attigissent, quid dicturi fuissent, non constat. Quid hic sequendum potissimum. Quid quod multa explicantur, magis concionatorie, aut per allusionem, quam aliter, an praeterea eorum interpretationes in numero habendae? Num ii dicendi sunt de sensu litterali aut mystico aliquid constituisse? Praeterea fieri potest, ut interpretes, quamvis sancti, non fuerint admodum versati neque in linguis, neque in Scripturae phrasibus aut observatione etc. Deinde, num haec ita accipienda sunt, ut faciant praeiudicium iis, quae supra dicta sunt de conferendis antecedentibus et consequentibus, deque observandis phrasibus et figuris Scripturarum propriis in omnibus linguis . . . Videtur autem in huiusmodi pluris facienda ea interpretatio, quae sequentibus et praecedentibus atque adeo ipsi argumento consentanea est, quam quae interpretum multitudini. Item quae paucos habet adstipulatores, at graves ac doctos, quam quae contra.

Lin. 22.a «memores professionis fidei». Illa sic habet, nec eam unquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabar. Videntur autem hic latere aliquot difficultates, quas expediret habere explicatas.

1º – Ubi aliquis discrepat ab aliis, non est unanimis consensus Patrum omnium. Ut autem omnes unanimiter consentiant, perraro accidit; in iis saltem, quae in controversiam veniunt. Utrum non sit sequendus consensus Patrum, nisi omnes omnino conveniant in eadem sententiam.

2º – Utrum hoc tantum intelligendum de ea Patrum interpretatione, quae fit ex professo; an de ea etiam, quae obiter; item de ea, quam ut propriam proponunt, an de ea quam ut veram, qualis videri potest illa S. Chrysostomi in Gal. 3, de qua supra. [367r]

Pag. 75 lin. 2.a «non sequantur rabinos ut duces etc.» Hoc quidem in locis inter nos et ipsos controversis. At in aliis quidni sequamur? V. gr. de auguriis, sive divinatione Iosephi

in patera; de Saul, qui erat adhuc puer anni unius et similibus. Praesertim cum Hieronymus profiteatur, saepe se hebraeos consuluisse, ut Biblia verteret. Et solent satis idonee phrases linguae hebraeae interpretari.

Ibidem «mec in varia temporum supputatione, aut perscrutandis Scripturae Sanctae locis». Hic excipi velim, nisi huiusmodi locus necessario explicandus sit.

Pag. 76 lin. 10.a – Idem iudicium sit de sensibus allegoricis. Quidni et de anagogicis etc.

Lin. 21.a «Tametsi cum totum dilucidum est». Malim statui, ut tum praetermittatur summa capitis, solumque explicetur illud, quod minus dilucidum est; sicut etiam ubi totum caput facile est, ne summa quidem explicetur.

Linea penultima «caeteri libri percurrantur summatim annotatis etc.» Ut hoc ipsum est faciendum in aliquot supra numeratis v. gr. Ieremia, Daniele, Ezechiele.

Pag. 77 lin. 12.a «ut ex eis Monotessaron». At qui poterunt uno, aut etiam duobus annis tam multa enarrari? Deinde possent in sequentibus evangelistis tantum exponi, quae propria sunt.

#### Ioannes Bleusius S.I.

Audio, mirari plerosque et Societatem arguere, quod nusquam in provincia Franciae legatur Sacra Scriptura. Omnibus forte satisfaceret, si quod inferius in materia de casibus conscientiae pag. 162 dicitur, parisiensi saltem collegio [*Stud. 3, f. 372v*] accommodaretur. Casus (inquiunt patres) et Scriptura alternis diebus praelegantur, easque lectiones vicissim toto quadriennio audiant theologi.

#### Iacobus Salesius S.I.

Pag. 75 n. 3<sup>o</sup> – Ne interpres Scripturae digrediat in quaestiones scholasticas etc. – Sive locus favet catholicis, commodum erit breviter ipsum aliunde communire tum Scriptura, tum ratione; sive obicitur nobis ab haereticis, eo magis videtur iisdem tanquam remediis abstergendus [*Stud. 3, f. 371v*] ut, quoniam ex eo loco evadere satis est, nihil autem inde aequè pro nobis sumi potest, ut saepe fit, non desit, quo saltem calumniae cicatrix abstergetur.

Pag. 75 reg. 5 – In libris historicis nec omittendae prorsus videntur quaestiones, nec solae tractandae. Miror etiam, cum infra multae quaestiones a scholastico in Scripturae interpretem reiiciantur de libro vitae, signis, in quibus apparuit Spiritus Sanctus, de apparitionibus Dei, et similes multae, quae sane commodius videntur relinqui scholastico. Cuique est proprium disserere fusius, qui etiam cuique rei proprium habet locum. Scripturae autem interpres plurimas harum quaestionum incertum, quo potissimum loco tractare debeat.

Pag. 77 – Initio fieri potest, ut duobus aut tribus mensibus ante finem anni liber aliquis finiatur, quidni inchoetur alter, quamvis absolvi nequeat. Cavendum ergo, ne interdicti hoc ipsum videatur.

Ibidem reg. 6.a – Monotessaron fieri minus probo; primo, summa diversitas in conflando, summa perturbatio vorum, multa omittuntur, difficile sunt usui. Suppetitque alia ratio, nihilo fere prolixior, haec omnia vitans incommoda et ad usum docentis discentisque expeditissima, legere v. gr. nihil nisi quae habet Matthaeus, et cum caeteri rem eandem tractant, adducere, quae habent eadem de re; finito Matthaeo, in Marco et aliis, quae apud Matthaeum tractata sunt, omittere, indicando caput, quo tractata sunt, caetera expedire. Tantum notari posset in Matthaeo, quo loco inserenda sint idem in Pentateuco, libri regum et Paralipom.

### Provincia Poloniae

Quae in commendationem studii Scripturarum in libello pag. 70 et sequenti fuse dicuntur, omnia probata sunt, nec minus verum visum, quod ibidem de negligentia nostrorum in hoc genere dictum est. Unde optatum, ut omnino remedium aliquod inveniatur, quo nostri magis et inflammari ad hoc studium et dirigi in eo possint. Nam quae libellus praescribit, solum professorem Scripturarum in universitatibus nostris erudiunt. Unde nec iis nostrorum, qui in ipsis universitatibus Scripturas non audiunt, nec ulli eorum, qui in collegiis communibus habitant, vel calcar hic ullum additur, vel ulla proficiendi formula proponitur.

Ubi haec congregationi occurrere — Primum — Utile fore, si iam inde a novitiatu praescriberetur nostris omnibus, ut pro memoria exercenda quam primum regulas similiaque necessaria memoriae mandarint, mox ad Scripturas Sacras quotidie discendas ac recitandas convertantur.

Forte enim ideo a plerisque minoris fit studium hoc, quia ignoti nulla cupido est, quia minus degustant nostri, quantum momenti habeat ad omnem perfectionem [*Stud.* 2, f.147v] audire Deum ipsum in Scripturis loquentem<sup>11</sup> et docentem. Alioquin enim fieri non posset, quin mirifice iis afficerentur. Hic tamen delectum habendum magnum pro captu novitiorum. Ideoque non permittendum, ut quidvis addiscant, sed incipiant ab iis, quae maxime ipsis conveniunt, puta a concionibus Christi, quae passim habentur in evangeliiis, ut Matth. 5 6 7 10 etc., ut ab epistolis aliquibus Pauli facilioribus, et quibus ii maxime instituuntur, qui proximorum salutem curant, puta ad Timotheum, ad Titum etc. Sic Proverbia Salomonis et similia.

2<sup>o</sup> — Ubi inde ad studia fuerint applicati novitii, vel alii quivis, qui humanioribus vacant, cum quotidie iam Scripturis attendere non possint, saltem festis dominicisque omnibus et diebus recreationis mediam aliquam horam ei dare iubeantur; itemque feriis sextis loco catechismi, quandoquidem eum tenere iam supponuntur.

3<sup>o</sup> — Aliis, qui altioribus studiis vacant, si idem imponi non possit, commendandum saltem, ut iisdem diebus festis, inquam, et recreationis et feriis sextis mediam similiter horam Scripturis tribuant, ut vel ea ratione, quod regula secunda communis de lectione spirituali frequentanda mandat<sup>12</sup>, in actum magis deducatur. Spiritualissima enim lectio Scripturae ac utilissima ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum, ad corripiendum, ut perfectus sit homo Dei etc. 2 Timot. 3.

#### *De modo praelectionis Scripturarum*

Quae de eo in libello a pag. 72 praescribuntur, pla-[148r]cuere pleraque omnia. Adenda tamen sunt quaedam visa.

§ 2 pag. 74 — Ubi dicitur, cum de uno aliquo sensu inter Patres non convenit, si quam Patrum interpretationem a multis iam saeculis Ecclesia videtur complexa, ab illa non recedant. Visum est addendum: deberent tamen alteram non facile damnare, quin; si ratio subsit, etiam probabilem asserere.

Ibidem pag. 75 — Ubi cavendi cum rabinis etiam recentiores interpretes dicuntur, qui plus nimio secuti rabinos, de vulgata editione latina male sint meriti. Visum est expedire, ut tales exprimantur, quo caveri possint; et qui, inquam, rabinos nimium secuti sint, et qui etiam alias de editione vulgata male meriti sunt.

<sup>11</sup> Vide MP V 43.

<sup>12</sup> *Regulae communes S.I.*; vide in *Institutum S.I.* III 10-13.

§ 6 pag. 77 – Quemadmodum in theologia scholastica formula confecta est, eaque accurata, ac praescriptum, quid singulis annis legendum; ita iudicatum est expedire, ut etiam in Scripturis fiat. Ideoque colligendum et constituendum ordinem aliquem librorum Scripturae, nominandosque singulos, qui et quando et quanto tempore praelegendi, ut sic Bibliorum integer aliquis cursus in certis annis sperari possit. Aequè hic desideratum, ut conficiatur aliquis catalogus scriptorum magis probatorum, qui in Sacras Scripturas sunt commentati, quique feliciores fuerint in eo genere, ac pro hoc tempore tutiores. Horum enim ignorantia contingit facile tempus teri inutiliter in lectione minus probatorum, et forte aliquando cum labentibus labi.

Laurentius Faunteus S.I.

De Scripturis – Omnia valde probantur.

Ioannes Leopoltanus S.I.

Placet, hanc lectionem tantopere commendari, et eius professoribus suum honorem asseri. Sed tamen, si non instituitur modus aliquis plausibilior pro hac lectione, et si rebus etiam ipsis non honoratur, nescio, an fiet aliquid amplius circa hoc studium in Societate. Si enim una tantum lectio legetur de Scripturis in classe theologica, et eius auditores simul debent studere scholasticis quaestionibus, quomodo aut multa poterunt e Scripturis exponi, aut auditores non magis semper propendebunt ad difficiliora et magis curiosa, quae proponuntur in scholastica?

Mihi sane occurrit modus iste pro hac lectione Scripturarum cum fructu et honore instituenda, ut quemadmodum in philosophia sunt tres classes in maioribus academiis et tres distincti professores, ita in theologica professione sint ad minimum duae classes cum suis professoribus; quarum sit una Scripturarum et controversiarum, altera scholasticae et casuum. Possentque auditores primo anno audire Scripturas, deinde mitti ad scholasticam; et iterum, si opus esset, redire ad Scripturas. Porro in eadem classe Scripturarum docenda videretur lingua hebraea. Quinimo cum controversiae contra haereticos sint iam toties fuse explicatae, et tam multi iam libri exstent de illis, ad brevitatem is modus mihi occurrit aptus, ut in classe Scripturarum sint duo professores, quorum unus Vetus Testamentum, alter Novum interpretetur; et uterque, dum verum sensum Scripturae explicat, occurrentes haereses circa illas Scripturas breviter refutet, non tam coacervando illorum obiectiones, quam locum illum bene tuendo. Sic et in scholastica magna pars casuum forte posset explicari, sicut et a D. Thoma est factum. Et credo, in istis practicis quaestionibus, si magis haererent professores, quam in speculativis, quarum nulla est praxis, fieret theologia plausibilior, et huic nostro tempori magis accommodata. [*Stud.* 3, f. 292r]

Alfonsus Pisa S.I.

Pag. 72 num. p<sup>o</sup> – Non haereat professor valde in Scripturae quolibet loco etc. Ut hoc impleatur, considerandum est, totam Scripturam non posse pluribus annis exponi. Quare seligendae essent aliquae illius partes, quibus decursis, auditores per se iam noscent in reliquis versari. Has partes ego nominarem quatuor, scilicet Esaiam et Davidem ex Veteri Testamento, Matthaeum et Paulum ex Novo. Rationes sunt plures, sed illa sufficet, Ecclesiam in divinis officiis nullas frequentius Scripturae partes usurpare, quam istas quatuor.

Pag. 73 num. 2<sup>o</sup> – Agitur de sensu literalī Scripturae. Hunc sensum observandum esse duplicem in Scripturis prophetiis; alterum typicum, alterum propheticum. Primum aliquis dicere posset iudaicum, secundum christianum. Non repugnant autem inter se, sed unus est fundamentum alterius, ut «Quare fremuerunt gentes adversus Dominum et adversus christum eius»<sup>13</sup> – exponitur de Davide ut figura, de Christo principaliter ut figurato . . . [Stud. 3, f. 288v]

## 12

IUDICIA CONGREGATIONUM DE TRACTATU (RAT. STUD. 1586):  
«DE THEOLOGIA SCHOLASTICA»<sup>1</sup>

## ASSISTENTIA ITALIAE

## Professores Collegii Romani

Cap. I – *De tempore, quo scholasticae theologiae curriculum perficiendum sit* — Circa praesens caput: In constituendo tempore theologiae scho-[Stud. 3, f. 36r]lasticae, eiusque partibus distribuendis, illud potissimum nulli probatur, quod materia de iustitia et iure non a theologo, sed a casuum professore, ipsis etiam scholasticis auditoribus explicanda decernitur. Primo, quia neque expedit, ut schola casuum conscientiae ita subtiliter disputetur, ut theologiae auditoribus satisfiat. Neque utile et conveniens est, ut ita ieiune iis sicut casuum auditoribus solet, praelegatur. – 2<sup>o</sup> Quia illud magnum est incommodum, ut haec materia per se ipsa adeo gravis et ampla, nunquam exacte, subtiliter et pro dignitate, ut a theologo fieri solet, explicetur. – 3<sup>o</sup> Quia magnum hactenus illud incommodum esse sumus experti, ut theologiae et casuum conscientiae scholae in eandem horam non concurrant. – 4<sup>o</sup> Transalpini vel nunquam audirent materiam de iustitia et iure, vel biennio controversias, ut alii Scripturas, omitterent. – 5<sup>o</sup> Cogentur omnes theologi tres saltem lectiones singulis diebus audire. Quod multi non possunt propter adversam valetudinem. – 6<sup>o</sup> Vix retineri posset distinctio inter theologiae et casuum auditores. Quod experientia constat, esse perniciosum. – 7<sup>o</sup> Nullae unquam exercitationes litterariae, id est, disputationes aut repetitiones de hac materia inter theologos esse possent. – 8<sup>o</sup> Ea distributio Romae tantum servari posset, aut iis in locis, in quibus duo sunt casuum professores. Ob has igitur, aliasque huiusmodi rationes alia videtur theologiae terminandae ac partiendae ratio ineunda. Quam rem totam sequenti capitulo determinabimus.

Caput II – *Quibus adiuvandi remediis duo professores, ut theologiam emetiantur* — In hoc quidem quatuor conveniunt, P. Rector [Benedictus Sardi], Pererius, Bellarminus, Augustinus [Giustiniani]: universae theologiae a duobus magistris praelegendae quadriennium sufficere; ita ut primo anno 43 quaestiones primae partis, id [36v] est, usque ad materiam de Trinitate inclusive explicentur; 2<sup>o</sup> materia de angelis, saltem usque ad quaestionem 64.am inclusive; et ex prima secundae saltem usque ad q. 21.am; 3<sup>o</sup> reliqua 1.ae 2.ae a q. 55 vel a 71 usque ad finem; 4<sup>o</sup> 2.a 2.ae de fide, spe, charitate. Ubi tantum, et non alibi tractari deberent controversiae illae de Scripturis, traditionibus, conciliis, Ecclesia, pontifice et similibus; 5<sup>o</sup> de iustitia et iure, contractibus; 6<sup>o</sup> de Incarnatione et tribus sacramentis: confir-

<sup>13</sup> Ps. 2 l.

<sup>1</sup> Textum tractatus vide in MP V 48-85.

matione, ordine et extrema unctione; 7<sup>o</sup> de sacramentis in genere, baptismo et Eucharistia; 8<sup>o</sup> de poenitentia et matrimonio et impedimentis.

Aliis vero duobus: P. Parrae et Soares videtur vel quadriennium tribus, vel quinquennium duobus professoribus dandum esse ad totam theologiam tradendam; ita ut primo anno 26 primae quaestiones primae partis attribuantur, additis et aliis de creatione, de opere sex dierum, de statu primi hominis; 2<sup>o</sup> materia de Trinitate et angelis; 3<sup>o</sup> 1.a 2.ae usque ad quaestionem 80 inclusive; 4<sup>o</sup> reliquum eiusdem; 5<sup>o</sup> 2.a 2.ae usque ad q. 30; 6<sup>o</sup> sequentes usque ad q. 62 inclusive; 7<sup>o</sup> reliquae eiusdem partis; 8<sup>o</sup> de Incarnatione usque ad q. 60 3.ae partis; etsi possit etiam de confirmatione, ordine et extrema unctione; 9<sup>o</sup> de sacramentis in communi, baptismo et Eucharistia; 10<sup>o</sup> de poenitentia et matrimonio.

Circa 7.um § – De coniungendis in unum, quae ad eandem difficultatem spectant. Quamvis a D. Thoma in pluribus articulis, distractis in distantes quaestiones tractentur, non videtur professori praescribendum, ut id omnino faciat, sed tantum definiendum, id licere. Id non placet P. Pererio et Augustino. Quibus neque videtur expedire, ut illud fiat frequenter.

Circa 8.m – De rescandis philosophicis: Probatur omnibus.

Circa 9.m – De pertractandis controversiis a scholastico: Tantum illud in universum videtur praescribendum, ut ubi propria est controversiarum schola, eas theologi scholastici breviter tractent; aliis vero locis et fusius et exactius pro loci et temporis necessitate. P. Parrae totus videtur delendus tanquam non necessarius.

Circa 10 et 11 §: Videntur tollendi tanquam non necessarii. [37r]

Caput III – *De ratione ac modo praelegendi* — Circa primum § – De ratione servanda professoribus in explicando D. Thoma: Nihil aliud videtur definiendum, quam illud, quod iam praescriptum est a R.N.P. Generali in regulis, nuper ad provincias missis, regula prima<sup>2</sup>.

Circa 2.m – De modo tractandi quaestiones: Non videntur tam multa in particulari praescribenda. Patres vero Pererius et Soares nihil eorum censent definiendum.

Circa 3.m, in quo de sequendo ordine D. Thomae tractatur: Placet omnibus, ut iacet, exceptis P. Rectore et Augustino; quibus videtur definiendum, ut servetur ordo D. Thomae absque ullis exceptionibus.

Circa 4.m – An sit dictandum nec ne? – Videtur hac de re nihil praescribendum, praeter illud in universum, ut ita doceat professor, ut auditores possint omnia plene et fideliter excipere. Curet tamen praeceptor, quantum fieri potest, eum modum in docendo servare, ut auditores non solum scribant, sed etiam attendant et intelligant. In hoc conveniunt tres: P. Rector, Soares et Augustinus. PP. Parra et Pererius iudicant, omnino nihil esse praescribendum. P. Bellarmino omnia placent ut iacent.

Caput quartum – *De repetitionibus* — Circa § 1 – De repetitionibus in schola faciendis illud solum videtur definiendum, ut praeceptor aliquantisper finita lectione maneat, ubi ab auditoribus de iis quae dicta sunt, facile interrogari possit. De repetitionibus faciendis post lectiones [37v] in scholis, nihil videtur certi statuendum in universum, sed relinquendum vel locorum consuetudini, vel superiorum iudicio; cum plerisque in locis experti simus, huiusmodi repetitiones vel inutiles vel multis implicitas esse difficultatibus.

Circa 2.m – Quantum ad modum repetitionum domesticarum, hoc nobis solummodo placet, duos discipulos prius monitos paratos venire ad repetendas singulas lectiones, quam fieri potest, brevissime. Quibus finitis, unus vel duo pro numero auditorum, ad id de-

<sup>2</sup> Quam videsis supra, mon. 7.

signati argumententur. Quod si quid temporis superfuerit, dubiis proponendis expendatur. Fient autem iisdem diebus, quibus faciendas esse patres determinarunt; exceptis videlicet vacationibus, sabbathi ac festorum diebus. PP. Parrae et Pererio non videtur tempus certo termino circumscribendum, sed relinquendum prudentiae superiorum.

Circa 3.m – De praeside repetitionum: Videtur nobis potius statuendum, ut ipse praeceptor praesit.

Circa 4.m – Circa repetitiones faciendas eo tempore, quo pomeridianae lectiones intermittuntur, ubi sub initium iulii intermitti solent, hoc censemus tantum praescribendum, ut circa materias totius anni aliquae fiant exercitationes. Modus autem earum sit iuxta loci consuetudinem vel iudicium superiorum, adhibitis in consilium praefecto studiorum et magistris. Durent autem usque ad finem lectionum. In reliquo vero tempore vacationum generalium nullae fiant exercitationes litterariae (quod iudicium idem sit, ubi non fiunt lectiones pomeridianae). P. Parra tamen vellet continuari per unum mensem vacationum huiusmodi exercitia.

Caput V – *De disputationibus* — Circa 1 – De disputationibus die sabbathi habendis, placet de-[38r]finiri spatium duarum horarum, exceptis PP. Parra et Pererio; quibus nihil videtur certi determinandum. Illud vero nulli probatur, ut quando duobus diebus in hebdomada vacatur, prima hora legatur, et sequenti sesquihora disputetur. Id enim esset et praeceptoribus et auditoribus nimis onerosum et grave. Sed videtur utilius esse multo legere quam disputare. P. Parra vero censet, ut disputetur.

Circa 2.m – De disputationibus diebus dominicis habendis: censeant omnes, fieri debere disputationes diebus dominicis vel publice vel privatim, nisi alicubi aliis graventur disputationibus. Tempus vero videtur prorogandum in privatis ad sesquihoram, in publicis autem ad duas horas.

Circa 3.m – De disputationibus generalibus illud tantum videretur praescribendum, ut singulis mensibus habeantur disputationes generales mane et vesperi toto scholarum tempore. Reliqua vero possunt accommodari pro diversitate locorum et provinciarum. Iis vero disputationibus intersint scholastici doctores, et praeter hos saltem per horam etiam alii doctores ex nostris. PP. vero Rectori et Bellarminio nihil de aliis doctoribus videtur praescribendum.

Circa 4.m – De actibus in fine studiorum faciendis ab auditoribus quarti anni: Circa illud de actibus particularibus, conveniunt omnes, debere fieri, et quidem quarto anno vel post quartum annum. Circa generales vero totius theologiae, tres, videlicet P. Rector, Bellarminus, Augustinus conveniunt, debere fieri quarto vel quinto anno, rariores tamen quam particulares. Alii vero tres, PP. Parra, Pererius et Soares, censeant, id relinquendum esse consuetudini locorum; ubi vero fient, post quartum annum esse faciendos. De impressione vero et tempore, quo fieri debent, omnes censeant, nihil esse praecipendum. [38v]

Circa 5.m – De iis, qui actus facere debent: Non videtur praescribendum, ut omnes, qui faciunt particulares, facere etiam debeant generales, cum non idem sit omnium ingenium et valetudo. Qui facere debent actus particulares, praemoneantur in fine lectionum tertii anni. Facturi autem generales praemoneantur uno anno ante. P. Pererius tamen satis esse putat dimidium annum. Quod dicitur de doctoribus nostris et externis, placet. PP. Pererius et Augustinus nolunt introduci, ut praesideant externi, ubi non esset introducta consuetudo. De argumentantibus nihil videtur praescribendum. P. Pererio placet definiri, ut primus argumentans sit doctor, si fieri potest.

Circa 6.m – Quis esse debeat conclusionum modus: Non videntur tam multa in particulari praescribenda, sed diligenter caveat praefectus, ne conclusiones excedant modum vel numero vel longitudine.

Circa 7.m – Qualiter se praefectus gerere debeat in disputationibus: Placent res, sed videntur reiiciendae in regulas praefecti.

Circa 8.m – De excitando studio et fervore disputationum: Tres, videlicet P. Rector, Pererius, Soares censent, haec omnia non esse praescribenda, praesertim hoc loco, et tam multa particularia. Aliqua vero, quae possent esse utilia, potius viderentur pertinere ad ordinem studiorum philosophiae; ut v. gr. de forma argumentandi et respondendi. Reliquis res placent, excepto illo numero quatuor argumentantium.

Caput VI – *De opinionum delectu, censura, retractatione* — Circa primum §: Placet omnibus.

Circa 2.m: Quod dicitur de visitandis scholis a praefecto decimo quinto quoque die, videtur nimis gravari praefectus; sed satis esset definire, ut frequenter scholas visitet. Quod ad ea obser-[39r]vanda attinet, quae docent professores, tribus, videlicet P. Rectori, Augustino et Soares non videntur tam multa in particulari esse praescribenda; sed si quid est de hac re definiendum, illud in praefecti regulas esse reiiciendum. Aliis vero tribus, P. Parrae, Bellarminio et Pererio placent omnia; sed referenda videntur ad praefecti regulas.

Quod ad opinionum retractationem spectat, illud videtur esse statuendum, ut si quis aliquando aperte doceat contra opiniones a R.P. Generali expresse prohibitas, statim retractet. Duobus tamen magis probatur id, quod patres congregationis statuerunt. Quantum ad alias vero nec prohibitas, nec expresse temerarias, sed quas patres congregationis proximas temerariis vocant, non fiat retractatio inconsulto provinciali. Qui, auditis collegii doctoribus, determinet, quid sit faciendum. P. Pererius tamen non iudicat necessum esse hac de re consulere provincialem, sed sufficere iudicium superiorum et doctorum collegii.

Circa 3.m: Quae hic dicuntur, omnibus probantur; sed viderentur ponenda in regulis praefecti.

Circa 4.m – De conclusionibus praefecto ostendendis: Tribus patribus, videlicet Rectori, Parrae, Bellarminio omnino placet, praefectum omnimodam habere potestatem, non quidem ponendi aliquid in contrarium, sed delendi, addendive aliquid ad maiorem explicationem vel loquendi modum, mutandi, etiam inconsulto praeceptore. Idem approbant P. Soares et Augustinus, modo id faciat per ipsum magistrum, non per discipulum aliquem. P. Pererio placet id, quod in libro a patribus praescriptum fuit.

Caput VII – *De studio scholasticorum* — Circa § primum: Probatur omnibus; sed addendum vi-[39v]deretur, ut studendi modum a suis praeceptoribus accipiant.

Circa 2.m: Quoad libros auditoribus concedendos, censent omnes, Sacra Biblia, Concilium Tridentinum et D. Thomam omnibus esse concedendum; nullum autem praeter hos, nisi prius consulto praeceptore. Qui nec facilis esse debet in concedendis multis, et id cum spe aliqua fructus eorum, quibus concedentur, maxime primo anno. Patribus Parrae et Bellarminio placent omnia prout iacent.

Caput VIII – *De vacationibus* — Circa § 1: Placet omnibus.

Circa 2.m 3.m et 4.m: Non probantur nobis ea, quae a patribus statuta fuerunt, ita ut universaliter servantur, sed potius videretur a R.N.P. Generali unicuique provinciae praescribendas esse vacationes, pro consuetudine regionis. In tota vero Italia videtur servandus mos romanus, qui modo servatur.

*De gradibus baccalaureatus, magisterii et doctoratus* — Quod ad primum § attinet – De tempore actuum et graduum nobis nihil videtur immutandum aut dispensandum in Constitutionibus; sed potius enitendum quam diligentissime, ut ad praxim reducantur. [43r] Quare curandum esset, ne actus philosophici ante triennium elapsus inchoentur; neve gra-



duo magisterii conferatur, nisi post alium semestrem. In theologia vero inchoentur actus elapso quadriennio. Biennio deinde expleto, gradus doctoratus conferatur.

Circa 3.m – De examinis ratione: Videntur sufficere tres examinatores. Dissentit P. Parra, qui vellet omnino quinque, ubi id commode fieri posset. Examinatoribus vero non prohibeatur, quin possint nonnihil etiam inter interrogandum argumentari; siquidem utilis est argumentis quoque tentare examinandum, quam interrogationibus tantum. Caetera placent.

Circa 4.m § – De loco doctorum et professorum in publicis actibus: Doctoribus et professoribus theologiae assignentur loca distincta a doctoribus professoribusque philosophiae. Inter hos vero, qui actu docent, praecedant alios, qui actu non docent. Non idem sentiunt P. Rector et P. Parra. Censent enim inter professores et non professores nullum debere esse locorum discrimen. Caetera placent.

Circa 5.m § – Quae ratio servanda sit in actibus approbandis: Placent omnia; sed P. Parra et P. Pererius vellent, ut actus omnes pluribus suffragiis approbentur. Quilibet vero pro nullo habeatur, qui non hac ratione probetur.

Circa 6.m – De baccalaureatu: Baccalaureatus non videtur in Italia introducendus; tum quia est res plane inusitata; tum quia nullo in honore vel pretio habetur; tum quia sine ullo fructu haec novitas induceretur.

Circa eundem § 6.m: Placet baccalaureorum expositionem in Sententias vel Aristotelem non admitti. Placet etiam doctoratus gradu decorandos sacro aliquo ordine antea initiari. Hoc vero non probatur P. Pererio et P. Augustino in iis locis praescribi, ubi non est huiusmodi usus, praesertim in Italia.

Septimus § – De ritibus promotionis: Placet totus.

Octavus etiam – De promotionis loco etc.: Probatur; nisi quod P. Rector nollet in doctoratu anulum nostris conferri.

Circa § 9.m – De oratiuncula ad cohortandum candidatum habenda ab uno aliquo invitato ab ipso candidato: Non improbat [43v] ubi est huiusmodi consuetudo. Ubi vero hic usus non est, non videtur admittendus. Id tamen P. Parrae et Bellarminio ubique placet. Reliqua probantur omnibus.

Decimum § De ceremoniis promotionum: Probant omnes.

Undecimum etiam De nostrorum promotione, excepto P. Parra, cui non placet decerni, ut philosophiam vel theologiam professurus ad doctoratum antea promoveri cogatur.

### Provincia Mediolanensis

De theologia scholastica – Primum caput probatum est omnibus, ut duo tantum sint lectores scholasticae; nisi, ubi ratio foundationis collegiorum plures exigit, et ut nostri tantum quadriennio audiant, quibus annis tota theologia praelegitur. Addunt patres, curandum esse, ut omnes quadriennio audiant, et dispensatio, si qua facienda sit, ad triennium non minus. Quae non fiat cum iis, qui non sunt lecturi. Nam qui concionantur, vel aliis rebus vacant, numquam, experientia docente, vident, quae non audierunt. Item, si qui biennio vel minus audiunt theologiam, nec eam docendo percurrunt, non possunt tuto loqui, et in casibus conscientiae facile labuntur, quos solvere oportet, et tamen facili studio sciri non possunt.

Secundum caput etiam probatur, praeterquam in eo, quod volunt tractatum de contractibus, censuris et impedimentis matrimonii reservari lectori casuum. Videntur enim haec a scholastico tractanda.

1<sup>o</sup> non ideo eius lectura erit immensa, nam in 2.a 2.ae de contractibus aget, tum de voto, religione, simonia, si vacabit; et uno anno sacramentum matrimonii et paenitentiae perlegi potest.

2<sup>o</sup> nimis gravantur scholastici lectione casuum. Nam primis duobus annis tantum scholasticae vacare deberent, ut bene fundamenta percipiant et assuescant rebus theologicis. Aliis duobus audient cum scholastica Scripturam.

3<sup>o</sup> lectio casuum iis est accommodata, qui parum sciunt, ut parochis et aliis clericis. Ideoque fusior esse debet et simplicior.

4<sup>o</sup> quae scholasticus ex praeiactis fundamentis uno mense proficiet, casista non explicabit tribus. [*Stud. 3, f. 149r*]

In tertio capite ad primam regulam videtur expresse addendum: ut numquam omittatur explicatio articuli S. Thomae; ne ullus relinquatur locus subterfugiis et excusationibus eorum, qui S. Thomae textum negligunt.

In tertia regula optarent patres expressius et clarius praecipi de S. Thomae ordine servando; ne cuique liberum esset pro arbitratu mutare eius ordinem quasi vel obscurum, vel minus bonum, his fere verbis: Non fiant tractatus, sed servetur ordo S. Thomae, nisi cum vel materia aliqua est in compendium redigenda, vel cum addendum est S. Thomae, ut de Ecclesia, papa etc.

In quarta regula, in qua agitur de dictatione, vellent patres, rem gravius et arctius praescribi, hoc modo: Consuetudo dictandi ubi nulla est, non introducatur; ubi vero est, omnino tollatur, nisi consuetudo generalis regionis id non patiat, ut forte in Germania. Et tunc non dictetur, nisi S. Thomae explicatione praeposita. Nam, cum postponitur, vel negligitur ab auditoribus vel abeunt . . .

Caput sextum – Quoniam multum refert ad auditorum fructum et rerum intelligentiam, ut bene et in forma disputetur, visum est, ad ea, quae a sex patribus dicta sunt, addendum esse, ut leges disputationum sanciantur, et discipulis proponantur, ne sit excusationi locus, et magistri obiurgationes facilius ferant, cum non servaverint.

Caput nonum – Visum est nobis, usum vacationum, quae hactenus in Italia fuerunt, non esse tollendum.

1<sup>o</sup> quia nostra ingenia non possunt tanta lectionum multitudine gravari, quin naturalis constitutio virium enervetur, vel ingenia fatigentur et succumbant, vel corporum aegritudines sequantur.

2<sup>o</sup> quia vix potest ferri pondus lectionum, quae ordinarie habentur; nec mature considerari, nisi per vacationum occasionem.

3<sup>o</sup> quia in Italiae academiis saecularibus vacationes sunt maximae; quae si nimiae sunt, probant tamen nostratia ingenia non esse supramodum gravanda. [150v]

Caput decimum n<sup>o</sup> 3 – Numerus quinque examinerum tollendus non est, ubi per multitudinem magistrorum et doctorum commode haberi potest. Sin minus, videntur tres sufficere, addito quarto praefecto; et tunc cum nota erunt paria, praeponderabit praefecti suffragium.

Rursus tempus duarum horarum pro examine nimis gravare videtur examinatores et examinatos. Quare videtur pro philosophis una hora sufficere, pro theologis hora cum dimidio ob maiorem theologiae amplitudinem. Qui voluerint per duas horas examinare, faciant. Certe plura expediuntur examinando una hora, quam tribus horis disputando percurrerentur.

N<sup>o</sup> 4 – Philosophis videntur dandi duo actus particulares, non unus tantum; tum tertius generalis. Et primus quidem esse posset de logica, physica, caelo, secundus de genera-

tionem, anima, metaphysica. Si enim theologus quatuor annorum quatuor particulares actus edit, cur philosophus trium annorum unum tantum? Adde, quod tam multae, variae et graves materiae unico actu attingi non possunt.

Constituendum ibidem videtur, qua doctrina praeditus esse debet, qui ad gradum est promovendus; et nostro quidem iudicio, in iis universitatibus, quas nostri publicas habent, ii tantum promovendi videntur, quorum doctrina tanta est, ut apti sint ad docendum. Nam doctoratus est testimonium publicum de hoc et facultas docendi. In aliis universitatibus tantum excellentes videntur promovendi, ad maiorem gradum existimationem, et ut alii iuvenes ad maiores progressus in studiis faciendos excitentur.

### Provincia Neapolitana

Caput I – De tempore, quo scholasticae theologiae etc. — De tempore studii theologiae non satis convenit inter patres. Nam quatuor patribus videtur satius esse retinere quadriennium iuxta Constitutiones<sup>3</sup>. Placet tamen addi tertium praeceptorem scholasticum, ut planius dicetur capite sequenti. Quinquennium magis probat Pater Maiorius, si duo sint tantum professores, ad evitandam nimiam discipulorum nostrorum defatigationem.

Caput II – Quibus adiuvandi remediis etc. — Pater Rector [Spinelli] iudicat, quamdiu tertius professor scholasticus non additur, theologiae auditoribus quotidie tertiam lectionem audiendam esse a professore casuum, ne fructu eorum tam necessario in nostris ministeriis priventur. Quod tamen reliquis omnibus videtur secus. Neque enim, inquiunt, expedit, ut scholastici casistam audiant; tum quia non decet illis ita ieiune praelegi, ut casistis; cum quia distinctio inter utrosque omnino retinenda est. Quo circa omnibus maxime probatur ea distributio, quae praescribitur in 4<sup>o</sup> paragrapho huius capitis. Quamdiu autem tertius scholasticus haberi non potest, quatuor patribus videtur retinendus modus, qui hactenus servatus est in Collegio Romano, ut quadriennio duo praeceptores totam theologiam absolvant; vel certe, inquit Pater Maiorius, prorogetur ad quinquennium.

§ 7 – Videntur omnibus controversiae accuratius explicandae, habita ratione loci et temporis, ubi non habetur propria lectio controversiarum.

§ 8 et 9 – Tribus videntur tollendi, quia continent minuta quaedam et levia, neque valde necessaria. Quod si materiae omnes pro dignitate, ut videtur necessarium, initio statim tractentur, non erit opus exigere uberiores tractationem ab alio praeceptore sequenti quadriennio. Pater Rector utrumque probat. Pater Blasius [Mucante] probat octavum, non novum propter rationes allatas.

Caput III – De modo et ratione praelegendi — Nulli placet scribi conclusiones Divi Thomae, ne tempus inutiliter conteratur; cum praesertim multi non pessime articulos D. Thomae in conclusiones redegerint, qui nunc habentur in manibus. Satis autem esse videtur, si cum fuerint paulo difficiliore, viva voce explicentur, quo nullum periculum sit, ne nobis Divus Thomas excidat. Dubia vero litteralia, quae ad nudum Divi Thomae contextum spectant, Patri Rectori et Patri Blasio videntur omittenda, vel certe doctoris iudicio relinquenda ad proximitatem vitandam. Graviora tamen, si quae essent, ea Patri Rectori in quaestiones redigenda viderentur. Caeterum, tribus reliquis patribus totus paragraphus videretur omnino tollendus, et eius loco reponendum [Stud. 3, f. 98r] id solum, quod praescripsit olim Pater Generalis in regulis missis ad provincias, regula prima de Divo Thoma legendo.

<sup>3</sup> Vide *Const. P. IV c. 15 § 3*; MP I 303.

§ 2 – Quatuor patribus non displicet; Patri tamen Maiorio non videntur tam multae minutiae praescribendae.

§ 3 – Patribus Rectori et Blasio perplacet, qui magnopere optarent certas designari materias, in quibus propter obscuriorem ordinem D. Thomae permitterentur tractatus. Alioqui a diversis diversa fieri. Quin etiam Patri Rectori huiusmodi tractatus omnino tollendi videntur in iis materiis, quae a Divo Thoma tractantur; cuius ordo videtur satis perspicuus. Tribus vero reliquis patribus non videntur reiiciendi tractatus, dummodo semper prius mens Divi Thomae quam diligentissime explicetur. Quo posito, Patri Iustiniano videtur optandum potius, ut omnes theologiae doctores in tanta rerum explicandarum multitudine, tantisque temporis angustis quam accuratissimos tractatus instituant propter rationes sequentes:

Primo, quia qui singulos articulos explicant, coguntur multa alienissima, minimeque utilia coacervare. Alioqui plurimos articulos nude explicant, ne videantur aliquos vel intactos relinquere, vel ieiunius tractare. Quorum altero nihil permissius, altero nihil molestius.

2º Sententiam Divi Thomae vel bis repetunt; semel in explicatione textus, iterum in quaestionibus; vel, si in quaestionibus omittunt, id non faciunt sine magna iactura eorum, qui explanationem textus non scribunt; qui multi sunt, ne dicam omnes.

3º In tractatibus suo loco sententia D. Thomae commode explicatur, et quaecunque ea de re aliis locis docuit, uno aspectu auditorum oculis subiiciuntur. Quod in articulorum explicatione neque fit, neque vero ita commode fieri potest.

4º Qui tractatus instituit, si rectum ordinem sequatur, quod est imprimis necessarium, certos sibi praescribit cancellos, ultra quos evagari non possit. Atque idcirco multa inutilia, quaeque ad rem minime spectant, quae alias in solutionibus argumentorum D. Thomae observari solent, cogitur resecare. Ita fit, ut unica brevissima quaestione interdum etiam solutionem argumentorum D. Thomae multi articuli plane ac breviter enucleentur. Quod videtur maxime optandum.

5º Huiusmodi tractatibus mirifice delectantur auditores, quia tardiores quidem habent in unum quasi locum coniecta, quae hinc inde magno labore et longo vix tempore possent ipsi colligere. Qui vero ingenio valent, non modo res ipsas percipiunt, sed rerum ordinem, consequentiam, nexum, et quasi seriem vident. Quod in multitudine articulorum D. Thomae, dum minutissima quaeque propriis articulis dissecat, a multis vel desideratur, vel non ita aperte cognoscitur. Denique multae quaestiones, quae vel repetuntur a D. Thoma, vel ab eius explanatoribus variis de causis pluribus locis explicantur, unam [98v] certam ac stabilem quasi sedem sortiuntur, ut non modo non repetantur, sed ut ne possint quidem sine rubore iterari.

§ 4 – Sitne dictandum, an non, placet omnibus nihil praescribi, praeter hoc unum in universum, ut magister in docendo ita sese accomodat, ut et auditores sine molestia attentos teneat, et discipuli commode possint excipere omnia, quae docet. Quin etiam Pater Rector magnopere optaret, ut liber aliquis absolutus praelegendus in Societate ederetur<sup>4</sup>, ut indicare videntur Constitutiones<sup>5</sup>. Ita enim fore, ut difficultate ac molestia scribendi levarentur auditores, et absolutam rerum omnium habeant tractationem, etiam si integrum quadriennium non audiant . . .

Caput V – De repetitionibus — § primus – Tribus patribus videtur tantum definendum, ut praeceptor absoluta lectione aliquantisper alicubi [99r] maneat, ubi commode possit ab auditoribus interrogari. De repetitionibus in schola faciendis nihil esse certi in uni-

<sup>4</sup> Vide hac de re tractatum professorum Collegii Romani; supra, mon. 9.

<sup>5</sup> Cf. *Const.* P. IV c. 14 litt. B; MP I 297.

versum statuendum, sed id totum relinquendum vel locorum consuetudini, vel superiorum iudicio; quia plurimis in locis cum multis difficultatibus implicantur, tum vix ullam afferunt utilitatem. Patri Rectori et Patri Blasio probantur omnia, quae definiuntur a patribus.

§ 2 – Primo, praeter sabbata, placet excipi eos dies, in quibus propter sequens solemne festum nostri confiteri solent. Deinde omnibus satius esse videtur, unum vel duos pro numero discipulorum prius monitos, paratos venire ad repetendum duas lectiones, quam brevissime. Quibus finitis, unus vel duo ad id designati argumententur. Si quid praeterea temporis superfuerit, dubitationibus proponendis impendatur.

§ 3 – Praeceptores nemini omnino videntur liberandi ab onere suarum repetitionum; tum quia fere accidit, hoc ipsis non esse gratum, tum quia difficile sit reperire, qui cum dignitate et utilitate nostrorum repetitionibus praesint.

§ 4 – Patri Rectori omni ex parte placet, praeterquam quod mallet loco lectionis, quae habenda praescribitur die dominico, institui disputationes, quod ea longe utiliores futurae videantur, vel omnino vacari. Pater vero Blasius id unum improbat, quod quaestiones unius professoris hebdomada una, alia vero alterius repeti praecipiantur. Mallet enim id fieri alternis diebus. Caeterum duos integros menses vacandum esse discipulis. Porro patribus Bernardo [Colnago], Maiorio et Iustiniano amputandus videtur totus paragraphus, eiusque loco id unum praecipendum, ut quo tempore pomeridianae lectiones intermittuntur, fiant aliquae exercitationes circa materias totius anni; quae durent usque ad finem lectionis; et in reliquo vacationum generalium tempore nullae litterariae exercitationes habeantur. Modus autem harum exercitationum permittendus videtur locorum consuetudini et superiorum iudicio, auditis praefecto studiorum et magistris.

Caput VI – De disputationibus — § 1 – Omnibus sesquihorae spatium communibus sabbati disputationibus praefigendum videtur. Reliqua placent omnia.

§ 2 – Patri Rectori et Patri Blasio perplacet definitio patrum. Reliqui tamen tres nolent duobus ultimis mensibus aestivis haberi disputationes diebus dominicis.

§ 6 – Patribus Rectori et Blasio probatur ut iacet. Tribus reliquis non videntur tam multae minutiae [99v] praescribendae, sed id totum relinquendum iudicio praefecti studiorum; qui curabit, ne conclusiones vel numero vel longitudine iustam mensuram excedant.

§ 7 – Patribus Bernardo, Maiorio et Iustiniano videtur pertinere non ad leges disputationum, sed potius ad regulas praefecti.

§ 8 – Patri Rectori, Patri Bernardo et Patri Blasio non placet, praeceptoribus permitti, ut nostros publice pudefaciant vel obiurgent. Si quid enim nostri peccarint, domi potius a Superiore corrigendi sunt. Id vero etiam atque etiam praecipendum videtur, ne inter disputandum aliqui furtive legant vel scribant aliena a disputationibus.

Caput VII – De opinionum delectu — § 2 – Primum, totus hic paragraphus patribus Bernardo, Maiorio et Iustiniano videtur referendus inter regulas praefecti. Deinde, nemo iudicat, cogendum esse praefectum, ut quinto decimo quoque die audiat praeceptores; satis enim videri, si iubeatur frequenter, vel ad summum semel in mense id facere. Denique Pater Bernardus putat, tollendam esse eam particulam «secus agatur ut cum inobediente». Reliqua omnibus placent.

§ 3 – Iisdem tribus patribus Bernardo, Maiorio et Iustiniano videtur hic paragraphus pertinere ad regulas praefecti studiorum.

Caput VIII – De privato studio scholasticorum — § 1 – Communi consensu addendum videtur, ut scholastici modum studendi accipiant vel a praeceptoribus vel a praefecto.

§ 2 – Distributio librorum scholasticorum videtur omnibus permittenda vel iudicio praefecti vel praeceptorum.

Caput IX – De vacationibus — Cum vacationes non solum necessariae sint ob remissionem laborum, sed etiam ut praeceptores comparare possint suas lectiones, et scholastici audita recognoscere, communi omnium patrum iudicio visum est, illas non esse tantopere resecandas. Quo circa, si fiat initium legendi principio novembris, videntur lectiones inchoandae post anniversarium defunctorum. [100r] A feriis natalitiis satis esse videtur scholas repetere post calendas ianuarias; vacandum vero a feria quinta bacchanalium inclusive usque ad feriam quartam Cinerum a prandio exclusive; denique tota hebdomada sancta usque ad octavam Pasquae inclusive.

§ 4 Placet omnibus, in Italia duos integros menses feriari. Et quatuor quidem patribus videtur vacandum a quintadecima die augusti usque ad festum Sancti Lucae; Patri Rectori vero a fine augusti usque ad initium novembris.

Caput X – De gradibus — § 3 – Pater Bernardus et Pater Maiorius satis esse putant, si tres tantum examinatores constituentur. Reliqui nihil dicunt.

§ 4 – Pater Bernardus censet, habendam esse rationem antiquitatis doctoratus, vel temporis, quod in legendo insumpserunt; ita ut ii praecedant quoscunque, etiam si actu legant. Reliquis haud liquet.

§ 6 – Baccalaureatus communi consensu non videtur introducendus, ubi non est in usu, quia alioqui nullo in precio haberetur et daretur sine fructu, qui vellent. Pater Bernardus et P. Maiorius negant esse arcendos eos a theologi doctoratus gradu, qui ordinem sacrum nullum habent, nisi loci consuetudo repugnet.

§ 9 – Patres Bernardus, Maiorius et Iustinianus negant, introducendam esse orationum adhortatoriam, ubi non est in usu.

### Provincia Sicula

Caput I – De tempore, quo scholasticae theologiae curriculum perficiendum sit. — Placuit omnibus sufficere quadriennium.

Caput II – Placuit omnibus, satis esse duos professores, et Summam D. Thomae ita distribuendam esse, ut in hoc ipso capite distribuitur. Secundum et tertium punctum placere etiam omnibus, et usque ad quinquagesimam quaestionem lectiones extendi posse, dummodo non omittantur principales aliae materiae. Quartum punctum de tribus professoribus constituendis quinque patres omnino repudiarunt, sextus autem admisit. Nonum, excepto uno, omnes censuerunt expungendum, propterea quod inducit confusionem praeceptorum, et non mediocrem affert praefecto difficultatem. Non enim observari potest sine difficultate. Et si praeterea observetur, non constabit uniformiter pertractandarum quaestionum ordo, qui in octavo puncto statuitur.

Caput III — Quartum punctum cum tribus praecedentibus placuerunt omnibus. Omnes enim existimarunt, dandam esse operam, quoad fieri potest, ut dictatio excludatur. Illud autem, quod postea subditur «Haec autem praelegendi ratio posset esse huiusmodi fere etc.» ponatur pro instructione et gratia exempli. Cuique tamen professori, quoad eius fieri potest, elaborandum est, ut remota dictatione, suo muneri satisfaciatur et auditoribus . . . [Stud. 2, f. 34v] . . .

Caput V – De repetitionibus — Primo puncto addendum videtur: Licet praeceptori, si velit, interrogare unum vel plures. In secundo puncto ubi dicitur «praemoneantur tres ad totum», dicatur «duo vel tres». Post quadrantem vero repetitionis disputetur a duobus vel tribus. In tertio puncto placet, professores liberandos esse, ubi commode id fieri potest. Quod in quarto puncto dicitur de repetitione hebdomadaria die dominico, etsi non careat utilitate, nam tamen videtur habere difficultatem.

Caput VI – De disputationibus — Primum et secundum punctum placuere; praesertim, ubi collegia pura sunt distincta a professis domibus. Tertium etiam receptum est; ita tamen, ut sint duo professores.

Caput VII – De opinionum delectu — Totum caput placuit.

De privato studio scholasticorum — In secundo puncto visum est omnibus, dandum esse D. Thomam cum Caietano; reliquos autem libros arbitrio praefecti distribuendos esse.

Caput IX – De vacationibus — Quae in secundo puncto dicuntur, observanda censentur iuxta locorum consuetudinem.

### Provincia Veneta

Caput I – De tempore, quo scholasticae theologiae curriculum perficiendum sit.

Pag. 79 et sequentibus – Consultius esse videtur, si academiis tres theologiae scholasticae professores praeficiantur in gymnasiis; tum quia explicatius et consideratius res omnes, quae ad hanc facultatem pertinent, persequi possent. (Quod si duo tantum doctores statuantur, quos temporis praeclosos angustiis nonnulla praeterire silentio videmus, multa cursim attingere, non pauca perobscure brevitati coacti studere, non tam explicare, quam maiores illis tenebras offundere); tum etiam, quia accommodatior cernitur esse earum rerum, quae tractantur, partitio; tum etiam, quia auditores nostri, qui scholasticae vacant theologiae casuum conscientiae rationes et fundamenta perciperent, et ad docendum etiam evaderent aptiores, quam si nostri enarrantem casus doctorem aliquem audiant. Immo experientia compertum est, eiusmodi doctorem non libenter audiri ab iis, qui scholasticam profitentur, ac ob id raro ex casuum conscientiae lectione quidquam utilitatis excipi. In singulis vero provinciis pro nostris, qui scholasticae theologiae vacare non debent, alter in alio provinciae collegio statuatur professor, qui non scholastice, sed casistice agat. Atque illud collegium quasi nostrorum quoddam eius generis scholasticorum erigatur seminarium. Hanc vero scholasticorum separationem vel eam ob rem maxime probandam esse dicunt, quoniam eiusmodi scholasticis, qui ad graviora studia ineptiores sunt, gravis tentationum tolletur occasio, quibus saepenumero illos circumveniri videmus, cum sibi ceteros praeferrere conspiciunt, et ipsis contemptui esse putant. Ubi vero opus fuerit, ut in externorum gratiam quartus statuatur doctor, qui casistice conscientiae casus exponat, si primarii collegii redditus ferant, constitui posset. Quem tamen nostri, qui scholasticae theologiae sunt addicti, audire non cogantur.

Pag. 89 – Quoniam duos tantum theologiae scholasticae professores statuerant, lectori secundo in 2<sup>o</sup> anno eam rerum tractandarum partitionem decernunt, ut initio de Incarnatione pertractet, mox, si possit, percurrat etiam sacramenta confirmationis, ordinis et extremae unctionis. Quae partitio vel ea ratione non videtur esse probanda, quod praepostero ordine sacramenta aggrediretur. Itaque accommodatior videtur distributio, si initio de Incarnatione agat, reliquo vero tempore de sacramentis in genere. Quam tractationem absolvet eo tempore facillime. Quod fieri commode posse, non una vel altera, sed multorum annorum experientia compertum est.

Pag. 95 – Habetur, non coacervandas obiectiones, nisi potissimas etc. – Id fortasse auditoribus, qui aliquos progressus in theologia fecerint, vel acriori valent ingenio, perutile foret. Verum neque in theologia tyronibus, neque iis, qui mediocri ingenio praediti sunt, et minus in theologia exercitati, videtur expedire. Hi enim per se aliarum obiectionum, quae potissimae non sunt, solutionem non possent suo Marte percipere. Et cum nonnunquam ex leviorum obiectionum solutione contingat illos, si eae omittantur, graviorum difficultatum intelligentia quoque privari, attingi quoque ipsa debebunt.

Neque illud plane probandum est, quod aiunt ibidem: iactis solum fundamentis, obiectionum ac contrariae sententiae rationum solutiones omittendas. Experimur enim saepe, auditores ex praeiactis fundamentis vel nulla ratione per se ipsos elicere posse solutionem, vel non nisi laboriosa mentis agitatione adumbratam assequi; et conqueri externos praecipue de nostris professoribus audivimus, cum in forma rationibus non faciunt satis. Et cum id non aliam ob rem praecipitur, nisi quia id per breve tempus professoribus praescriptum non patiatur, facile huic incommodo occurritur, si tres, ut dictum est, professores theologiae scholasticae praeficiantur. [*Stud. 3, f. 159v*]

Pag. eadem § 3 – Praecipitur, ne singulariter fiant tractatus etc. Ad tollendas inter praefectum et professores contentiones, videtur statuendum, in quibus materiis tractatus constituere liceat. Neque id difficile esse vidimus, aut magni laboris opus. Perpaucae enim sunt materiae, in quibus licere possit, cum D. Thomae ordinem in caeteris ex praescripto sequantur.

Pag. 123 § 2 initio – Cum de repetitionibus agitur, praecipitur, ut nostri omnes ad repetitiones parati veniant, ut a praeside interrogati singuli respondere possint. Atqui id esset intolerabile iugum auditoribus imponere. Deinde, ut plurimum, sine fructu fieret; totum enim nocturnum ante repetitiones tempus ita in mandandis memoriae lectionibus insumerent, ut speculationi nihil facerent reliquum. Praeterea, in tres vel quatuor, qui vel diligentia et studio, vel ingenio et memoria magis valent, res tota recideret. Hi enim semper interrogarentur. Caeteros praeses, vel ne illos torqueret, vel ne taedio eorum inscitia et ad repetendum ineptitudine ipse afficeretur, semper vel saepe praeteriret. Denique longa aliquot annorum experientia id non expedire monstravit. Satis igitur sit, si singuli singulas lectiones suo quique ordine repetant.

Neque illud probandum est, tres ad disputandum debere esse paratos, cum saepissime contingat, ab uno tantum totum illud tempus, quod repetitioni superest, assumi in disputando; ut merito reliqui conqueri possent, quod tantum temporis frustra in praeparatione contriverint.

Pag. 124 § 3 – Ad repetitionum onus non videntur professores obligandi, eo praesertim tempore, quod est repetitioni tributum; verum cum disputatur, cogendi sunt. Ex praeceptoris enim explicatione plura contingit auditores addiscere, quam ex lectione ipsa. Praeses autem, qualis qualis ille sit, nunquam praeceptoris sententiam ita assequitur, ut omnibus enucleate valeat satisfacere. Unde saepe graves contestationes et querimoniae auditorum. Neque praesidi tantam fidem habebunt, ut ipsius solutioni acquiescant.

Eadem pag. ad finem dicitur, ubicunque duobus mensibus vacatur, primo vacationum mense vicissim exeundum esse ad villam. Videtur magis expedire, si secundo mense id fiat. Etenim alacriores et animo promptiores confirmatis iam viribus redirent ad studia. Satis autem superque esse videtur, si per quinque vel sex dies, antequam resumant studia, se colligant et ad eorum onus rursus subeundum se parent.

Pag. 126 – Sive duo fuerint festa in hebdomada, sive unum tantum cum vacationis die, protrahenda non videtur ultra 15 diem disputationum exercitatio. Ex qua longe maiores solere percipi ab auditoribus fructus, quam ex lectionibus ipsis, experimento didicimus. Singulae vero hebdomadariae disputationes sesquihorae spatium non excedant; neque menstruae vel celebriores, de quibus § 4 praecipitur, trium horarum spatium, etiam si a prandio non haberentur, excedere deberent. Nemo enim tanta est laterum firmitate, quin, cum per tres continuas horas clamaverit, vires corporis non deficiant, vel cui ingenii virtus non languescat. Sedentes etiam taedio affecti torquentur, odiosaeque hinc fiunt, atque omnibus onerosae perlongae concertationes, ut auditores non tam qui ex illis percipi solent fructus, alliciant, quam longitudinis taedium ab eisdem deterreat. Atque huc ea adferri commode possunt, quae pag. 132 ad finem scribuntur. Etenim in hanc sententiam maxime quadrare videntur. [*Stud. 3, f. 160r*]



Pag. 131 – Ubi, siquid vero rectori delatum fuerit de praefecto etc. Quibus professorum auctoritati ostenditur esse consulendum. Recte illud quidem. Verum non ita consultum esse velint praefecto, ut professorum dignitatem nihili pendendam esse existiment. In omnibus igitur rebus, in quibus continget aliquid esse inter praefectum et professores controversum, meminisse semper iustitiae et innocentiae rectores oportet, ne dum plus quam opus sit,tribuendum esse putent praefectorum auctoritati, professorum dignitati derogatum iri velint, eorumque animos frangant, ad studiorum onera et quidem gravissima perferenda.

Pag. 138 § 2 – Examinandi ea, quae ab aliquo professorum non satis bene explicata videntur, munus plane rectori atque praefecto demandatur. Non videtur tamen undequaque tutum, ut qui corripitur, cum fructu correptionem accipiat; praesertim, si contingat, rectorem in studiis non multum esse versatum. Is enim, qui corripitur, ex praefecti voluntate factum arbitrabitur; neque se iure damnatum, sed quia ita praefecto visum sit. Satiùs et consultius esse videbitur, ut is qui corripitur, correctioni acquiescat, si cum praefecto et rectore duo vel tres professores in consultationem asciscantur, qui rationibus hinc inde auditis, ad plura suffragia, quid agendum putent esse, decernant in Domino.

Pag. 140 § 2 tollendus prorsus videtur, cum ea, quae ibi dicuntur, praefectorum iudicio relinquenda videantur.

Pag. 142 § 2 et 3 – Quae de vacationibus traduntur, corrigenda videntur iuxta illa, quae hactenus visa est superioribus in quibusque locis consuetudo. Quod si quis irrepsisse videatur abusus, tollendus est. Persuadent autem hoc multa; primo, quia eiusmodi vacationum innovatio, praesertim contra longo temporum decursu confirmatum usum, fastidium parit externis. Deinde, quia fit apud ipsos aliqua Societatis famae iactura, inconstantiaeque ob id arguimur. Denique, quia non posse eandem vacationum regulam ac rationem in omnium locorum ac provinciarum vivendi modum ac normam quadrare, multiplex ac longa docuit experientia.

Pag. 143 § 3 – Concedendus videtur ubique nostris integer in hebdomada vacationis dies, tum ut eadem nostris esse videatur ubique gentium norma vivendi; tum etiam quia nonnunquam continget, ut professorum aliquis ex uno loco, ubi per totum diem integrum vacatur a studiis, migret in aliud, ubi solum vacatur a prandio. Et tunc gravate feret, et forsàn se id posse negabit. Hinc cum superioribus et praefectis querimoniae et altercationis occasio.

Pag. eadem § 4 – Idem hic de vacationum ratione dicendum quod § 2 dictum est. Patavii enim, si lectiones sub D. Lucae festum inchoarentur, nullus plane interesset auditor. Quod experti sumus.

#### Didacus Tapia S.I.<sup>6</sup>

Circa caput V de repetitionibus (fol. 122) — Circa paragraphum tertium (fol. 123) videtur, professores non esse liberandos a repetitionibus, nisi alicui propter specialem causam hoc concederetur; quia melius ipsimet magistri solvent discipulorum dubia, et opiniones proprias defendere docebunt. Et hoc maxime videtur observandum, ubi mos provinciae est vel fuit talis, non enim videtur immutandus.

Circa caput sextum (f. 126) De disputationibus — De habendis disputationibus die sabbathi vel dominica videtur observandam esse consuetudinem collegiorum; maxime si ea esset antiqua, ut dicitur in eodem capite. [*Stud. 2, f. 51v–52r*]

<sup>6</sup> De D. Tapia S.I. cf. supra, mon. 10 adn. 59.

Circa caput nonum – De vacationibus (fol 143 § 5) — Ubi esset receptum, non esse diem recreationis in hebdomada, ubi occurrit aliquod festum, mos is observandus videtur; maxime si scholares saeculares hunc morem observarent. Non enim decet nostros plus illis vacare.

### Assistentia et provincia Lusitaniae

De repetitionibus — Pag. 122 – «Retineatur loci consuetudo» – ut in hac provincia, in qua huiusmodi repetitiones theologicae scholae dignitati non nihil derogaturae videntur.

Pag. 125 – «Ubi duobus vacatur mensibus etc.» – Commodius fortasse fuerit, decursis aliquot vacationum diebus, quibus scholarum totius anni taedium aliquantisper levetur, huiusmodi repetitiones aggredi vel prout rectori videbitur.

Praeterea hae caeteraeque huiusmodi literariae exercitationes diebus dominicis omitti deberent in hac provincia, in qua nostri toto anni tempore satis frequenter in eas incumbunt atque interdum vix respirandi locum habent.

De disputationibus — Pag. 126 – «In sabbatho» – Hebdomadariae theologorum disputationes habentur Conimbricae feria quinta, ut iis interesse possint academiae theologi, qui eo die feriantur. Idem fit Eborae statuto academiae.

«Ad haec quolibet mense» – Disputationes et actus, de quibus in huius capitis progressu agitur, haberi in eborensi academia non possunt, tum propter aliorum actuum frequentiam; tum quia illius institutis repugnant, ut alia etiam quaedam in hoc libro contenta. Sed neque necessariae videntur in conimbricensi collegio, ubi singulis hebdomadis publicae disputationes a nostris theologis habentur.

Pag. 129 – «Praefectus dum praeest» – Sentit P. P. Ferrer, non debere omnino interdici praefecto, ne ipse propositi argumenti difficultatem interdum explicet, neve ali- [Stud. 2, f. 301r]quando, si res postularit, etiam imperando magistros adducat ad loquendi vices servandas, vel ad finem argumento imponendum. Siquidem precarium imperium facile contemnitur, ipsaque ratio et rerum usus ostendit, ad gubernandum libertatem omnino esse necessariam. Ac si subditi intelligant, se a superiore vel superioris vicario esse rogandos, assumunt spiritus immodicos, nec facile in officio continentur, atque adeo omnes nervi disciplinae tum scholasticae, tum religiosae infringuntur. Haec ille.

### ASSISTENTIA HISPANIAE

#### Provincia Aragoniae

De theologia scholastica – De primo capite — Quamquam perplacet nobis vehementer, auditores nostros audire non debere theologiam [Stud. 2, f. 229r] scholasticam ultra quartum annum, tamen (dum R.P.N. Generalis non statuerit aliud) prorsus impossibile putamus, posse totam theologiam scholasticam recte percurri duobus lectoribus intra quatuor annos. Omninoque iudicamus id nullo modo agendum esse, quantumvis eodem accedant remedia universa, quae 2 cap. traduntur. Sed potius illud in primis ante omnium oculos versari semper debet: e multis incommodis minus eligendum; videlicet, ut scholares nostros aliquas primarias quaestiones non audire patiamur. Huic enim malo mederi possumus satis prolixè duobus deinde annis, quos Constitutiones assignant repetitionibus, et cum partus iam fuerit habitus scientiae per quatuor annos, facile per se ipsos auditores nostri perdiscere poterunt, quod non audierant, adiuti praecipue libris et nostrorum scriptis,

cum in omnes theologiae materias exstabunt. Praeterea, qui ad docendum pervenerint, legendis iis materiis, penitus eas cognoscent atque exhaurient. Scholares etiam ingeniosi, dum audiunt, alias praeterea materias evolvunt ipsi, quo in collegio duae tantum sunt lectiones. Cumque intersunt actibus, qui super iis habentur, vel parati iam ad tuendum, quod non audierant, vel de eo argumentandum accedunt. Atque ita rem omnino comprehendunt. Quibus tempus non suppetit ad repetendum, neque lectoris munus obtingit, per initium ministerii sui, si forte concionantur, percurrere possunt conclusiones eorum, quae a magistris nondum acceperant, brevi ratione illustratas. Atque hoc eis sufficiet, ne errent. Si autem audituri sunt statim confessiones, summa aliqua casuum celeriter evoluta, perficient, quae cognoscenda supererant. Cum enim probe didicerint praecipuum theologiae, facillimo negotio ipsi capient conscientiae casus. Denique, quantumvis legatur per totos quatuor annos, iuxta methodum capitis subsequentis, semper tamen necesse erit multa reliqua fieri eorum, quae nostros scire oportet, ne caecutiant in ministeriis obeundis. Et ut exquirenda erit opportunitas aliqua ad hoc sciendum, sic ipsa eodem negotio occurreret ad reliqua alia. Hacque ratione damnum huiusmodi sublatum erit.

At vero, quae subsecuntur incommoda ex universa theologia quadriennio per duos lecta, sequentibusque subinde quadrienniis eadem omnino repetita, remedium non habent. Principio nostri scholares, theologi nimirum evadent superficiei tenus, paucis [229v] penitus cognitis, multis autem prae festinatione nondum digestis; ut idcirco sane verendum sit, ne multi habitum scientiae non acquirant, et tardiores, aut ita, vix mente concipiant, vel effluant cito, quod parum in singulis pedem figant. Atqui satius est perfecte acquirere scientificum habitum quatuor materiarum, quam duodecim scire mediocriter. Deinde, quaestionum S. Thomae ordine non servato, sed multis intermissis, fit, ut impediat scientiae acquisitio, quod aliae ab aliis pendeant. Scripta quoque erunt imperfecta et in minimo honore. Docetque experientia, Societatem multorum animos ad se convertisse per optimos commentarios. Quod nunc finem habebit. Opus etiam erit, ut scholares componant sibi alios commentarios super iis, quae magister tacitus praeterierit. Quod longe difficilius erit eo, quod in magna varietate materiarum contingat, quam tribus aut quatuor accurate vacare. – 3<sup>o</sup> compertum habetur iam apertissime, ubi hac praepropera festinatione lectum est, respectu plurimorum, cum ingenio tum sagacitate praestantium auditorum, paucos evasisse theologos egregios, quique partem aliquam in profitendo ferre possent. – 4<sup>o</sup> lectores non excellent in theologia, nec fient homines multae lectionis, nec in pluribus valde versati propter indictam sibi properationem. Ac numquam ea, quae dudum lecta reliquerunt, perfecte scient, cum octavo quoque anno ad ipsa necessario revertantur. – 5<sup>o</sup> usus academiarum, quas hic novimus, fert, ut paucae quaestiones singulis annis explicentur. Omnino vero contrariam inire rationem nec placebit, nec satis foelicem exitum habebit. Praesertim, quod praeceptores ad hoc pensum celeriter absolvendum etiam atque etiam instaturi ursurique essent scholasticos, ut notis scriberent. Hocque uno de externis auditoribus actum esset.

Quintae dubitationi, quae hoc in capite proponitur, non videtur satisfactum; videlicet, quod multae theologiae partes nondum perfectae sunt. Atque in illis etiam praeceptores nostri passim haerebunt, cum numquam penitus eas excusserint, nec perficiendi spes reliqua fiet, si numquam sint in medium afferendae. [230r]

Sed neque octava ratio prorsus extricata relinquitur de valetudine professorum. Nam moraliter non videmus, qui revocari posset in praxim, quod dicitur. Neque enim possunt esse praeceptores omnes egregii, nec a primo die docti, nec multo ante tempus moneri queunt, neque Societatis lectores tam liberi ab occupationibus fingi possunt, quin agere

etiam cum externis auditoribus necesse non sit, et primarios viros confitentes audire respondereque quaestionibus rerum agendarum ab iisdem propositis. Quod si in celebrioribus civitatibus versari contingat, plerumque fas non est recusare conciones, quas nominatim efflagitant principes viri et optimates, qui apud nos auctoritate praestant et meritis. Domi vero saepe fiunt consultores etc.

Denique, qui ad hoc profitendi munus assumuntur, adversa valetudine iam laborant, vel brevi eam contrahunt ex ipsa contentione studiorum. Nequeunt ergo perficere quaecunque hoc capite traduntur. Quae cum ita sint, restat hanc esse optimam legendi methodum, ut enucleate ac perfecte omnes materiae perlegantur, quae mere theologae atque arduae sunt, servato ordine et commodo ad eam rem tempore designato; ut uno quadriennio quaedam praetermittantur, alio autem aliae iuxta legem aliquam hac de re sancendam. Atque ita removebuntur incommoda praedicta. Quod si praefixo iam termino exigeret quis laxius tempus (ut in tertia ratione significatur), non continuo necesse erit in eius optatis acquiescere. Quoniam ratio concedendi desumenda non est ex eo, quod quis postulet, sed quam ob causam illud postulet. Ex quibus responsio facilis est ad omnes rationes oppositas.

Unum illud viget adhuc, quod hoc contra Constitutiones 4 P. c. 15<sup>7</sup> facere videatur. Sed in promptu responsio est, quoniam Constitutiones non imperant nobis duos tantum lectores; immo (ut apparet ex ipso modo loquendi) ponunt aliqua ex parte usum academiarum, in quibus habentur quinque aut sex etiam lectiones theologiae scholasticae. Deinde non dicunt legenda esse quadriennio quaecunque scholasticos scire oportebit, sed omnia, quae legi oportebit. Certum est autem, non omnia [230v] legi oportere, sed praecipua; reliqua per se quisque discat. At vero, si uno quadriennio principaliora legantur, relictis in ipso nonnullis, et in alio aliis, semper regressus fiet eodem post quatuor annos, unde initio fuerat caeptum, quemadmodum Constitutiones ibidem statuunt.

Hinc sequitur, valde expedire, addere tertium professorem theologiae scholasticae, quo discipuli plures materias audiant, minus autem habeant repetendum. Necessarium etiam est in collegiis quidem praecipuis, ut tertius lector ad manum habeatur, qui intra domesticos parietes exerceatur, ut aliqui paulatim se comparent ad docendum publice externos; et specimen interim praebeant, unde iudicari facile possint, sintne ad eiusmodi munus idonei. Nam, ubi quis legerit coram externis aliquo tempore, non potest non cum aliqua nota deponi. Cum autem necessitas tulerit, antiquos professores rude donare, saepe deerit, quem superiores sufficiant in locum alterius, nisi hoc ita statuatur. Si enim, postquam aliquis finem repetendae theologiae fecit aut artium legendarum, non assumitur ad legendam theologiam, illico in aliis ministeriis occupatur, et cum ab eis revocabitur ad legendum, semioblitus iam erit, sicque minus alacriter ac fructuose novum hoc munus obibit.

Hunc privatum lectorem solummodo primi et secundi anni scholares audire deberent, quando tertii et quarti Scripturam iam audient. Pluribus vero quam tribus lectionibus theologos onerare, dispendium magnum adferet. Quamobrem, ubi tres fuerint lectores theologiae scholasticae, lector casuum addendus non esset.

De secundo capite – Quod in aliquo collegio non sint nisi duo lectores theologiae scholasticae, non propterea satis consonum fore videtur obligationem illis imponere praelegendi plures materias. Nam, ubi tertius lector haberi non potest, minus quoque haberi poterit, ut plurimum, qui adiumento sit in dirigendis assertionibus, disputationibus, repetitionibus et collationibus. Ac proinde praeceptores frequentius in his distrahentur, et ple-

<sup>7</sup> Vide MP I 303 305.

rumque negotiorum tam foris, quam domi maior suppetet numerus, eaque inter pauciores distribuenda erunt. Ergo eos nihilominus in obligationem dedu-<sup>[231r]</sup>cere evolendi plures materias, et inde quae minus ad propositum faciunt, rescindendi, onus prope humeris impar videtur. Quamobrem a nullo praeceptore (sive duo sint sive tres) postulandum hac in re existimamus, nisi ad summum quod sequitur.

Professor unus primo anno explicet 26 quaestiones primae partis cum rebus theologis currentibus in materia de creatione. Secundo anno de Trinitate et de angelis quod poterit. Ex 1a 2ae primo anno 21 quaestiones cum materia de virtutibus aut de legibus, quantum poterit. Secundo anno de peccatis et de gratia, quantum valebit. Ex 2a 2ae primo anno de fide cum controversiis, de Scriptura, de Ecclesia, de pontifice, de concilio. Non enim opus est in Hispania integer annus ad has controversias. Secundo anno de spe et caritate quantum poterit. Tertio anno a q. 57 usque ad 88 selectis magis praecipuis. Quarto anno a q. 88 usque ad finem quantum ex potioribus complecti poterit. Ex 3 parte primo anno de Incarnatione, secundo anno de Sacramentis in communi, de baptismo quaedam graviora; reliqua brevissime, recisa, si placuerit, materia de circumcisione, copiose autem de Eucharistia. Tertio anno de paenitentia et omnibus censuris more theologico. Quarto anno de ordine et matrimonio. deque eius impedimentis et de extrema unctione. Nam de censuris, de virtutibus et de impedimentis matrimonii nunquam agere theologum in Societate videtur incommodum. Credimus vero professorem unum satisfacere posse iis, quae hoc loco dicimus, dum non sit dies recreationis, qua hebdomada obvenit festum nec hebdomadales assertiones lectionem ullam impediant.

Optimum autem esset, indicare materias et quaestiones graviores, quae copiose tractandae sunt. Ubi vero habetur lectio casuum, materias, quae intercipiendae sunt ex praedictis, quasque uno quadriennio praeterire oporteat, quasque alio, praesertim ubi duo tantum sunt professores, nec adest tertius, neque ullus casista. Atque iis serio commendanda esset brevitatis ac recisio rerum minus necessariarum. <sup>[231v]</sup> Urgere nimium professores, ut semper tot quaestiones praecise expediant, maxime quando sunt numerosae ac graves, crediderimus, nequaquam expedire. Siquidem ingenia valde sunt dissimilia, multis autem impossibile videbitur, legentque ipsi propemodum amarulento animo. Atque ita, suavitatis causa, saepissime decet verba illa usurpare: Quantum poterit, vel: quoad eius fieri poterit. Cumque iam cernant, novam materiam sibi necessario obvenire insequenti anno, ipsi sponte sua properabunt, ne materias suas inchoatas relinquunt.

De § 8 — In § 8 coarctandae non sunt quaestiones mediocres duabus tantum opinionibus a professore referendis. Nam si ea de re quatuor exstant et graves habent auctores, verendum esset, ne scholastici suspicarentur, nondum de illis constituisse praeceptori, aut in theologia praeter duos illos modos neminem loqui posse sine nota temeritatis. Quod ad expendendas propositiones esset incommodum. Itaque satius esset praecavere, ne absurdae opiniones referantur, sed praecipuae tantum copiose; reliqua breviter.

De tertio capite — Morem dictandi convellere consonum non putamus in sacra theologia, eo quod in ea non est autor omni ex parte sequendus, nec talem aliquem fore est verisimile. Unus habetur S. Thomas quasi textus, ad quem optimus quisque professor lectiones suas componit pro sui ingenii acie, diversis observationibus, argumentis, inventionem et ordine ab aliis. Quo fit, ut necesse sit scribi lectiones, ne alioqui plerique auditores minus prompti reperiantur ad eam statim repetendam; neve contentiones oboriantur inter ipsos de referenda mente magistri, praesertim in collationibus quotidianis propter maius tempus interiectum. Qui vero in ipsa lectione non omnia comprehenderunt, carebunt hoc adiumento scriptorum, quo nunc fructuose utuntur; identidem oculis lustrantes, quae in schola

scripserunt, quaeque non probe tenebant; tunc demum intelligentes aut etiam inquirentes ab aliis. At, qui recte lectionem iam perceperunt, quam rationem ineant, non habebunt ad eam semel ac iterum recolendam, ut inde etiam argumenta decerpant, aut ad tuendas assertiones parentur. In repetitionum tempore duce carebunt, et in toto vitae cursu, cum opus fuerit memoriam studiorum renovare, sive ne oblivioni tradantur, sive concionum parandarum causa, sive quaestionum conscientiae definiendarum, sive ad argumentandum, prorsus eo perfugio destituentur, quod in scriptis habere potuissent.

Iam vero intolerabilis labor manet eis, qui sunt professuri; quantumvis enim dictare non debeant, nova sibi scripta facere cogentur, cumque pristina scripta polienda, perficiendaque non sint, sed nova semper excogitanda, numquam in hoc genere Societas perfecti quid-[232r]quam habebit. Quapropter satis apparet, scripta auditoribus absolute esse necessaria, ut vel quisque sibi, quod potuerit, scribat vel dictet magister. Prius nequaquam expedit. Quia pauci, id est ingeniosissimi tantum id poterunt. Reliqui incommoda praedicta incurrunt; quin vero hi, qui scribunt, distracti magis in eo erunt, quam si dictaret magister. Dum qui scribunt, quae perceperunt ab ipso, interim praetervolant, quae dicuntur; et hi quidem hoc modo scripta excipient, isti vero alio modo, et controversiae de sententia magistri subsequenter. Et plerumque defectibus, mendis atque lituris eorum scripta redundabunt. Quod si transcripserint, multum tempus conterent. Sin minus, post aliquot annos scriptis suis ipsi uti non poterunt. Et in universum omnes parum proficient. Itaque memoriae proditum est, quando Fr. Franciscus Victoria<sup>8</sup> Salmanticam invexit hunc dictandi morem, qui aliter didicerant, solitos esse dicere iis, qui per id tempus litteris operam dabant, maiores progressus eos facere tunc in theologia duobus annis, quam ipsi fecissent sex annis. Adde quod magistri minus sibi laborandum putabunt, cum videant suam sententiam litteris consignandam non esse; nec subscripto quasi nomine tradendam, ut omnium iuditio ac reprehensioni pateat. Atque prolixos excursus facient interdum pro suggesto loquentes, nec satis multa percurrent longo tempore, ut experientia docet. Paucis vero mensibus interiectis pugnancia proferent. Denique perfecta scripta nunquam Societas obtinebit, et de externis pauci subsequi poterunt. Ideoque nos deserent. Exploratum siquidem est, scripta Societatis multos allexisse externos, nostris autem celebre literatorum nomen merito peperisse.

Methodus, quae traditur post § decimum, teneri non potest usquequaque. Nam eadem propositio totidem verbis semel tantum repetita, fere numquam commode scribi poterit ab auditoribus; praesertim, si (ut ibidem praescribitur) praeceptor interim explicet eam pluribus clarioribusque phrasibus, vel afferat exemplum seu similitudinem etc. Potius enim interturbabit et parum percipient exempla, dum aliud celerius scribent. Neque obscura tantum et lubrica scribere oportet. Scripta enim integra esse debent, ut omnes materias ordine complectantur, ne sit opus aliis contextendis.

Quapropter omnis cura eo traducenda esset, ut multa potius conquirerentur praesidia, ut mos legendi dictando esset viva voce docere, non autem dictatio emortua. Quemadmodum si, praeter adlegationes (has enim potest praeceptor verbatim dividere prout libuerit), caetera sic doceat, ut quamlibet propositionem semel integre et significanter pronunciet, nullo verbo prorsus repetito, tum eadem distribuat in sua membra, quae sic revocabit, ut commode excipi possint. Aut si maluerit, rationem semel efferat integram; deinde dictet eam. – Secundo, si quid duobus loqui potest, ne pluribus [232v] verbis enuntiet, compositis

<sup>8</sup> Fr. de Vitoria O. Pr. (ob. 1546), hispanus, theologus; cf. *Dict. de Theol. Cath.* XV (1950) 3117-44.

hac de causa brevissimis dictatis, sed valde perspicuis. Qua in re compendium dictis fieri posset brevissimum in modo ordiendi ac contexendi quaestiones, notabilia et conclusiones. – 3<sup>o</sup> quoties docebit difficile quidpiam atque abstrusum, antequam id dictet, aut postea, rem apertissime exponat. Quod prudentiae magistri relinquere oportebit. Et tantummodo dictet, quod satis fuerit intelligentiae autorum. – 4<sup>o</sup> si quid tetigerit e Commentariis Caietani, aut alterius pervulgati libri, illud explicet dictatis bene iis, quae postulaverit connexio scriptorum, adiecta brevi adlegatione. His ergo et similibus rationibus adhibitis, non opus erit quinque horae quadrantibus legendo conficere. Nam et nostri maximopere lassarentur et collegiorum ordo perverteretur; et externi sustineri non possent, ubi excepturi sunt alias lectiones praeter nostras.

Constat profecto hunc dictandi modum in Constitutionibus minime tradi. At neque in ipsis prohibetur. Cumque praecipiant Constitutiones scribendum esse in gymnasio, et experientia doceat, non posse aliter in theologia bene scribi, quam praedicto modo, potius hoc erit adhibere viam certam ac rationem bene exequendi, quod iubent Constitutiones, quam eis repugnare.

Atque hac dictationis norma omnia viva voce legentur. Auditores, nisi cum primum incoeperint theologiam, lectionem plane intelligent, plures percurrentur materiae, et quas audire non potuerint, assuescent sibi componere, quando ad eas privato studio se contulerint, adiicient interdum aliqua commentariis magistri. Quibus rebus non parvo adiumento erunt dictata praeceptoris. Cum autem primarius aliquis vir scholas invisit, hanc methodum hic servamus: scriptio cessat; tum exponitur continenti oratione quippiam eorum, quae dictata iam erant, una cum iis, quae dictanda sequebantur. Hacque ratione occurritur incommodis, quae ex alia parte commemorantur.

Cum iam extrema manus huic scripto accessisset, pervenit ad nos consultum quoddam et decretum magistrorum theologiae salmanticensis academiae, ubi multis et optimis rationibus demonstratur, utilissimam esse, vel in primis in theologia, legere dictatis. Testantur autem post annos quadraginta, ante quos invecta fuit haec consuetudo, celebriores extitisse theologos, et doctrina solidiori ac tutiori quam ante. Periculosum vero esse non scribere auditores lectionem verbis magistri, [233r] cum theologiae res adeo sunt delicatae, ut detracto vel addito verbo, cibus vitae fiat venenum. In complutensi quoque academia, cum uno anno dictata exulassent, restituenda fuerunt illico, quoniam penitus scholasticorum studia extinguebantur . . . [233v] . . .

De quinto capite [234r] — De § 2 – Quamquam, ubi is numerus scholasticorum suppetit, qui cernitur Romae, poterunt tres respondere in domesticis repetitionibus, et totidem disputare, tamen, ubi pauci numerantur, vix erunt, qui respondeant, quive concertent, si tot sunt interfuturi, nisi vero quotidie fere producantur iidem.

De § 3 – Si is, qui praest, adhuc est discipulus, non reverebuntur eum scholares; sin alius vir eruditus, grave onus sustinebit, dum fingere debet ingenium suum ad cogitata atque inventa aliena. Semperque aliquid de suis ingeret atque inculcabit. Quodque praeceptor in lectione collegerit, tunc dissipabitur, et auditorum ingenia confundentur, voluntates vero amaritudine replebuntur.

Constitutiones in 4 P. c. 6 lit. H<sup>o</sup> indicant abesse debere praeceptorem repetitionibus; at § 11<sup>o</sup> volunt in quotidianis disputationibus praesidem esse. Item in aliis disputationibus, de quibus praecedenti §. In hebdomadalibus autem usus habet, ut magistri praesint. Idem

<sup>9</sup> Vide MP I 239 241.

ergo dicendum erit iuxta Constitutiones de quotidianis. Itaque, licet professores liberentur a repetitionibus, tamen disputationibus eos debere assistere significatur. Cum autem modo haec duo coniungantur in Societate, Constitutiones ipsae postulare videntur, ut praeceptor ratione disputationis intersit ac praesit. Atque in hac provincia hic usus retinetur. Et ubi tres sunt professores, plerumque non obtinget cuique, nisi semel in hebdomada, ubi autem duo, bis in hebdomada. Atque in collegiis, quae duos tantum habere possunt, raro aut numquam invenietur, qui commode auditoribus praeesse possit. Qua de causa decretum ferendum esset, ut praeceptor praesit disputationibus quotidianis. Exceptionis autem loco addendum: cum adesset, qui hoc munus commode admodum praestare posset, penes rectorem esse, permittere facultatem, ut praesit alius a praeceptoribus.

De sexto capite [234v] — De § 1-2 – Tantummodo praeciendum esset, semel in hebdomada habendas assertiones, nullo certo die praefinito. Quoniam in 4 P. Const. c. 6 § 10 disiunctim dicitur, ut habeantur die dominico aut alio die profesto. Hic etiam § 1<sup>o</sup> non obligant patres geminis conclusionibus eos, quorum vetus academiae consuetudo exigit, ut dominico die in scholis habeant disputationes. Neque igitur obligare debent binis conclusionibus eos, qui inter hebdomadam has semel tuentur. Sed tamen dici potest, ut ubi praeposito provinciali expedire visum fuerit, dominicis quoque diebus aliquando publice defendantur assertiones. Ubi vero externorum concursus ad disputationes non est admodum frequens, habendae essent diebus a legendo non feriatis; ea tamen hora, quae lectionem non impediret, quoniam tot materiae professoribus sunt percurrendae. Praemonendum quoque esset, ut dum assertiones non defenduntur in sabbato, non praetereantur quotidianae repetitiones; cum hae tollantur ex sabbato in c. 5<sup>o</sup> praecedenti § 2<sup>o</sup> ratione conclusionum<sup>10</sup>.

De § 3 – Si in Hispania tres simul auditores defendant, offensioni magnae erunt. Sicut etiam, si professor praesideat extra suggestum atque respondentium unusquisque, maiorem partem cessabit obmutescens. Difficile autem in primis est externos coarctari hac methodo et vicissitudine argumentandi. Hoc penes praepositum provincialem esse deberet, ut iuxta mores nationum ac gentium quisque in sua provincia, cum approbatione Patris N. Generalis statuatur, quod magis decuerit.

De § 4 – Ut fiant, quae hoc loco praeciuntur, non est par facultas in plerisque collegiis propter paucitatem scholarium. Itaque oporteret sub finem huius § quarti adiungi: per provincialem, audito primum rectore et consultoribus ac professoribus theologiae, decernere debere, quid facto opus sit in singulis collegiis. Videtur quoque arduum sic distribui oportere actus, ut unus reservetur in ultimam hebdomadam, qua studia finiuntur; alter etiam in primam hebdomadam, qua studia renovantur. Item actus generales totius theologiae faciendos esse, et easdem conclusiones communes esse omnibus nostris, cum praestantius sit, ut plurimum, distribuere materias et singulos aliquam radicibus excutere, quoniam etiam ipsa vicissitudo ac novitas materialium plures auditores conciliabit.

De § 6 – Hac in provincia est hoc in more positum, ut conclusiones pluribus partibus constent; numero autem minori, ita ut hebdomadariae sint 3, menstruae 6, generales 9. [235r]

De § 8 – Distinctionum usus valde utilis est ad perspicuitatem, saepeque necessarius. Nec in ullo magis clarum ingenii specimen praebet respondens, quam acute et dilucide distinguendo. Quapropter expressis verbis restituendus esset hic modus pagina 134<sup>11</sup> inter respondentis terminos, quemadmodum ponuntur: Nego et concedo; et dialecticae aucto-

<sup>10</sup> Vide MP V 70 § 2.

<sup>11</sup> Vide MP V 75.



res ita docent. Itaque expungendae videntur, quae hic adversus distinctionis rationem dicuntur. Videtur enim fama atque honore suo privari. Satis erit monere, ne in distinctionibus accumulandis supervacanei sint ac redundantes. Exterminandus vero esset terminus ille: transeat. Quod si necessarius aliquando videretur, modestiori verbo esset utendum. Veluti: Deo gratis ac libenter; admitto disputationis gratia; quidquid sit de eius veritate, concedo propositionem etc. Etiam expediret indicare, ne interrogans inter argumentandum utatur alio termino quam: Probo. Disertis autem verbis illud esset maxime commendandum, ne quisquam in disputationibus, sive argumentans sive respondens, aliquid definiat dicens: Falsum est, temerarium est, ista est opinio nominalium, est contra communem etc. Nec denique discedat a praedictis disputandi modis ad alios. Haec enim fere semper est causa turbatum, quae dari solent in certaminibus. Quod si ratio postularit, ut praeses proprio et vero nomine appellet aliquam propositionem, tanta moderatione id fiat, ut nemo ulla ratione probro afficiatur.

Eadem pag. 134 partes aliquae officii praesidis attinguntur, quibus si pauca quaedam alia ex quarta parte Const. c. 6 § 10<sup>12</sup> adiungerentur, integrum fere officium eodem in loco haberetur. Cumque id permagni intersit, ut colligatur utilitas ex disputationibus, operae pretium esset paragraphum contexere hac de re seorsum. Admonito in primis praeside, ut quam maxime poterit, respondentem loqui sinat. Curetque, ne se invicem interpellent interrogans atque respondens, sed mutuo se expectent et vicissim loquantur. Subiciatque ipse oportune, quod necesse erit, ea brevitate, gravitate, modestia ac methodo, ut a forma argumenti et a religioso modo nunquam discedatur. Et cum institerint in ea, quae dicta fuerat, non respondeat ipse, etsi uno verbo id possit, quin prius respondens repetat, et solutionem adhibeat.

Ad finem huius capituli addendum erit: non solum rogandos esse alios professores, ut interesse velint usitatis conclusionibus, verum etiam assertiones tempestive esse illis indicandas. In gravioribus autem actibus nostri eodem officio se teneri existiment erga domesticos doctores. Et quoniam externi saeculares ac religiosi viri [235v] aliarum familiarum invitantur, sicubi domus professa Societatis est, peritiores illius vocentur, et tempore conclusiones eo mittantur. Eorum vero semper aliqui dent operam, ut intersint.

Nusquam praecipitur hoc capite, quod Constitutiones fieri volunt in assertionibus hebdomadariis. Quod tanto melius intelligendum est de mensuris et de actibus. Sic igitur habent Constitutiones 4 P. c. 6 § 10: Confirmantur breviter conclusiones ab eo, qui responsurus est, antequam alii argumententur<sup>13</sup>. Quod est in hac provincia inusitatum. Sed potius in fronte conclusionum praescribitur quaestio. Verbi gratia: Utrum Christus satisfecerit summo iure. Deinde conclusionibus subditur: Conclusioni satisfacit verbi gratia tertia assertio. Atque in mensuris assertionibus et in celebrioribus actibus respondens agitat hanc quaestionem diffuse, confirmans partem suam, reliquas tacitus praeteriens vel non attingens. Quod autem volunt Constitutiones, fit in celebrioribus Hispaniae academiis brevissime. Itaque valde expetimus, ut magis explicetur, quid hac in re sit agendum. An etiam huius provinciae mos cum Constitutionibus recte consentiat. Videtur etiam consonum in tota quidem Hispania, quod fit in provincia castellana et toletana, videlicet, ut unus ex condiscipulis proponat atque utrinque agitet quaestionem. [236r]

De octavo capite — Haec ingeniorum distributio in mediocria, vix mediocria etc. aliquando deprehenditur ab auditoribus. Atque ut occurratur incommodis, videtur non ita

<sup>12</sup> Vide MP I 241-45.

<sup>13</sup> Vide MP I 245.

sigillatim haec esse statuenda, sed tantummodo observandum, ut superior aut praefectus primis sex mensibus, ut plurimum, non alium scriptorem quam D. Thomam sequendum permittat; deinceps vero pro cuiusque ingenii acie, facilitate atque iudicio. Valde etiam consonum esset indicare, ut quemadmodum aliorum libros lecturi erant, sic consulant D. Thomam aliis in locis, in quibus eadem tractat, quae tunc legit professor.

De capite nono — De § 3 – Hinc colligitur, posse concedi diem recreationis, quando festum in hebdomada accidit die Lunae, Martis, Veneris aut sabbati. At vero non expedit praetermitti lectiones uno die eius hebdomadae, qua festum fit, quocunque die illud obtigerit. Fiet enim iactura multarum lectionum et necessitas plurium materialium legendarum magis vigeat iuxta ea, quae sunt dicta superius.

De capite decimo — De § 3 – Videtur addendum: quando candidatus satis est notus, praeteriri posse hoc examen privatum ad rectoris arbitrium.

De § 4 – De ordine sedendi non satis liquet. Possetque tolli illud de praefendis iis, qui actu docent, aliis iam promotis, qui non docent, nisi aliqua in re praesidis personam sustineant. Quod item dicitur: «Caeteri omnes philosophi, sive promoti sive non promoti, nullo ordine sedeant inter alios»<sup>14</sup> est contra mores ac instituta academiarum universae Hispaniae, quas hic novimus.

De § 6 – Addendum iis esset, ut candidatus actibus suis defunctus privatam lectionem habeat coram examinatore de ea materia S. Thomae, quae sibi ante 24 horas praefinita fuerit, quemadmodum dicitur de ratione Bibliorum § sequenti. Tum aliqui vel certe omnes examinatores argumentantur, ut in his academiis fieri solet. Sin minus, praecipitur quidem, ut in privatis [236v] actibus plures quam 15 theses collocentur, si singularum partes tres quatuorve futurae sunt tantum, atque illarum materiae plures sint et multiplices, non una vel duae et principales illius partis S. Thomae. Explicandum praeterea esset, quandoam inter se deliberaturi sint examinatores, an videatur candidatus idoneus, qui admittatur ad gradum. Pluribusque suffragiis, iisque secretis res decernatur.

De § 8 – Formula promovendi candidatos ad doctoratum theologiae melius per se consisteret ac separata a formula magisterii philosophiae.

De eodem § – De anulo digitis induendo praecipendum non esset, ubi non est usus; praesertim quod ad nostros attinet.

De § 9 – Hic non declaratur, an magister philosophiae magisterii possessionem sit adiutus aliquo Aristotelis loco breviter interpretando, quemadmodum de theologo dicitur.

De § 11 – Non videtur decere, ut promoveantur ad doctoratum quicumque sunt professori. Immo statuendum esset, ut nemini conferantur gradus, donec satis multos annos et cum applausu professus fuerit. Nisi vero antiquus aliquis ac pereruditus vir esset, et ea estimatione apud omnes clarissimus, cuius litteris maius Dei obsequium atque gloria postulare videatur, ut eiusmodi gradu auctoritas comparetur. Alioqui vilescent gradus Societatis in Hispania, sicuti in quibusdam aliis religiosorum ordinibus cernimus. Transacto autem hoc tempore, denegandi non essent gradus, cum id Constitutiones nostrae postulent. Quod iccirco dicitur, quoniam in Hispania iam nullus fere nostrorum ad eos promoveatur.

### Provincia Baetica

Circa primum caput theologiae scholasticae – Multo satius esse inire commodiorem aliquem legendi modum, quam tempus producere, cum didicimus iam experientia, satis fie-

<sup>14</sup> Vide MP V 82.

ri iis, qui aetate praesertim paulo longius processerunt, si tertio philosophiae anno cursum theologiae tribus aliis annis adiungant.

Circa secundum caput – Visum est copiosa theologiae summa in lucem per nostros edita nostrorum utilitati omnino consultum, posseque lectores, quae in eo definiuntur capite, praestare commodissime. Nihil vero commodius fore, quam si in Societatis nomine illa appareret. Sic enim sine invidia a nostris reciperetur. [*Stud. 2, f. 280v*] Denique toto tempore, quo haec iniri via non possit, tres et eos quidem egregios doctores et integros praescripto muneri satisfacturos haud facile, iis praesertim locis, in quibus controversiarum ac philosophiae moralis lectiones haberi non consuevere.

Circa caput tertium – Nihil est magis e nostrorum progressu in litteris atque e valetudine, quam vix unus aut alter per paucos etiam annos tueri possunt; quam si ea docendi ratio suscipiatur, per quam infinitus iste scribendi labor aut tollatur omnino aut temperetur ex parte.

Circa caput quintum – Retinendam videri consuetudinem, qua professores ad repetitionem onus obligantur. Nullibi enim melius mentem suam explicant, nusquam utilius scholasticorum ingenia, quam ad magistri conspectum in repetitionibus exercentur.

Circa caput sextum – Incommodum videri in hac praesertim provincia Baethica, plures uno die atque uno loco professores, cum suis quisque alumnis ad disputationes menstruas convenire.

Circa nonum – Necessarium omnino esse partis istius incolis cessare per duos integros menses cum dimidio, ita ut 25 iunii studia intermittantur, et ad octavum septembris instaurantur; tum quia vetus ista fuit consuetudo, quam mutari aequis animis non ferrent auditores; tum quia aestate media cogentur (quae vis est et molestia calorum huius regionis) aestuare periculose.

Caput decimum de nostris ad gradus promovendis magnopere probari; eosque cum ad docendum accesserint, aut ad disputandum in academias venerint, maiorem apud omnes auctoritatem habituros; quam ipsi etiam viri docti, quorum est scientia cognita perspectaque doctrina, retinere apud externos vix possunt, quod gradus non susceperint. Id tamen incommoditatis inesse, non posse nostros in istis regionibus commode per externos ad eos gradus in academiis promoveri. Quod sane incommodum resarciri posse videtur non incommode, si consulto Patre Generali, provincialis suis in congregationibus sive extra congregationem, aut quovis alio modo, si quis inveniatur commodior, nostris, qui saltem per aliquot annos doctoris munus obierint (quamvis illud deposuerunt) more fratrum dominicanorum, eos per se gradus conferrent.

Visum etiam est nimis expediens, ut scholastici nostri, qui perfectis studiis, singulare in illis ingenii specimen praeberint, ante probationis tempus per unum aut alterum annum in eodem collegio studiis relegendis vacent, interimque litterarias habeant disceptationes. Experientia enim didicimus, quantum ex his emolumenti percipiatur, praeter quam quod est Constitutionibus nostris maxime consonum<sup>15</sup>.

### Collegium Hispalense

Circa tempus theologi curriculum et praelegendi modum — 1<sup>o</sup> Sufficiens praelectionis explicandae tempus erit quarta pars horae; reliquis tribus dictationi reservatis, sive explicatio interponatur sive non. Nec lectionis unius tempus protrahendum ad horam cum qua-

<sup>15</sup> Cf. *Const. P. IV c. 6 § 16; MP I 255.*

drante, quia quod tribus horae [*Stud.* 2, f. 288v] partibus dictare praeceptor potest, discrete in 4.a explicabitur, resectis, quae rei explicationi minus quam scripturae apta sunt. – 2<sup>o</sup> quia si quinque horae quadrantes lectioni dent, non superest omnibus lectionibus commodum tempus; his praesertim in locis, in quibus auditores academias etiam frequentant, ubi praelectionum et praeceptorum numero pauciora sunt gymnasia. – 3<sup>o</sup> quia id molestissimum erit studentibus, cum praesertim vident esse contra communem Hispaniarum morem.

2<sup>o</sup> – Nihil dictare, non visum est expedire, praesertim in Hispania. Primo, quia ad alios externos professores omnes confluent. Docuit enim nos experientia, eos qui paucissimos aut nullos habebant discipulos, suum auxisse numerum, nostrumque minuisse, cum dictare coeperunt. – 2<sup>o</sup> quia cernimus, quae duos ante menses quis audivit, oblivioni tradere. Quod si ita praelecturus est magister, ut aliqui possint memoriae iuvandae aliquid notare, cogetur fere ita lente praelegere ac si dictaret, confunditque explicatione, quam intermittit, scribentem; nec magis in materialium tractatione progredietur. – 3<sup>o</sup> quia externis plurimis multisque domesticis inutiles fere erit hic praelegendi modus, ut ipsi scribant. Si vero nil scribant etiam nostri, obliviscuntur, quae audierint. – 4<sup>o</sup> quia praeceptores minus examinata praelegent, potiusque in praelegendi venustatem et speciem, quam in veritatis examen incumbunt.

3<sup>o</sup> – Inter tres professores dividi posset, ut commode divisa est quadriennis theologia, si tamen, primo tertius etiam professor singulis diebus praelegat; – 2<sup>o</sup> si quae in ethicis reiciuntur, ibi praelegerentur. Harum tamen lectio nondum est in nostra collegia inducta, nec in pleraque inducetur; – 3<sup>o</sup> si aliquot materiae non integrae praelegantur. Nam uno anno nequit integre legi de Trinitate, angelis et statu primi hominis. Nec a principio usque ad octuagesimam primam quaestionem 1.ae 2.ae. Nec de fide, spe et caritate, etiam secluso decimo articulo primae quaestionis D. Thomae. Erit autem forte inter professores et praefectum, nisi id magis explicetur, dissensio, [si] parum aut multum ex his aut similibus materialibus [289r]tertiis omittatur. Dictis accedit frequens auditorum querela de nostrorum professorum properata dictatione. Cum tamen collatione codicum experiamur, plus dictare Romani Collegii professores duplici in lectione, quam nostros in Hispania in tribus, nec tamen nos lentius, sed festinantius dictare solemus, quam nostrorum valetudo, praesertim quatuor continuis praelectionibus, ferat.

Ubi autem duo tantum fuerint scholastici professores, cogendi non videntur omnia in quatuor annos redigere, ne cogantur compendium edere et indicare potius, quam examinare quaestiones. Satis enim foret, si in his minoribus collegiis sexenio peragant professores theologiae curriculum. Auditores enim quo minus lectionibus onerantur, plus habent residui temporis, quod ex praefecti praescripto eis dent materiis, quas suo quadriennio non audiant. Ad quod iuvabunt eorundem aut praecedentium professorum domi (ut hic iubetur) reservata commentaria. Nec mirum, ut aliqua suo labore compensent hi auditores, qui minus temporis praelectionibus praebent; praesertim cum multo plurium materialium iacturam scholastici hactenus suo labore compensaverint, etiam plures audientes praelectiones.

Prodesset autem non parum quadrienniali theologiae curriculo, si iam ex nostris quispian in Sanctum Thomam exacta ederet commentaria; ad quae professores plura remitterent. Ea praesertim, quae communia sunt et Scripturae aut Patrum plura testimonia, celebrioraque doctorum placita fideliter examinata, quod magno levaret labore professores, foretque facilius sic totius theologiae in quatuor annos inter tres professores divisam tractationem non parum exacte tradere. In quibus tamen commentariis servandus foret earum quaestionum is ordo, qui traditur [289v] in hoc libro Rationis studiorum.

Nostris praesertim fratribus utilius foret tertium audire theologiae professorem, quam eum, qui levi examine conscientiae quaestiones tractat. Scilicet, quia sic nostri solidioribus nisi fundamentis maius doctrinae specimen apud praelatos et in academiis ostenderunt. – 2<sup>o</sup> quia despicere solent proprii theologiae scholastici auditores parum illam examinatam et fidei fere trium vel quatuor doctorum nitentem tractationem, qualem moralium quaestionum professor praestat. – 3<sup>o</sup> Quia hac ratione plures habebit Societas insignes professores, virosque apud externos et magni nominis, quos nobis saepe aufert non ingeniorum, sed similium occupationum penuria. – 4<sup>o</sup> Quia plures ex nostris et externis auditoribus adolescentiam agunt, quibus perinde tempus diuturnum superest his spiritualibus morum generibus percurrendis. – 5<sup>o</sup> Quia si scholasticae theologiae professores nunquam eas quaestiones praelegunt, non erunt instructi, ut cum, sicut saepe fit, interrogantur, exacte respondeant, ut theologiae professores decet; cum praesertim pene haec omnia memoria excidant, nisi usu lectionum aut confessionum audiendarum etiam firment. A quibus omnibus absunt longe plerique nostri theologiae studiosi.

Circa promotionem nostrorum ad gradus – 1<sup>o</sup> in oppositum apparet aemulationis periculum. Cui non fit satis, si professores tantum promoveantur. Ambient enim forte hac occasione plures id munus, quam munus ipsum exigit. Praesertim cum promovendi dicantur, qui creduntur futuri professores; idque non pridie, antequam id munus obire incipiant. Ex altera vero parte non parum urget 1<sup>o</sup> Eam promotionem ad gradus esse secundum Constitutiones Patris Nostri Ignatii<sup>16</sup>. – 2<sup>o</sup> Eos gradus valere plurimum, ut nostris eorumque dictis sit fides apud vulgus et nobiles, immo et literatos homines. – 3<sup>o</sup> Ne in publicis disputationibus (ut aliquando contigit) nostris obiciatur, nullo eos esse insignitos gradu, ut proposita argumenta urgeant. – 4<sup>o</sup> Quia aemulatio tollitur, cum id, ut et professio, non pen[290v]deat ex voluntate nostrorum, sed superiorum, qui homines superbi et elati animi poterunt ab his gradibus arcere. Nec nostri instituti ratio tam exigit praecidi omnes aemulationis occasiones quam, ut ita solidis virtutibus sint nostri ornati, ut rebus ad commune bonum ordinatis non accendantur aemulationis igne hi, quos ad eas non elegerint superiores, de quibus fidem habere debent omnes, eos facturos, quod ad maiorem Dei gloriam decet.

Si autem ad gradus promovendi sunt nostri professores et qui futuri sint professores, consideratione dignum est: quidni promovendi sint viri alii Societatis, quorum nomen et opinio non minus necessaria sunt Societati? Tum etiam, quidni promovendi sint, qui iam reliquere professorum munus post annos non paucos eo in munere positos, quorum doctrina maior est, quorumque nomen et existimatio, quam gradus adicit, multo magis est e re Societatis, quam professorum nomen? etc.

### Provincia Castellana

De tempore, quo theologiae scholasticae curriculum perficiendum sit (pag. 79) – Etiam atque etiam videndum est, an nimia festinatio, quae praescribitur hoc loco in exponendo B. Thoma, vehementer sit incommodata studiis et existimationi Societatis, praesertim in Hispania, propter has causas:

Imprimis, haec festinatio praeceptoribus erit fortasse intolerabilis. Praescribitur enim illis, ut anno uno exponant quaestiones 43 primae partis D. Thomae; id est, articulos plures ducentis. Quod si ratio diligenter subducatur dierum, qui ad docendum relinquuntur, exceptis diebus festis et his, quibus feriamur ab studiis, fere singulis diebus singuli articuli

<sup>16</sup> Vide MP I 257 § 17.

D. Thomae erunt explicandi. Quod sine magno dispendio valetudinis pauci poterunt praestare. Deinde, ut id facere possint, multa erunt praetermittenda, quae propter obscuritatem magnam operam requirunt, multa leviter attingenda, quae ad D. Thomae quaestiones solent adiungi iam ab aliis excogitata.

Iam multi articuli D. Thomae ita sunt obscuri et a Scoto atque Durando aliisque sic exagitati, [Madrid, Bibl. Acad., 6r] ut plurium dierum operam desiderent. Ad haec, nec postulandum est, nec vero fieri posset, ut omnes praeceptores idem valeant ingenio, docendi facilitate et perspicuitate, neque iisdem viribus praediti sint. Ergo aut carendum erit multorum subsidio Societati, in tanta praeceptorum penuria, aut in medio itinere oneri illis erit succumbendum. Et rei difficultate alii deterriti, quodvis potius munus optabunt obire, quam docendi provinciam tam laboriosam suscipere.

Discipulis etiam valde incommodabit haec festinatio. Nam ea, quae audient, praeterquam quod parum erunt elaborata, animo et memoriae vix poterunt infigere. Unde illis accidit, quod contingit his, qui se cibi multitudine obruuntur, priusquam sumptum cibum concoquant. Illorum etiam minuitur industria, siquidem omnia sunt audituri, cum possint quaestiones multas ipsi per se discere, cum paulo sunt provectiores.

Apud externos certe, praesertim in Hispania, magnam suae existimationis iacturam faciet Societas, [6v] cum Salmanticae et Compluti vix tantum praestent quinque aut sex praeceptores quadriennio, quantum a nostris exigitur. Itaque periculum est, ne dicant nostros magis grammaticorum, quam theologorum munus obire, quia cursim et leviter D. Thomam exponant.

Praeterea, nulla ars aut scientia est, in qua praeceptores omnia exponant. Non ars medica, non iuris scientia, non mathematicae disciplinae. Esset enim inutilis et infiniti laboris; sed his, quae praecipua sunt et quae propter obscuritatem praecipuam doctoris operam desiderant, diligenter expositis, reliqua discipulorum industriae et labori discenda relinquunt. Postremo, admonemur proverbio, auream mediocritatem esse servandam [HORATIUS, *Odae* II 10 5], et non esse spectandum, quam multum aut quam cito quis doceat, sed quam bene doceat. [7r]

His de causis fortasse consultius et commodius erit, praeteriti temporis tarditatem hic in Hispania corrigere, ut vitentur haec incommoda. Quod fortasse fiet, si anno uno exponantur quaestiones 26 a principio primae partis; altero vero materia de Trinitate. Similiterque in caeteris partibus D. Thomae fiat, ut partito labore inter praeceptores et discipulos, ut fit Compluti, curriculum theologiae conficiatur. Experientia enim docet, id fieri posse. Nam Compluti nostri coram academia non solum defendunt ea cum magna laude, quae audierunt a praeceptoribus, sed quae ipsi per se didicerunt. Nec vero semper materia de angelis et de iustitia et iure in 2.a 2.ae et similes erunt omittendae. Sed eo quadriennio, quo hae videbuntur exponi debere, aliquae ex aliis discipulorum labori et industriae relinquantur, non quidem pro ipsorum arbitrio, sed pro rectoris et praefecti iudicio perdiscenda. Quod quis eo tempore, quo a studiis feriantur, illis praesideret, ut fit Compluti, esset multo fructuosius, ut praescribitur in hoc libro pag. 125. [7v]

De disputationibus (127) – Compluti fiunt actus publici ab his qui, cum quadriennio audierint, quinto anno incipiunt theologiae studia recolere. Nam et maturiori sunt iam iudicio et doctiores. Praeterea, cum propter academiae nobilitatem et doctorum concursum magnam is actus habeat celebritatem, necesse est, ut qui illum habet, tantopere occupetur, ut his quae audit, vix vacare possit; atque ita, quo tempore oportebat illum suorum studiorum fructus maiores percipere, ab illis distrahitur. Quod contra fit in his, qui quintum annum ingrediuntur. Nam et ipsi ab audiendi labore liberati, sine valetudinis aut studiorum suorum dispendio se parant, et collegio alias praestant commoditates, disputando publice

in conclusionibus. Praesunt etiam, si opus est, dialecticae aut philosophiae auditoribus, cum suo et aliorum commodo.

### Provincia Toletana

De tempore, quo theologiae scholasticae curriculum perficiendum sit (pag. 79) —

Quoniam in nostris Constitutionibus statutum est, ut theologiae curriculum intra 4 annos perficiatur<sup>17</sup>, intra quod tempus volunt Constitutiones, ut scholastici audiant, quae oportet eos audire, non autem omnes S. Thomae partes, sed neque etiam omnes materias, cum multa iam provectiores facti auditores ex ordinatione magistrorum aut praefecti studiorum possint per se ipsos intelligere, rectori ac praefecto studiorum relinquendum videtur, ut lectoribus nostris assignent, quas et in quo tempore quaestiones D. Thomae legere debeant. Nam pro diversitate provinciarum nulla alia regula ad tarditatem lectorum corrigendam aptior videtur.

*De casibus conscientiae* (pag. 90) — Theologos audire a lectore casuum nec esse necessarium nec expedire videtur. Nam aliter in theologia scholastica hae quaestiones explicandae sunt, et multo uberius, quam a lectore casuum, qui brevi complecti debet singula, ut Liber etiam fatetur pag. 162 et pag. 152<sup>18</sup>, ubi de ordine primo loquendo dicitur, nihil de casibus audient, nisi quae audiunt in scholastica etc. Quare utilius theologis videtur, ut a 2<sup>o</sup> anno intersint conferentiis casuum, quae etiam in seminariis haberi solent, in quibus hic mos apud nos servatur: 1<sup>o</sup> ille qui praeest, curam habet seligendi casus ordine, qui scripti publice proponuntur biduo ante, quam de illis disputetur, [Madrid, *Bibl. Acad.*, f. 10v] ut veniant parati omnes, ac praecipue ii, quibus cura est demandata auctores consulendi. Auctores autem omnes distribuuntur inter auctores theologos. Intersunt etiam omnes theologiae lectores. Die designato et ordine sententia designati auctores ab unoquoque recitantur. Deinde patres quam sententiam maxime probent, pronuntiant, atque adeo disputando, si opus sit, probant. Postremo, qui praeest, deligit, quid probabilius videatur. Quod scriptis mandari solet, ne pereat tam fructuosus labor. Hoc theologis utilius et magis expediens videtur, quam a magistro casuum audire ea, quae a lectoribus theologiae scholasticae audire non poterunt.

Pag. 93 — *Ex quaestionibus, quae sunt ex eo numero, ut non nisi mediocriter exponi debeant, expedit, quae in uno quadriennio* etc. Quae dicuntur, non videntur expedire, nec in usum induci poterunt; et quid, auditores primi quadriennii magis peccarunt quam posterioris?

*De dictatione lectionum theologiae a magistris inter legendum* (pag. 95) — In collegiis Societatis, in quibus solum lectiones nostris leguntur, utilius videtur, si lectores non dictando legerint; et idem in universitatibus, quae Societati sunt propriae, si talis consuetudo non sit introducta aut commode auferri possit. At in universitatibus, quarum Societati cura non est commissa et nostri publice et externis legunt, earum universitatum consuetudinem receptam in hac re nostri sectentur. Ut autem facilius introduci possit consuetudo, ut lectores legant non dictando, quod maxime esset optandum, non parum expediret, si a nostris commentaria aliqua in partes S. Thomae conscriberentur, quae a nostris lectoribus essent explicanda. Quod etiam ad opinionum unionem non parum conferret.

<sup>17</sup> Vide *Const. P. IV* c. 15 § 3; MP I 303 205.

<sup>18</sup> Vide MP V 90-91.

Pag. 99 – *Si nunc primum, prius exerceantur* etc. – Quis exercebit lectores privatim? Qui id contingat in tantis occupationibus? Et quod [11r] ibidem dicitur, *haec erit praelegendi ratio* etc., praestare difficile erit.

Pag. 119 – *Quaestio, an sacramentum sit* etc. – Quomodo scient scholastici, an sacramentum sit unum per se, an pro formali ens rationis, an in genere signi, nisi de his disputetur, ut disputant fere omnes?

Praeterea, maxime curandum esset, ut qui ex nostris ad id apti viderentur, in litteris consummarentur. Ad quam rem consequendam haec media se offerebant: – 1<sup>o</sup> Ut in seminariis sua studia repetant, tempore ad id a superioribus post audiendi spatia designato et concesso. – 2<sup>o</sup> Ut actos theologicos et publicas ac solemnes conclusiones publice defendant. – 3<sup>o</sup> Ut philosophiam, casus conscientiae, theologiam scholasticam et Sacram Scripturam interpretentur. – 4<sup>o</sup> Eos honorando, quo magis ad id, quod optamus, excitentur. Nam ut modo res habet, cum selectissimi iuvenes se nostris adiungant in Hispania, cum quo tempore auditores sunt, praestent omnibus, pauci ad frugem perveniunt et viri doctissimi, ut opus erat, evadunt. Cui incommodo succurrendum inprimis videbatur.

*De disputationibus publicis* (pag. 126) — Satis videbatur, si semel et non bis habeantur ordinariae conclusiones publicae. Grave enim esset et laboriosum magistris lectoribus et discipulis bis in hebdomada publicas defendere conclusiones. Et quo die haberi debeant hae conclusiones, consuetudini patriae et providentiae superiorum relinquendum videbatur. Et quamvis semestres illae conclusiones eo modo, quo § 3 statuitur, defendi debeant, solemniore tamen bis aut ter in anno ab iis, qui iam theologiae curriculum peregerunt, defendere valde erit utile. Ad quas exteri doctores et magistri et religionum lectores invitentur.

Pag. 135 – *Quin aliqua ex prolixis lectionibus resecare* etc. Quis id faciat aut quo pacto?

Pag. 150 – Circa caeremonias et insignia doctorum ac magistrorum nihil videtur mutandum de suscepta in singulis provinciis et regionibus [11v] consuetudine; quia statuendum videbatur, ut in talibus singulae nationes regionis suae consuetudinem servent, iuxta ea, quae 4 P. Const. c. ult. lit. M<sup>19</sup> habentur.

#### Alfonsus Escudero S.I.

Açerca de las trazas del estudio, me parece bien regulariter, sacadas algunas cosillas. Lo 1<sup>o</sup> - no tengo por mui conveniente, que todas las partes se lean en 4 años; y a esto me persuado así de parte de los maestros, como de los discípulos. De parte de los maestros, porque será grandissimo trabajo personal dellos, y huirán los officios de lectores. También muy pocos ai que estén resolutos en las 4 partes de S. Thomás, ut probat experientia. Y así o an de leer pocos, o si muchos hartos dellos leerán sin resolución de lo que enseñan, que no es pequeño inconveniente así para la seguridad dellos, como para el honor de la Compañía, si los estudiantes les cogiesen en algún mal latín. De parte de los estudiantes también hallo inconveniente, porque los ruines con tanto embutir no llevarán nada, y los buenos quedarán en pocas cosas resolutos, y más hazienda emos visto que hazen los mui resolutos en no tantas cosas que los mui dilatados sin resolución, ut constat de los lectores españoles y los de las otras naciones, que destotros vale uno por dos de los otros. Y la razón es porque como están enseñados a actuarse en nada o en poco. Y así andan de pie coxo; con todo eso me parece muy bien çerçenar demasia de argumentos notables y distinciones; y que las que-

<sup>19</sup> Vide Const. P. IV c. 17 litt. M; MP I 325.



siones se enseñen en sus lugares y que se lea todo lo que buenamente se pudiese leer; pero de tal manera que de los maestros sea llevadero y para los estudiantes de fructo.

En lo que toca al dictar, me parece que es negocio de opiniones y que se puede quedar donde está introducido, porque la comunidad siempre a de ser preferida a los particulares; y pues los más estudiantes son ruines que de doçientos que [Madrid, Bibl. Acad., f. 4r] entran en un aula, no sacan diez bien la lición, síguese es bien la lleven escrita para que viendo allí una y dos veces la mente del maestro hagan concepto de las verdades; y aunque esto no es tan necesario para los buenos estudiantes, pero también a estos les aprovecha de tener allí el trabajo recogido para adelante y mejor escrito y declarado que ellos lo hizieran. Ultra desto los maestros o se ausentan o se mueren y así es bien que los trabajos de los buenos maestros no se pierdan y queden escritos. También a estudiantes ausentes y enfermos les es commodidad, porque con los escritos se aprovechan como presentes; y si se obiecta que con los escritos se hazen algunos floxos, se responde que eso es cosa accidental y quizá los mismos, si no tubieren dictado no supieran nada ni tubieran aparejo para saber. Ya con lo dictado tienen aparejo, para quando les viniere gana de estudiar; y la experientia a mostrado que así a buenos estudiantes como a medianos el dictar a hecho provecho y de los ruines no ai que hazer mucho pie por lo dicho. Ultra de que en el libro se ordena se dicten tres quartos y se expliquen dos con lo qual llevarán todos algo.

Ioannes Mariana S.I.

Pag. 90 – *Audiant theologi a lectore casuum* etc. – Non placet. Aliter in theologicis scholis, et multo uberius eae quaestiones explicandae sunt, quam a lectore casuum, qui brevi complecti debet singula, ut vos ipsi dicitis pag. 162<sup>20</sup>. Ergo neque placet quod pag. 121<sup>21</sup> in eandem sententiam dicitur: *Multa etiam, quae ad casus conscientiae* etc.

Pag. 93 – Haec non expediunt, neque in usum induci poterunt; et quid auditores primi quadriennii magis peccarunt, quam posterioris?

Pag. 99 – Quis exercebit lectores privatim? Quí id contingat in tantis occupationibus? Neque placet quod proxime sequitur: *Haec autem erit praelegendi ratio*. Loqui facile est, praestare difficile. [Gall. 62, f. 21]

Pag. 119 – 60. Quomodo scias, an sacramentum sit unum per se, an pro formali ens rationis, an in genere signi, nisi disputes, ut disputant ferme omnes: An sacramentum sit in praedicatione? Minuta, dices, haec sunt. Sed sublatis his minutiis, theologia scholastica concidet.

Pag. 126 – *Lusitani non sunt obligandi* etc. – Quid Complutenses, Parisienses, Valentini? Idem dico de numero 5 inferius.

Pag. 135 – *Quin et aliqua ex prolixis lectionibus resecare* etc. – Quis id faciat, aut quo pacto?

Pag. 144 num. 2 ubi de gradibus agitur – In Italia ea tota ratio instituendi doctores est collapsa; aut restituenda a nostris, aut relinquenda penitus, ne ut fere externi doctores contemnuntur, sic a nostris instituti contemnantur.

Pag. 150 – *Tandem inter gratulantium occursus ac voces* etc. – Nihil in hac parte mutarem de suscepta in singulis regionibus consuetudine.

Pag. 151 – *Insignia vero nostrorum* etc. – Id non potest esse commune omnibus nationibus. Singulis iuxta consuetudinem regionis esset praescribendum.

<sup>20</sup> Vide MP V 90.

<sup>21</sup> Vide MP V 69.

## Bartholomaeus Perez S.I.

In capite primo folio 79<sup>22</sup> circa illam controversiam, an quadriennio vel quinquennio perficiendum sit curriculum theologiae:

Nulla ratione videtur conveniens, ut quinquennium consumatur; idque bene probant rationes ibi positae folio 81; tamen id videtur necessarium, ut ordinarie in collegiis, in quibus theologia traditur, sit tertius lector theologiae vel certe professor casista rerum moralium, cui assignentur ex 2.a 2.ae quatuor virtutes cardinales, videlicet a quaestione 57 ad finem, et ex 3.a parte omnia sacramenta, scilicet a quaestione 60; et hoc probant rationes pro contraria sententia primo loco posita folio 79. Imo iudico, hunc tertium lectorem in quovis collegio, quantumvis minimo (si nostris ibi theologia scholastica traditur), esse ponendum, quia cum ibi et necessarium sit aliud, qui pro aliquo ex aliis tempore infirmitatis vel alterius occupationis ad tempus substitui possit, et qui etiam succedere possit, quando unus ex duobus moritur vel removetur, tertio isto lectore omnia bene disponentur, et scholastici non carebunt ad minus duabus lectionibus cum tertius vel infirmatur vel ad tempus occupatur; praeterquam quod utilissimum erit, ut tertius iste lector exercitio lectionum strenuus fiat, ut sic possit absque detrimento scholae, deficiente aliquo ex tribus, novus et inexercitatus introduci.

In capite 2.o folio 90 n. 4<sup>o</sup> partiuntur pro tribus professoribus partes hoc modo, ut primus enarret primo anno 26 quaestiones primae partis, 2.o anno reliquas quas poterit, 3<sup>o</sup> quicquid poterit ex prima 2.ae ante quaestionem 81. Quae partitio non deberet sic [*Stud.* 3, f. 402v] indeffinitum relinquere, ut quas possit tantum lector quaestiones illas enarret, quia non deerunt lectores aliqui, qui 2.o anno solam materiam de Trinitate explicabunt, omitta materia de angelis; ac dicent, se non potuisse ulterius progredi; alii ex prima 2.ae in tertio anno solum 20 quaestiones primas enarrabunt; et ut experti sumus, non sine detrimento scholarium, sunt aliqui lectores qui decem vel quindecim tantum quaestionibus S. Thomae contenti, disputationes longissimas texendo, reliquas omittunt. Ut ergo occludatur via huic excusationi, qua poterunt lectores dicere, rationi studiorum se satisfecisse, dum faciunt id quod possunt, eisdem rationibus, quibus iudicatum est esse necessarium numero 3<sup>o</sup>, ut deffiniantur termini, quando sunt duo professores, deberent etiam pro tribus assignari; ut scilicet, 2.o anno enarret ad minus materiam de Trinitate et angelis, et 3<sup>o</sup> viginti et unam quaestiones ex prima 2.ae cum materia de virtutibus et peccatis, relinquendo tamen liberum illi, ut possit materiam de virtutibus compendio tradere; pro quarto vero anno deffiniatur totum reliquum primae 2.ae a quaestione octuagesima prima ad finem.

In capite 3.o folio 95 n. 4<sup>o</sup>, ubi de dictatione agitur. – Primum, non videtur id repugnare Constitutionibus. Nam si bene perpendantur loci ibi citati, potius favent dictationi, quae cum eo tempore non tam esset in usu, sicut modo est, approbavit illam et iudicavit esse utilem, dicens scholasticum iuvare debere annotationibus praeceptoris et quod fruatur dictatis a praeceptore.

Rationes autem, quibus impugnatur dictatio, facile ruunt, supponendo, debere esse reliqua paria in dictante et non dictante praeceptore; quo supposito, ex solutione earundem rationum simul probabitur, non esse recedendum a dictatione moderata, ita tamen, ut in quavis lectione praeceptor viva voce difficiliora explicet.

Unde ad secundam rationem respondetur. – Non sequitur, mos dictandi fuit antiquis inauditus, ergo minus utilis. Nam eodem argumento non debuisset introduci mos tradendi

<sup>22</sup> Vide MP V 48.

theologiam scholastico modo per quaestiones et disputationes, quia antiquis ante tempora Magistri<sup>23</sup> fuit inauditus; neque ex eo colligitur, non fuisse magis utilem; et huius generis possent alia exempla adduci. Cum vero dicitur, non fuisse tunc minus doctos auditores, certe non erant in tanto numero, nec tam brevi docti evadebant in scholastica facultate. [403r]

Ad 3.am rationem. – Imo, conceptio communis est nostris temporibus, idem esse legere quod partim dictare partim explicare dictata, et cum in omnibus fere scholis ac famosis universitatibus consuetudine et usu sit iam receptus iste modus, debemus nostras scholas accommodare usui recepto et communi; alias enim frustra laborabitur, si damus scholasticis occasionem frequentandi alias et reliquendi nostras scholas.

Ad 4.am rationem. – Non carebunt scholastici utilitatibus, quae ex viva voce ibi enumerantur; nam in quavis lectione assignandum erit aliquid vivae voci. Adde, bonos scholasticos regulariter magis attendere ac profundius meditari ea quae scribunt, quam ea quae audiunt; tum quia pedetentim ea percipiunt, tum quia omnibus fere sensibus intenti sunt his quae dicuntur; at vero cum solum audiunt, ex quavis occasione, etiam levi, huc illucque divagantur visus et alii sensus; ille vero qui non est attentus dum scribit, minus erit dum audit solum, et si tantum scripturae attendit etiam dum solum audit, verbis et non rebus attentus erit; dum ergo reliqua ponamus paria et scholasticos aequae diligentes vel negligentes, absque dubio videbimus plus esse utilitatis in dictatione, quam in auditione sola.

Ad quintam rationem. – Supponit praeceptorem defectuosum; si autem demus etiam defectuosum non dictantem, bone Deus, quantos invenies egentes memoria, promptitudine, facilitate explicandi et orationis copia? A quibus nihil percipient neque discent scholares, si legunt sine dictatione; qui tamen si dictarent, melius et cum fructu scholarium fungerentur praeceptorum munere. Illi vero lectores qui memoria, promptitudine ac facilitate explicandi praestant, etiam si dictatione utantur, non negligent explicationem eorum, quae dictarunt, cum illis sit facilis; ergo universaliter tam praeceptoribus quam scholaribus melius consulitur dictatione, quam sola lectione verbo.

Ad sextam. – Etiam supponit praeceptorem defectuosum, repetendo clariora et non dictanto praecise necessaria. Sed retorqueamus argumentum: si per totam horam omnes explicando legerent, quot essent praeceptores, qui saepe eadem repeterent, confunderent, mutilarent, et ut horam impleant, huc illucque divagarentur. [403v]

Ad 7.am – Non oporteret addere quadrantem, dum habeatur cura, ut a puncto, quo lector cathedram ascendit, hora lectionis incipiat; sic enim praescribendo quadrantem explicationi, erit sufficiens, quia non omnia egent explicatione, praesertim quae facillima sunt aut uno verbo dicuntur; reliqua vero difficilia ex dictatis in tribus quadrantibus bene possunt in uno quadrante explicari, si magister facilitate explicandi praeditus est; quod si non praestat, peius esset, ut per totam horam explicaret. Insuper arbitrio praeceptoris relinquendum existimo, ut quadrantem istum insumat eo tempore horae et ea occasione, qua iudicabit utilius fore auditoribus.

Ad octavam. – Nec semper sunt praelati nec ubique locorum; cum vero contingat adesse, non scribat, sed explicet per totam horam vel maiorem illius partem; nec videbit praelatus in explicando minus exercitatum eum, qui quotidie explicare solet, cui facillimum erit explicationem prolongare.

<sup>23</sup> Petrus Lombardus, Magister Sententiarum; cf. supra, mon. 10 adn. 192.

Ad nonam. – Si auditor ingenio praestat, melius assuefit dum quotidie in cubiculo privatim sua scribit argumenta, vel alia quae illi incurrunt, quae suo iudicio et delectu propria facit. Quod si non praestat ingenio, melius est ut non scribat ex proprio delectu, sed alieno, quia sic melius iuvabitur, nec falsa pro veris aut clariora obscure concipiet ac scribet.

Ad decimam. Etiam supponit defectum professoris, et facilius erit nihil excidere illi, qui tantum scripta in suo cubiculo matura consideratione dictare debet, quam illi qui ex tempore dicturus est illa, quae in substantia tantum praecogitavit.

*Commoda, quae ex dictatione sequuntur et incommoda si non dictetur*

P.<sup>o</sup> Carebit Societas numero praeceptorum bonorum, si non dictetur. Nam omnes illi, qui non dictando legere valent, etiam dictando legere poterunt. Sunt autem non pauci homines, iique doctissimi, qui gratia verbi non pollent, ac difficile conceptus [404r] suos verbo explicant; imo sunt scholasticis taedio, cum oratione utuntur, atque adeo neque cum fructu neque cum satisfactione audiuntur; qui tamen scripto mentem suam bene explicant et utilissimos commentarios tradunt; iis ergo privabitur Societas.

2<sup>o</sup> Carebit numero bonorum scholasticorum ex nostris, si non dictetur. Sunt enim regulariter inter nostros aliqui ingenii supremi, alii mediocres, alii infimi. Supremi excipient quidem quae magister legit, tamen pro suo captu brevissime et quae illis satis erit. Reliquis autem erit difficillimum intelligere vel confuse capient. Infimi cruciabunt capita sua et ingenia, ut percipiant; deinde totum fere diem consument scholastici, ut transcribant hi ex aliis, ac se invicem et magistrum occupabunt, ut experientia compertum est. Unusquisque enim conabitur perfectos et emendatos codices habere; ipsi etiam scholares fere quotidie testimonium perhibent, quod si forte lectionem aliquam omissam privatim transcribere debent, in ea trascriptione plus esse temporis et laboris, quam si in schola scripsissent. Confer ergo ad salutem et utilitatem dictare.

3<sup>o</sup> Carebit etiam schola nostra externis scholaribus, qui assuefacti dictationi ac fugientes laborem, insuper etiam persuasi, in altero legendi modo esse plus utilitatis et commodi, adibunt alios praeceptores, nostris relictis, ut de Hispania fere tota certi credi potest.

4<sup>o</sup> Carebit nostra Societas et bonis commentariis, et ea utilitate, quae maxima est, quae et hi, qui audierunt et qui non audierunt, solent cum maximo fructu addiscere ex commentariis aliorum et augmentum in doctrina sua facere. Solent etiam iuvare eisdem in disputationibus vel lectionibus ac in casibus et difficultatibus dirimendis. Iis vero commentariis, quae a scholasticis ex non dictante magistro excipientur, nec externi ita commode, neque iidem ipsi, qui scripserunt, postea iuvare poterunt. Cum enim ea, quae scribentur non dictata, concise et per capita, ac prout unusquisque iudicabit sibi sufficere ad intelligendum, excipere debeat; saepissime autem contingat, ut immediate, postquam aliquid explicate traditur alicui, hoc sibi persuadeat, id scilicet paucis verbis comprehendere et intelligi posse, non dubium, quin tunc temporis ita scribet, sicut persuasus est, nam in promptu habet, quae audivit; atque ita iudicat, uno verbo posse intelligi et excipi; at vero postea, elapso tempore, [404v] quando scilicet nec memoria retinebit ea quae in explicatione audivit, nec forte illa eadem ita intelliget, aut saltem minus bene intelliget, tunc quidem nec illis scriptis iuvare poterit ipse qui scripsit, quanto magis alii qui nec audierunt nec scripserunt. Videmus nunc aliquos commentarios eorum praeceptorum, qui illo modo sine dictatione legerunt, diminutos, confusos ac parum utiles.

5<sup>o</sup> Dictatione excipiuntur ea tantum quae praeceptor scripto tradere voluit, atque adeo cum praecisione, cum ordine et claritate, sine errore, sine inutili repetitione vel verborum vel sententiarum. Unde tam scribenti, quam multis aliis prodesse potest.

6<sup>p</sup> Conferantur scholares, qui dictatione discunt cum illis qui sine dictatione. Qui sunt meliores? Qui etiam magis apti ad lectiones et disputationes? Certe primi, si caetera sint paria; adde quod dictatione illi, qui mediocri tantum ingenio praestant, ita labore iuvantur ex meditatione et relectione scriptorum, ut quamplures ex iis docti evadant et ad legendum sufficientes; at vero alio modo pauci ex his adeo proficerent; et ex aliis illi tantum qui ingenio et memoria praestant.

Consultius ergo erit Societati, si prosequamur cum hoc modo dictandi, et curetur ut ex omnibus commentariis nostrorum fiant quaedam copiosa commentaria pro tota Societate. Sic enim praeceptores contenti erunt, pauca quaedam dictando tradere et fere totum horae spatium in explicatione illorum commentariorum insumere . . .

Franciscus Suarez S.I. et Ioannes Florentia S.I.

*In caput de Praxi studiorum*<sup>24</sup>

Quae de scribendis lectionibus theologicis statuuntur, summam habent difficultatem, et incertum pollicentur fructum. Ego enim, ut non meum sensum duntaxat significem, sed doctissimorum etiam virorum, quos cum insigni laude commemorare possem, non dubito, fructuosius multo esse discipulis, ut theologiam inter audiendum scribant. Sed, ut in explicanda mea sententia via et ratione procedam, illud in primis positum velim, quod puto esse citra omnem controversiam, necessaria omnino esse viro theologo aliqua scripta, ut quae in tanta theologiae amplitudine et rerum varietate memoria non possunt, scriptis retineantur. Retineri autem pernecessarium est; alioquin et audire esset supervacaneum. Semperne simul atque excitatur dubium aut suscipitur disputatio aut similis occasio incurrit, consulendus est magister? Quid, si abest? Semperne consulendi libri? Quid, si hoc ipsum memoria non reddit post nonnullum tempus? Quinam doctores vere et plene, quinam falso leviterque tractent difficultatem illam? Maxime cum non ubique sit librorum copia. Sed esto sit, qui parum valet ingenio, non poterit omnes ad unum libros sine tenebris legere colligereque in unam sententiam, quae ex multis texuerat magister. Ex uno vero autore pauca peti possunt in plerisque controversiis, et fortasse incidet in eum autorem, qui falsa docuerit in difficultate, de qua agitur. Id etiam est incommodi, professorem, qui subsequitur, superioris magistri opera, industria, labore atque ingenio frui non posse sine locuplete eiusdem thesauro, quem in privatis tantum scriptis reconditum habuit. Ut interim taceam, quantum existimationi Societatis, quam per tot sibi peperit, hac una via decedat. De qua re paulo inferius plura dicam.

Age vero, scribantur res theologiae. Idne fiet privato discipulorum iudicio et post auditas lectiones? Bone Deus, quot et quanta damna alia ex aliis sequuntur. Res gravissimae creduntur scholasticis, qui levissime attigerunt, vel omnino non attigerunt theologiam. Tamque erunt varia scripta, quam varia sunt ingenia atque dissimilia. Offendent prima quaque sententia, perturbate scribent omnia, utinam non pleraque falso et periculose. Interdum tam fuse, ut cum fuerint progressi paululum, pigeat rursus illa percurrere; interim tam contracte, ut cum ad illa redierint, quae scripserunt, non intelligant, quia nondum intellexerant, quando scripserunt; semper autem ita timide, ut suspiciosissimis scriptis parum aut nihil fidant, semperque subvereantur, aut periculosa aut falsa aut dubia aut obscura

<sup>24</sup> Vide MP V 41-42.

aut minuta et levia scriptis mandasse, ut [Madrid, Bibl. Acad., 1v] qui verisimiliter credantur, magis tuta, vera, certa, perspicua, magna atque gravia vix potuisse dispicere in ipsa sua theologiae infantia. Deinde ea me movet causa, quae nescio quem possit non movere, si separatim quisque scripturus est quam audit theologiam. Quantum insumet temporis, quantumque laboris et operae? Auditurus est in singulos annos unam partem Summae S. Thomae. Quando scribet tot quaestiones, tot sententias, tot argumenta? (melius quaeram), quando scribet vel solas conclusiones, quae ex tot articulis S. Thomae a magistris eliciuntur? Ut omittam eruditionis sylvam, argumentorum turbam, et altissime accersitas ratiocinationes. Haec enim omnia tam sunt quandoque illustria, ut quamvis multa sine manifesta nihilominus iniuria transiliri non possint. Quod si omnes materiae theologiae ab ipso magistro legendae non sunt intra quadriennium (sicut superiori capite scriptum est), sed quaedam privato addiscendae studio, suum quoque liberum requirunt tempus. Adde quod, interdicta magistri dictatione inter legendum, omnino consequens est (quod experimur quotidie), non tolli dictationem, sed parum feliciter commutari. Nam exigui ingenii scholastici totum diem ponunt in transcribendis, quae proveciores scripserint. Hinc capitis dolor frequentissimus; hinc temporis iactura incredibilis; hinc molestae contentiones postulantium eadem scripta ex necessario concursu; hinc summa confusio studiorum, dum non possunt aliena transcribendo consequi professorem festinantem. Praeterea, quo tempore scholasticus repetet, quae audivit, consulit autores inter legendum citatos, interrogabit professorem, confliget cum discipulis, observabit solertius notatu digna, haerebit meditabundus in difficilioribus, ac demum alta pervestigatione atque diuturna universa compraeendet? Audiet lectorem, scribet pauciora, arripet pauca et pene nulla ex iis, quae per summam festinationem devoravit, concoquet ac stomacho affiget. Fessus enim et audiendi acriter et scribendi celeriter repetito labore, quaeret citius respirare paululumque ad novum se comparare studium alte perfecteque comprehendendi scripta. Animus certe, quantumvis ardens, tam honestatis et obedientiae studio, quam laborandi et addiscendi aviditate saepe congelabit vario, multiplici perennique labore pressus. Credo, vix ullus hanc scribendi legem probabit. Idcirco non est, quod ego pluribus improbem.

Accedo ad illum scribendi modum, quo inter audiendum scholastici scribunt singuli, quae arripere potuerint, tuerique prius quam subsequente oratione obruantur. Immensus profecto labor, quem vel audire horret animus; praesertim, cum in mentem venit nostrorum, qui prae tanti magnitudine laboris atque assiduitate, dirupta vena in pectore, magnam sanguinis vim exscrearunt. Primum, adversus huiusmodi consuetudinem faciunt multa, quae de vitiis privatim scribendi lectiones paulo superius persequuti sumus. Secunda causa illud quasi suo iure sibi vendicat, Societatem nostram per scripta theologiae inter viros quosque clarissimos disseminata fecisse sibi gradum ad eam [2r] existimationem, quam nunc faelicissime tuetur. Nam qui vivam lectoris vocem excipiunt, perpauci sunt ex comparatione illorum, qui scriptis lectionibus utuntur; iidemque sunt viri graves, qui iam ex ordine auditorum emergerunt, ad quorum manus indignum prorsus est veniant papyraei libri raptim scripti, quibus multa desint: ordo, dispensatio, perspicuitas, autorum testimonia, notatio locorum, quae tunc maxime deest, cum adest ementita, inquirendi laborem augens potius quam elevans. Abundant vero mendis, lituris, erroribus atque innumerabilibus aliis vitiis, ut et scribentem parum aut nihil in posterum iuvent, et alienos multo minus. Obscurabitur professoris nomen, et, quae ex illius autoritate pendet, Societatis existimatio minuitur. Suspiciari quis posset, professores huius temporis rem suam agere, cum de modo scribendi praecipiant, amplitudinemque sui nominis suorum scriptorum amplificatione quaerere, suamque velle hac via existimationem alere, dum acius defendunt lentam scri-

bendi rationem. Sed si ingratus esset et infidelis filius, qui privatam sui nominis gloriam, eamque unius diei, publico atque perpetuo Societatis commodo per summam impietatem anteferet; gravis quoque esset sine causa suspicio illa, qua quis vel tenuissime perculsus subvereretur in tanta Societatis causa tamque communi non exuisse, qui iudicia sua perscribunt, omnem privatam affectionem et in summam duntaxat Dei gloriam ac Societatis amplificationem intuentes in suam quenque sententiam concessisse.

Incommodat etiam vehementer professoribus, qui aliis subrogantur vel succedunt, hic modus scribendi festinatione plenus; qui, si velint versare scripta illa, nunquam perlegunt, quia vix legere possunt confusos prae celeritate characteres, cumque nihil perfectum, nihil perenniter dictum, nihil omnino compraeheensum, nihil sub autorum nomini-bus, certisque locorum notis inveniant, fastidiunt statim atque aspernantur; et qui ex alienis scriptis propria locupletare potuissent, tanto carent bono ex uno festinationis malo. Quod malum iure dixerim, quia multo magis labefactat valetudinem concitato motu et animi et corporis ita frequentes ac longas commentationes scribere, quam lentius et fastidiosius. Insigni etiam bono privari dixerim lectorem theologiae, discipulos ac Societatem ipsam. Nam qui subsequitur professor, aut alius quivis absens animadvertit in alienis scriptis ordinem disputationum, quem imitetur, nova rationum momenta, quae expendat, multa subtiliter excogitata, quae arripiat prematque arctius. Et quod in his commodis caput est, aliena eruditione manu ducitur ad proprios fontes, ex quibus nisi commonstratis vel nihil hauriret, vel per summum laborem ipse hauriret, tamquam illud est certum, quam hoc est fortuitum. Ergo si subtraheretur professori insignis autor typis excusus, fieret iniuria illi simul et scholasticis; quin etiam fiat, si scripta superiorum professorum hac una legendi lege pene tollantur. Quod certe damnum in totam ipsam Societatem redundet, necesse est. Quae nihil deinceps habeat de rebus theologicis maturo iudicio scriptum, diligenter elaboratum, industria et ingenio perfectum. Quod tamen video in Libro de studiorum ratione ad nos misso valde optari.

Praeterea, auditores theologiae alii sunt maximi ingenii, alii mediocri. Utrisque est valde [2v] utilis lenta dictatio. His, quia proprio iudicio scribent, sine delectu illi, etsi largiamur recte ac fideliter, at non integre atque perfecte scribent; rursus utrique animum, quem adhiberent ad percipiendum, quae celerrime dicuntur, ad recte dispensandum, ad mature scribendum, adiciunt ad comprehendendam difficultatem, si tardius scribant. Nam si mora ipsa temporis in causa esse potest, ut saepe avocetur animus, in causa etiam est, ut saepe revoce-tur, et aberratio quamvis frequens, quia diuturna non est, paulatim scribenti non admodum nocet. Imo, in ea sum sententia, omnes scholasticos, si probabilis sint ingenii, in ipsa schola, dum ita scribunt, posse perfecte comprehendere totam sententiam, nec leviter memoriae commendare, experiri quisque potest; et quam hoc sit verum, facile deprehendet.

Iam vero, parum me movet, quod passim solet obiici, discipulos scriptis contentos nullam aliam operam ponere in repetendis lectionibus. Nam haec ipsa ratiocinatio non tam hunc duntaxat, sed omnem scribendi modum impugnat, at expugnat profecto nullum. Si scholastici per se ipsi diligentes sunt, nihil nocet haec redemptio temporis, ut quod supererit diei, in privata studia conferant, simul atque lectionibus percipiendis operam dederint. Si vero inertes sunt, nihil non nocet, quia sibi ipsi nocent, et eiusmodi sunt, ut scribant non scribantve, tempus omne perdant. Qui scripta non relegunt, non scribenda repetent? Eritne minus fastidiosa inertibus earundem rerum reciprocatio, ut haereant memoriae, quae audiuntur, quam nonnullus ex intervallis ad scripta reditus? Inertiae scholasticorum aliis legibus repetitionum, disputationum, publicarumque actionum occurrendum est, quae ita illos vinciant et urgeant, ut velint nolint, avide aut saltem diligenter theologiae studeant.

Reieci vero in extremum pene locum eam causam, quae extremam mihi vim adhibet, quaeque non iam scribendum, sed lente scribendum in scholis evincit: professores theologiae, etsi obedientiae filii sunt, tamen homines sunt. Nec fieri potest quin, quantumvis alacres et prompti hoc legendi munus aggrediantur, aliquando subsistant, minus accurate evolant sanctos patres, minus presse scholasticorum sententias expendant, minus fideliter testimonia producant, nihil in suo fonte bibant, nihil solerter discutiant, nihil mature definiant, ut qui iudicant, commentationes suas non posse in vulgus manare copiose scriptas cum autorum testimoniis ac locorum designatione, cum omnibus argumentis et conclusionibus scitu dignis; velintque magis labori parcere, quam parce scribenda per superiorem quandam diligentiam illustrare. Citabunt utcunque autores, interpretabuntur ut libuerit, et fortasse nacti aliqua alterius provinciae aut regionis scripta, leviter immutata legent; carebitque Societas brevi insignibus viris, qui alioquin evaderent. Hi sunt hominum mores, quos depinxi, si suum sequatur impetum voluntas. Quam si quis dicet, frangendam esse atque superandam, idem ego moneo; sed novi, quam sit difficile inhibere semper tergiversantem animum; nec spetiosae deerunt persaepe causae, quibus prave affectus professoris animus sibi persuadeat, fructuosum esse, quem sequitur legendi modum et viam, etiamsi transiliat multa eaque gravissima. [3r]

Neque video, cur illa tantum praeceptoris vox cum festinatione legentis viva dicatur; eademque, si non tam sit perennis et continens, iudicetur intermortua. Sane, illa vix videtur intermortua, quae magistrum ita angit atque discipulum, ut post lectionis horam non nisi intermortui evadant ex tanto labore; hic dum intentus est scribendo quam celerrime, ille vero legendo etiam festinanter, totque vinctus legibus iam pronuntiandi uno spiritu, iam immutandi eum tonum eiusque dissimilitudine distinguendi scribenda a non scribendis, permiscendi aliquot non admodum necessaria, quae non intelligo, quorsum permiscenda sint. Nam si interponatur aliqua temporis mora, consultius esset tempus hoc interiectum lentae dictationi; serviret circumcisis illis non necessariis, quae eiusdem dictationis celerioris gratia inducuntur. Sed et illa vox viva est vere et efficax, quae minus quamvis delectet, eo agit potentius, quo tardius, et eo saepius excitat, quo saepius repetita ex certis morulis, revocari potest aberrans animus et dormitans evigilare. Posset quidem tempus legendi produci per unum horae quadrantem, quo difficiliora ex dictis explicarentur. Aut si id non liceret, quin praeriperetur aliquid temporis futurae proxime lectionis, deberet professor tantisper supersedere dictationi, quando pro difficultate rei quam tractat, opus esset uberiori explicatione.

Vix autem reperies professorem theologiae, qui subito colligens per superiores aliquot lectiones tractata, si necesse sit in adventu principis aut insignis alicuius viri, non possit libere et copiose excurrere; eloquenter, non eloquenter, non laboro. A theologo theologiam requirimus, non impeditam, splendorem sermonis non ita. Facultas autem celeriter loquendi sine offensione ac turpitudine disputationibus ipsis et quotidianis congressibus facile satis comparatur. Habet quaevis scientia quasi privatum idioma, cuius propria verba non possunt non sponte succurrere dicenti etiam ex tempore, tanta saepe ubertate et impetu, ut cohiberi potius necesse sit, quam urgeri.

Atque ut semel finiam, lectiones tam cursim, ut diximus, scriptae prudenti postea egent correctione, quae mutuis quoque scholasticorum egebit operis. Id vero quando fiet, quin subtrahatur tempus vel repetendis lectionibus vel proponendis dubiis?

Hactenus dicta non parum confirmat communis omnium academiarum usus, in quibus omnes omnia et omnes eadem scribunt. Nos, tametsi plura in unam lectionem conferamus, quam alieni professores, valere etiam debet plurimum huius florentissimae academiae



Complutensis vox, omni laude superior, ex qua gravissimi quique doctores, dum actionibus publicis intersunt eorum, qui ad honorem doctoratus in facultate sacrae theologiae aspirant, summa cum admiratione dictitant, incredibile lumen rebus theologicis suis scriptis addidisse, eoque processisse academiam hoc auxilio nostrorum, ut qui nunc obeunt huiusmodi actiones, multo sint doctiores doctoribus adhuc ipsis superioris temporis. Ecqua potest esse augustior Societatis commendatio? Oppones, alios aliter sentire de dictationis fructu. Fateor, sed ipsa sententiarum dissimilitudo, quae semper fuit inter viros magni nominis, satis indicat, ubi tam varie varii senserunt, ibi periculum non esse insignis erroris in alterutram partem. Esset ergo indulgendum singulis provinciis, ut suam unaquaeque retineret consuetudinem; nec ea ferenda esset lex, quae, postquam fortasse aegerrime illam tulerint [3v] multi professores, non tantum fructus afferre possit, quam doloris.

Si quis e nostris peritissimus edidisset commentarios in Summam theologiae S. Thomae<sup>25</sup>, expediret forte omnes professores illos primo loco legere; deinde, quae viderentur maiori egere lumine, illa explicare, quae maiori firmitate, angustius premere, notareque omnia aut falsa aut secum pugnantia, aut minus probabilia. Interim tamen, dum caremus hoc unius auxilio (unius quippe omnino esse deberet) immensi operis et laboris, permittatur sua cuique provinciae grata et fructuosa consuetudo; aut si quae communis futura sit, usurpanda esset lenta dictatio in rebus theologicis, ex qua nihil hactenus damni extitit; imo, ut dicam quod sentio, haec una fuerit radix, ex qua in his provinciis summa cum laude theologia floruerit, prodierintque viri theologi, quos tota Societas novit atque suspexit. Quid damni ex amota dictatione venire possit, experti sumus in hac Complutensi academia, quae tamen mox incommodis ipsis erudita, intermissum per brevissimum tempus pristinum morem revocavit<sup>26</sup>. Verentur profecto graves nostrae Societatis viri, idque ab illis cum magno animi sensu dictum est aliquando, ne dum incertas in his provinciis inimus rationes, eas quibus tanto cum fructu hactenus assuevimus, cum periculo et sine causa deseramus.

Franciscus Suares  
Ioannes Florentia

#### Assistentia Germaniae — Provincia Austriae

In caput sextum – *De disputationibus* — N° 2 praescribitur hora et media disputationi. Videbatur hic una sufficere propter paucitatem discipulorum.

N° 3 volunt tres disputare mane, totidem a prandio, et singulos contra duos. Ex qua re videtur tota disputatio coniici in magnas angustias temporis et nonnullam confusionem. Quid, si unus contra unum tantum, secundus contra secundum, tertius contra utrumque? Videtur enim difficile singulis quadrantibus absolvi unam disputationem; quando praesertim non raro se doctores interponunt, et rerum etiam difficultas non se patitur tam breviter explicari.

N° 4 fit mentio theologorum quarti anni pro actibus publicis. Sed erit saepe difficile, ubi minor est discipulorum frequentia, quarti anni theologos, qui hoc praestare queant, haberi. Videbatur itaque, ut in defectu theologorum quarti anni, sumerentur anni tertii, qui ex his, quae audivissent, theses proponerent.

N° 6 cum certus numerus conclusionum praescribitur, concedendum iudicabatur, praesertim transalpinis, ut in aliqua illustri materia fiant et plures et magis explicatae theses; quod hactenus factum est Ingolstadii et alibi, magna sane omnium utilitate.

<sup>25</sup> Qua de re cf. supra, mon. 4 9 et passim.

<sup>26</sup> Vide supra, p. 158.

Nº 8 – Quod statuitur, ut propter varietatem etc. disputent quatuor, videtur difficile futurum, ubi certa de causa tam aliquando pauci sunt discipuli, ut permolestum futurum sit ad eosdem fere in omni disputatione recurrere. Quare addendum videbatur: Si commode propter paucitatem fieri potest. [*Stud. 3, f. 270r*]

In caput decimum – *De promotione ad gradus* — Nº 3 statuitur privatum examen candidato. Quod videtur esse contra Constitutiones (P. 4 c. 15 § 4)<sup>27</sup>, quae iubent publice examinari. Et placet esse publicum.

Nº 8 praescribitur forma difficilis, ubi plures simul promoventur. Quod in philosophia solet accidere. Nec enim erit satis temporis, ut singuli horam mediam legant et mediam disputantes sustineant.

Nihil hic dicitur de habitu candidatorum. Quare videbatur, ut pallio talari aut reverenda uterentur, quamdiu candidati sunt, et quando in actibus publicis comparent.

Videtur etiam retinendus mos germanorum in Germania, ut candidatorum nomina typis excudantur, et singulis singulae quaestiones ascribantur; sed ita tamen, ne cuique de sua quaestione constet, nisi 24 horis ante publicum actum.

Dubium etiam est, quo iudicio constituendus sit ordo iste candidatorum, an stare oporteat examinatorum iudicio, habita scilicet ratione doctrinae; an vero sortito collocandi sint, uti in Lusitania fieri solebat. . . [270v] . . .

Pag. 147 [Nº 4] – Visus est locus esse suboscuro: Caeteri omnes philosophi, sive promoti sive non promoti intersint, et nullo ordine sedeant inter alios. – Nos illud: «sive promoti» referimus ad baccalaureos philosophiae, cum paulo ante detur locus omnibus promotis magistris; et inter hos distinguantur actu docentes ab actu non docentes. Illud tamen visum est alienum, praeceptores inferiorum classium non promotos inter philosophiae et theologiae professores considerare. Ut enim inter actu docentes sedeant, pariet admirationem, forte etiam apud nonnullos indignationem; si inter promotos quidem, sed actu non docentes, quo ordine sedebunt? Nam si mixti inter hos erunt, eadem admiratio excitabitur; si post omnes, satis erunt ab omnibus notati, et cum non raro admodum iuvenes sint, pudebit ipsos forte, tali loco, sine gradu, in conspectu omnium positos esse. Quae tamen res, cum non habeat difficultatem nisi in academiis, videretur consultum, ut in his saltem pro humanitate et rhetorica magistri promoti sint. Reliquis grammaticae magistri alius locus, sed honoratus tamen assignetur.

### Provincia Germaniae Superioris

*De tempore, quo scholasticae theologiae curriculum perficiendum sit* – Caput primum — In caput primum de theologia scholastica haec occurrunt: Primo, probatur quidem, quadriennio absolvendum esse cursum theologiae; verum, si contingat, cum duobus scholasticis professoribus adesse tertium professorem externum (ut nunc Ingolstadii res habet), quem iustas ob causas non expedit a nostris audiri, nec possunt nostri duo professores, quae ipse tradit, eodem tempore tradere, omnino videtur adhibendus tertius scholasticus domi, ut sit eadem ratio, qualis praescribitur § 4 cap. 2<sup>28</sup>. Neque tunc opus erit professore casuum vel controversiarum.

Secundo, optandum est, ut ordinarie in transalpinis locis, ubi nostrorum theologorum seminaria sunt, tres potius professores scholastici sint, qui controversias simul et casus

<sup>27</sup> Vide MP I 305 307.

<sup>28</sup> Vide MP V 54.

tractent. Ita enim auditores et minus a theologia scholastica abhorrent; ad quam tractatione casuum controversiarumque fundamenta habent. Quare R.P.N. rogatur, ut ex provincialibus quaerat, ubinam commode possint tres hi scholastici professores adhiberi, ut § 6 dicitur.

Tertio, non placet illa vicissitudo amplificandi, quae antea decursa fuerant, de qua cap. 1 ad 2.um et cap. 2 § 9 dicitur, cum id cum molestia ac detrimento et professorum et auditorum fieri videatur, decursis propterea iis, quae uberius explicanda forent; contra vero in facilioribus erit immorandum, quae quamvis aliquando maiorem usum habeant, ea tamen, quantum res postulat, extant apud S. Thomam, vel certe ex aliis materiis satis explicata.

*Quibus adiuvandi remediis duo professores, ut theologiam emetiantur quadriennio* [Stud. 3, f. 201r] — Caput secundum

In cap. 2 de theologia scholastica haec occurrunt: Numero 1<sup>o</sup> – Non videtur in 2.a 2.ae materia de statibus praetermittenda, etiamsi duo tantum professores cursum quadriennio absoluturi sint.

Ibidem – Non expedit sacramenta confirmationis et ordinis et extremae unctionis prius, quam materiam de sacramentis in genere explicare. – 1<sup>o</sup> quia oportet in horum etiam sacramentorum explicatione fundamentis in illa materia iactis uti. – 2<sup>o</sup> quia doctrina istorum sacramentorum suum etiam usum et suas difficultates, partim inter catholicos, partim cum haereticis controversas habet; ut minime conveniat, eam aut leviter aut obiter attingere, quanquam nec indiget valde prolixa tractatione. – 3<sup>o</sup> denique non multo breviori tempore ista tria sacramenta tractari possunt, quam materia ipsa de sacramentis in genere.

Videntur igitur termini lectionum pro secundo professore ita potius assignari posse: Primo anno praeter illa, quae ibi assignantur, exponat etiam materiam de statibus; secundo anno materiam de Incarnatione et sacramentis in genere, iis solum quaestionibus de vita Christi tractatis, quae in pag. 118 et 119 indicantur; tertio anno a materia de baptismo usque ad Supplementum tertiae partis D. Thomae; quarto anno ab initio Supplementi usque ad finem de matrimonio, relictis censuris pro casista. Disputationem vero de purgatorio deberet breviter complecti ad finem materiae de satisfactione.

Numero 4 – Quando cursus a tribus professoribus absolvendus est, haec potius distributio placet pro secundo professore: Primo anno exponat materiam de fide cum controversiis illis de Scriptura, de Ecclesia, de papa, de conciliis et traditionibus, non tam historico quam scholastico modo; secundo anno materiam de spe et charitate et iustitia usque ad quaest. 62 de restitutione inclusive; tertio anno a qu. 63 de acceptance personarum usque ad qu. 88 de voto exclusive cum contractibus; quarto anno a qu. illa 88 usque ad finem de statibus, praetermissis iis fere, quae intercedunt post qu. 100, nisi tempus suppetat pro materia de temperantia et fortitudine. Tertius etiam professor videtur ita potius debere materias tertiae partis distribuere: Primo anno absolvat materiam de Incarnatione aut etiam de sacramentis in genere; alteruter enim terminus ex his duobus potest huic tertio professori pro primo anno determinate assignari in regulis, quae postea mittendae sunt. Secundo anno absolvat usque ad materiam de Eucharistia inclusive sive a materia de sacramentis in genere, sive a materia de baptismo incipiat, prout terminus anni prioris constituetur; tertio anno a materia de poenitentia usque ad materiam de excommunicatione inclusive cum reliquis censuris; quarto anno a materia de indulgentiis usque ad finem de matrimonio. Censurae enim ita tractandae videntur, ut minime anno integro (quod in illo num. 4 praescribatur) opus habeant. Nam quae ad vim omnem et rationem illarum pertinent, possunt spatio duorum circiter mensium tradi. Quod vero attinet ad casus particulares in iure expres-

sos, deberent auditores remitti ad eos autores, qui casus illos diligenter collegerunt et expenderunt, ut ad Navarrum et alios, qui sunt in promptu.

Numero 5 – Possent articuli unius quaestionis D. Thomae coniungi et revocari ad pauciora puncta seu membra bene et artificiose distributa, ubi praeceptori videretur, servatis tribus conditionibus. Prima, ut id nisi praefecto approbante non fiat. Secunda, ut propterea non deseratur aut obruatur doctrina articulorum D. Thomae, sed accurate nihilominus illius assertiones et fundamenta explicentur. Tertia, ut [201v] non fiat ea occasione tractatus. Atque hoc ideo concedi sic possit, quia fere D. Thomas minus commode atque artificiose divisit articulos, quam quaestiones ipsas et membra materiarum maiora.

Numero 7 – Brevior ille modus tractandi controversias tunc solum a professore scholasticae theologiae servandus videtur, cum duo tantummodo scholasticae professores sunt. Nam si tres sint, omnino expedit in transalpinis locis plenius et accuratius controversias a scholasticae professore tractari.

Numero 8 – Quo professores materias sibi assignatas facilius et commodius possint suis temporibus absolvere, plurimum referet, praefecto studiorum (quem exercitatum in his studiis esse oportebit) speciatim in regulis, quae mittentur, commendare, ut subinde inspectis praeceptorum commentariis, et observato modo, quem quisque tenet in docendo, eos dextre ac familiariter moneat, quid brevius, quid distinctius tractare, aut quid etiam praeterire in aliquibus quaestionibus debuissent; ut quibusdam illi particularibus exemplis admoniti, rectius in posterum et maiore cum facilitate atque compendio rationem docendi instituant.

*De ratione ac modo praelegendi* – Caput tertium — Num. 1 – Obscuritas sive ambiguitas, quae esset in titulo articuli, alterutro modo tolli potest; videlicet, aut subiungendo statim distinctionem, ut hic praecipitur, aut assertiones ipsas doctrinae articuli cum distinctione et membratim tradendo, non praemissa separatim distinctione.

Ibidem – Diligenter a professore discerni oportet, quas propositiones D. Thomas ponat tanquam assertiones, quibus quaestioni respondet, et quas non nisi, ut praemissas ad confirmandas assertiones principales, per quas respondet. Solum enim illas principales propositiones deberet professor ponere loco conclusionum; alias autem complexi expedit in forma probationis syllogistica, et ea ratione (quod utilissimum est et saepe negligitur) ostendere, quemadmodum D. Thomas probet ea, quae docet.

Ibidem – Videntur auditores pari ratione debere scribere probationes conclusionum D. Thomae, sed bene et breviter in formam (ut ante dictum est) redactas, ut sciant non modo quid sentiat D. Thomas, verum etiam quomodo probet. Maxime, cum non raro de ipsa probatione, qua D. Thomas utitur, quaestiones seu dubia moveantur.

Num. 3 – Tractatus illi non nisi iudicio etiam praefecti videntur instituendi.

Num. 7 et sequentibus – Optandum est, ut commentarius aliquis tum in theologia, tum in philosophia iussu Nostri Patris aliquando confectus<sup>29</sup>, sic in Societate probetur, ut nulla praeterea dictatione sit opus. Quamdiu vero non suppetunt tales commentarii, retinenda videtur consuetudo dictandi; ita tamen, ut explicatio eorum fere omnia, quae dictantur, vel certe rerum praecipuarum, semper interponatur. Neque idcirco opus esse videtur addere ad horam lectionis quadrantem, sed satis erit, ut interpolata illa explicatio (quam vivacem et acrem esse oportet) horae quadrantem aut etiam paulo amplius occupet.

<sup>29</sup> Cf. supra, adn. 25.

Quod si Patri Nostro illud consilium de exacto tam in theologia, quam in philosophia [202r] commentario edendo probabitur, (quo sane non dictatio solum e medio tolleretur, verum ea ablata cum egregio in utraque facultate profectu et progressu; sanitati praeterea ac etiam vitae nostrorum non parum consuleretur), rogatur Sua Paternitas, ut eiusmodi commentarios a peritioribus in utraque facultate, primo quoque tempore conscribi, et Paternitatis Suae calculo approbatos et in lucem editos, toti Societati commendari ac praescribi curet; usus, qui eiusmodi commentariorum tam apud professores, quam discipulos esse debeat, accurata initio explicatione praemissa et dictatione in posterum prohibita.

Num. 10 – Non placet, ut ordinarie professores astringantur ad illam docendi rationem, quae hic proponitur, ut sine dictatione possint auditores ea, quae praeleguntur excipere. Fieret enim non raro ea ratione, ut professor cogeretur, dum quaedam excipiuntur, quaedam alia supervacanea quasi ad aerem tantum verberandum, dicere; et praeterea, impedimento ea res auditoribus esset, dum in attendendo quodammodo divisi deberent esse, ut ea quae ad rem facerent, ab iis quae notatione minus digna essent, discernere; quare fieret, ut (quod plerumque usu venit) neque bene intelligerent, neque bene scriberent. Modum autem alium praescribere, quo et magister non dictet et auditores tamen commode, quae ad rem faciunt, scripto excipiant, sane est difficile. Quare haec ipsa etiam difficultas movere debet, ut consuetudo dictandi (sicut ante dictum est) retineatur, quamdiu commentarii tales non extiterint, qui et magistros dictandi et auditores excipiendi labore levare possint . . . [203v] . . .

*De repetitionibus* – Caput quintum — Num. 1 – Utilius esset, ut unus aliquis a praepatore designatus auditam lectionem breviter repeteret, quam ut duo tresve per partes.

Num. 2 – Addendum, ut in diebus etiam, quibus nostros confiteri contingeret, repetitiones ne fiant.

Ibidem – Ad exercitationem memoriae et ad alios fines, qui hic indicantur, melius consequendos, conducibilis erit, ut non semper tres, neque semper pauciores, sed iam tres, iam duos, iam unum interroget arbitrato suo lectionum praeses.

Ibidem – Sic etiam erit melius, ut iam unus, iam duo, iam tres respondeant. Tot vero argumententur, quot poterunt commode pro auditorum numero.

Ibidem – Paulo magis declarandum est, quod praecipitur, ne quis de quaestione aliqua, antequam finiatur, argumentetur; nempe, ut id intelligatur, quoad eam assertionem, de qua est quaestio mota, vel cuius iudicium ex definitione quaestionis pendet; non vero quo ad alia, quae in processu quaestionis absolute, tametsi obiter, asseruntur.

Num. 4 – Placet, ut tempore remissionis studiorum aut etiam vacationum repetantur audita toto anno, et de iis disputetur. Sed in hac ipsa repetitione et disputatione videtur varietate quadam annuatim utendum; ita scilicet, ut uno anno ordine, quae praelecta sunt, repetantur; alio autem ex praelectionibus habitis, quidam repetant, quae pertinent ad controversias cum haere-[204r]ticis; alii vero quae pertinent ad morales materias et casus conscientiae, alii, quae pertinent ad quaestiones scholasticas, vel aliis huiusmodi modis praefectus curet adhiberi varietatem, ut eiusmodi exercitationes suscipiantur alacrius.

Ibidem – Disputatio illa de illustrioribus materiis diebus dominicis ornatus explicatis, posset aliquando durare diutius, quam per semihoram, prout iudicio superioris commodum fuerit.

Ibidem – Occasione eius, quod ad extremum dicitur de exeuntibus ad villam, occurrebat quiddam. Nam in permultis collegiis ac seminariis Societatis, nec nostri villas habent, quo relaxandi animi gratia exire possint, nec magna cura et cogitatio a superioribus suscipi videtur, ut tum professores tum discipulos convenientibus rationibus atque temporibus

modo aliquo extraordinario recreent, quo sint ad studia alacriores. Cum autem providentia atque cura superiorum in hoc etiam genere non parum ad bonum progressum studiorum possit conferre, alienum non erit, ut aliquid ipsis de hoc commendetur in iis regulis, quae circa praxim studiorum ad eos pertinebunt.

*De disputationibus* – Caput sextum — Num. 4 – Possent aliquando etiam imprimi conclusiones particularium actuum, cum id expedire videbitur superiori.

Num. 6 – Liceat in generalibus actibus ponere plures conclusiones quam 50, et in particularibus plures quam 20, modo hic excessus maiori brevitate singularum per se conclusionum compensetur, nec ultra 100 in generalibus, aut ultra 50 in particularibus ponantur.

Num. 8 – Magni referret, ut quae de bona ratione disputationum hoc loco fusius dicuntur, accurate et quoad fieri poterit, distincte et in specie, in regulis, quae postea mittentur, comprehendantur.

*Ibidem* – Pertinebit quoque inter caetera ad rectam disputandi rationem, ut praeses notet diligenter et auditoribus etiam ostendat, quando mutatur argumenti medium, hoc est, quando in rei veritate novum argumentum incipitur, licet prius continuari videatur. Hoc enim proderit, ut intelligi possit, quemadmodum unumquodque per se argumentum dissolvatur.

*Ibidem* – Non inutile fuerit, ut is, qui responsurus est, primum omnium confirmet breviter (acriter tamen et nervose) unam saltem aut alteram conclusionem. Id enim praescribunt nostrae Constitutiones 4 P. cap. 6 § 10<sup>30</sup>.

*Ibidem* pag. 134 – Licet respondenti, secundum praecepta dialecticorum, dicere non tantum nego aut concedo, sed etiam distingo. Id quod plerumque necessarium est ad tollendam ambiguitatem, qua est implicatum argumentum. Praeses autem disputationis studiose dirigat respondentem, ut non nisi oportune et suo loco distinctionem adhibeat, suoque usu atque exemplo, occasione ex praesenti re sumpta, artem bene distinguendi doceat.

*Ibidem* pag. 135 – Cavendum praeceptorum est, ne quasi taedio quodam et desperatione, eos qui tardiori ingenio videntur, negligat, sed potius eos singulari studio iuvare atque excitare conetur.

*Ibidem* pag. 136 sub finem – Expediret nominatim declarare, ut in transalpinis locis retineretur consuetudo proponendi aliquando disputationes pleniores, additis etiam assertionum probationibus, quando-[204v]quidem constat, hoc genus minime fuisse inutile ad rem catholicam in his locis contra haereticos promovendam et illustrandum Societatis nomen.

*De opinionum delectu etc.* – Caput septimum — Num. 1 – Non expediet, ut professor, quia sententiam a Societate definitam nequeat in animum inducere, aliquando praetereat unam aliquam quaestionem, si ea quidem illustrior sit, quin potius compellendus a superiore videtur, ut ex suo vel certe ex Societatis quasi communi iudicio sententiam definitam doceat. Si quam etiam quaestionem ad cogitandum de re definita melius, differre quis vellet, hoc sane deberet sine nota vel scandalo aliquo facere.

Num. 2 – Satis fuerit, ut praefectus superiorum classium visitet lectiones semel singulis mensibus.

*De privato studio scholasticorum* – Caput octavum — Num. 1 – In ratione illa privatim studendi, duo nominatim videntur addenda. Alterum est, ut scholasticus, consideratis antecedentibus et notatis argumentis, quae vel ipsi occurrunt, vel ab aliis audit et sua etiam cogitatione et disquisitione adiutus, conetur suum quoddam de doctrina praelecta iudi-

<sup>30</sup> Vide MP I 241-45.

cium formare, et suas quodammodo res ipsas ita facere, quasi alium aliquem, qui de his nihil sciat, deberet eas docere. Alterum est, ut si quos praefectus animadvertat praestare ingenio, eos hortetur, ut assuescant suum illud iudicium de rebus, et modum, quo eas concipiunt, scripto etiam exprimere, et quasi ex intellectu depromere, rationemque eis indicet, qua possint hoc commodissime facere.

*De vacationibus* – Caput nonum — Num. 1 – Introducendae etiam essent moderatae vacationes, ubi non sunt. Nam ut hic recensentur quaedam vacationum incommoda, ita etiam ex contrario suppetunt aliquae rationes, quae ostendunt vacationes esse per se utiles ac prope necessarias. Primum enim praeceptores ipsi relaxare aliquando animos a perpetua studiorum contentione debent, et ad ordinarium lectionum laborem maiori quodam ocio in vacationibus ipsis sese praeparare; ne alioqui pauci vel nulli reperiantur, qui aut possint aut velint tolerare continuum docendi laborem. Deinde discipuli quoque vix ferre possent perpetuam in audiendis lectionibus assiduitatem; praeterquam quod vacationum tempus commodum etiam illis est, ut quibusdam rationibus extraordinariis in literarum studiis exerceantur et maiore oportunitate, quae in ordinariis lectionibus audiverunt, repetere ac perpendere possint. Denique communis vacationum usus tanto omnium consensu ubique locorum receptus, indicio non obscuro est, eas nequaquam emolumento carere. Nec vero difficillimum est vel superiorum vigilantia vel praefectorum industria, occurrere iis incommodis, quae alioqui possunt ex vacationibus sequi.

Num. 2 – Ea fere praeceptorum onera sunt in nostris collegiis, aut etiam locorum circumstantiae, ut illis temporibus, de quibus hic agitur, merito videri possint minus angusti illi termini vacationum particularium, qui hoc loco putantur praescribendi. Quare expediret potius, ut patres provinciales expenderent circumstantias cuiusque loci in hoc genere, et eas prout ratio et circumstantiae postulerent, [205r] aut retinerent aut mutarent, addendo vel detrahendo aliquid de huiusmodi vacationibus.

Num. 3 – Videtur ubique debere interponi diem integrum vacationis in hebdomada, etiam ubi hactenus solum a prandio vacari consuevit; idque maxime ad minuendum onus, quod sustinent professores.

Ibidem – Quando vel duo festa inciderent vel unum in diem Mercurii aut Iovis, posset semel a prandio die ipso festo facultas fieri honeste se recreandi, nisi festus dies esset ex solennioribus.

*De gradibus baccalaureatus etc.* – Caput decimum — Num. 3 – Sufficiant ad examinandum doctores seu magistri tres, quando in aliqua facultate non essent alicubi de nostris magistri seu doctores quinque.

Ibidem – Praescribendum potius generatim est, ut praefectus tempestive distribuat examinadoribus non quidem quaestiones, sed materias seu partes, de quibus percontaturi sunt candidatum. Aliquando enim possent examinadores ita esse in aliis rebus occupati, ut non satis esset pridie tantum materias ipsis assignare.

Num. 4 – Etiam expediet, ut theologiae professores ordine inter se pro cuiusque antiquitate in professione sedeant, atque etiam professores philosophiae secundum lectionum ordinem; ita, ut primus sit metaphysicus, secundus physicus, tertius logicus.

Num. 8 – Quod dicitur, ut candidatus in ipsa promotione suam habeat lectionem paulo longiorem semihora, et ut contra illum a duobus tribusve doctoribus intra semihoram disputetur, non potest ob angustias temporis fieri commode, cum candidati sunt plures, ut plerumque evenit in philosophicis promotionibus. Expediret tunc igitur, ut ea lectio et disputatio commutaretur in disputationem aliam quasi extemporaneam, quae pridie vel bi-duo ante diem promotionis praecederet; ita scilicet, ut sortito (eo modo, quo dicitur num.

7) cuilibet candidato uno die ante assignaretur ab examinadoribus materia pro brevibus assertionibus, de quibus deberet duobus aut tribus doctoribus seu magistris respondere; quod omnes eodem tempore facere poterunt, vel divisi in duos dies, si sunt valde multi. Quin etiam expediret tunc fortassis, ut candidati singuli venirent parati ad habendam lectionem de eadem materia sibi assignata, in eadem disputatione, per semihoram; ita tamen, ut quamvis singuli venire debeant parati, postea tamen praeses uni tantum, cui vellet, in ipsa promotione iuberet, ut eam haberet. Huiusmodi enim severitas et ad maiorem dignitatem quandam actus spectaret, et ineptos deterreret, quominus ad eiusmodi literarios honores indigne aspirarent.

Ibidem – Omnino consentaneum erit, ut in ipsa promotionis celebritate, candidatus oratiuncula aliqua accommodata postulet a promotore sibi conferri gradum, et tum demum promoveatur. Quod idem fieri posset, quamvis plures candidati sint, uno pro se et pro sociis petente. Nec solum gradus ipsos in promotione petere candidati deberent, sed etiam convenit, ut priusquam examinentur, petant ipsi admitti ad examen. Et quidem admissio ad examen pro theologicis gradibus sub id tempus petenda est, quo gradus isti theologici conferri poterunt iuxta ea, quae hic dicuntur num. 2 et 6. Pro gradu autem baccalaureatus in philosophia peti debet auditis libris physicorum, [205v] iuxta id, quod ibidem dicitur. Quo quidem tempore candidatus examinari ac defendere debet aliquas theses, nisi constaret, eum antea bene aliquando defendisse, iuxta id, quod hic dicitur num. 2; et tunc demum in baccalaureum promoveri.

Pro gradu autem magisterii in philosophia examen petendum est cursu finito. Cum autem in transalpinis praesertim locis obtinere facile non possit, ut dimidium annum ultra triennium expectent studiosi eum gradum, finiatur cursus tertio anno in fine iunii; ac tum petatur examen. Ab eo autem tempore usque ad finem ferme septembris, hoc est, intra trimestre spatium, candidati examinentur, et habeant actum illum generalem, qui hic exigitur num. 4; et denique promoveantur sub finem videlicet septembris. Actus autem alter particularis, de quo eodem num. 4 dicitur, non videtur exigendus, tum ne actuum multitudo, praesertim in magno candidatorum numero, confusionem aut taedium pariat; tum ne tanta frequentia eiusmodi actuum alii, seu nostri seu externi, qui non promoventur, impedian- tur, quominus ipsi etiam publice disputare possint.

Ibidem – Hic modus promovendi magistros et doctores, qui fere in his locis usitatus est, magis probatur. 1<sup>o</sup> Candidatus orationem de aliquo apto argumento habet, et in ea gradum a promotore petit vel pro se solo, vel etiam pro sociis, si plures. – 2<sup>o</sup> Promotor vicissim argumentum aliquod, praesenti celebritate dignum brevi oratione prosequitur, in cuius postrema parte candidatum seu candidatos collaudat, et gradum iis pollicetur se collaturum, postquam ediderint professionem fidei. – 3<sup>o</sup> Fiat fidei professio. – 4<sup>o</sup> Subsequitur promotio. – 5<sup>o</sup> Promotus, vel etiam duo aut tres ex promotis (cum hi sint plures) specimen aliquod suae eruditionis breviter dant, ac plausibiles de eadem facultate quaestiones explicandas proponunt totidem magistris ex assidentium numero, qui ad id parati veniunt. – 6<sup>o</sup> Gratulantur ea occasione hi magistri novam dignitatem promotis, et ad quaestiones propositas respondent. Atque ea quidem ratione opportunior est gratulatio, quam si quis ex abrupto ad gratulandum prodeat, tamquam ad id proprie invitatus ab ipsomet candidato, sicut in hoc libro num. 9 dicitur. – 7<sup>o</sup> Candidatus vel suo vel sociorum etiam (si qui sunt) nomine gratias agit, et canitur *Te Deum laudamus*.

Videntur etiam baccalaurei (saltem in transalpinis locis, ubi alioqui iste gradus plane contemneretur) aliqua cum ceremonia et solemnitate creandi, et non ita nude ut praescribitur num. 6. Itaque probatur hic modus, qui fere est in his locis usitatus. 1<sup>o</sup> Candidatus pe-



tit pro se, vel etiam pro sociis gradum. – 2<sup>o</sup> Promotor habet brevissimam orationem, in qua etiam candidatos laudat, et gradum pollicetur; ita tamen, ut non solum professionem fidei, sed etiam specimen aliquod eruditionis ab illis exigit. Quare illorum duobus aut tribus singulas quaestiones populares explicandas proponit. – 3<sup>o</sup> Respondent ad eas illi ordine. – 4<sup>o</sup> Fit ab iisdem professio fidei. – 5<sup>o</sup> Sequitur promotio. – 6<sup>o</sup> Gratiarum actio.

In eodem num. 8 – Conveniant etiam scholastici inferiorum classium ad actus promotionum, quando auditores classium superiorum multi non sunt, ut aliqua frequentia cohaerentur hi actus.

Ibidem – Annulum et alia, quae spectant ad candidatorum ornatum, promotor ipse posset habere in propinquo loco disposita, quando plures essent candidati, quam ut bedellus illa omnia posset manu tenere.

Ibidem – Imponatur etiam epomis ante pileum et annulum, ubi id moris est, ne alioqui videri possint candidati fieri magistri tantum secundum quid, si contra morem absque notabili illa ceremonia creentur.

Ibidem – Ubi non proprie ex privilegiis nostrae Societatis, sed ex iure ordinario publicae academiae [206r] promotio fit, non esset dicendum in promotionis formula: *Authoritate nostrae Societati concessa*, sed *authoritate huic academiae concessa*. Communiter enim malunt candidati iure ordinario, quam privilegiorum beneficio promoveri, atque adeo merito possunt a nobis requirere, ut verbis, quae ius, non quae privilegium indicent, in promotione utamur. Ille vero modus dicendi: *Authoritate Societati concessa*, tum esset accommodatus, cum aliquis tantum beneficio privilegiorum nostrorum promoveretur.

Ibidem – Videntur exigendae a candidatis aliquae promissiones, praeter professionem fidei, sicut in omnibus academiis usu receptum est. In academia quidem dilingana hae promissiones exigi solent, quae nobis probantur: Ut nimirum post professionem fidei notarius ita praebeat: *Praeterea servabitis leges et consuetudines huius almae academiae, quamdiu in ea versabimini. Deinde, eius rectori magnifico pro tempore existenti debitam obedientiam praestabitis. Tertio, academiae huius honorem et dignitatem augere studebitis, neque vel consilio vel auxilio ulla ei ratione incommodabitis. Postremo, neque hunc neque alium gradum hic susceptum alibi unquam iterabitis. Tum tactis evangeliis dicunt: Ego idem N. N. spondeo, voveo ac iuro, sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei evangelia. Ubi vero tangitur sceptrum loco evangelii, dicitur: et omnes sancti eius.*

Num. 10 – Cappa violacea permitti potest, ubi est consuetudo.

Ibidem – Etsi convivia, quae sumptibus non mediocribus fierent, omittenda in nostris promotionibus sint, iuxta Constitutiones 4 P. cap. 15 F<sup>31</sup>; moderata tamen non videntur in transalpinis locis omitti posse, quin plane futurum sit, ut eiusmodi actus hominum honestorum frequentia, atque adeo necessaria celebritate destituantur. Mos enim receptissimus est, ut etiam ex remotis locis honestissimi quique invitentur.

Ad extremum duo occurrunt addenda de hoc toto genere. Alterum est, ut qui ad gradus philosophicos in transalpinis saltem partibus promovendi sunt, non modo in philosophia, sed etiam in facultate sermonis latini examinentur, exigendo ab illis, ut semel aut iterum de argumento aliquo bene, latine et quam possint, ornate componant; idque, ut suo quisque Marte faciat, providendum est. Contemnuntur enim maxime in his locis magistri ignari linguae latinae; atque adeo etiam ipsae academiae, in quibus eiusmodi homines barbari promoti sunt. Nec sane sunt digni, qui artium liberalium et philosophiae magistri (ut fit) appellentur.

<sup>31</sup> Vide MP I 307.

Alterum est, ut ubique, saltem in eadem regione, nostri necessariam, atque adeo parem, quoad fieri poterit, severitatem in examinandis candidatis adhibeant. Id, quod expediet omnino nominatim in regulis, quae postea mittentur, commendare. Nam cum saepe contingat studiosos ex una academiarum nostrarum ad aliam (praesertim si vicinior sit) commigrare, decet, ut a nostris hominibus, quorum debet esse procedendi ratio uniformis, non facilius in uno loco, quam in alio ad gradus admittantur candidati. Alioqui evenit quandoque, ut reiectus in uno loco a nostris, a nostris item in alio loco admittatur. Quod minime expedit.

### Provincia Rhenana

*De scholasticae theologiae tempore* — Cap. 1 § 2 – Sufficere theologiae videtur quadriennium. Quia tamen nostros accuratius institui oportet, quod ab iis olim ipsa magisterii theologici munia obeunda sint, faciendum omnino videtur, ut, ubi nostrorum theolorum seminarium est, tertius scholasticis doctor addatur, qui casuum et controversiarum explicatione vastam illam theologicarum illarum quaestionum sylvam tum breviorum tum expeditiorum faciat, dum ad reliquum attentissime pervestigandum temporis plus scholasticis duobus largitur. Ideoque, si eos redditus collegium illud non haberet, ut ex fundatione doctor istiusmodi adhibendus esset, R. tamen P. N. permissu, bono aliquo modo, ut adhiberetur, conandum foret. Quadriennii vero termini singulis et partibus et doctoribus praestituti placuerunt.

Caput 3 fol. 95 § 4 – Fuit inter patres non levis de lege illa «nusquam dictetur» dimicatio. Sed, cum libelli rationibus expensis, variarumque contra eas obiectionum momentis, de ipso dictationis vocabulo certari videretur, visum tandem certis quibusdam quasi hypothesibus statutis, breviter, quae ipsorum sententia, et ea quidem, ut putabant, a libro non abhorrens, declarare. Sunt autem hypotheses illae, duae. Una: in philosophiae theologiaeque explicatione, ut nihil utile abesse, ita quod ad rem non faciat, redundare nihil omnino oportere. Et orationis quidem puritatem et elegantiam aspernandam non esse, omnem tamen affluentioris copiae luxuriam penitus resecandam. Altera: Dictationem bipartitam esse posse. Unam, qua cunctabunde singula, quasi verba dictentur, omnisque generis interpunctiones nominantur. V. gr. comma, duo puncta, etc. Alteram, qua una aliqua tota sententia, uno fere spiritu pronuncietur, nulla verbatim mora interposita; quae deinde subito totidem plane verbis repetatur. Hisce ita constitutis, aiunt patres, in philosophorum theologorumque gymnasiis dictari posse, non quidem dictatione illa priore, sed posteriore, uti fere tota hac provincia fieri solet. Neque dictationem istam libelli lege prohiberi, sed priorem tantum opinantur; quae sane puerilis, languida et exanimata cum sit, alicubi tamen forte invaluerit. Nam neque aliud allatae rationes officere videntur, neque varia hinc inde sparsa de dictatione oratio aliud indicare. Qua in re, si bene coniiiciunt, legem istam paululum explicari optarent, ne omnis omnino dictatio tolli videatur. Sin vero falluntur, et posterior etiam dictatio removenda est, aliquas, quibus eius usum non inutiliter retinendum putabant, rationes proponendas censuere.

Prima ratio – Dictando, modo scilicet posteriore, praeceptores consideratius docent, solidius, brevius et clarius. Nam sic ne verbulum quidem, quod in auditorum animis eorumve chartis tenacius haereat, iis excidit, quod non ante studiose meditatum; Scripturas, autores, eorumque locos, qui una saepe lectione sexcenti proferuntur, diligenter ante pervestigatos, temere nunquam effutiunt; variis exaggerationibus et permolestis repetitionibus nihil vel augent vel obscurant. Quae omnia, qui suae vel facundiae vel memoriae praefidunt, facere non raro visi sunt.

Secunda ratio – Etsi forte pauci magna cum laude, magnoque cum fructu sine dictatione ulla tantam rerum copiam dicendo afferre possent, maxima tamen professorum pars id vix potest. Cum autem collegiorum tanta ubique sit multitudo, non id videtur lege praecipendum, quod optandum foret, sed quod a pluribus praestari potest. Et si memoria tantum omnes valerent, plerisque tamen omnibus tantum vacui temporis non est, ut magno iam studio conquisitam et in libros congestam lectionem memoria sepire possint.

Tertia ratio – Philosophorum etiam binae quotidie lectiones vix eam non animorum tantum, sed corporum etiam contentionem ferre possint. Etsi enim oratoria laterum firmitate opus non sit, et vox quantumvis exilis ad non plurimos docendum sufficiat, paulo tamen sine dictatione docendo, quam dictando contentior et profusior esse debet. [*Stud. 3, f. 243v*]

Quarta ratio – Etsi vero non eam libellus docendi rationem praescribat, quae omnem omnino chartam libellumve in scholam doctorem inferre vetet, imo idipsum permittat fol. 99, interruptus tamen dictandi modus, qui ibidem proponitur, non contemnendam difficultatem habet. Si enim a discipulis propositio scribitur, et interea temporis aliquid praeceptor explicat, duo erunt incommoda. Nam et praeceptoris clamor propositionis, quam illi scribunt, memoriam quasi cuneus cuneum excutiet, ipsosque scribentium digitos nova rerum aut verborum copia intricabit. Et frustra erit illa praeceptoris vel explicatio vel exaggeratio. Cum enim in illis antedictis, quae iam scribuntur, mens occupata et quodammodo defixa sit, omnis illa praeceptoris declamatio pereffluet.

Quinta ratio – Discipuli vero minore difficultate, quae dictantur, excipiunt, et maiore utilitate. Nam, cum ea tantum per hypothesin priorem afferantur, quae ad rem faciunt, omnia, quae a philosopho vel theologo, qui in manibus est, omissa sunt, notatu digna sunt. Multo autem facilius notantur, si a praeceptore breviter dicuntur, quam si, verbis licet itidem commutatis, dicantur, uti ex superiore ratione intelligitur. Multo enim maior, ut quae dicuntur, brevibus quasi notis excipiantur, mentis attentio et sollicitudo [requiritur], quae saepe non leviter caput obtundit cerebrumque perturbat. Manus vero, incitatissimo licet cursu appropere, multa saepe tamen omittit, quae omisisse magni refert. Nam in uno subinde vocabulo tantum momenti est, ut eius vel omissione, vel mutatione tota aliqua sententia pervertatur, enunciatumque catholicum haereticum fiat, et contra. Quae vero tum huiusmodi exceptorum utilitas? Quae post aliquot annos? Nam cum alio a lectione conferre, suasque lacunas explere, haec etiam incommoda procreat, quod male scripta, peius non raro, cum socius etiam errarit, corrigantur; quod totum post lectiones tempus in huiusmodi rimis et hiatibus oplendis consumatur; quod lituris et obelis variis omnia deformantur; quod post aliquantum temporis ea relegere vix libeat; aut si quis relegat, hinc inde tanquam in salebris et scopulis haereat, seque vix tandem magno cum fastidio expediat. Accedit, quod si quid scribendum est, multo citius, alio dictante in schola scribatur, quam ex subitis et deformibus alterius adversariis domi.

Sexta ratio – Si quid, post annos aliquot, e scriptis promendum, publice dicendum, respondendum, confidentius et utilius id auditores fecerint, si a praeceptore dictata, quam ab ipsismet compilata sint, eaque pluris ipsi faciunt, et quasi magistrorum, quos amarunt, monumenta venerantur.

Septima ratio – Vox audita perit, littera scripta manet. Non tamen ita dictari patres velint, ut nunquam lectione tota discipuli manum de tabula [levant], sed, explicationis alicuius ergo, ut a scriptione abstineant, animumque advertant, monendi.

Quae vero ex Constitutionibus contra dictationem afferuntur, in iis tantum habere locum videntur, quae ad auctoris alicuius contextum, hinc inde breviter notantur, non autem

in quaestionum vel disputationum integrarum, quae ab authore vel omnino silentur, vel aliter certe, quam veritas aut doctoris opinio habet, proponuntur, explicatione. In his enim dictatio, qua de agimus, non improbari videbatur. [244r]

Caput 6 fol. 126 – *De disputationibus* — § primus – Commodius putabant patres, ut, cum scholasticis caeteris disputatores scholam inirent, una vero dimidia hora citius exirent. Sic enim scholasticorum pulsuus ordo facilius.

§ secundus – Ut die dominico disputationes publicae habeantur, ab harum partium moribus et aedificatione alienum. In eo nos potius totos esse oportere videbatur, ut, qui in Germania olim vixit, cultus divinus, haereseon vero iniuria nunc quodammodo prostratus iacet, usu celebritateque solenni excitetur ac reflorescat.

§ tertius – Iis autem diebus, quibus menstruae habentur, duae theologiae horae antemeridianae et duae pomeridianae hic sufficerent. Philosophis vero totum scholarum tempus relinqui posset.

§ quartus – Cum fit nostris theses imprimendi potestas, quaerunt patres, an ita communes esse debeant, ut de iisdem quaestionibus, diversis et temporibus et praesidibus, disputari possit. Hoc enim si fiat, duo incommoda oriuntur. Unum, ut praeses posterior prioris aliqua in quaestione sententiam minime sequatur; sicque publice dissensio extabit. Alterum, quod aliquam, in his partibus, existimationis iacturam faciemus, si easdem diversis temporibus theses refignantur. Eandem enim semper cantilenam occinere dicemur, neque aliud praeter paucas aliquot quaestiones novisse; cum disputandi varietate nonnullam hactenus, apud ipsos etiam haereticos, opinionem collegerimus.

Reliqua de disputationum dignitate recuperanda et conferenda oratio, ita patribus tota placuit, ut edendam sperent; ea tamen cautione adhibita, quae in Commentariolo ante notata est<sup>32</sup>; ea scilicet tollantur aut leniantur, quae de Societate parum utiliter vulgarentur.

*De opinionum delectu* – Cap. 7 fol. 137 § 2 — Si quis vel oblivione aliqua vel temeritate a definita in Societate opinione deflecteret, eiusmodi tamen, quae scandalum nullum pareret; et a superiore suaviter monitus, ne per occasionem quidem retractare vellet, quid [cum] homine illo agendum? Patribus videbatur ad provincialem referendum, nisi clarius quiddam sancire R. P. N. luberet.

*De studio privato* – Cap. 8 fol. 140 § 2 — Transalpinis theologiae studiosis permittendum esse videbatur, boni alicuius authoris controversiarum compendium; omnibus vero, tota Societate, praescribendum, ut unum quotidie alterumve Sacrorum Bibliorum caput legant. Dici enim vix potest, quam turpe esset, theologum aliquem, maxime Societatis, ita Sacris in Bibliis hospitem ac peregrinum esse, ut ea ne semel quidem perlegeret. Auditi tamen sunt nonnulli, externi praesertim, neque id raro, qui post annos plures in theologicis alicubi consumptos, illud ipsum de seipsis confiterentur, et de aliis pluribus affirmarent, non sine aliqua certe eorum, qui audiebant, offensione et gravi theologiae nostrae infamia et dedecore. Quam etiam ob causam, si cum haereticis, vel concertando vel dicendo agendum sit, ita in Scripturis infantes ac plane muti nonnulli quandoque visi sunt, ut non modo nihil apud eos proficerent, sed catholicos etiam alios, quasi divinorum voluminum omnino rudes ac imperitos, ridendos propinarent.

*De vacationibus* – Cap. 9 fol. 142 — Hebdomadariarum vacationum is hac in provincia usus est, ut theologi totum diem unum vacent; caeteri dimidium, pomeridianum scilicet. Duo tamen hic a patribus quaesita sunt: <sup>10</sup> Utrum singulis mensibus integer scholis omni-

<sup>32</sup> Qua de re vide supra, mon. 10 p. 103.

bus dies concedendus esset? Habet enim quaedam recentior R.P. Visitatoris ordinatio, faciendam singulis mensibus aestivis, nostris omnibus potestatem, ut in villa die sese toto recreent. – 2<sup>o</sup> Cum iuvenes nostri festis omnibus et mane et a prandio in templum venire teneantur, iisque praeceptores nostri necessario adesse, ob causam scilicet ante positam; quaeritur, an iis diebus fratribus nostris ludendi licentia dari possit? Iis enim alioqui unius tantum horae collocutio, post duas studii horas, ex [244v] R.P. Visitatoris ordinatione concedi solet<sup>33</sup>. An vero potius, ut consuetudo vetus habet, posset recreationis dies in alium aliquem commodiorem ea hebdomade transferri? Nam his in partibus non minores, imo saepe maiores, tam magistris quam discipulis occupationes, festis diebus, quam aliis esse solent. Et saepe, quo die vacandum, ea caeli intemperies est, ut rusticari et aliqua corporis exercitatione animum relaxare non liceat.

Theologorum vero vacationes hae his in partibus sufficere viderentur: 1<sup>o</sup> A Visitatione B. Virg. ad Assumptionem, alternis tantum diebus, theologi docerent, si calores magni essent. An autem essent, rector iudicaret. – 2<sup>o</sup> Ad vindemiales ferias integrum mensem haberent, quo sese partim relaxant, partim ad futuras lectiones sese compararent professores, uti postea ad folium 266<sup>34</sup> monetur. – 3<sup>o</sup> In decani theologici electione toto die cessarent, cum sacrum et conventus fieri tum soleat. – 4<sup>o</sup> Festis Ecclesiae doctorum et S. Thomae Aquinatis et aliis, quibus in choro solum festum agitur, populus autem vel omnino non ferriatur, aut certe vix, hactenus doctum non est. Docendum tamen deinceps videretur, et quidem multo maxime in philosophicis aliisque classibus. – 5<sup>o</sup> Rectoris academici electio, pomeridianam scholis omnibus cessationem affert. – 6<sup>o</sup> Sunt in vigiliarum maiorum diebus v. c. Pentecostes, Assumptionis, Omnium Sanctorum, Nativitatis Domini vacationes ab omnibus omnino lectionibus, etiam in infimis puerorum ludis, a R.P. Visitatore concessae; sed eas parum utiles, eorumque dierum religioni parum congruentes, experientia iam subindicare videtur. Neque cum § 2<sup>o</sup> capitis de vacationibus satis conveniunt. Ideoque putabant patres omnibus in scholis mane docendum, a prandio vero in inferioribus hora una, et tum demum piae cohortationis aliquid subiiciendum. Pridie vero aliorum festorum, quae maiora essent, v. gr. V. Sacramenti, SS. Petri et Pauli, pomeridianum sabbathorum tempus servandum. De quo et aliis quibusdam vacationibus alio adhuc loco plura.

Philosophis vero unus concedi mensis possit ante studiorum renovationem, quo professoribus aliquantula, uti et theologis, cessatio, seseque comparandi occasio fit. In eo tamen mense feriae vindemiales includendae; et illud studiose agendum, ut lectio aliqua eruditae ac iucundae oblectationis a nostrorum aliquo haberetur, ne iuventus vel otio nimio domi obtorpeat, vel alio nonnullo cum studiorum et morum detrimento curiosius evagetur, sed eius lectionis fructu et suavitate libere in officio contineatur, ad sacrumque quotidie audiendum, ea veluti esca, invitetur. Lectio autem ea esse potest ex mathematicorum vel philosophorum amaenitate quippiam depromptum; v. gr. Aristotelis Politica, de animalibus, de plantis, gnomonica, etc. Sacrum vero illud statum esset, studiorumque sacrum vocaretur.

*De gradibus* – Cap. 1<sup>o</sup> – Philosophico curriculo his in partibus biennium cum trimestri vel quadrimestri satis foret, etiamsi promovendorum in eo examen comprehendatur. Nam sic academiarum germanicarum mos, et is quidem decretis et vetustate confirmatus obtinuit; adeo, ut sicubi tempus hoc ampliatur, omnes alia in loca, in quibus breviora spatia re-

<sup>33</sup> Haec ordinatio data est a P. Oliverio Manaraeo S.I., visitatore provinciae rhenanae anno 1585 collegio moguntino; textum ordinationis videas in ARSI, *Fondo Ges.* 1462, fasc. 4, doc. 3, f. 10r, n. 3.

<sup>34</sup> Vide MP V 141.

tinentur, dilapsuri videantur, tum alias ob causas, tum ob quasdam ad beneficia denominationes. Et sane cum neque tot, neque tantae hic vacationes sint, quot et quantaе forte alibi, hoc biennium et quod excedit, aliorum triennio equiparari posse videtur. Si enim diligenter ad calculum res tota revocetur, comperiemus triennales ex 12 mensibus octo tantum et dimidium, quibus doceant, habere; ideoque trium annorum spatio 10 menses et dimidium deperdere; Germanos vero ex 28 vel 27 mensibus, quos pro philosophiae curriculo retinent, totos fere 24 menses ad docendum, omnibus omnino festis et aliis cessationum diebus subductis, integros habere.

Theologico vero curriculo quadriennium easdem ob causas satis etiam futurum videtur.

*De examine* – § 3 – Iis in academiis, quas nostri soli obtinent, valde a patribus laudatur; in quibus vero partem sibi externi vendicant, R. Patrem N. rogant, nostros ut moneat et [245r] cohortetur ad eandem externis illis rationem suaviter et sensim persuadendam. Est enim in id genus salutaribus institutis amplectendis maior nonnunquam nostrorum aliquibus difficultas, quam externis ipsis, magisque in antiqua quaedam, quia solutiones sunt, academiarum iura et consuetudines propendent, quam externi non imprudentes; imo se in illa iurasse confirmant, ut merito R. P. N. praecepto et autoritate aliqua vinciri debere videantur. Solet, dum baccalaureandi examinantur, a philosophicis lectionibus, quae quidem ad illos pertineant, aliquot hebdomadibus cessari. Huic ut incommodo patres occurrerent, ad examen illorum praeceptorem minime adhibendum censebant. Tunc enim cessationis causa omnis tolleretur, quae nullo cum fructu et citra necessitatem hactenus suscipitur.

In 4<sup>o</sup> vero et 5<sup>o</sup> § existimabant patres, quatuor ista, quae subiunguntur, receptis academiarum consuetudinibus, iisque longo et utili iam usu firmatis, neque a ratione ipsa dissentaneis, adversari: – 1. Si plures simul theses defendere non possent. – 2. Si tam tarde actus istos inchoare deberent. – 3. Si disputationi examen praeciret. – 4. Si sedendi ordo nullus servaretur.

Nam, quod ad tria illa prima attinet, solent his in academiis, stato quodam anni tempore, publica decani philosophici autoritate codicillo templorum, urbiumque valvis appenso, ad examen omnes invitari, omnesque deinde simul tam baccalaurei tam magistri laureari. Ideoque ante ipsum laureationis tempus disputasse omnes et examen subiisse oportet. Sunt autem aliquando 50, 60 et plures. Si vero singuli seorsim theses tuerentur, quis tandem finis? Quis praeceptorum alias occupatissimorum labor? Et ubi tam multi otiosi, qui illorum toties examinibus vacent? Maxime, cum ista eorum examina in illud fere tempus incidant, quo ex inferioribus classibus ad superiores gradus fit. Accedit, quod in quibus academiis alia etiam externorum collegia sunt, cum stato illo tempore suos promoveant, nobis cum iis pari sit gressu gradiendum. Quartum vero, cur minus probetur, duae potissimum causae sunt. Una est, quod usitatum hactenus sedendi ordinem, quem externi tanquam sibi honorificum plurimi faciunt, disturbaremus, neque ab iis hoc extorqueremus. Altera, quod etiamsi extorquere facillime possemus, iisque loco nos cederemus, faciendum tamen id non videretur, ne in facultatum conciliis, una cum loco, suffragiorum etiam praerogativa nos ipsos spoliemus; quod multis in rebus nobis obsesset, multasque salutes sententias praeiperet.

§ 3<sup>o</sup> – Philosophicarum promotionum modus in Germaniae academiis mutari non posse videtur; et satis bonus est, si quod a nobis fieri non potest, sumptus et convivia rescari possent. Baccalaureos vero theologicos promovendi modus ista § 6<sup>o</sup> praescriptus, in academiis, quae Societatis propriae sunt, tolerabilis videbatur, licet in Germania si essent,

plusculum quid caeremoniarum adhibendum videretur; tum quia ista honoris specie iuventus ad studia magis excitatur, tum quia propter caeterarum magnificentiam, academiae illae vilescent. Nam qui sine caeremoniarum aliqua varietate promoventur, ii apud Germanos vulgo contemptissimi sunt, et eas caeremonias tanti viri principes faciunt, ut ad illas cum visendas, tum honestandas non rarissime accedant.

Sunt autem his in partibus duo vel tres theologi baccalaureatus. Primus Biblicus, secundus Sententiarum, tertius Formatus. Qui autem gradus istos praeteriret, aliis in academiis altius conscendere haud sineretur.

Porro promotionum istarum forma Moguntiae, Treveris, Herbipoli usitata, haec fere est: Ubi baccalaureandus baccalaureatum petierit, praefinito a theologica facultate die, de S. Scripturae laudibus orationem habet, iusiurandum solenne concipit, fidem catholicam profitetur. [245v] Tum promotor eius humeris epomidem pellibus albis suffultam imponit, eumque certa verborum forma baccalaureum biblicum pronunciat, et librum aliquem Scripturae baccalaureo novo iamiam explicandum defert. Hic vero publice denunciat palamque profitetur, se catholice omnia explicaturum, deincepsque semper docturum, et si unquam secus accideret, id omnino revocatum se velle. Sicque Scripturae lectionem orditur, tamdiuque prosequitur, dum promotor eum finem facere iubeat, et reliquam partem in scholis deinceps duabus, aut tribus lectionibus absolvere. Est enim fere aliquis e minoribus prophetis vel brevioribus apostolorum epistolis.

In Sententiariorum et Formato, seu perfecto baccalaureatu eadem, quae in superiore fiunt; nisi quod in Sententiariorum pro scholastica theologia dicit baccalaureus, et Magistri Sententiarum explicationem inchoat; cuius deinde libros duos priores lectionibus paucis absolvit; sed ita, ut primis libris cuiusque lectionibus adsit pedellus ceu academiae notarius. In postremo vero, disputata et in veriore partem conclusa quaestione aliqua, quam utramque in partem promotor ipse controverterat, tertium Magistri librum auspicatur, quem deinde et 4, ut superiores, paucis lectionibus percurrit. Sed, uti ante significatum est, hic cum Sententiariorum unum eundemque alicubi actum constituit.

*Doctoris promotio* — Huic promotioni duo fere dies his in partibus impenduntur. Priore quidem horis pomeridianis haec fiunt. Loco aliquo insigniter adornato proponit e suggesto superiori promotor baccalaureorum alicui quaestionem, quam a baccalaureo ipso disputatam ipse doctorandus e suggesto inferiori alicubi oppugnat. Tum doctor aliquis orationem quandam dictorum et facetiarum variarum, ex doctorandi ultimis etiam crepundiis repetitarum plenissimam in eundem doctorandum, magno cum auditorum cachinno effundit. Quae res vesperiarum actus dicitur. Postremo, gratiis concioni a promotore actis, omnes ad crastinam actionem ab eodem invitantur.

Postero die de insigni aliqua materia orationem habet promotor. Ipse vero doctorandus quaestiones baccalaureis quibusdam proponit. De quibus, ubi quod videtur, hi dixerint, fidei catholicae professionem edit candidatus, et facultati theologicae iusiurandum. Ex inferiore deinde cathedra ad superiorem, solenni formula evocatur, et insignia doctoralia tandem aliquando accipit. Ea vero varia sunt: 1<sup>o</sup> Liber aliquis clausus. 2<sup>o</sup> Idem paulo post apertus. 3<sup>o</sup> Pileum doctorale. 4<sup>o</sup> Annulus. 5<sup>o</sup> Salutatio et amplexus. Et quia baccalaurei a veteranis doctoribus aliqua disputatione oppugnantur, eos novus doctor defendit; eo denique modo, quo in philosophico magisterio, gratiae aguntur, et in templo *Te Deum laudamus* concinitur. Sicque pedello praeunte cum praelatis, doctoribus et aliis ad convivium itur. Ad quod et actionem totam cum promotore promovendus, quisque ille sit, sive externus sive noster, epomidatus illos uno vel altero die ante invitat.

Sunt autem in hisce promotionum caeremoniis potissimum quatuor, de quibus aliquid notandum patres censuerunt; videlicet vesperiae, dona, invitatio, convivia.

*De vesperiis* — Vesperiae, seu inanis illa in doctorandos dicendi et iocandi licentia, patribus, ubi tolli potest (potest autem his in partibus fere ubique), tollenda viderentur. Ea enim fit, ut stomachum plerisque non leviter moveatur, primo quidem et maxime iis, qui tam ridicule, tanto consensu luduntur. Deinde aliis etiam, qui audiunt, dum ubi aliquoties riserint, aculeos illos mirantur, omnemque tandem in dicente acerbitatem respuunt. Ea enim aliquando ceu falso, ceu vere asperguntur, quae neque probata alicuius integritas, neque multorum annorum longinquitas absterserit; dumque istiusmodi iocis fides, ut fit, adhibetur, non ille solum, cuius res agi videtur, sed tota etiam, e qua ille est familia, labis et infamiae quiddam accipit. Neque vero rarum est, ut in auditoribus scandala non levia excitentur, dum magna quorundam in factis vel dictis levitas indicatur, quae aut nulla omnino est, aut si qua etiam fuit, neque tanta unquam fuit, neque ab externis aliis notata vel cogitata; ita ut si vere dicendum sit, risus iste maxime incommodo captari videatur. [246r] Religiosos etiam publice rideri et contemni forte non dedecet, sed a religiosis et Societatis nostrae patribus publice quenquam rideri et contemni num deceat? Num eorum magna multitudine circumfusa, qui de nobis non optime sentiunt, loquuntur? Num iis audientibus, qui ex uno unius alicuius facto ioculariter agitato, maiora ipsi animo cogitant, et aliis cogitanda in circulis et symposiis proponunt? Neque sapientis ullius iudicio tolerandum videtur, ut in templis, in quibus omnis modestia et gravitas elucere merito debet, haec tam importuna dicacitas usurpetur, quae in veterum plaustris et scenis usurpari vix possit; et tamen hoc alicubi fit. Sane iurisprudentiae et medicinae doctores, quibus omni modestia et gravitate theologos praeire deceat, toto hoc sannarum et ludiciorum genere suis in promotionibus omnino abstinere.

2 – *De donis* — Solent in promotionibus dona quaedam a promotis publice praesentibus magistris, doctoribus, promotoribus distribui, v. gr. chirothecae, pilea, nummi. Cum vero plerarumque universitatum beneficio ab iis dandis immunes hactenus simus, sanciendum videtur, ut ab accipiendis ipsi quoque manus absteineamus.

3 – *De invitatione* — Ne invitatum nostri irent, petendum a R. P. N. patres volebant: 1<sup>o</sup> quia religiosos, et nostros praesertim, eam ob causam, tota urbe vagari, spectare et spectari non satis decorum videtur. – 2<sup>o</sup> quia cum ab invitatis poculum offerri statim soleat, potus haud paulo liberalioris periculum est. – 3<sup>o</sup> sunt tamen dies istiusmodi sacris nonnunquam ieiuniis dicati. – 4<sup>o</sup> intervenit etiam in eundi ordine nonnulla quaedam vanitas et ambitio, quandoque etiam simultas, dum hic illi postponi se dolet. – 5<sup>o</sup> Et eo tempore promotores variis occupationibus distinentur. Quocirca invitator esse posset pedellus, et si rectori videretur, aliqui cum eo externi. Nam in Germania etiam certos affines et amicos mittunt sponsus et sponsa, qui ipsorum verbis ad nuptias invitent. Quod in licentia et doctoratu recte alicubi iurisperiti viderunt et usurparunt.

4 – *De conviviis* — Academica in promotionibus convivia, ubi nondum sunt, non instituenda; ubi vero sunt et tolli possunt, tollenda videbantur. Ubi tolli non possunt, certis tamen, ne instituto nostro detrimenti aliquid afferant, legibus devincienda. Et primo quidem curandum, ne pecunariae eorum, qui promoventur, symbolae a nostris accipiantur, expendantur, custodiantur; deinde convivia ipsa nostri quam paucissimi, et ii quodammodo necessarii adeant; cuiusmodi sunt promotor noster, studiorum praefectus vel rector, eorum, qui promoventur, praeceptor. In eam autem praesentes isti curam incumbere deberent, ut sua cum modestia tum autoritate intemperantiam et levitatem omnem coerceant; hanc enim ob causam eorum praesentia quasi necessaria putatur. – 3<sup>o</sup> Illud etiam quod hactenus



factitatum, abrogandum, ne promotor aut convivas ordine quemque suo collocare aut in mensam lances inferre, aut vero, sub convivii finem, gratias convivis agere debeat. Nam primum pedellus, alterum primus promotorum cum uno et altero, tertium e promotis unus etiam aliquis designatus efficere quam commodissime poterit. Ut vero pecunia, quae ple-risque in locis commissa nostris fuit, a nobis omnino reiiciatur, haec iniri fortassis ratio posset. Sit in facultate cistella, cuius duae sint claves; unam pedellus habeat, alteram e pro-movendis duo, qui vel ab ipsismet candidatis, vel a facultate deligentur. In illam tota simul pecunia coniiciatur. Eam hi, prout opus fuerit, expendant, et convivii postridie, accepto-rum [246v] expensorumque rationem facultati, promotis vel omnibus vel pluribus praesen-tibus reddant. Sumptus alii, qui in universitatum et facultatum aeraria, in pedellos, promo-tores etc. fiunt, a nobis tolli non possunt. Nos tamen ut nihil damus, ita nec accipimus, praeterquam Coloniae, ubi et dandum et accipiendum.

§ 11<sup>o</sup> – Ut nostrorum aliqui et tempestive promoveantur, aequum videtur, modo quod folio 189 et 190<sup>35</sup> praescribitur, servetur.

### Provincia Germaniae Inferioris

4 – De promotionibus in artium theologiaeque licentiatos aut doctores — Nihil hic possumus immutare, quod publicis academiarum legibus aut moribus sit constitutum; si-cuti neque in examine, disputationibus, actibus, promotionumque ceremoniis, ac reliquis, quae eodem spectant. In privatis autem ac domesticis exercitationibus, in quibus ab acade-mia non pendemus, quicquid habemus libertatis, id totum in accuratam eorum, quae a So-cietate constituuntur, observationem conferimus. [*Stud.* 2, f. 116r]

### Provincia Aquitaniae

Pag. 79 et sequentes — Quamvis rationes, quae probant, non minus, quam quinquen-nio explicandam esse theologiam, magni momenti sint, tamen magis expedire videtur, ut quadriennio absolvatur. Nam et externi vix ac ne vix quidem quadriennium ipsius patien-ter decurrunt; et Societas nostra indiget opera nostrorum. Sed quia fieri non potest, ut etiam adhibitis illis remediis, quae praescribuntur, tota theologia tam brevi tempore accu-rate et pro dignitate explicetur, si tantum fuerint duo professores scholasticae, propterea consultius videretur, ut in primariis collegiis, et praesertim ubi theologia scholastica floret, et ubi reditus ferre possunt, tres professores scholasticae constituerentur. Et ut hac ratione collegia non videantur onerari multitudine professorum theologiae, videtur non esse con-stituendus alius casuum conscientiae doctor, ubi tres fuerint scholastici. Primum, quoniam si id fiat, duo professores, quorum alter quadriennium integrum ponet in docenda 2.a 2.ae, et alter itidem in docenda 3.a parte, satis copiose et aperte poterunt omnes casus conscien-tiae explicare. – 2<sup>o</sup> Quoniam hac ratione multo accuratius et fructu cum uberiore et minori cum labore explicabuntur omnes partes theologiae. – 3<sup>o</sup> Sic fiet, ut non sit opus dividere auditores, sed omnes auditores singuli professores habebunt discipulos. Et hoc potissimum servandum videretur, ubi sunt duo professores theologiae scholasticae et unus casuista, qui habet eosdem auditores cum scholasticis, nec docet iisdem horis, quibus illi, ut Parisiis. Sa-tius enim esset, ut casuista susciperet 2.am 2.ae explicandam, ut levaret hoc onere interim scholasticos professores.

<sup>35</sup> Vide MP V 103-04.

Ubi autem erunt duo tantum professores scholasticae, etiamsi nullus sit casuista, perficiendum videtur nihilominus curriculum theologiae quadriennio propter rationes secundae opinionis. Idque quam commodissime fieri poterit pro temporis brevitate et rerum magnitudine. Sed quoniam saepe fit, ut ubi sunt duo doctores scholasticae tantum, iidem cogantur una cum scholastica tractare controversias huius temporis, non videtur tam severe ab illis exigendum, ut in quadriennio curriculum theologiae praecise omnes materias, quae in hoc ordine praescribuntur, absolvant, donec controversiae seorsim praelegantur.

Pag. 89 num. 3 – Quod hic dicitur, ut secundo anno materiam de angelis expediat doctor, ita praestandum nobis videtur, ut nihilominus non praetermittantur tractatus de creatione et de homine; tum quia inferius pag. 119 dicitur, in materia de sacramentis non esse tractandam illam quaestionem, utrum Deus possit uti creatura tanquam instrumento ad creandum. Quod videtur potius pertinere ad primam partem, ubi agitur de creatione; tum etiam quia in tractatu de gratia et peccato originali, et alibi passim multa dicuntur et supponuntur declarata de statu innocentiae primorum parentum et de perfectionibus illorum, quae non possunt satis intelligi, nisi explicetur tractatus de homine in prima parte. Itaque potius detrahendum esse aliquid videretur de aliis quaestionibus de angelis et de actibus humanis in 1.a 2.ae, quam ut illi duo tractatus omittantur. [*Stud. 3, f. 375v*]

Pag. 90 num. 4 – Ubi erunt tres professores theologiae, primus professor videretur primo anno debere explicare plures quaestiones quam 26; secundo vero anno non solum reliquas, quas poterit, ut hic dicitur, sed integram omnino primam partem, ut hac ratione supersint illi duo integri anni, quos in explicanda 1.a 2.ae ponat; in qua exponenda non minus temporis requiritur quam in prima; et utilius fortasse collocatur.

Pag. 93 num. 9 – In collegiis, in quibus erunt tres professores theologiae scholasticae, non videtur necessaria esse haec alternatio, quia a tribus professoribus satis ample tractari possunt quaestiones omnes spatio quatuor annorum, si superflua praetermittantur. Ubi autem duo tantum fuerint professores scholasticae, etsi huiusmodi vicissitudo Ecclesiae et Societati utilis futura sit, ut hic dicitur, tamen auditoribus nihil aut parum prodesse videtur; quia, si quae in uno quadriennio exposita sunt breviter, exponantur in sequenti quadriennio per alium doctorem paulo plenius, oportebit, ut viceversa, quae in priori quadriennio plene et copiose exposita sunt, in posteriore concise tractentur. Itaque consultius videretur et e re Societatis magis fore, si R. P. N. Generalis demandaret aliquot praecipuis Societatis doctoribus provinciam scribendi ampla commentaria cum quaestionibus ordinariis in universam Summam Sancti Thomae<sup>36</sup>. Sic enim fieret, ut nostri auditores haberent, unde possent petere pleniorum explicationem earum quaestionum, quae in cursu non nisi breviter perstringi possunt. Deinde hoc etiam cederet in magnum subsidium praeceptorum et maiorem doctrinae conformitatem. Huc accedit, praeter alias multas rationes, quod hoc esset honorificum nostrae Societati. Indecorum enim videtur, Societatis homines luculenta edere commentaria in philosophiam, mathematicas disciplinas et rhetoricam<sup>37</sup>; theologiam vero negligere, quae nobis maxime propria videtur. In aliis religiosorum ordinibus hoc praestare semper conati sunt viri eruditi, magna cum laude ac fructu suorum ordinum; quibus tamen non suppetebant fortasse tot quot nostrae Societatis homines habent; nec vero etiam fortasse tanta in ordinibus illis virorum doctorum copia, quanta per gratiam Dei in Societate hoc tempore videtur. Et certe verendum est, ne posthac tot et tam excellentes viros habeamus, qui hoc pro dignitate praestare possint.

<sup>36</sup> Idem proposuit etiam provincia rhenana; vide supra, adn. 32.

<sup>37</sup> Cf. ea de re scriptum Patris Pisa de doctrina; supra, mon. 10 adn. 210-16.

Pag. 91 num. 7 – Ubi praeter lectiones scholasticas, est aliquis, qui controversias pertractet, hoc equidem faciendum videtur. Sed ubi haereses vigent, nec est alius, qui controversias legat praeter professores scholasticae, operae precium est, ut non perfunctorie nec breviter, sed ample et pro dignitate illas tractent scholastici.

Pag. 95 num. 4 – Si non esset dictandum, magno certe onere levarentur praeceptores. Sed fieri id videtur nullo modo posse, saltem in Gallia multis de causis: 1<sup>o</sup> quia mos dictandi iam nimium inveteravit, ut auditores sibi videantur non audivisse lectiones, nec quicquid profecisse, nisi secum referant dictata. – 2<sup>o</sup> quia vix ex centum auditores invenientur tres aut quatuor, qui possint assequi praeceptorem non dictantem. – 3<sup>o</sup> si quando dictetur paullo celerius, statim auditores desibilare incipiunt, quod non possint assequi praeceptorem; et saepe prae impatientia egredi ac relinquere lectionem. – 4<sup>o</sup> quia videmus Lutetiae in omnibus collegiis et in omnibus lectionibus etiam Sacrae Scripturae dictari. – 5<sup>o</sup> Experientia ipsa docuit, aliquos ex nostris, qui [376r] Romae, ubi non dictabatur, audiverant philosophiam, nihil retulisse praeter errores et falsas citationes in scriptis, quibus nec ipsi nec alii uti possent. – 6<sup>o</sup> Legatur epistola praefixa Physicae Toleti<sup>38</sup>. – 7<sup>o</sup> Cum antea in Hispania nostri non dictarent, audivimus coactos tandem illos ipsa experientia dictare. – 8<sup>o</sup> Esset constituendus aliquis subpraeceptor vel hypodidasclus praeclarioris ingenii, qui haberet curam fabricandi pro se et sociis dictata a magistro postea approbanda, ut dicitur pag. 96. At hoc non esset levare, sed onerare praeceptorem et discipulos. – 9<sup>o</sup> Hic mos dictandi videtur esse antiquior, quam hic dicatur. Et, quamvis non esset, tamen introductus est eo tempore, quo maxime literarum omnium studia florebant in Gallia. Quod autem hic dicitur, non minus fuisse doctos, quando non dictabatur, quam nunc, ostendit potius necessitatem dictandi hoc tempore, quo auditores tardiores sunt et iuniores. Nam ad ista studia graviora non nisi viri accedebant, iam vero adolescentes. – 10<sup>o</sup> Tolosae, ubi semper floruit studium iurisprudentiae, cum antea non solerent dictare, tandem coacti magistri dictare, quod cum ipsum parlamentum, cuius suprema est auctoritas, conaretur impedire, non potuit. – 11<sup>o</sup> Post acceptum hunc ordinem, tentatum est diligenter Burdigalae et Tolosae a nostris professoribus ita praelegere, ut nihil dictarent. Sed res non bene successit. Nam plus laboris, molestiae et temporis insumendum illis erat, et minor inde redundabat utilitas discipulis, qui aut alio diffugiebant, aut non nisi nudas aliquas propositiones, easque truncatas scribebant.

Pag. 101 – Non videntur satis esse tres horae quadrantes ad dictandum; sed videtur necessaria sesquihora tam ad explicandum, quam ad dictandum, cum praeter rerum multitudinem, tum propter tarditatem discipulorum, sicut hactenus factum est in Gallia.

Pag. 102 – Tum quia quamvis ea loca etc. — Quando eadem quaestio in diversis locis commode tractari potest, et ad eundem professorem, tametsi non ad eundem annum pertinet, non videtur astringendus praeceptor, ut eam certo ac definito loco tractet, sed eius arbitrio relinquendum est, ut ubi maluerit, eam explicet; modo non eam praetermittat, neque eam bis tractet. Nam v. gr. hinc praescribitur, ut quaestio, qua quaeritur, utrum homini insit appetitus naturalis ad claram Dei visionem, non tractetur P. 1 q. 1 art. 1, sed differatur in 1.a 2.ae; at cum tam commode possit tractari P. 1 q. 1 art. 1, quid refert sive hoc sive illo loco tractetur? et sic de aliis. Nam, quod de auditoribus hinc subiungitur, nullius momenti est, quia si audiant totam theologiam, audient etiam omnes quaestiones. Quod si haec ratio quicquam valet, fieret, ut ne quaestio quidem proposita in exemplum esset differenda in 1.a 2.ae . . . [377v]

<sup>38</sup> Franciscus TOLETUS S.I., *In Aristotelis Physicam commentaria* (1578 1586); vide SOMMERVOGEL VIII 68 et 69.

Pag. 122 initio, ubi sesquihora ponitur in explicatione et dictatione lectionis; non videtur astringendus praeceptor, ut maneat post lectionem per quadrantem ad ianuam scholae; tum quia explicatio praeceptoris praeter dictationem esse potest discipulis loco repetitionis; tum etiam quia alioqui manendum esset illi in schola per septem quadrantes, et alioqui quia satis frequentes disputationes instituuntur, et possunt facile discipuli cum volunt, adire praeceptores.

Pag. 122 num. 2 – Utrum tantum hoc intelligatur de repetitionibus quotidie faciendis pro nostris, an etiam pro externis?

Pag. 126 – Dimidia hora post commune principium – Vel recte ab ipso principio scholarum usque ad finem, quando communes scholae diebus sabbatis in Gallia non durant, nisi per duas horas propter confessiones.

Pag. 128 – Generalis vero . . . – In Gallia satius videtur, ut actus generales fiant a prandio tantum, et extrahantur ad 4 vel 5 horas; sicut fieri solet in actibus sorbonicis Parisiis; et hactenus factum est in nostro collegio Parisiensi. Nam discipuli, qui respondent, quo actus sit celebrior, solent invitare episcopos et alios primarios viros, qui si mane fiant, nunquam aderunt, nec ipsi quidem scholastici adsunt tanta cum frequentia cum mane fiunt.

Pag. 128 – Si publicus academiae mos – Publicus academiae parisiensis mos hic est, ut baccalaurei in omnibus actibus sorbonicis, sive maioribus sive minoribus, nunquam ponant in thesibus, nisi novas conclusiones, sed interdum comprehendentes totam fere theologiam. Qui mos, si nobis esset sequendus, necessario una conclusio deberet excedere tria et quatuor membra. Sed tamen nos hactenus in collegio parisiensi non solum sine offensione, verum etiam cum applausu omnium secuti sumus, quod hinc praescribitur de numero conclusionum in actibus generalibus. Qui mos propterea non videtur deserendus, etiam si Sorbona aliter faciat.

Pag. 142 – Mane etiam vigiliarum . . . – In Gallia non docetur ex antiqua consuetudine academiae parisiensis toto die in vigiliis Nativitatis Domini, sabbato ante Quadragesimae dominicam, Pentecostes, Assumptionis B. V. et Omnium Sanctorum, ut videlicet scholastici confiteantur et parent se ad communionem diei sequentis.

Pag. 143 – Ubi vero solum a prandio vacatur . . . – Theologi saltem debent vacare toto die, etiam ubi solum a prandio vacatur, ut ab aliquot annis factum est Parisiis; quia alioqui is qui mane docet, nunquam cessaret a lectione.

Pag. 144 num. 1 – Ubi post auditum cursum philosophiae vel theologiae debent discipuli facere actus suos omnes, quibus consequantur gradum magisterii vel doctoratus, poterit quidem concedi semiannus ad repetendam philosophiam, et theologis biennium ad repetendam theologiam, [378r] ubi id commode fieri poterit; alioqui satis praeclare agetur cum nostris, si possint per integrum quadriennium audire theologiam.

Pag. 145 – In Gallia quoque etc. – Imo vero etiam Parisiis, quae est prima academia totius Galliae hoc tempore, expectant quidem triennium, sed in fine biennii absolunt cursum, nisi in nostro collegio, in quo nec expectatur quidem usque ad finem triennii, sed finitur cursus tertio anno circa Pascha. Deinde fiunt actus generales per quinque vel sex hebdomadas. Mos tamen academiae antiquus et secundum statuta complectebatur triennium integrum ad audiendam philosophiam et dimidium ad praeparationem actuum.

Pag. 151 num. 11 – Epomides, quae Germaniae . . . – Epomides non solum germanis, sed etiam gallis, et quidem prius quam germanis sunt in usu. Itaque haec videntur esse debere insignia nostrorum, qui promovebuntur in Gallia.

### Provincia Franciae

In caput primum: *De tempore, quo scholasticae theologiae curriculum perficiendum sit* — Consenserunt omnes, pro curriculo scholasticae theologiae auditoribus sufficere quadriennium. At aliquibus visum est, professoribus concedendum esse quinquennium aut etiam sexennium, si fieri posset. Caeteri tamen omnes iudicarunt, tam auditoribus quam doctoribus sufficere quadriennium iuxta Constitutiones<sup>39</sup>, nec plus temporis concedendum, quod scholastici nequeant tandiu expectare; et hoc quidem intelligi debet, ubi tres sunt saltem theologi, quorum duo legunt scholasticam theologiam, tertius vel casus conscientiae vel Scripturam aut controversias. Occasione vero hinc arrepta, tractatum est de diversa ratione theologorum, et omni varietate, quae esse possit in pluribus [*Stud.* 3, f. 335v] collegiis; et licet omnes convenerint, ubi unus tantum est Scripturae interpres, ut ordinarie esse debet in collegiis, in quibus unus duntaxat est theologus, huiusmodi nullum tempus esse praefigendum, (quod alicui probatum est, ubicumque unus duntaxat est lector, sive ille scholasticus sit, sive casista, sive controversiarum doctor); tamen maior pars putavit, uni scholastico tantum 8 annos praescribendos, quibus curriculum absolvat, aut 12 ut aliqui opinati sunt; ubi vero scholasticus unus cum Scripturae interprete tantum, maior pars 6 annos concedendos censuit; ubi vero scholasticus unus cum casista, totidem secundum maiorem partem, dummodo casista iuvet scholasticum, explicando eam partem, quae agit de iustitia et iure, de contractibus et hominum statibus et de poenitentiae ac matrimonii sacramentis; ubi vero duo scholastici tantum, unus 5 annos, alii 6, maior pars quadriennium praescribendum iudicavit; ubi denique duo scholastici cum casista, quidam quinquennium concedendum putarunt; sed maior pars quadriennium sufficere sensit, quia scholastici externi nolunt diutius expectare, immo vix etiam tandiu.

Animadversum est (pag. 82 lin. 2a), in verbis illis Declarationum cap. 15 4ae p. litt. D<sup>40</sup> additum esse verbum «experimento», quod non habetur in ipsis Declarationibus; ac proinde tollendum omnes censuerunt, ne quidpiam ipsis Declarationibus addamus.

2<sup>o</sup> – Disputatum acriter est: Num alicubi concedendus tertius scholasticus, ut habetur (pag. 84 et 85); et quamvis alicui visum sit, eum concedi posse, tamen caeteris omnibus placuit magis, nulla ratione tertium theologum alicubi concedendum esse; tum ob rationes in ipsa studiorum ratione allatas, quae optimae sunt; tum etiam ob sequentes: – 1<sup>o</sup> ad servandam conformitatem in collegiis nostris et Societate. – 2<sup>o</sup> ad tollendam aemulationem inter nationes, provincias et collegia. Nam, si quibusdam nationibus et provinciis concedatur, aliae existimantes se illis nequaquam inferiores, volent quoque habere, ut itali, galli et germani, praesertim in magnis collegiis et celebrioribus academiis. – 3<sup>o</sup> quia in Collegio Romano, quod magnum est, et omnium collegiorum mater ac totius Societatis quasi seminarium<sup>41</sup>, duo tantum sunt, et tamen semper illud floruit et in alias provincias quam plurimos ex suis alumnis misit. – 4<sup>o</sup> quia auditores vix possent eos audire quotidie docentes, cum experientia doceat, illos in audiendis duobus solum satis occupari, valde enim fatigantur in scribendo. [336r] Accedit, quod tempus non sufficit ad repetendum et discendum. – 5<sup>o</sup> quia non videntur casus conscientiae dandi scholastico, quia minus temporis in his ponet, et exiguu tempore paucos casus explicabit. – 6<sup>o</sup> quia multi externi, qui sunt inepti ad scholasticam theologiam et non possunt tandiu manere, non poterunt audire casus; et si praeterea

<sup>39</sup> Vide *Const.* P. IV c. 15 § 3; MP I 303 305.

<sup>40</sup> Vide MP I 305.

<sup>41</sup> Cf. MP II 19\*-20\*.

sit alia lectio casuum, erit confusio. Quare, si alicubi fundatio tres lectiones scholasticae theologiae exigeret, posset loco tertiae addi lectio Scripturae aut controversiarum vel casuum conscientiae, tum ne alii in exemplum id trahant, tum ut consulatur illis, qui non sunt capaces, ut scholasticam audiant, et ut integre atque perfecte tradantur casus conscientiae.

3<sup>o</sup> – Iudicarunt omnes (pag. 85 ad solutionem secundae rationis), addendum esse: multa relinquenda esse industriae et diligentiae auditorum, neque esse necessarium ita singula minutatim persequi, ac si numquam deberent auditores libros ullos evolvere, modo non praetereantur quae praecipua sunt ac necessaria; et satius esse, quae magis necessaria sunt, exacte et accurate tractare, quam multa leviter; et in his quae praetermittuntur, ut minus necessaria, indicandos esse auctores, qui illa optime tractant.

4<sup>o</sup> – Visum est cunctis, praetermittendam esse comparisonem illam nimis odiosam inter nostros et externos, quae habetur (pag. 86 a lin. 14 ad 19), qua nostri perhibentur laboriosiores externis et frequentiores habere exercitationes, et dicitur perfectio scientiae illorum otiosa, eosque minus esse sollicitos et laboriosos.

5<sup>o</sup> – Quibusdam apparuit, supervacaneum esse quod praecipitur (pag. 86 lin. 26), ut in uno quadriennio locupletentur, quae alio levius tractata sunt, quia non sunt futuri iidem auditores. Pluribus tamen visum est, id recte praecipui, ut habeant nostri omnia accurate tractata, ut dicitur cap. 2 infra pag. 93 lin. 10a et sequentibus; id quod uni ex theologis muspontanis etiam visum est.

6<sup>o</sup> – Iudicavit maior pars dandum esse integrum annum aut certe dimidiatum tam theologis quam philosophis, ut se praeparent ad curriculum, quandoquidem dicitur (pag. 87 lin. 16) «si tempestive moneantur». Alicui tamen visum est, de ea re nihil praecipendum esse, sed relinquendum totum hoc superiorum iudicio atque prudentiae, tum ne videamur superioribus leges praescribere, aut eorum prudentiae et providentiae diffidere; tum etiam, quia nonnulli adeo sunt ingeniosi, ut tanto tempore non egeant; et denique, quia aliquando necessitas id non permittet.

Circa caput secundum: *Quibus adiuvandi remediis duo professores, ut theologiam ementiantur quadriennio*, haec observata sunt.

1<sup>o</sup> – Alicui visum est, aliter in duos professores faciendam esse D. Thomae distributionem, quam fit (pag. 88 lin. 12a et sequentibus aliquot); putavit enim, commodius uni professori assignari posse primam partem et tertiam, reiectis sacramentis poenitentiae et matrimonii in alterum, quod hae duae materiae morales fere sint, et praesertim [336v] quae ad matrimonii impedimenta attinent, et censurae, quae spectare videntur ad sacramentum poenitentiae; alteri vero totam 1am 2ae et 2am 2ae, quia tertia pars de Incarnatione est subiecta 1ae parti, quae de Trinitate agit et ei finitima, atque 2a 2ae dependet omnino a 1a 2ae sicuti particularia ab universalibus; et fieri plerumque solet, ut sicuti diversa esse solent praeceptorum ingenia, sic etiam diversas et interdum plane contrarias de eisdem rebus habeant opiniones. Unde consequitur, ut diversas et parum cohaerentes habeant scholastici vel eadem de re, vel de rebus plane cognatis opiniones, dum unus praeceptor unam habeat in 1a parte et 1a 2ae opinionem, et alius in 3a parte de Incarnatione, quae 1ae finitima est, et in 2a 2ae, quae 1ae 2ae subiecta est, plane diversam aut etiam omnino contrariam. Neque obstat, quod uni hac ratione videantur assignari omnes materiae speculativae et nobiliores; alteri vero tantum practicae materiae et minus illustres. Nam postea illi alternatim succedent practicae, huic vero speculativae grata quadam vicissitudine; quae commodior esse videtur, quam ut singuli debeant modo in parte aliqua speculativa, modo in practica versari et nullam prorsus perficere. Nihilominus caeteri omnes iudicarunt, retinendam esse distributionem partium D. Thomae hinc praescriptam et hactenus in nostra Societate con-

suetam; tum quia hactenus semper observata est, tum quia ratio allata pro altera distributione eidem adversatur et huic favet. Nam sicut possunt diversi praeceptores diversas et contrarias habere opiniones in diversis partibus D. Thomae, scilicet 1a parte de Trinitate et 3a de Incarnatione, et 1a 2ae et 2a 2ae; sic etiam et in ipsa materia sacramentorum, cuius pars una reiicitur in unum professorem, altera in alterum. Huc accedit illud incommodi, quod molestum esset auditoribus, pariter audire duos praeceptores diversos legentes de sacramentis. Quod necessum foret secundum priorem illam partium D. Thomae distributionem.

2<sup>o</sup> – Distributio illa partium D. Thomae, quae ibidem habetur, in duos praeceptores iuxta quadriennium, omnibus placuit, suppositis illis, quae hactenus visa et conclusa sunt; scilicet, nullibi concedendum esse tertium scholasticum et quadriennium duobus tantum pro curriculo sufficere, etiamsi breviter immisceant casus et controversias. [337r]

3<sup>o</sup> – Placuit omnibus prior definitio terminorum cuiusque anni quadriennii constituta, suppositis quadriennio tantum et duobus professoribus. Iudicarunt nihilominus fere omnes, relinquendum arbitrio prioris professoris, num velit tertio anno incipere a quaestione 55a, an a quaestione 71 1ae 2ae, ut relinquitur in libro ipso (pag. 89 lin. 20a). Aliqui tamen putarunt, ne hanc quidem libertatem relinquendam praeceptori ob rationes supra eadem pagina allatas, ne non suo tempore absolvant. Nulli praeterea visum est, priorem professorem quarto anno posse absolvere illud pensum, quod illi assignatum est. Quare iudicavit maior pars, non esse urgendum aut cogendum praeceptorem, ut tot materias absolvat, sed permittendum, ut faciat quod poterit. Alii iudicarunt, vel praetermittendas vel remittendas ad alias partes, si commode fieri possit. Nam alter professor, cum tractabit de ordine, poterit disputare de pontifice romano. Pari ratione, omnibus fere probata est definitio terminorum quadriennii posterioris theologi (suppositis quadriennio tantum et duobus solum professoribus scholasticis), nisi quod universi, etiam mussipontani theologi tres, cum P. Clero, et parisienses theologi duo improbarunt perverti ordinem sacramentorum in primo et secundo anno. Quare iudicarunt cuncti, sacramenta eo ordine pertractanda esse, quo a D. Thoma tractantur; tum ne pervertatur ordo D. Thomae, tum quia non possunt intelligi sacramenta in particulari, nisi prius agatur de sacramentis in genere; tum ne idem saepius cogatur praeceptor repetere; tum quia, nisi praeceptor ipse prius praevideat et praeparet de sacramentis in genere, non poterit ipse recte intelligere aut docere argumenta in particulari, neque discipuli illa capere. Itaque doceat omnia ordine et quantum potest, et si fieri potest, secundo anno de Incarnatione et de sacramentis in genere, ut omnibus visum est, tertio de baptismo, confirmatione et Eucharistia, ut maiori parti probatum est, aut etiam usque ad Supplementum D. Thomae, uti aliquis censuit; quarto anno reliqua omnia, ut plures putarunt; aut quae habentur in Supplemento etiam cum quatuor Novissimis (ut quidam censuit), ne nostri haec quae pulchra sunt et scitu digna, ac in communem hominum sermonem incidentia, cum rubore ignorent; quamvis nonnulli haec praetermittenda putarint, quod facilia sint, alii vero tractanda, si fieri potest.

4<sup>o</sup> – Posterior terminorum definitio, quae habetur (pag. 90 lin. 27 et sequentibus aliquot), est ab universis approbata, nisi quod omnes iudicarunt, primo anno tractandas quaestiones speculativas tantum de fide cum controversiis, quae ibi assignantur; et secundo anno quaestiones practicas de fide et materiam de spe et charitate; nec onerandum esse tertium professorem quarto anno tractatu de censuris. Nam hac ratione non plus illi temporis accidit pro suis materiis, quam quando duo tantum essent praeceptores, ut constat ex priori terminorum assignatione. Quare pluribus visum est, eum de censuris duntaxat in genere agere oportere in sacramento poenitentiae, non autem sigillatim, sed indicandos auc-

tores, qui eas optime explicarunt. Aliis visum est, nulla ratione praetermittendas esse censuras, sed sigillatim de iis agendum, vel reiiciendas in illum, qui agit de iustitia et iure, ut nonnullis placuit.

<sup>5<sup>o</sup></sup> – Censuerunt omnes, minime percurrenda esse sacramenta, ut dicitur (pag. 89 lin. 28); et occasione huius clausulae disputatum est: Num oporteret sequi ordinem D. Thomae in Supplemento ad tertiam partem in reliquis sacramentis pertractandis, an alium aliquem, quem sibi quisque ceu commodiorem conficeret? Placuit omnibus sequendum ordinem D. Thomae in Supplemento, tum ob animorum consensionem in Societate, tum ne libera sit cuique facultas suum ordinem conficiendi, et ut auditores, qui iubentur legere D. Thomam antequam ad scholam accedant, sciant, quid legere debeant; et denique ut hac in parte, sicut in caeteris, D. Thomam sequamur.

<sup>6<sup>o</sup></sup> – Quod dicitur (pag. 91 n. 5 lin. 17 et aliquot sequentibus) videtur paulo obscurius dictum, ac proinde clarius exponendum, et exempla ex ipsomet D. Thoma proponenda, ubi eandem quaestionem seu difficultatem partitur in plures articulos, et hos in distantes quaestiones distrahit, ut omnibus visum est. Et licet aliquis iudicavit huiusmodi seorsim clarius tractari posse; tamen maiori parti apparuit, hoc relinquendum esse liberum; et omnes iudicarunt, indicanda esse loca aliquot et proponenda exempla.

<sup>7<sup>o</sup></sup> – Visum est quibusdam (pag. 92 lin. 7a), non faciendam solam mentionem controversiarum P. Bellarmini<sup>42</sup>, sed etiam aliorum, ne nostra magnificare et aliis obtrudere vellet videamur. [337v] Alii nihilominus arbitrati sunt, hunc solum in particulari nominandum, aliorum vero tantum in genere faciendam mentionem, quod solum ille ex instituto et sigillatim omnes controversias persecutus sit, non item caeteri, nisi obiter et aliquas.

<sup>8<sup>o</sup></sup> – Iudicarunt nonnulli, nimis magnum onus imponi praefecto (pag. 93 lin. 5a n. 9<sup>o</sup>), dum iubetur observare, quae superiori quadriennio perstricta sunt, et monere ea de re praeceptores, ut illa amplificent; cum ad illos potius hoc spectet, ut inquirant, tum quia saepe et plerumque ipse quoque professor est et saepe mutatus, tum quia materiae praecipuae nunquam perstringendae sunt, sed semper exacte tractandae; minus vero praecipuae materiae sunt, quae semper perstringere oportebit. Maiori tamen parti visum est, hoc esse praefecti munus et onus, ut dicitur.

<sup>9<sup>o</sup></sup> – Visum est omnibus, delendum id quod habetur (pag. 93 lin. 10) «in Ecclesia», ne existimare videamur, non futuras huiusmodi materias in Ecclesia accurate tractatas, nisi per nostros tantum.

<sup>10<sup>o</sup></sup> – Praeter remedia in hoc capite proposita, quibus iuvare possunt duo scholastici, ut totum curriculum theologiae quadriennio emetiantur, occurrerunt alia duo: Alterum est, ne nostri tractent problemata, aut aliquid problematicae unquam doceant; quod nunquam faciendum existimavit quispiam; caeteris nihilominus omnibus visum est, id aliquando permitti posse; ita tamen, ut nostri aliquid semper certi definiant, nec proponant, nec dissolvant argumenta utriusque partis, neque illa dictent. Alterum est, ne nostri praeceptores omnes evolant libros domi, ne nimia multitudo distraherentur, et prolixiores in materiis edisserendis efficiantur, sed eos tantum, qui conferunt maxime, et praecipuos quosdam auctores; et licet non defuerint, qui hoc remedium improbarint, maiori tamen parti probatum est.

Circa caput tertium: *De ratione ac modo praelegendi* – haec notata sunt — <sup>1<sup>o</sup></sup> – Iudicarunt omnes (pag. 94 lin. 17a et sequentibus), ubi praescribitur modus interpretandi D. Tho-

<sup>42</sup> De quibus vide supra, mon. 10 adn. 207.



mam, monendos esse praeceptores, ne dictent quod habet D. Thomas, et (lin. 5a pag. 95) n. 2<sup>o</sup> monendum, ne citentur authores obscuri, sed alicuius nominis, nec sententiae autorum ad longum, ne in ipsis quidem controversiis de dogmatibus fidei, sed ad sensum tantum; et sententiam, nisi quando brevis et illustris est sententia et aliquid observatione dignum continens, ut habetur (lin. 13a et 14a pag. 95 n. 2<sup>o</sup>).

2<sup>o</sup> – Nonnullis visum est, non esse permittendum liberum praeceptoribus, ut faciant tractatus, ubi D. Thomas obscurior aut prolixior est; ne D. Thomae saepe obscuritatem et prolixitatem affingant; sed tantum cum addendum est D. Thomae; nisi conscribatur catalogus eorum locorum, in quibus D. Thomas et obscurior et prolixior est, ubi id facere liceat. At maiori parti probatum est, id nunquam esse permittendum propter obscuritatem D. Thomae, quod nihil sit in D. Thoma obscurum; quod si quispiam sit, clarius a praeceptore explicetur; sed duntaxat ob prolixitatem, quando materia redigenda est in compendium; quod ut fiat commode, indicanda videntur huiusmodi loca, in quibus D. Thomas prolixior est et contrahendus est.

3<sup>o</sup> – Placuit omnibus, explicationem semper praeponendam esse dictationi, ut dicitur (pag. 95 lin. 28 n. 4); nunquam vero interponendam aut postponendam, quod sic melius intelligantur, quae dictantur et minus confundantur auditores, si tamen dictetur.

4<sup>o</sup> – Circa ea quae dicuntur (pag. 95 n. 4 lin. 27 et sequentibus aliquot lineis ac paginis) de abroganda dictatione, exagitata ultro citroque fuit illa quaestio: an nostris praeceptoribus dictandum sit? R.P. Viceprovincialis [P. Puteanus], P. Annibal Codretus et P. Richardus Flaminius senserunt, abrogandam penitus et ablegandum cum a nostris scholis tum a nostris omnibus esse omnem dictandi consuetudinem otiosam quidem illam et perniciosam atque ingeniorum cladem et ruinam, doctrinae pestem, solidae scientiae inimicam, mortem scholae, venenum memoriae et exercitationum omnium litterarium hostem; tum ob rationes illas positas in ipsa studiorum ratione, quae et optimae et ad persuadendum efficacissimae sunt; tum ob alias plurimas, quas lubet hic subiicere.

Primo, quia multi praeceptores inveniuntur qui, tametsi possint cum laude docere, non possunt tamen ferre laborem scribendi aut dictandi; quem tamen subire necesse erit, si dictandum sit; plures vero, qui valde barbaramente et prolixe dictant, pauci vero qui breviter, latine et concinne, ut oportere. [338r] – 2<sup>o</sup>, quia redduntur professores pigri et socordes ex huiusmodi dictatione. Nam plures ex discipulis facti professores, freti dictatis suorum praeceptorum tantum, fugientes laborem, non student neque autores evolvunt, nec lectionem mandant memoriae, nec ipsi eam tenent, sed otiantur et veniunt ad classem cum suis scriptis et dictatis; et inde languido et emortuo quodam modo per integram horam aut amplius dictant. Hinc ab aliis diligentioribus in disputationibus ita interdum premuntur, ut nescientes quo se vertant, obmutescant, et Societatis nostrae honori et suo parum consulentes. – 3<sup>o</sup> fertur in Hispania regio edicto cautum esse, ne qui professores dictent, ob incommoda multa, quae inde sequuntur; neque regii professores Parisiis dictant, sed tantum legunt et explicant. Neque in aliis academiis ut Lovanii, neque Iacobus Cuitius<sup>43</sup>, celeberrimus professor iuris civilis Biturigibus [Bourges], dictat. Et sane, experientia docet, a quo tempore dictari inceptum est in Societate nostra, eandem plures habere dictatores, sed paucos doctores. – 4<sup>o</sup> dictatio efficit professores prolixos, praesertim in citandis aliorum sententiis et cumulandis multis testimoniis, quae nihil ad solidam eruditionem conferre videntur; dum nil volunt videri praetermisisse aut non legisse, exscribentes ex libris quae aliis dictent; et saepenumero ipsi praeceptores, cum non possint omnia dictare in scholis ob

<sup>43</sup> Iacobus Cujas (Cujans), iuris consultus gallus (1522-1590); cf. *Larousse du XX<sup>e</sup> siècle* II (1929) 616.

scriptorum multitudinem et temporis angustias, manent ipsi domi in suis cubiculis et mittunt alios, qui sua scripta discipulis legant in classe, ut illa excipiant, cum magna discipulorum molestia et fastidio.

5<sup>o</sup> obest etiam plurimum huiusmodi dictatio ipsis discipulis et auditoribus; fovetur enim ipsorum pigritia et socordia, contemnunt et parvi faciunt omnia exercitia litteraria scholae, repetitiones, disputationes et alia; neque praeceptores unquam adeunt aut consulant de suis dubiis, quia nihil dubitant, nec ut dubitent, laborant, contenti suis dictatis. Sane quandiu vigeat dictatio, frigeant disputationes, repetitiones negligentur et exercitia omnia litteraria concident. – 6<sup>o</sup> multo plures et meliores haberemus auditores, si non dictarem, quam modo habemus dum dictamus, contra quam multi existimant. Multi enim non audiunt, nec ad scholas veniunt, qui alioquin venirent, sed student domi, quia putant, se posse describere ab aliis, quae dictantur, et per ea discere quae cupiunt, vel pueros conducunt et ad scholas mittunt, qui pro eis scribant, saepe incorrecte et inemendate. Alii etiam, qui audiunt, saepe absunt liberius, quod sperent se lectiones ab aliis exceptas, descripturos. Alii, qui ingenio pollent et solum audire et intelligere volunt, non item scribere, impediuntur et retardantur. Quid, quod multi auditores humaniorum litterarum et inferiorum classium iacturam faciunt non minimam studiorum suorum, dum veniunt ad excipiendam dictata theologorum vel philosophorum, aut in horum classibus, si huiusmodi legantur hora extraordinaria, ut fit aliquando, aut pro se, aut pro suis paedagogis, et ita negligunt sua studia, vel certe domi illa ab aliis suis commilitonibus describunt, et his contenti, absque ulla auditione philosophiae aut theologiae, vel parochi fiunt vel provinciam huiusmodi scientias profitendi suscipiunt, et docendi quas numquam ipsi didicerunt, cum magno tum suo tum aliorum malo. – 7<sup>o</sup> huiusmodi dictatio officit plurimum valetudini, cum praeceptorum tum auditorum, tam externorum quam domesticorum. Nam saepe frangunt sibi venas, contrahunt morbos, expuunt sanguinem, coguntur abstrahi a studiis, redduntur inutiles et Ecclesiae et Societati.

8<sup>o</sup> dictatione huiusmodi et scriptis, quibus vix, ac ne vix quidem, relegendis saepe tota vita sufficit, datur occasio externis praesertim illis, qui non bene erga nos sunt affecti, ut liberius de nobis censuram faciant et iudicium ferant; ac causam calumniandi, si vel in minima citatione nos defecisse deprehendant, aut diversas vel absurdas opiniones inter nostros inveniant. Omnia namque etiam externorum collegia sunt plena nostrorum scriptis et dictatis, ita ut et nostri minus libere illis uti valeant, si velint; et externis tam praeceptoribus quam discipulis perinde ac nostris incommodent modis omnibus hactenus allatis, quin et nobilium atque aulicorum manibus teruntur, et consiliariorum, advocatorum et aliorum cuiuscunque generis hominum, qui interdum alienos partus pro suis in lucem edunt et supponunt nostrorum scripta, et dictata, vel latina lingua aut etiam materna, pro suis evulgantes. [338v] – 9<sup>o</sup> incommoda huiusmodi dictationis non finibus duntaxat philosophiae aut theologiae continentur aut circumscribuntur, sed caeteras etiam facultates omnes pervaserunt, ita ut praeceptores nihil minus agant, quam quod agere deberent. Nam nec philosophi Aristotelem, nec theologi D. Thomam aut Scripturam interpretantur aut exponunt, sed suos libros, tractatus et disputationes conficiunt et dictant; quin et rhetoricae, humanitatis et grammaticae professores, ne illis sint inferiores aut dissimiles, suos quoque componunt libros, tractatus et disputationes et quaestiones, atque prolegomena de rebus omnibus instituunt cum magno, tum suo tum discipulorum detrimento; et nihil minus docent quam scribere et componere, aut proprietates et significationes verborum, phrases et alia huiusmodi, quae ad comparandum stylum et recte scribendum ac componendum conferunt; adeo ut neque ipsi, neque eorum auditores stylum habeant, aut latine loquantur.

10<sup>o</sup> quemadmodum cibus bene mansus, melius nutrit, corroborat magis ac prodest, quam a nutrice premansus vel stomacho ingestus – illud enim infantibus duntaxat, aut heluonibus vel male affectis convenit; hoc vero virorum est et bene affectorum –, sic excepta propria industria et labore, ex ore praeceptoris docentis, aut domi memoriae causa notata ex iis, quae inter audiendum placuerunt, magis auditorem delectant, recreant et iuvant, quam tanta dictatorum et scriptorum farrago supervacanea; et proprio labore parta magis placent et probantur, quam aliena industria conquisita. Sane facile fuerit vel mediocriter ingenioso, dum praeceptor explicat et suos syllogismos atque propositiones hinc inde contorquet ac versat scribere, vel notare media duntaxat argumentorum et rationum (quod satis est ei, qui novit syllogismum contexere; qui enim id praestare nequit, indignus censendus prorsus est qui vel ad philosophiam aut ad theologiam audiendam admittatur), et conclusiones, opiniones atque solutiones argumentorum breviter et succincte. – 11<sup>o</sup> quia non dictare est optimum remedium ad iuvandos scholasticos, ut curriculum totum theologiae scholasticae quadriennio emetiantur. – 12<sup>o</sup> quia haec consuetudo dictandi nova est et ab aliquo tempore introducta in Societate nostra.

At his rationibus non obstantibus, visum est P. Iacobo Comoletto et P. Alexandro Georgio, rectori collegii parisiensis in consultatione, et P. Alphonso Carillo atque P. Ioanni Castellario, professoribus scholasticae theologiae collegii parisiensis extra consultationem, et P. Nicolao Clero, ex deputatis uni, atque tribus aliis theologis collegii mussipontani, retinendam omnino esse dictandi consuetudinem, ubi iam est, et introducendam, ubi non est, dummodo cum moderatione instituat; nec tolli eam posse ob has quae sequuntur rationes: – 1a, quia si non dictetur, certum est paucos tantum, qui ingenio excellunt, ea posse distincte capere, ac multo minus memoriae mandare, quae praeleguntur, et semel tantum dicuntur. – 2a, quia experientia docet, auditores magis laborare, ubi non dictatur, uti fit Romae; siquidem tota hora coguntur scribere; ubi vero dictatur, minime. – 3a, quia si nequeant assequi praeceptorem, totam diem insumunt domi in exscribendo ab aliis, praeterquam quod vix unus ex multis omnia habeat emendate; hoc enim si accadat, quando praeceptor dictat paulo celerius, quanto magis si doceat tantum et non dictet omnino? Et dum cogitant de iis, quae excipienda sunt, alia praeterlabuntur, quae non percipiunt. – 4a, quia cupiunt omnia habere, quae dicit praeceptor, dum non vacat deligere meliora, sicque gravantur supra modum; at sublevantur, si dictetur. – 5a, quia quod dicitur remedii loco, videtur admodum difficile, imo vero aliquo modo ridiculum, veluti quod mutandus sit tonus. – 6a, quia ex ipso remedio sequitur, ut praeceptor multum temporis insumat inutiliter inserendo, quae ad rem non pertinent. – 7a, quod non sit commoditas praeceptorem semper adeundi, nec eius scripta haberi possint, ut describantur, cum ipse illis utatur docendo. – 8a, quod tempus non suppetat, ut consulantur et legantur auctores, quos etiam pauci auditores in promptu habent. – 9a, quod in Gallia non videatur ullo modo tolli posse dictationem, ita ut retineantur auditores, tum quia iam in consuetudinem abiit, tum quia externi doctores eam maxime usurpant, praesertim in philosophia, medicina et theologia; qui si non dictarent, auditores amitterent, ut experientia Tholosae, tum in nostris tum in iurisprudentiae auditoribus comprobatur. – 10a, quod viri doctrina excellentes possent ex dictatione sibi nomen apud viros graves comparare, qui scripta possunt legere, [339r] lectioni autem minime interesse, sicuti accidit P. Maldonato<sup>44</sup>; nam cum lectio praesentibus

<sup>44</sup> Ioannes Maldonado S.I. (1533-1583), qui pluribus annis in universitate parisiensi magna cum laude theologiam professus est. Vide eius scriptum de doctrina S. Thomae in S.I. sequenda; supra, mon. 5; et tractatum *De ratione theologiae docendae* (1573) in MP IV 186-96.

tantum prosit, dictata etiam absentibus et posteris plurimum prosunt. – 11a, quia facile solvuntur rationes, quae in contrarium afferuntur, et plurima incommoda sequerentur, ut iam dictum est, si non dictaretur; ut quod auditores tota animi contentione occupati in scribendo, non possent animum intendere ad ea, quae a praeceptore explicantur; quod scholae nostrae peribunt etc. de illis actum sit. Ob has ergo rationes iudicarunt hi patres, non abrogandam esse consuetudinem dictandi gallicano saltem more, in locis ubi iam est, sed retinendam; introducendam vero ubi non est, et abolendam ubique consuetudinem illam dictandi more romano. Visum est patribus, contrariae sententiae has rationes facile solvi posse.

5<sup>o</sup> – Quod dicitur (pag. 99 lin. 26a) «ut eadem propositio repetatur altiori tono, ut exscribatur» visum est quibusdam ridiculum et indecorum. Maiori tamen parti probatum est interdum fieri posse; interdum vero non, et rem indifferentem esse.

6<sup>o</sup> – Non satis intellectum est a nobis, quid sibi velint illa verba quae habentur (pag. 100 lin. 9a) «posset in eis habere selectas quasdam phrases breviores»; quare hoc apertius dicendum esset, et explicandum secundum omnes.

7<sup>o</sup> – Omnes diiudicarunt, sicubi dictandum sit, non tribus horae quadrantibus dictandum esse, ut praescribitur (pag. 101 lin. 2a et 3a), et duobus explicandum, sed tantumdem temporis tribuendum explicationi, quantum dictationi tribuitur . . . [341v] . . .

Circa caput quintum: *De repetitionibus* — haec occurrerunt — 1<sup>o</sup> – Primo, duo putarunt praecipiendum esse ac statuendum, ut discipuli, qui possunt, in schola contineantur, ac proinde non relinquendum esse hoc liberum, nec dicendum tantum, optabile esse, ut dicitur (pag. 122 lin. 6a); maior tamen pars censuit, recte se habere ut est, nec mutandum esse.

2<sup>o</sup> – Iudicarunt omnes, non interrogandos esse theologiae auditores a praeside in repetitionibus puerorum more, sed praecipiendum, ut ipsi lectionem repetant, breviter tamen et non praemoniti, si fieri potest; et disputent deinde duo aut tres pro arbitratu praeceptoris. Quare videtur delendum illud, quod habetur pag. 125 linea 1a «interrogabit autem praeses». Placuit etiam omnibus, ut admitterentur ad disputandum et dubia etiam proponenda, qui nolunt repetere. Nam multi externi volent disputare aut dubia sua proponere, qui tamen nolunt examinari, interrogari, aut etiam repetere; et quamvis quibusdam visum sit extra congregationem, non nisi duos duntaxat monendos, ut repetant per quadrantem, tum quia quibusdam in locis pauci sunt auditores, tum quia tres videntur nimis multi ad explendam quadrantem; tamen omnibus deputatis visum est, recte praecipi ut tres repetant, nec immutandum hoc esse. Quibusdam visum est etiam, non sufficere quadrantem pro repetitionibus, ut praecipitur (pag. 123 lin. 14), sed praecipiendum, ut repetant per dimidiatam horam, aut per quadrantem, aut eo amplius, dummodo non excedant mediam horam; quod omnes tandem probarunt; (et pagina eadem linea 14a) [342r] quibusdam visum est, satius esse, ut discipuli post repetitiones dubia proponant, quam disputent. Aliis vero magis placuit, ut disputent; alicui visum est, ut utrumque praestent; hoc est, prius dubia sua omnes proponant, deinde disputent, si tempus superest; nam sic exercebuntur plures et melius lectionem intelligent; (pagina quoque eadem linea 16a et 17a) ubi praescribitur, ut tres disputent et respondeant, placuit omnibus ita fieri, ubi multi sunt auditores; ubi vero pauci, sufficere unum tantum aut duos, qui respondeant.

3<sup>o</sup> – Iudicarunt universi, praetermittenda esse verba illa, quae habentur (pag. 123 lin. 29 n. 3<sup>o</sup>) «professores liberandi videntur, nisi forte malint non liberari a domesticis repetitionibus»; neque hoc exprimendum esse, ne si rector aut superior volet alicubi iustis de causis illos praeesse repetitionibus, illi detrectent freti his verbis. Atque occasione huius dispu-

tatum hoc loco fuit, quinam praeesse debeant repetitionibus; an ipse praeceptor, an alius quispiam a superiore designandus? Convenerunt omnes, domesticis nostrorum repetitionibus posse praeesse vel unum ex discipulis ipsis provectionibus et doctioribus, vel alium, quem superior designabit; communibus vero nostrorum cum externis repetitionibus, quae in scholis potissimum habentur, interesse oportere ipsum praeceptorem, non alium quempiam.

4<sup>o</sup> – Proposita hoc loco quaestio fuit: num faciendae sint communes repetitiones nostrorum et externorum, praesertim in theologia atque etiam philosophia (ut hactenus factitatum est in Gallia quibusdam in locis)? Alicui visum est, fieri non debere huiusmodi repetitiones, sed potius tolli ex locis, in quibus hactenus factae sunt; tum ne gravetur Societas; tum etiam, quia non est consuetudo generalis Societatis, sed particularis quorundam locorum, ac proinde abroganda. Aliis tamen, tam in ipsa congregatione quam extra eam, placuit magis, debere esse communes, quod frustra videatur praelegi, nisi repetatur, cum illic seminetur, hinc vero metatur. Alius existimavit, debere esse communes et in academiis et in collegiis, quae habentur in academiis tantum. Nec defuit, qui existimaret, in academiis tantum nostris, ubi externi sunt exercendi et praeparandi ad gradus suscipiendos, debere esse communes. In aliis vero omnibus locis, etiam in collegiis, quae habentur in academiis, esse tollendas, quod exiguus illarum sit fructus et pauci aut nulli externi ad illas veniant, et aegre quidem illi.

5<sup>o</sup> – Citantur Constitutiones (pag. 124 lin. 4 n. 3<sup>o</sup>) 4a parte cap. 6 H<sup>45</sup>; cum tamen verba, quae subiiciuntur, sint desumpta ex Declarationibus; quocirca iudicarunt omnes, loco illius vocis linea 4a «Constitutiones» substituendum verbum «Declarationes» ut sic legatur: Primo, quia *Declarationes* supponunt abesse praeceptores a repetitionibus.

6<sup>o</sup> – Propositum fuit a quibusdam, circa pag. 125 lin. 4, an aliquid monendum hoc loco foret, aut praecipiendum de lectionibus habendis ab auditoribus philosophiae et theologiae in refectorio aut alibi tempore vacationum, aut etiam aliis temporibus, ut alicubi fit? Omnes convenerunt, aliquid monendum et praescribendum esse de huiusmodi lectionibus, sed reliquendum esse P.N. Generali, ut decernat, ubi, quando ac quibus temporibus et quomodo, ac quam frequenter illae fieri debeant. Quibusdam tamen visum est, non expedire, ut fiant in refectorio tempore prandii aut cenae propter coadiutores, sed alibi. Maiori tamen parti visum est, etiam in refectorio illis temporibus haberi posse.

Circa caput sextum: *De disputationibus* – haec observata sunt — 1<sup>o</sup> – Maior pars existimavit, disputandum potius quam legendum in sabbato, etiamsi duo in hebdomada fuerint festa, vel unum festum cum recreationis die, contra quam praecipitur (pag. 126 lin. 10 n. 1<sup>o</sup>), propter actus frequentes in academiis; et quia multo utilior disputatio una, quam lectiones multae. Alioquin professores non poterunt absolvere [342v] suum pensum, si defraudentur tot lectionibus.

2<sup>o</sup> – Maior pars sensit, non esse defendendas conclusiones dominicis diebus publice, praesertim in theologia, uti praescribitur (pag. 126 n. 2<sup>o</sup>), quia non succedunt in nonnullis locis, et frigent atque fastidiunt auditores tam frequentes disputationes; nec defuit, qui arbitraretur, hoc relinquendum esse liberum, ut Constitutiones relinquunt<sup>46</sup>. Alicui tamen visum est, si non fiant die sabbati, posse fieri dominica die; id quod omnibus tandem placuit. Itaque si fiant die sabbati, non fiant die dominica; sin vero minus, fiant eo die. Omnibus praeterea visum est, solum praeceptorem disputationibus praeesse debere, non item alium quemcumque, ut dicitur (pag. 126 n. 2a lin. 20a).

<sup>45</sup> Vide MP I 239 241.

<sup>46</sup> Vide *Const. P. IV c. 6 § 10*; MP I 243.

3<sup>o</sup> – Iudicarunt omnes, in regionibus transalpinis, ubi temperatum est coelum, posse etiam duobus ultimis mensibus aestivis, quibus non cessatur a lectionibus, haberi disputationes communes et generales (contra quam dicitur pag. 126 lin. 29 et 30). Huiusmodi quoque disputationes et mane et a prandio habendas esse per tres aut duas horas pro varietate professorum, ut praescribitur (pag. 127 n. 3 lin. 1a et sequentibus), maiori parti visum est. Aliis tamen placuit magis, a prandio duntaxat per tres horas habendas; non item ante prandium, ne molestiam pariant ac fastidium et frigeant.

4<sup>o</sup> – Circa lineam 5am pag. 127 n. 3<sup>o</sup>, ubi dicitur «quot fuerint professores, totidem et auditores defendant», quaesitum fuit 1<sup>o</sup>, an interpret Scripturae deberet habere theses et auditorem, qui sub ipso defenderet. Maior pars iudicavit illum habere debere. Alii tamen putarunt, eum habere non debere, quando vel ubi duo sunt professores scholasticae theologiae; quando vero et ubi vel nullus prorsus est scholasticae theologiae professor, aut unus duntaxat, tunc interpretem Scripturae theses et defendentem habere debere; quod aliis non displicuit. Deinde, quaesitum etiam fuit, num casista theses et defendentem habere debeat? Alicui visum est, debere; alii iudicarunt, eum, quando solus est, habere oportere; quando vero solus non est, non debere. Aliis placuit, ubi duo scholastici sunt, eum habere non debere, ubi vero nullus vel unus tantum, habere debere. Tandem, disputatum est, utrum ille, qui controversias docet, theses et defendentem habere debeat. Aliquibus visum est, eum habere non debere, ubi duo scholastici sunt; ubi vero nullus est aut unus tantum, habere debere. Maiori tamen parti visum est, lectorem controversiarum theses et defendentem semper habere debere, sive duo tresve scholastici sint aut plures, sive non.

5<sup>o</sup> – Circa illa verba, quae habentur (pag. 127 n. 3<sup>o</sup> lin. 8a) «Praesideant e scamnis professores» disputatum ultro citroque fuit: 1<sup>o</sup>, quo ordine sedere et praesidere debeant professores? An ordine dignitatis facultatum, an vero ordine antiquitatis professionis eius facultatis, ut theologiae vel philosophiae in Societate. Aliquis putavit, sedendum et praesidendum esse iuxta ordinem dignitatis facultatum, ut primo loco sedeat interpret Scripturae, tum scholasticae theologiae professores secundum ordinem partium D. Thomae, quas explicant, et demum casista postremo loco. Maiori tamen parti, imo caeteris omnibus visum est, inter theologos servandum esse ordinem antiquitatis professionis eius facultatis in Societate: quovis in loco et graduum inter promotos. Quod si qui alii intersunt antiquiores professores Societatis, qui iam reipsa non docent, ut praescribitur (pag. 127 n. 3<sup>o</sup> lin. 14a et 15a), iudicarunt omnes scamnum seorsim loco honoratiori pro illis ponendum esse; neque decere, ut post alios iuniores sedeant; eodem quoque modo, ubi non disputant nec praesunt interpret Scripturae aut casista, scamnum separatim pro illis ponendum esse a scamno duorum scholasticorum professorum, qui disputant et suis defendentibus praesunt. Visum quoque omnibus est, aliquid constituendum de modo et ordine collocandi scamna pro professoribus et doctoribus disputantibus et defendentibus, atque etiam scholasticis oppugnantibus tam externis, quam nostris. – 2<sup>o</sup>, etiam disputatum fuit, an in philosophia sacerdos, qui docet inferiorem facultatem, ut logicam aut philosophiam naturalem, debeat praecedere non sacerdotem, qui superiorem facultatem, ut physicam aut metaphysicam docet? Omnes responderunt, debere sedere secundum ordinem dignitatis facultatis, quam docent; nec hac in parte habendam esse rationem sacerdotii, aut antiquitatis professionis in ea facultate, sicuti in theologia, quod illae facultates omnino diversae ac distinctae sint et natura et dignitate; non item theologia, quae una est, licet diversis modis tractetur.

6<sup>o</sup> – Circa n. 3<sup>o</sup> pag. 127 lin. 13a, ubi dicitur: «Argumententur non minus quam tres mane, totidem a prandio», tractatum hoc loco fuit, quinam argumentare [343r] debent aperto capite et quinam tecto? Omnes iudicarunt, auditores theologiae in theologia et con-

tra theologos disputantes debere omnes disputare aperto capite sive sacerdotes aut artium magistri sint sive non. At vero cum disputant contra philosophos et in philosophia, tecto capite disputare debere. Omnes praeterea hoc loco monendum atque praescribendum censuerunt, quibusnam titulis et nominibus nostri tam professores quam auditores sese mutuo compellare debent, quibusque etiam externos, sive doctores sive discipulos, et hi vicissim nostros; ut etiam hac in parte statuatur aliquid certi et conformitatem in universa Societate servemus, dum argumentamur aut respondemus in disputationibus; et an dicendum sit: sic argumentaris aut sic argumentatur, scilicet pater aut charissimus frater; aut aliud quippiam simile; quin et cavendum etiam diligenter atque monendum, ne unquam nostri sese invicem mordeant in disputationibus, aut immodestius et irreligiosius quid loquantur, ut ne dicant: Non solves argumentum in aeternum; nihil dicis, hoc est absurdum, aut impossibile, nullus umquam tenuit hanc opinionem, aut simile quippiam. Pari quoque ratione visum est quibusdam, nunquam debere nostros inter sese in disputationibus dicere: Ad poemam libri. Aliis nihilominus visum est, id interdum dici posse, cum quis est perversus. Nec defuit, qui existimaret, in philosophia hoc numquam esse faciendum, neque etiam in theologia, nisi cum agatur de haeresi, ne nostri sese invicem confundant. Monendum etiam iudicarunt omnes, ne nostri negligant argumenta desumpta ex Scripturis Sacris et ss. patrum testimoniis, quorum exiguus est apud nostros usus, ne illa contemnere videamur; item ne is, qui argumentatur, bis repetat argumentum ipsum proponendum, ut fit quibusdam in locis, ut in Germania, sed qui respondet duntaxat illud bis repetat et secundo respondeat.

7<sup>o</sup> – Pag. 127 n. 3<sup>o</sup> lin. 19a ubi dicitur: «Externos doctores in privatis disputationibus sine delectu praefecti non esse invitandos», ponendum esse senserunt omnes, ne id fiat sine consensu aut facultate rectoris aut superioris, nisi ubi consuetudo aliter habet. Similiter (eadem pag. n. 4<sup>o</sup> lin. 23a) iudicarunt omnes, nostros etiam in academiis et locis, in quibus habent actus, debere huiusmodi disputationes quarti anni, de quibus ibidem mentio fit, habere loco actuum.

8<sup>o</sup> – Circa paginam 127 n. 4<sup>o</sup> lin. 29 et 30, ubi agitur de generalibus et communibus conclusionibus theologiae nostrorum quarti anni, multa fuerunt quaesita, et communi consensu patrum congregationis hunc in modum definita: – Primum est, ut fiat communis aliqua forma thesium et conclusionum, quam observent nostri initio thesium, ne libera sit quibusvis facultas novas excogitandi; nam quidam vocant assertiones, alii theses, alii proposita, alii probationes, alii theoremata et aliis modis; et magna est hac in re inter nostros varietas; et ut habeamus conformitatem inter nos, quoad fieri poterit, in rebus omnibus. Similiter quoque praescribatur communis aliqua forma subscriptionis in fine thesium. – Secundum est, ordinem conclusionum et materiarum debere esse iuxta partes D. Thomae et materias in illis contentas. – Tertium est, theses nostrorum nulli esse dedicandas, et in illis exprimenda esse nomina eorum omnium, qui illas propugnaturi sunt.

9<sup>o</sup> – Pag. 128 lin. 1a n. 4, ubi dicitur «externi autem proprias habere possunt», visum est omnibus, externos posse dedicare suas theses, quibus volunt, et eorum arma aut insignia illis praefigere, dummodo moderatos sumptus faciant, et hoc exprimendum. Eadem quoque pagina lin. 5a, ubi dicitur «ut unus e nostris reservetur in primam hebdomadam in qua studia renovantur», iudicatum est huiusmodi non debere defendere communes theses, quae ab aliis eius condiscipulis prius defendebantur, sed alias sibi proprias propter maiorem solemnitatem huius actus. Ita senserunt omnes.

10<sup>o</sup> – Eadem etiam pagina, lin. 6 7 et 8, ubi dicitur «ut particulares actus per duas horas et dimidiam habeantur mane tantum aut solum a prandio», iudicarunt omnes, a prandio duntaxat habendas esse; non item mane, ne lectiones impediatur; et eadem pagina,

lin. 11a, monendos esse illos fuisse deceptos in more gallicano, ubi disputationes habentur semper a prandio in nostris collegiis, [343v] nec unquam mane; (eadem quoque pagina n. 5 lin. 16a), ubi dicitur «iudicio praefecti», iudicarunt omnes, addendum «et rectoris vel superioris» aut loco praefecti, aut ante. Similiter (pag. eadem n. 5<sup>o</sup> lin. 24a), ubi dicitur «quorum primus sit doctor», dubitatum est, an nomine doctoris intelligatur professor, aut ille, qui gradum habet; quare existimarunt omnes, id clare dicendum esse et explicandum apertius.

11<sup>o</sup> – Circa numerum conclusionum praefinitum, de quo (pagina eadem lin. 28a n. 6a), dubitatum est, an praestaret, pauciores esse more sorbonico; et quibusdam visum est ita expedire, ut illis nos conformemus. At maior pars iudicavit, optime constitutum esse, nec quippiam immutandum, et quod praestet sequi communem modum Societatis nostrae universae, quam privatum Sorbonae, et quia forma conclusionum Sorbonae acriter reprehenditur a quibusdam scriptoribus catholicis; et quod tam multae materiae non possint tam paucis conclusionibus perspicue et dilucide comprehendere; et quod illorum forma sit obscurior et confusior; et quod in mensuris disputationibus consuevimus 12 aut 13 conclusiones proponere; quem numerum pro artibus excedere aequum est.

12<sup>o</sup> – (Pag. 129 lin. 7a n. 7<sup>o</sup>) Omnes monendum consueverunt, ne praeceptores sese mutuo iuvent in respondendo aut diluendis argumentis. Item, delendum omnino vel emolliendum censuerunt illud quod habetur (eadem pagina [lin.] 18a n. 8<sup>o</sup>) «quarum fervor ac dignitas iam concidisse videtur». Item illud, quod habetur (pag. 130 n. 8<sup>o</sup> lin. 29a) «quae iacere videntur»; pagina quoque 131 lin. 10a n. 8<sup>o</sup>, dubitatum est circa illa verba «collaudent strenuam ea in re operam quorundam, aliorum redarguant socordiam», an publice hoc faciendum sit a superiore, an privatim? Quidam putavit publice, alii non, nisi privatim; et id quidem ita debere fieri exprimendum esse, ne et nostri tententur atque animum abiciant, si palam fiat et externi offendantur. Alii iudicarunt, hoc superiorum iudicio atque prudentiae relinquendum esse, et nihil immutandum.

13<sup>o</sup> – (Pagina 132 lin. 23a et sequentibus) monendum esse censuerunt omnes, ne quis, sive professor sive auditor, librum secum deferat ad scholam tempore disputationis, aut eo tempore legat, ut a quibusdam fit, sed sint omnes attentis ad ipsas disputationes et ad ea, quae a disputantibus et respondentibus proponuntur et dicuntur.

14<sup>o</sup> – (Pag. 133 lin. 6a) ubi dicitur «argumententur quatuor» disputatum est, an externi auditores nostri, aut alii disputaturi in theologia, admitti deberent absque pileo quadrato aut veste talari seu oblonga? Omnes iudicarunt, expedire, ut non admittantur ulli, nisi ita vestiti, et ut id inducatur, quoad fieri poterit. Aliqui tamen iudicarunt, non esse astringendos. Disputatum quoque fuit, an ad philosophicas disputationes admittendi essent ulli, qui non gestarent vestem longam? Quidam putarunt posse admitti cum palliis, quamvis optandum esset, ut venirent togati. Alii putarunt, ad defendendum in nulla disputatione admittendos esse absque toga. Ad argumentandum tamen admitti posse; alteri probatum est, in mensuris disputationibus non esse admittendos sine veste oblonga neque ad argumentandum neque ad propugnandum. In sabbatinis posse cum pallio admitti, licet optabile esset, ut semper togati accederent; (eadem quoque pagina lin. 25a) ubi dicitur «aut a filo susceptae disputationis recedat», monendum quoque censuerunt hoc loco, ne in disputationibus fiant digressiones, aut traducatur thesis ab una facultate in aliam, ut a philosophia in theologiam, aut vicissim. (Eadem etiam pagina ac linea et sequentibus), placuit omnibus tolli e medio illa verba «qua in re male aliquando audimus».

15<sup>o</sup> – (Pag. 135 lin. 14a) circa illa verba «curet itaque primum, ut publice non disputent, nisi doctiores». Iudicarunt omnes, monendum, ne negligentur rudiores, sed etiam



exerceantur in privatis; quod fere accidat, non nisi doctiores et ingeniosiores, quorum minor habenda esset cura, semper exerceri.

Circa caput septimum: *De opinionum delectu, censura et retractatione* – haec observata sunt [344r] — 1<sup>o</sup> – Pag. 137 lin. 5a, dum dicitur «vel relinquat quaestionem», liberum relinquitur, ut quaestionem relinquat, quam non iubet definire iuxta praescriptum Societatis, satius fore iudicarunt universi, ut captivet intellectum in munere docendi saltem, alioqui multae forte quaestiones indecisae relinquentur. Ibidem quoque lin. 14a et 15a iubetur praefectus, ut decimo quinto quoque die singulos professores audiat; at non praescribitur, quandiu unumquemque audire debet. Omnes iudicarunt, ut minimum per quadrantem audire debere aut amplius, et hoc exprimendum esse.

2<sup>o</sup> – Pag. 138 lin. 8a, ubi dicitur «si quid periculosum fuerit, retractet continuo», iudicarunt omnes, non modo viva voce retractandum esse, quod periculosum est, verumetiam monendos discipulos praesentes, ut sua dictata seu annotata corrigant, expungendo vel emendando huiusmodi periculosum, et ut etiam alios suos condiscipulos absentes sua quoque emendare doceant. Ibidem linea 9a dicitur «secus amoveatur», disputatum hoc loco fuit, an forte differri posset huiusmodi amotio, quod forte ad provincialem appellaret ille professor qui putatur aliquid periculosum effudisse? Iudicarunt omnes, si manifestam et apertam haeresim protulisset, quam nollet retractare, non esse expectandum provincialem aut huiusmodi appellationi deferendum, sed continuo eum amovendum esse; sin vero res sit omnino dubia, neque omnino clara et aperta, posse deferri appellationi et moram aliquam concedi. Similiter ab omnibus quoque iudicatum est: amoto aliquo, qui noluit retractare periculosum huiusmodi, aut male prolatum, debere aliquem alium professorem aut praefectum monere auditores de illo periculoso ac male prolato, et illud corrigere, emendare et retractare; at non indicare, alterum propterea amotum esse, quod nollet retractare; nisi forte esset aperta et manifesta haeresis; tunc enim nihil incommodi esset, sed potius boni exempli, id manifestare.

3<sup>o</sup> – Pag. 138 n. 2<sup>o</sup> lin. 15a 16a et 17a dicitur «pro gravibus etiam habeantur, vel quae sunt proxima temeritati ac scandalo, licet non clare, vel unde pendent multae aliae quaestiones» iudicarunt omnes maioris claritatis et certitudinis gratia subiicienda esse aliquot exempla, unde alia similia facilius internosci possint; quae etiam de periculosis subiicere, de quibus paulo ante, non esset incommodum.

4<sup>o</sup> – (Pag. 138 n. 3<sup>o</sup> lin. 20a et sequentibus aliquot), ubi dicitur «si quid ab aliquo professorum inter disputandum perperam dictum sit», visum est omnibus monendum, ut si aperta et manifesta sit haeresis, et professor, qui eam protulit, sit pervicax, nec agnoscit palam et aperte, dicat praefectus, haeresim esse, si ille non vult se explicare, ne auditores imbuantur aliquo errore aut haeresi; quia ita fit in Sorbona, et honor totius Societatis est anteponendus honori unius personae; quod si alter instet, taceat ad evitandas rixas. Sin vero non sit aperta haeresis, dissimulari potest ad vitanda iurgia, donec alio tempore illud revocet quod perperam dictum est. Sed si res fidei sit aut eam attingat, nulla ratione videtur dissimulanda. Quod si non retractetur in eadem disputatione, retractetur primo quoque tempore ab illo qui perperam locutus est coram suis auditoribus et, cum primum poterit, in alia simili disputatione illi, in qua prolatum est, et aeque solemnique eiusdem ordinis.

5<sup>o</sup> – (Pag. 139 n. 4<sup>o</sup> lin. 1a), ubi conclusiones recognitae a magistro iubentur ostendi praefecto, quaesitum fuit, an omnes conclusiones ostendendae essent praefecto, etiam privatae et sabatinae; et senserunt universi, omnes conclusiones ostendi oportere, quia eadem est omnium ratio. Nam posset in privatis perinde atque in publicis esse error aliquis, aut quidpiam minus [344v] recte dictum. Visum quoque plerisque est; conclusiones sabatinas

die Iovis mane affigendas esse, menstruas vero die Mercurii mane; et omnes conclusiones ad valvas scholarum affigi oportere.

Circa caput octavum: *De privato studio scholasticorum* – haec occurrerunt — 1<sup>o</sup> – Iudicarunt omnes, expedire maxime, ut fiat privatus ordo studiorum pro scholasticis nostris, in quo definiatur, cui rei quovis tempore et hora diei operam dare debeant. (Pag. 140 lin. 5a n. 1<sup>o</sup>) Placuit omnibus, monendos esse scholasticos, ut lectiones suas domi meditentur. (Eadem quoque pagina n. 2<sup>o</sup> lin. 18a et sequentibus aliquot), ubi indicatur, quinam doctores scholastici possint dari quolibet anno scholasticis mediocri aut vix mediocri ingenii; iudicavit maior pars, neque Durandum, neque Scotum, neque Marsilium<sup>47</sup> huiusmodi auditoribus dandos; et quod periculosi authores sint, et quod multas habeant opiniones non adeo probatas, et quod in multis adversentur D. Thomae; priores saltem duo; eiusque doctrinam ex instituto impugnent, et quod auditorem confundere potius, quam iuvare valent. Non displicuit tamen alicui Durandum concedi, ut auditoribus suppetat argumentorum copia; iudicarunt omnes Ferrariensem concedi posse.

2<sup>o</sup> – (Pag. 141 lin. 5a n. 2<sup>o</sup>), ubi dicitur «aliquem Patrem concedi posse auditoribus nostris ad legendum per quadrantem succisivis horis», dubitatum a quibusdam fuit, an id expediret. Putarunt quidam, non expedire, ne avocentur a studio scholasticae theologiae, delectati suavitate Patrum; nisi forte quarto anno tantum. Aliis tamen visum est, concedi posse Patrem aliquem, ut habetur in ratione studiorum, non quidem tam studiorum gratia, quam recreationis et consolationis spiritualis, et eum quidem moralem magis quam speculativum; neque prolixum aliquem, ut sunt D. Augustinus et D. Chrisostomus, sed brevem; quem per quadrantem tantum animi oblectandi causa legat; qua quidem facultate ne abutantur, superiorum erit invigilare.

Circa caput nonum: *De vacationibus* — 1<sup>o</sup> – Iudicarunt omnes, sicubi vacationes nulla sunt, ut dicitur (pag. 142 lin. 1a et 2a) «intra annum», introducendas esse, ut servetur uniformitas in Societate. Quod si nusquam non sunt aliquae intra annum, hoc apertius dicendum esse, et indicandum, quidnam sibi velint haec verba. Monendum praeterea esse ut, ubi longiores sunt vacationes, contrahantur.

2<sup>o</sup> – (Pag. 142 lin. 14a et 15a n. 2<sup>o</sup>), ubi dicitur «item statim post festum Sanctorum Innocentium», iudicavit maior pars, non legendum theologis, nisi post festum Circumcisionis, quia non aderunt auditores. Aliis tamen placuit, post festum Sanctorum Innocentium legendum esse, quod numquam magis ad studia afficiantur auditores, uti experientia docuit, quam quando lectiones sunt assiduae. Post Pascha vero non nisi post Dominicam in Albis legendum omnibus visum est, quod tunc maxime scholastici proficiantur in patriam, et nostri occupati fuerint in divinis officiis, concionibus et aliis ministeriis tota hebdomada sancta et festis paschalibus. Contra quod dicitur (pagina eadem lin. 20a n. 2<sup>o</sup>).

3<sup>o</sup> – (Pag. 143 n. 3<sup>o</sup> lin. 1a) Placuit omnibus, unum integrum diem recreationis pro theologis ubique esse debere, tum ne alter quotidie legat absque intermissione per totam hebdomadam; tum ut pares habeant lectiones et qui ante prandium, et qui post legit, quando non intervenit dies festus in [345r] hebdomada; nec liberum esse debere professoribus, ut eo die legant, nisi habita expressa facultate superioris; quam semper petere debent, quando legere volunt.

4<sup>o</sup> – (Pagina eadem n. 4<sup>o</sup> lin. 10a) Iudicarunt omnes, theologos ubique duos integros menses vacationum habere debere, nec breviores nec longiores, ante studiorum instaurationem.

<sup>47</sup> De his theologiae auctoribus vide MP V 18.

Circa caput decimum: *De gradibus baccalaureatus, magisterii et doctoratus* – haec occurrerunt — 1<sup>o</sup> – Omnes monendum censuerunt P.N. Generalem, multis in locis non nisi biennium concedi cursui philosophiae, et duos tantum esse philosophos, ut Burdigalae et Tolosae atque etiam Biturigibus in Gallia; id quod et aliis quoque in locis atque provinciis evenire potest, nec usquam in Gallia expletur omnino biennium, nedum datur medius annus ad repetendum et praeparandum se ad actus. Nam et Parisiis et etiam Mussiponti finis imponitur curriculo philosophiae vel a Paschate statim, aut a festo Pentecostes vel aliquot hebdomadis tardius; et statim a Paschate aut Pentecoste, aut circa augustum promoventur, qui sunt promovendi, quia scholastici vix manent; et qui manent, aegre possunt diutius retineri, moram tantam non ferentes. Iudicarunt ergo omnes, expedire, ut R.P. Generalis aliquid certi constituat de his locis et collegiis atque aliis similibus, et ut vel Constitutiones declaret, aut hac in parte dispenset. Nam Constitutiones (parte 4a cap. 15<sup>o</sup> n. 2<sup>o</sup>)<sup>48</sup> triennium omnino expleri volunt in auditione curriculi philosophiae, et praeterea dari medium annum ad sese praeparandum ad graduum susceptionem, ut habetur (pag. 144 lin. 5a et sequentibus).

2<sup>o</sup> – (Pag. 144 n. 1<sup>o</sup> lin. 16a et sequentibus), ubi dicitur «optandum, ut nostris concedatur semiannus ad repetendam philosophiam et biennium ad theologiam, id quod hactenus fieri non potuit», visum est omnibus, nimis multum temporis concedi theologis, et sufficere annum; duplo nimirum plus temporis quam concedatur philosophis ad repetendum; cum tamen cursus theologiae non duret ultra annum plus quam cursus philosophiae ad repetendum – 1<sup>o</sup> ob penuriam operariorum; – 2<sup>o</sup> quia si quadriennium bene collocaverint in theologia, annus sufficiet ad repetendum. – 3<sup>o</sup> quia si omnibus concedatur, erit magnus otiosorum hominum numerus. – 4<sup>o</sup> quia Constitutiones tertium annum probationis exigunt<sup>49</sup>; quare erunt tribus annis inutiles. – 5<sup>o</sup> quia Constitutiones videntur tantum loqui de promovendis, quibus hoc tempus conceditur<sup>50</sup>, ut se praeparent ad gradus suscipiendos, et ad futuras lectiones, quas praelecturi sunt; quum gradus fere in Societate non suscipiantur, nisi ad praelegendum; vel si aliter loquantur Constitutiones, declarentur et P. Generalis provideat. Ita enim omnes iudicarunt (pagina eadem n. 1<sup>o</sup>), tractante de 2a parte secundi capituli ex sex capitibus, quae extra volumen de ratione studiorum missa fuerunt<sup>51</sup>; scl. de modo repetendi studia, finitis cursibus philosophiae et theologiae, et disputandi; et quod ad disputationes attinet, visum est omnibus sufficere ea quae supra dicta sunt in capitibus 5<sup>o</sup> et 6<sup>o</sup> de repetitionibus et disputationibus; et nihil novi addendum, nisi in humanioribus literis, de quibus infra. De repetitionibus vero theologiae et philosophiae censuerunt, annum theologis sufficere et philosophis medium annum; illorumque tempus sic distribuendum esse, ut singulis partibus D. Thomae repetendis tribuantur tres menses ad examinandas praecipuas difficultates iudicio praeceptoris vel praefecti; horum vero sic, ut logicae et ethicae mensis cum dimidio, physicae duo menses cum dimidio; libris de Anima et metaphysicae duo menses tribuantur. Modum autem repetitionum in utraque facultate esse [345v] debere huiusmodi, ut nimirum quotidie vel semel aut etiam bis conveniant, aut omnes simul et aliquando repetant aliis audientibus, aut terni simul per aliquod tempus. Deinde inter sese disputent ac sibi invicem opponant. Praeterea, semel ac iterum in hebdomada aliquis de repetitis lectionem habeat aliis audientibus, unus vel alter. Similiter etiam semel ac

<sup>48</sup> Vide MP I 301 303.

<sup>49</sup> Vide *Exam. gen.* c. 1 § 12, et *Const. P.* V c. 1 § 3; *MI Const.* III 6 163.

<sup>50</sup> Vide *Const. P.* IV c. 15 § 2 et 3; MP I 303 305.

<sup>51</sup> Sex capita, extra vol. *Rat. stud.* (1586) a P. Generali ad provincias missa, vide in MP V 159.

iterum in hebdomada theses ab aliquibus proponantur defendendae, quas alii impugnent. Iisque interesse possunt modo rector, modo praefectus studiorum et interdum praeceptor aliquis. Demum, diebus sabbatinis et aliis, quibus disputationes a praeceptoribus classium vel in scholis aut domi habentur, hi omnes illis intersint et disputent.

3<sup>o</sup> – (Pag. 145 n. 2<sup>o</sup> lin. 17a) dicitur «cum praesertim Constitutiones ibidem B<sup>52</sup>» cum non sint Constitutiones, sed earum Declarationes, loco ergo vocis «Constitutiones» ponendum verbum «Declarationes» omnes censuerunt; (pag. 146 lin. 4a n. 3<sup>o</sup>), ubi dicitur «debe- re esse 5 doctores seu magistros, qui examinent», addendum senserunt omnes «si tot sint, aut ut minimum tres», quia forte non semper erunt 5.

4<sup>o</sup> – (Pagina eadem n. 3<sup>o</sup>) circa examen theologorum, non defuit, qui putaret, theolo- gos esse examinandos initio curriculi theologiae, ut internoscatur, quinam sint futuri ido- nei ad gradus suscipiendos, et qui inepti. Caeteri tamen omnes iudicarunt, nullum examen instituendum initio theologiae, praeter illud quod fit de moribus et studiis, quando primo accedunt theologi et immatriculantur. Quod frustra fiat, cum nemo omnino sit excluden- dus a studio theologiae, qui volet in illa proficere; quodque quilibet possit saltem aliqua ra- tione in illa progressus aliquos facere; sed non admittendos auditores, ut ingrediantur cur- riculum theologiae quovis anni tempore, quo accedunt, sed praefigendum certum aliquod tempus, intra quod si non veniunt, annus ille non numerabitur intra quadriennium curricu- li, aut sexennium graduum, ut reddantur diligentiores, ut initio accedant, et ne liberum sit, quovis tempore anni accedere, et ut evitetur confusio tantae varietatis temporis inter illos, qui sunt in cursu theologiae, et ut possint hac ratione multi semper simul promoveri, ut evi- tetur multitudo promotionum. Huiusmodi autem tempus placuit esse a die renovationis studiorum usque ad diem D. Nicolai; intra quod temporis intervallum, nisi accedant, an- nus ille non computabitur in numero quatuor annorum, aut 6. Nemini praeterea aditum interclusum esse debere ad tentativam, quae est dispositio quaedam et ingressus ad gradus omnes; sed post tentativam, quae semper fieri debet in fine primi anni, monendos esse omnes ineptos et indignos omnino ad gradus suscipiendos, de quibus nulla est spes, nullam esse spem, ut gradus apud nostros consequantur; non esse tamen arcendos a scholis nostris et studio ulteriori theologiae, si manere volunt. Visum est praeterea omnibus, examen de moribus singulorum seorsim debere praecedere examen de doctrina, et in illo haec fere peti debere: – 1<sup>o</sup>, an sit legitimo thoro natus? – 2<sup>o</sup>, an servus, aut liber? – 3<sup>o</sup>, an aliqua infamia publice notatus? – 4<sup>o</sup>, an grave aliquod facinus et infame commiserit? – 5<sup>o</sup>, an fuerit semper assiduus in studiis potissimum lectionibus, repetitionibus et disputationibus, atque aliis exercitiis scholae? et si non, quibus de causis id accidit? An ob morbum, aut absque sua cul- pa? – 6<sup>o</sup>, an unquam fuerit haereticus et id genus alia. Occasione huius disputatum hoc loco fuit, an aliqui reiiciendi essent a gradibus ob huiusmodi impedimenta; et omnibus visum est, infames, praesertim publice infamia notatos, omnino repellendos esse, atque etiam haereticos qui fuerunt ministri, aut qui palam [346r] huiusmodi dogmata dogmatizarunt perversa. Nec ulla ratione admittendos, nisi forte cum eis sit a Sede Apostolica dispensa- tum, ut ad honores et dignitates ecclesiasticas admittantur; et ne tunc quidem, nisi cum ma- ximo iudicio et delectu; adolescentes vero educatos inter haereticos et in haeresi absque suo vitio, sed patriae potius et loci, promoveri posse. Cum spuris vero et notis, nisi magna ha- beant Dei dona et talenta et speretur magna Ecclesiae utilitas, non esse dispensandum, ut ad gradus admittantur; servos denique non esse admittendos, nisi a dominis suis manumit- tantur, aut ab eis facultatem habeant.

<sup>52</sup> Vide MP I 303.

<sup>5</sup>o – (Pagina eadem n. 3<sup>o</sup> lin. 6a et sequentibus quatuor), ubi praescribitur forma examinis doctrinae, visum est omnibus, examen doctrinae examinadoribus liberum relinquendum esse, ita ut examinent in quibus volunt; licentiatos et magistros philosophiae de tota philosophia tam textu, litera, libris et capitibus Aristotelis, quam quaestionibus et omnibus partibus philosophiae ac artibus. Theologiae vero licentiatos et magistros de libris, textu et litera Scripturae Sacrae et de quaestionibus theologicis secundum omnes partes Summae D. Thomae. Quare iudicarunt omnes, illa verba praetermittenda, quae habentur ibidem linea 9a «quas pridie praefectus distribuet examinadoribus», ne astrictum sit examen.

<sup>6</sup>o – (Pagina eadem lin. 21a n. 4<sup>o</sup>), ubi praescribitur «ut theologus actus quinque persolvat, particulares quatuor et unum generalem», visum est omnibus, duos peragendos post biennii finem pro baccalaureatu corrente seu biblico; duos in fine biennii pro baccalaureatu formato, seu sententiariorum; et hos quidem particulares; quintum vero generalem in fine quadriennii aut quinquennii pro licentia; et tandem in fine aut quinquennii aut sexennii fiat doctor. Nam tentativa, quae fit in fine primi anni, non censetur actus, sed dispositio et praeparatio ad illos, quae nemini denegari potest, ubi mos est. Neque etiam pro doctoratu debet esse ullus actus, cum sit omnium praemium et corona.

<sup>7</sup>o – (Pag. 147 lin. 1a n. 4<sup>o</sup>) aliquibus visum est, addendum etiam hoc loco esse, quod supra additum est (pag. 128 lin. 11a) «ut disputationes generales extrahantur ad 4 aut 5 horas mane, vel a prandio tantum», ut quibusdam visum est, pro commoditate vel consuetudine loci, quia molestum erit respondenti ita interrumpi; maiori tamen parti visum est, faciendum, ut praescribitur in libro, si fieri potest. Sin minus, vel mane tantum, ut quidam putarunt, vel vesperi tantum, ut alii. Eadem quoque pagina lin. 6a, ubi dicitur «Porro actus philosophorum duo sint etc.», visum est omnibus tres debere esse actus pro philosophis: 1um, pro baccalaureatu, 2um pro licentia, 3um pro magisterio; et priores quidem duos particulares, 3um generalem ex universa philosophia; 1um ex logica et 8 libris Physicorum; 2um ex Ethicis seu morali philosophia et reliquis libris philosophiae naturalis atque metaphysicae; 3um ex omnibus partibus philosophiae et disciplinis etiam mathematicis.

<sup>8</sup>o – (Pagina eadem lin. 10a), ubi dicitur «In iis vero actibus tantum nostri, qui magistri seu doctores sunt, utantur epomide etc.», iudicarunt omnes, non esse utendum magna pompa aut splendore, si tantum nostri promoverentur; sed quia etiam externi saepe ad nostras universitates accedunt et student, et in eis promoveri volunt, si non sit splendor aliquis, gradus contemnent, aut nolent apud nos illos suscipere; propterea iudicarunt omnes, aliquo splendore opus esse maiori, quia experientia docet, quando parum est splendoris externi, omnia frigescere, praesertim in regionibus septentrionalibus. Quare visum est omnibus, eos qui respondent tam in philosophia quam theologia pro baccalaureatu, debere habere oblongam cappam nigram et caputium (ut fit in quibusdam academiis) suffultum pellibus albis, dum respondent; et baccalaureos formatos tantum in theologia, non item currentes, [346v] debere semper gestare suam cappam nigram oblongam, seu pallium et epomidem suffultam pellibus albis in actibus generalibus et promotionibus, tam nostros quam externos; et externos epomidem in humerum etiam in urbe, at non nostros. Visum praeterea est omnibus, omnes nostros, qui in philosophia ac theologia docent in universitatibus, debere esse promotos et magistros seu doctores, et decanum saltem linguarum seu praefectum humaniorum literarum; et valeret etiam multum ad splendorem universitatis, ut quotquot docent etiam linguas atque humaniores literas et rhetoricam, essent saltem magistri in artibus et promoti, si fieri posset. Verum hoc relinquendum esse iudicio P. Generalis, omnes censuerunt. Ad haec, iudicarunt omnes (pag. 147 lin. 12a) expedire, ut omnes promoti in actibus utantur epomide, quia cum in actibus comparent, debent videri academiae

membra; in particularibus quidem actibus supra humerum omnes, praeter illos, qui disputaturi sunt, aut baccalaureos formatos illius cursus (nam huiusmodi cappam suam oblongam seu pallium cum epomide gestare debent), at non doctores. In generalibus vero actibus et promotionibus omnes in suis cappis seu palliis cum epomide comparere debent. Maior quoque pars sensit, ab omnibus ferendum floccum seu fila serica in pileo; a philosophis quidem cerulei coloris; a theologis vero albi. Visum est etiam omnibus, epomidem philosophorum debere esse suffultam serico ceruleo; theologorum vero aut pellibus albis, aut serico eiusdem coloris.

9<sup>o</sup> – (Pagina eadem lin. 18a n. 4<sup>o</sup>) dicitur «eos, qui actu docent precedere oportere eos, qui actu non docent»: omnes, doctores antiquiores, sive actu doceant, sive non, procedere debere alios iuniores, sive actu docent sive non, convenerunt; quia ita fit in aliis academiis, et ratio ipsa atque natura docet. Eundem quoque ordinem antiquitatis in gradibus servandum inter philosophos, quando proceditur in actibus et promotionibus, omnes senserunt. Praeterea, ibidem quaesitum est, num externi doctores, sive philosophi sive theologi, debeant sedere inter nostros doctores theologos ac philosophos? Et alicui visum est, id nulla ratione convenire, sed debere sedere ex adverso in loco aequae honorato cum aliis suae facultatis; tum quia non videatur decere eos esse mixtos nobiscum, licet sint promoti in nostris universitatibus; tum quia aliquando sic fiet, ut externus magister aut doctor discipulus antecedit suum praeceptorem ex nostris, quod ille sit ante hunc promotus. Id quod et inter nostros etiam accidere poterit, quod videtur contra naturam et rationem; – 3<sup>o</sup> quod in universitatibus aliis soleant doctores regentes, hoc est, qui vel docuerunt vel actu docent, praecedere caeteros, qui nunquam docuerunt. Quoniam igitur nostri semper in nostris universitatibus doceant, nunquam vero externi, non videtur decere, ut externi cum nostris sedeant, alioquin doctores non regentes saepe praecedent regentes, et illi, qui nunquam docuerunt, eos qui actu semper docent; quod videtur indecorum. Caeteris tamen omnibus visum est, externos doctores ac magistros tam in philosophia quam theologia, et praesertim promotos in nostris universitatibus, debere sedere cum nostris nec esse separandos; et quidem iuxta ordinem antiquitatis gradus suscepti in illa facultate; etsi hac ratione accidet, quod discipuli tam externi quam Societatis suos aliquos praeceptores praecedent.

10<sup>o</sup> – (Pagina eadem n. 4<sup>o</sup>), ubi additur scriptum in margine «universos autem rector et cancellarius antecendant», praefectus etiam eos, quorum est praefectus, visum est omnibus, cancellarium seu praefectum superiorum classium debere esse doctorem theologiae semper in universitatibus nostris; et praefectum inferiorum [347r] classium debere esse saltem magistrum in artibus, praesertim si sit futurus decanus linguarum, cuius meminerunt Constitutiones<sup>53</sup>; rectorem praeterea, et cancellarium debere habere seorsim ab aliis sedes, singuli suam seorsim ab aliis, vel in una eademque parte, vel in diversis; duas, nimirum cathedras, ut ante rectorem stent bidelli, et cancellarius liberior sit ad gradus conferendos, nec impeditus.

11<sup>o</sup> – (Pagina 148 n. 6<sup>o</sup> lin. 8a et 9a), ubi dicitur «id quod praestari posset philosophis, qui 8 Phisicorum libris auditis, theses aliquas bene defenderint», visum est omnibus definiendum esse, quibus anni temporibus gradus conferri debent, et promotiones fieri. Et placuit omnibus, baccalaureos philosophiae fieri secundo anno cursus post Pascha; licentiatos vero post Pentecosten, aut cum fiunt magistri sub finem augusti, aut initium septembris, tertio anno, nisi omnino explendum sit triennium. De temporibus vero promotionum in theologia iam supra dictum est, nisi quod (pag. hac lin. 5a) loco vocis «tertio» substituen-

<sup>53</sup> Vide *Const. P. IV* c. 17 § 5; MP I 321.

dum esset «quarto». Nam dictum est supra, antequam fiat baccalaureus formatus, debuisse persolvere quatuor actus particulares, ut nobis visum est, ut supersit tantum generalis pro licentia.

Occasione huius hoc loco disputatum est: num ordo aliquis dignitatis et doctrinae atque etiam loci dignior sit servandus inter promovendos, quando plures fuerint? Nam Constitutiones non videntur hoc prohibere inter externos, sed inter nostros tantum, ut colligitur ex 4a parte cap. 6<sup>o</sup> § 17<sup>o</sup><sup>54</sup>, ubi habentur eadem verba et de nostris tantum loquuntur, et Dilingae gradus dantur externis secundum dignitatem et doctrinam etiam sub nostris a longo tempore<sup>55</sup>. Et visum est omnibus, si Constitutiones nostrae non comprehendant etiam externos, debere illis dari locum secundum ordinem dignitatis et doctrinae in promotionibus, quia ita fit in aliis universitatibus, et iustitiae atque aequitatis ratio id postulare videtur; alioquin quodammodo videtur fieri illis iniuria aliqua, nec excitantur studio honoris et loci superioris et minus libenter gradus apud nos suscipiunt. Nam si hoc fit in distributione praemiorum, in quibus non minor potest esse ambitio, quam in promotionibus, cur non etiam in graduum et honorum distributione? Vel si Constitutiones etiam externos comprehendant, id explicetur ac declaretur, et ex urna extrahantur sorte illorum nomina, ut nunc fit Mussiponti et hactenus ibidem factum est.

12<sup>o</sup> – (Pag. 148 n. 6<sup>o</sup> lin. 17a 18a et 19a), ubi dicitur «magisterium seu doctoratum in theologia nulli conferendum esse, qui aliquo sacrorum ordinum initiatus non sit», actum fuit de aetate doctorum theologiae, de qua nihil praescribitur; et omnes iudicarunt, debere complevisse ut minimum annum 25m; et maior pars iudicavit neminem ad hunc gradum promovendum, nisi prius sacerdotio initiatum, ne postea non fiat sacerdos, et eveniant aliqua scandala aut incommoda. Aliis tamen visum est, satis esse, ut sit prius diaconus, et hoc exigendum est omnino. Ibidem etiam quaesitum fuit: An exigendum esset, ut habeat prius aliquod beneficium ecclesiasticum aut patrimonium sufficiens, quo se sustentet, antequam ad huiusmodi gradum honoris admittatur; et iudicarunt quidem omnes, id expedire, si fieri posset, ne hac dignitate ornatus mendicaret; quod turpe est et indecorum. Visum tamen est, non propterea repellendum ab hoc honoris gradu esse aliquem, ceteroquin idoneum, quia saepe huiusmodi ornamentum et publicum testimonium poterit illi medium esse ad nanciscendam conditionem aliquam, praesertim multis anglis, scotis et aliis exulibus pro fide; quorum ratio aliqua est habenda.

13<sup>o</sup> – (Pag. 149 n. 8<sup>o</sup> lin. 6a), ubi dicitur «convenient omnes superiorum facultatum professores et auditores», iudicarunt [347v] omnes, totam academiam et scholas omnes convenire debere, quando gradus simul multis conferuntur in philosophia et theologia, ut fere fit in baccalaureatu, licentia et magisterio philosophiae, quia simul omnibus certo anni tempore conferuntur; et idem fieri potest semel in anno pro omnibus baccalaureis, licentiatibus et theologiae doctoribus illius anni, quando plures sunt. Sed si singuli seorsim promoverentur, non debere convenire totam academiam, nisi ad doctoratum duntaxat theologiae, aut etiam licentiam, quod hi gradus vix saepius in anno conferantur, sed semel dumtaxat, et ita forte ad summum conveniet tota academia quinquies aut sexies toto anno; quod non videtur multum. Praeterea ibidem disputatum fuit, quo tempore diei conferri debeant gradus, an mane vel a prandio? Nam hac de re nihil dictum est; et visum est omnibus, hoc relinquendum esse liberum, ut fiat vel mane vel a prandio pro oportunitate et ratione locorum; praeter quam in doctoratu theologiae, qui mane conferri debet, celebrata et cantata

<sup>54</sup> Vide MP I 257.

<sup>55</sup> Cf. SPECHT, Geschichte der ehemaligen Universität Dillingen 218-43: *Promotionen*.

prius missa de Spiritu Sancto, nisi idem videretur servandum in licentia, quando seorsim et multo tempore ante doctoratum tribuitur. (Pagina eadem lin. 13a) iudicarunt omnes, cancellarium seu praefectum studiorum debere semper conferre eos gradus et in philosophia et in theologia, atque omnia insignia imponere, scilicet anulum, librum et pileum; posse tamen alios praeesse disputationibus et promovendos illi praesentare tam in philosophia quam in theologia, ut hac ratione onera dividantur et labores.

14<sup>o</sup> – (Pag. 149 lin. 19a 20a et 21a), ubi fit professionis fidei mentio, dicitur fieri debere ante promotorem, qui ordinarie est cancellarius. Visum est omnibus, palam, coram omnibus, faciendam esse professionem fidei; qua peracta, in medio coetus, accedere debere ad rectorem, ut maiori parti visum est, ante quem, tacto evangeliorum libro, iuramentum est praestandum, nisi forte cancellarius sit praelatus aliquis et adsit. Tunc enim ante illum iurandum est. Aliis tamen visum est, iurandum esse ante cancellarium, sive ille praelatus sit, sive ex nostris. Praeterea, monendum senserunt omnes, nihil dictum esse de iuramentis seu promissionibus, quae praestari solent a candidatis rectori et academiae, post professionem fidei et ante collationem gradus; de quibus statuendum aliquid videtur, et quaenam esse debent, ut quod obedientiam praestabunt rectori in omnibus licitis, quandiu in universitate fuerint, quod servabunt universitatis statuta, quoad in ea manserint; quod gradum ibidem susceptum alibi non repetent; quod alios gradus alibi non suscipient nisi facultate habita; et maxime, quod nihil docebunt contra fidem catholicam, aut novum vel scandalosum vel aliud simile dogma.

15<sup>o</sup> – (Pagina eadem n. 8<sup>o</sup> lin. 29a), ubi dicitur in forma promotionis, «confero tibi R. N.», videtur indicari debere nominari illum, qui promovendus est. Iudicarunt omnes, non esse nominandum propter varietatem titulorum, qui debent dari diversis tam externis, quam nostris pro personarum diversa qualitate et conditione; sed tantum debere mentionem fieri gradus, ex quo promovetur in altiore; ut «confero tibi, artium et philosophiae seu theologiae baccalaureo, aut licentiato philosophiae seu sacrae theologiae, magisterium etc.» Praeterea, forma illa conferendi gradus visa est omnibus parum splendida et paulo simplicior; ac proinde substituenda alia paulo splendidior videtur, ut forma dilingana aut alia. Similiter visum est omnibus, debere aliam esse formam conferendi gradus in philosophia et aliam in theologia, atque hanc illa graviorem et splendidior esse oportere.

16<sup>o</sup> – (Pag. 150 n. 8<sup>o</sup> lin. 14a), ubi dicitur «musicum aliquid interponatur», dubitatum est, utrum futurum sit voce [348r] tantum, an instrumentis solum? an utrisque simul? Omnibus visum est, debere esse voce tantum, quando nostri solum promoventur. Verum quando vel externi tantum, vel externi una cum nostris promoventur, visum est quibusdam, debere esse voce tantum; aliis voce et instrumentis pariter, si non in schola aut templo vel aula, at certe in via ante templum seu altare. Aliis visum est, hoc relinquendum esse liberum pro more et consuetudine patriae. Atque hoc tandem omnibus magis probatum est. Praeterea (eadem pagina lin. 16a n. 9<sup>o</sup>), ubi habetur «quod unus aliquis ab ipso candidato ad id invitatus novum doctorem cohortetur», non exprimitur, utrum huiusmodi invitatus debeat esse in theologia doctor aut magister in philosophia, quando promotio fit in philosophia; et visum est omnibus, in theologia debere esse doctorem theologiae, qui novum doctorem cohortetur; in philosophia magistrum artium. Ad haec, monendum ibidem (lin. 21a) senserunt omnes, praescribendum tempus certum, quo absolvatur huiusmodi cohortatio seu oratio, ne res in longum protrahatur; et omnes iudicarunt, sufficere quadrantem horae ad summum.

17<sup>o</sup> – (Pagina eadem lin. 22a n. 9<sup>o</sup>) iudicarunt omnes, post interpretationem loci Scripturae novum doctorem debere etiam praeesse disputationi; et proinde habere baccalau-



reum, aut alium aliquem, qui sub ipso theses aliquas propositas circa eundem Scripturae locum brevissime defendat, ipso primum illi obiiciente, deinde caeteris doctoribus; quam brevissime, et gratificandi gratia; et disputationem claudendam oratiuncula, qua imprimis Deo deinde B. Virgini sanctisque omnibus et maxime universitatis patrono, tum rectori, promotori, doctoribus et caeteris omnibus praesentibus gratias agat.

18<sup>o</sup> – (Pag. 151 lin. 2a n. 9<sup>o</sup>), ubi mentio fit authentici promotionis instrumenti conficiendi, visum est omnibus, praescribendam esse certam formam literarum, quae in tota Societate et universitatibus omnibus servetur, et detur omnibus promotis ad conservandam uniformitatem in tota Societate; et huiusmodi literas dandas promotis in quocumque gradu, etiam baccalaureatus philosophiae aut etiam theologiae currentis; nec admittendos esse ullos ex gratia, ut loquuntur, ut fit in quibusdam academiis, ubi gradus etiam ex gratia conferuntur illis qui, licet non sint omnino digni, non sunt etiam prorsus inepti, ut opus sit diversam formam literarum et instituti conficere pro illis, qui omnino censentur digni, et illis, qui ex gratia sunt admissi; sed solum dignos penitus esse admittendos ad gradus, ut praescribunt Constitutiones nostrae<sup>56</sup>; cuiusmodi sunt illi, qui possunt docere illas facultates, ad quas promoventur. Huiusmodi autem literis seu instrumento subscribere debere rectorem universitatis, cancellarium et decanum illius facultatis, in qua quis promovetur; ad maiorem auctoritatem, omnes censuerunt, ut literis promotorum in theologia decanus theologiae, promotorum vero in philosophia eiusdem decanus.

19<sup>o</sup> – (Pagina eadem lin. 3a), ubi dicitur «vel publico», addendum senserunt «universitatis». Ibidem, ubi fit mentio sigilli, visum est omnibus, oportere esse duplex universitatis sigillum: alterum minus, quo designentur literae, quae dantur baccalaureis tam in philosophia quam theologia; alterum maius, quod affigatur literis licentiatorum et magistrorum, seu doctorum tam theologiae quam philosophiae.

20<sup>o</sup> – (Pagina eadem lin. 9a n. 10<sup>o</sup>) omnes, uno dempto, iudicarunt promotorem, qui semper debet esse cancellarius universitatis, debere gestare semper in promotionibus cappam violaceam ex [348v] panno, tum ad distinctionem, tum ad maiorem universitatis splendorem, contra quam dicitur in libro.

21<sup>o</sup> – (Pagina eadem n. 11<sup>o</sup> lin. 13a et sequentibus aliquot), ubi agitur de promotionibus nostrorum, quaesitum fuit, an expediret omnes studiosos ex nostris, qui in academiis student, promoveri, ut semper sint parati, qui possint docere et aliis substitui; et visum est omnibus, id non faciendum esse, nisi in academiis illis duntaxat, ubi consuetudo est, ut nostri promoveantur, et, ne in his quidem ordinarie ad evitandam invidiam, sed pro arbitrio P. Generalis, ad quem hac de re statuere pertinet. De insignibus vero nostrorum, de quibus (eadem pagina et numero eodem lin. 20a) iam dictum est; visum enim omnibus est, debere esse tum epomidem atque cappam oblongam seu pallium, tum fila serica in pileo.

#### Provincia Lugdunensis

Pag. 95 n<sup>o</sup> 4 – Erit in Galliis difficillimum dictandi consuetudinem in omnibus academiis seu praeceptorum seu discipulorum vitio confirmatam abrogare [*Stud. 3, f. 395v*] penitus. Modus quidem in dictando praescribi debet (et necessarium plane est, nedum utile). Id fiet, si corpus universae theologiae conficiatur<sup>57</sup>, ubi omnia ita tractentur, ut paucis scholiis ad ea declaranda sit opus.

<sup>56</sup> Vide *Const. P. IV c. 15 § 4*; MP I 305.

<sup>57</sup> Vide ea de re supra, adn. 36.

Pag. 126 n° 1 et 2 – In concilio lateranensi Leone X sess. 9 statuitur<sup>58</sup>, ut diebus festivis nihil aliud doceantur scholares, quam quae ad religionem et bonos mores pertinent; et Navarrus<sup>59</sup> quodam in loco hoc nomine Societatem laudat.

Pag. 128 n° 5 – Ubi sunt duo praesides, verendum est, ne concordia servari non possit.

Pag. 142 n° 2 – In hebdomada sancta theologiae auditores in his regionibus ad vicinas civitates contionatum mittuntur; et in hebdomadis Paschae et Pentecostes aut non redeunt ad collegium aut defessi scholarum labores vix possunt tam cito repetere.

Pag. 143 n° 5 – Responsum est aliquando ad P. Hannibalem<sup>60</sup>, provincialem Aquitaniae, ut si dies quatuor scholarum continui sint, detur dies recreationis, etiamsi fuerint duo festa. Qui mos servatur in hac provincia, Lovanii et in nonnullis academiis.

Pag. 146 n° 3 – Praestat, ut nullus sit privatum examen; primo, ut odium eorum, qui reiicientur hoc privato examine, declinetur a nostris; – 2° ut, qui sunt sibi conscii ignorantiae suae, pudore examinis publici nostris non sint importuni; – 3° ut omnes intelligant sine gratia ad gradum promoveri doctiores.

Pag. 147 n° 4 – Videtur constituendus aliquis inter theologos, qui actu docent, ordo in sedendo. [396r]

Ibidem – Quaeritur, quem locum debeat habere praefectus studiorum in actibus publicis, ubi non est membrum academiae; quod aliquando potest contingere.

Pag. 148 n° 6 – Turnoni in baccalaureatu datur annulus cum libro ex approbatione R. di Patris Nostri.

Ibidem n° 7 – Mos est in Galliis, ut tum solum doceant, cum sunt promoti. Turnoni plane non docent.

### Provincia Poloniae

*De theologia scholastica* — Ne necesse sit, eadem saepius repetere, cum omnia, quae in tota hac disputatione studii theologici praescribuntur, ita connexa sint, ut fere alterum ex altero dependeat; visum est hic in principio totum simul ordinem, qui in hoc genere visus est commodissimus, proponendum esse; inde ad particularia etiam capita iuxta libelli ordinem procedendum.

Primum, quod ad tempus attinet, quo tota theologia absolvatur, quatuor anni sufficere visi sunt dictantibus. Sed omnino necessarium visum fuit, idque fieri posse cum magno etiam lucro temporis, ut (quod insinuat cap. 3: *De ratione praelegendae theologiae* pag. 101) singulis lectionibus habendis quinque quadrantes tribuantur; sed quibus ita uti professor possit, quemadmodum hactenus una hora sola usus est, hoc est, ut ne astringatur, ut totam mediam horam ex iis semper insumat in explicandis iis, quae dictat, sed pro gravitate rerum vel plus vel minus, prout iudicavit expedire. Hoc enim si fieret, quintus iste quadrans per quadriennium multiplicatus, quintum facile annum praestaret, etiam cum foenere, quia continuatus semper esset, nec ullas intercalationes pulsuum vel initiorum lectionum haberet.

Hoc posito, duo professores abunde sufficerent theologiae toti. Ratio est, quia nemo dubitat, quin quinque annis totam duo absolverent com-[*Stud.* 2, f. 149r]mode. Hinc vero etiam plus prope quinque annis haberent. Iidem, prout hactenus factum est, totam possent

<sup>58</sup> Vide *Concil. Oecum. Decreta* (1962) 597.

<sup>59</sup> De Martino de Azpilcueta (Doctor Navarrus dicto) cf. MP III 290.

<sup>60</sup> H. du Coudret S.I., praep. prov. Aquitaniae anno 1574; vide *Synopsis hist. S.I.* (1950) 670. – Vide etiam ordinem vacationum in scholis provinciae Aquitaniae, anno 1579 datum; in MP IV 407-08.

praelegere theologiam, absque tot quaestionum, quae vel ad controversias pertinent, vel ad casus conscientiae, distractione et omissione, qualis in libello praescribitur, dum neque casus neque controversiae theologis ipsis relinquuntur. Visum enim est, omnino inconsultum fore, si haec ex theologia ipsa scholastica praescindantur; idque ob varias causas:

1. Ob confusionem et perturbationem, quae inde consequi posset.

2. Quia separatis a scholastica controversiis et casibus, remanet in siccis nimium quaestionibus, minimeque ex se solis septentrioni maxime gratis; ita ut difficile fore videatur in his partibus vel professorem reperire, qui animum magnum ad tam steriles disputationes sit allaturus, vel auditores, qui libenter eas sint audituri.

3. Ad haec, cum saepe eveniat, ut scholasticus materiam aliquam tractet, in qua proprie fundamenta iacienda sint pro controversia, quae circa eandem versatur, de quibus fundamentis controversista ne cogitabit quidem; hinc vel controversiarum aedificium a fundamentis propriis avelletur, non sine detrimento auditorum, dum nunc controversias sine fundamentis propriis, nunc fundamenta absque controversiis audient; vel debet controversista eadem fundamenta scholastica iterato repetere, [149v] non sine taedio et temporis iactura.

4. Non sine difficultate quatuor tam praestantes professores inveniuntur, qui partim scholasticae, partim controversiis et casibus satisfaciunt. At sic duo sufficient.

5. Forte etiam posset aliquando oriri aemulatio inter scholasticae professorem et controversiarum; quae hac ratione tolletur.

Neque vero impossibile esset tantam rerum multitudinem quadriennio dicto modo absolvere. Neque enim opus erit de controversiis singulis longas tractationes instituere (id enim ratio dictat molestissimum fore, cum toto aliquando anno unam aliquam solam quaestionem, puta, de summo pontifice, audirent discipuli). Satis erit succincte, nervose tamen, tradere ea omnia, quae ad convincendos haereticos sint necessaria, praesertim cum iam P. Bellarmini tractatus<sup>61</sup> sint editi.

Idem iudicium est de casibus, in quibus si illud servetur, quod in libello de casibus fol. 162 § 5 praescribitur (quod communiter in septentrione fieri necesse est), minime deerit tempus necessariis.

Iam duobus his scholasticae professoribus tertius adiungendus esset Scripturae interpres; et is quidem quotidianus, ita ut toto quadriennio audiri a nostris theologis posset. Sic enim et magis commendatum esset studium hoc nostris, quod maximopere optandum erat, et spes foret, post quadriennii finem tales nos habituros, qui in Scripturis nihilo cederent haereticis, qui versatissimi in iis haberi volunt. [150r]

Quoniam vero multi sunt in septentrione et ex nostris et ex seminariis variis aliisque studiosis, qui ipsam theologiam scholasticam nunquam sint audituri, maxima tamen operatorum est necessitas; ne isti tales vel casibus vel controversiis destituerentur, adiungendus esset proprius et casuum et controversiarum professor, isque unus et idem, qui pro talibus sese accommodando, quotidie unam de illis lectionem faceret, sed alternatim; nunc scilicet de casibus, nunc de controversiis; finiretque utriusque lectionis huius cursum una cum cursu philosophiae triennii.

Iam his positis, hic ordo in quotidianis lectionibus theologiae servari posset.

Ordo lectionum theologiarum totius diei secundum hunc modum — Ante prandium

Prima hora alternis diebus controversiae et casus conscientiae. Casus audient omnes nostri, tam qui nunquam audituri sunt theologiam scholasticam, quam qui philosophiam

<sup>61</sup> Robertus BELLARMINUS S.I., *De controversiis christianae fidei* (Romae 1586); cf. supra, mon. 10 adn. 207.

audiunt. Item omnes externi, tam ex seminariis, quam ex aliis, qui non sunt theologiam audieturi. Controversias vero audient omnes externi, qui philosophiam audiunt, et nostri, qui non audiunt.

Secunda hora legatur scholastica theologia cum controversiis et casibus occurrentibus hoc modo: quatuor quadrantibus regulariter dictabitur; quintus consumetur interponendo explicationem rerum difficilium; sexto [150v] quadrante repetetur lectio; et praeceptor aderit, ut respondeat difficultatibus auditorum.

Post prandium — Hora prima et media post meridiem inchoabitur lectio theologiae scholasticae; expeditur ad horam tertiam, ad eum prorsus modum, quo ante prandium.

Ab hora tertia usque ad tertium quadrantem ante quartam legatur quotidie Scriptura Sacra per tres integros quadrantes. Hanc lectionem audient omnes, tam nostri, quam externi, qui scholasticam theologiam audiunt. Item omnes tam nostri quam externi, qui theologiam scholasticam audieturi non sunt.

Tertia autem hora pomeridiana potius tribuitur Scripturae, quam prima matutina. — 1<sup>o</sup> ut qui controversias et casus legit, habeat integram horam mane unam; ita enim expedit; quandoquidem alternis solum diebus legit. — 2<sup>o</sup> quia nostri auditores theologiae scholasticae, qui hanc audieturi sunt, fere omnes sunt sacerdotes, qui eo tempore occupantur in templo in sacris faciendis. — 3<sup>o</sup> quia totum id tempus matutinum est accommodatissimum ad studium privatim.

Quare vero nostri, qui philosophiam audiunt, casus audire deberent, ratio est necessitas summa operariorum in hac provincia; finito enim cursu, fiunt sacerdotes, poteruntque statim et confessionibus audiendis et aliis ministeriis Societatis exercendis destinari.

Quare autem controversiae audiendae ab externis philosophis studiosis, ratio est, quod multi discedant post cursum, non audita scholastica theologia. Ne itaque in haeresim labantur discedentes, expedit eos aliquam controversiarum habere notitiam; quod etiam esset ex re illorum, etsi haeresis periculum non timeretur. Atque haec de studio hoc in toto genere visa sunt. Iam de singulis. [151r]

Caput 1 (pag. 79) — *De tempore, quo scholasticae theologiae curriculum perficiendum sit* — Quae toto hoc capite definiuntur de quadriennio, placere omnia; sed eo modo quo dictum est de quinto quadrante interserendo.

Caput 2 (pag. 88) — *Quibus adiuvandi mediis duo professores, ut theologiam emetiantur quadriennii* — Ea hic ratio commodior visa, quae ante posita est. Nam tot quaestiones vel ad controversiarum vel ad casuum interpretem remittere non est consultum visum ob rationes allatas.

Caput 3 (pag. 94) — *De ratione ac modo praelegendi* — § 1 — Non convenit in his partibus nudas conclusiones D. Thomae dictari. Rationes etiam ipsius D. Thomae, ut plurimum, adiungendae sunt breviter. Perpauci enim sunt, qui D. Thomam ipsum habeant, et nisi a praeceptore eum habeant, aliunde habere non possunt. Multo vero minus, postquam ex scholis semel excesserint, suisque in parochiis administrandis vel aliis officiis versari caeperint, habebunt. [151v]

§ 4 — Quod dictare prohibeatur, ubicumque non dictatur hactenus; suadetur vero, ut etiam alibi tollatur dictandi consuetudo, omnino contrarium visum est expedire; hoc est, dictandum esse ubique, etiam ubi usus hucusque id non habuit, ob rationes varias paulo post subnectendas. Nec illud probatur, quod in fine capitis huius, pag. 101 dicitur: ubi dictatur, duobus quadrantibus explicandum, quod dictatur. Fieri enim potest longiore etiam explicatione opus esse, et communiter in quaestionibus facilioribus tanto tempore opus non est. Unde non videtur esse astringendus hic professor ullo certo tempore.

An expediat dictare per totam Societatem?

Omnino id expedire visum est. – 1<sup>o</sup> In maiori iam parte Societatis id receptum: Hispania, Gallia, Germania, Polonia. Unde praestat pluribus se accommodare.

2<sup>o</sup> – Experientia constat, plurimos, qui dictata excepere, optime profecisse. In Hispania quidem maxime ab eo tempore, quo Franciscus Victoria<sup>62</sup> dictandi consuetudinem eo invexit, multi doctissimi theologi evasere. Et ratio ipsa id dictat. Nam ex parte professorum, si ii dicent, solidius conantur tradere omnia, cum intelligunt, etiam verba sua singula examinanda a pluribus, qui ea lecturi sunt. Ubi contra minus solliciti sunt de singulis, si non dicent. Nam, etsi aliqua forte ex incuria perperam dicant, vel inficiari possunt dixisse vel asserere aliter explicuisse. Sed et minus periclitatur professorum existimatio, si dictetur; [152r] quae sine dictatione non potest non aliquando exponi periculo. Saepe enim male assequuntur mentem docentis discipuli, quam si scribant eo, quo ipsi modo intelligunt; saepe errores scribunt, cumque scripta inde in omnem orbem distrahantur, facile fieri potest in suspicionem errorum vel haeresis professorem ipsum trahi. Denique multi praeceptores, etsi ingenio polleant, parum tamen valent memoria, quibus non est possibile aliter cum dignitate docere.

Iam ex et parte discipulorum, dum dictatur, consulitur omnibus, etiam iis, qui tardioris ingenii sunt. Quae quidem nonnunquam, licet sint optima et magno cum iudicio coniuncta, non tamen statim rem assequi possunt, quam habent prae manibus vel audiunt semel, nisi eam domi iterum iterumque relegerint. Qualia fere solent esse ingenia ultramontana et multa etiam alibi. Si dicatur, praevideant authorem domi, bene quidem; at, nisi in scriptis simul interpretationem habeant, quam postea expendant, parum facient. Adde, quod author unam sententiam cum suis rationibus complectetur; at in legendo quatuor aut quinque discrepantes audient sententias.

Ad haec, constat experientia, paucissimos esse, qui ubi non dictatur, apposite sciunt excipere necessaria. Quin loco necessariorum multos saepe excipiunt errores, si vel celeritate nimia praeceptorum distrahantur, ut singulis adeo intendere non possint, vel mentem ipsam professorum non satis assequantur; vel etiam tam in latina lingua versati non sunt, ut includere ea omnia latina ora-[152v]tione valeant, quae connexa esse deberent. Et observatum est aliquando, quatuor vel quinque eosque excellenti ingenio singulos diversimode eandem sententiam praeceptoris exceperisse.

Aequae constat experientia et illud, longe magis proficere nostros dictando. Accipiantur enim duo quivis pares ingenio et diligentia caeterisque omnibus, quorum unus dictata exceperit diligenter et ordinate, alter solum audierit vel pauca scripserit ex praecipuis, semper alter invenietur ad omnia promptior.

Constat et illud, plurimum iuvare nostros et professores et discipulos dictatis scriptis suis; omnesque fere fatentur, si scriptis destituantur, parum et ad docendum et ad quosvis actus publicos sibi adesse theologiae suppellectilis. Iam quid fieret cum iis, qui in Societate non raro variis muneribus distrahantur, et post aliquot annos denuo ad legendum revocantur, quando vix iam etiam idea aliqua, nedum scientia praesens iis reliqua est olim auditorum. Magno careant tales praesidio necesse est, si exactioribus scriptis suis non sublevarentur.

Ad haec, multum temporis teretur inutiliter, quando ea, quae in scholis taliter qualiter scripta fuere, domi denuo describenda erunt, et in libros papyraceos redigenda, aliorum item consulenda rapsodia, cum vix modo tempus repetitioni suppetat. Docet item expe-

<sup>62</sup> Vide supra, adn. 8.

rientia, pomeridianis praesertim horis, nisi ex professo excipiant dictantem, facillime somno se dedere; cum sit difficillimum, continuo ita attendere hora tota explicantem. Nec parvi momenti illud est, quod ipsi patres in praxi [153r] studiorum cap. 2 de theologia scholastica pag. 93 § 9 dicunt: Optandum esse, ut extent in Ecclesia, ipsaque Societate omnes materiae luculenter tractatae, ut si quando alicuius usus accadat, in promptu sit, quo recurratur, et qui aliquas brevius audierint, si cupiant eas habere plenius explicatas, habeant unde petant. Id enim, nisi res bene tractatae bene scripto excipiantur, nunquam sperandum est, ut scripto bene excipiantur, nisi dictetur.

Denique, modus ille, quem hic patres praescribunt, absque dictatione, solis iis auditoribus proderit, qui habent condiciones sequentes: ingenium acre et vigilans, attentionem magnam, diligentiam indefessam, memoriam tenacem. Quorum, qui uno caruerit, parum profecerit. At quotus quisque est, qui habeat omnia?

Quod si quo casu quandoque a lectione absit quispiam, nulla spes est recuperare posse, quae neglexerit.

Sed iam ad argumenta in contrarium respondendum. Ea, primo, sunt omnino, quae paginis 96 97 98 continentur. Primum ac potissimum ex variis Constitutionum locis ductum est. Respondetur: Cum Constitutiones scriberet R.P.N. Ignatius, eum legendi modum attendisse, qui ubique fere tum in usu erat. Ratio autem dictandi necdum ea communis fuit. Et sic tamen etiam passim inculcat de scriptis [153v] ordine bono disponendis ac describendis, quod vidisset reipsa utilitatem, quam dictatio postmodum introducta tulit; ut non prohibuit illam, ita probabile est, ipsam etiam fuisse mandatam. Quin absque dictatione non videtur satisfieri Constitutionibus his, cum domi describere alioqui nemo soleat raptim excerpta in classe, et tamen illud in Constitutionibus requirit Pater.

2.um – Inauditum fuisse dictandi morem ante 40 annos, parvi refert, cum constet, optime interim cessasse ac doctiores etiam reddidisse ac plures theologos.

3.um – Aliud esse dictare, aliud legere, itemque vivam vocem magis imprimere, verum est. At hic talem nos dictationem quaerimus, quae simul viva voce difficilia omnia explicet atque imprimat, sed non ut imber repentinus cito defluens, verum ut pluvia temperata sensim illabens. Sic enim si legatur, et auditores magis attentum sunt, et omnia suavius fiunt; cum contra, si non dictetur, nimium anxii soleant esse discipuli, si scribere potiora velint, ne quid eos praetereat ex necessariis, eoque ipso turbati attentio. Aliud esset, si nihil scribere deberent discipuli; at idem perniciosum.

5.um – Si praeceptor, ubi dictaverit, putet se iam satisfecisse muneri suo, de hoc ipso diligenter moneatur, id satis non esse, nisi etiam explicet quaecunque difficiliora sunt. Nec molestiam in eo experietur, nisi forte in iis academiis, ubi iam et ipsa latina lingua parvum usum habet.

6.um – Ne plus temporis perdatur dictando, eadem eademque inde explicatius repetendo etiam in [154r] levioribus, ad diligentiam industriamque professoris pertinebit, breviter ea praefari initio, quae ad continuationem rerum necessaria sint; inde inutilia omnia ac verbosa resecare, nec immorari, nisi gravioribus. Multo vero maioribus incommodis subiectus esset praeceptor non dictans. Nam is totam lectionem ad verbum ediscere deberet, alioquin facile et seipsum confunderet et auditores, praesertim quando argumenta in forma proponenda sunt et solvenda.

7.um – Si, dum plus temporis ad dictationem detur lectioni (quemadmodum et nos supra omnino necessarium esse iudicavimus quadrantes quinque) metuitur confusio, detur una hora communiter dictationi, unus quadrans graviorum explicationi, nisi rei difficultas aliquid amplius requireret; unus denique dubiorum resolutioni, quasi repetitionis loco.

Nam hic iam illa mora, quae post lectionem ad corrigenda scripta alioqui discipulis danda erat, non erit necessaria. Sic erunt hora una et media in schola, sicut perinde fuisset.

8.um – Propter taedium, quod sentire posset ex dictatione quispiam magnatum, lectiones nostrorum audiens, idque forte vix semel aut iterum anno toto, minime postponenda videtur tam multiplex dictationis et utilitas et necessitas, quam diximus; praesertim, cum semper liberum sit professori, si quando talis quispiam ad lectionem accedat, excurre liberius, ipsique se accomodare.

9.um – Asuefaciendi sunt auditores, ut suas faciant res, quas audiant. Id vero assequuntur, si [154v] domi diligenter repetant ea, quae exceperint in scholis.

10.um – Ne quid excidat inter legendum professori, quod offendant, ipsa eum dictatio iuvabit. Sic enim diligentius praemeditabitur ea, quae lecturus erit, longeque labetur rarius, quam si ista dictandi sollicitudine esset liberatus.

Caput 4 (pag. 102) – *Quae a theologo tractanda non sint* — In hoc capite multa necessaria theologo videntur remitti ad Scripturae interpretem; nec assignari tum quando ea in Scripturis tractari debeant. Unde facile fiet, ut careat iis theologus; praesertim, cum ad eos libros Scripturae pertineant, qui forte vix decimo quoque anno explicabuntur, et alioqui singulis quadrienniis vel bienniis non repetenda sint a professore eodem. Talia sunt ex prima parte quaest. 1 art. 9: De sensibus Scripturae pag. 104; quaest. 13 art. 8 etc., de nominibus Dei pag. 106, quaest. 43, de apparitionibus Dei in antiquo testamento, an per angelos factae fuerint pag. 108.

Ex 1.a 2.ae quaest. 87 art. 8: Quomodo Deus puniat peccata patrum in filiis, pag. 113. Ex tertia parte quaest. 1 de adventu Messiae contra iudaeos, quae in aliquibus partibus valde est necessaria, ut verbi gratia in Polonia ob multitudinem iudaeorum, pag. 116.

Talia ergo videntur a theologo suis locis tractanda, nisi forte eodem anno Scripturae interpres de iis disseruerit. [155r] Ex eadem tertia parte quaest. 25 pag. 118: Quaestio de phantasticis visionibus, valde necessaria est tum propter nostros, ne decipiantur a mulierculis devotulis, et credant visionibus deceptorii; quod iam non semel factum est; tum propter haereticos varios, qui vel nimium tribuunt talibus, ut anabaptistae, vel nihil, ut reliqui. Ideoque assignandus locus, ubi tractandae.

Caput 5 – *De repetitionibus* (pag. 122) — § 2 – Omnes quidem parati et ad repetendum et ad disputandum venire debent. In septentrione tamen praeter hoc praemonendi semper duo essent, qui parati ad argumentandum veniant.

§ 3 – Quod hic in fine dicitur pag. 124, ubi dictatur, praeceptor omnino abesse non deberet a repetitionibus; contrarium potius videtur expedire, ut adsit, ubi non dictatur; quia facilius repetent errores, qui non scripserint ex dictato, qui propterea direttore opus habebunt. Qui ergo dictat, primo quadrante, dum ipsa lectio repetitur, abesse posset, sed argumentantibus tamen inde adesse deberet.

*De disputationibus* — Quae § 1 et 2 de tempore disputationum ordinario praescribuntur, videntur esse libera debere provincialibus, ut ii constituent, quid expediat, quando et quoties esse debeant. In Polonia quidem [155v] omnino. Nam dies hic praescripti non sunt commodi ob varias templorum et necessarias occupationes. Et collegia fere munera simul omnia, quae alibi domus professae, obire debent.

Sic quod § 3 de menstrua disputatione ponitur; ut enim § 2 cum lusitanis dispensatur propter multitudinem actuum de ordinaria dominicae disputatione, ita alibi dispensari posse debet propter paucitatem discipulorum aut similes causas, ut verbi gratia alternis tantum mensibus fiant. Nam si soli sint 10 verbi gratia auditores, iidem semper vel defendendo vel argumentando in menstruis illis occupantur.

Porro, si controversiae legendae sint eo modo, quo infra praescribitur cap. de controversiis, ab aliquo professore seorsim, deberet etiam professor earum cum suis discipulis seorsim aliquando disputationes instituere; singulis verbi gratia mensibus, vel certe aliquoties in anno. At si eo, quo nos supra posuimus, modo, non videtur expedire, ut publicis ac theologicis disputationibus iungatur controversiarum lector, quandoquidem inferioribus auditoribus solum leget.

§ 7 pag. 129 – Necessarium visum est, ut praefectus, ubi disputantes rogaverit monuerit, ut ordinate procedant, si id non obtinuerit, potestatem tum habeat cum modestia silentium indicendi.

Caput 7 – *De opinionum delectu, retractatione* (pag. 137) – § 2 pag. 138 – Quod dicitur, continuo retractet professor in periculosis, durius visum est verbum. Ideoque eius loco mitius substituendum, licet idem significans, puta: mutet continuo sententiam et explicet. [156r] Quod ibidem rectori committitur iudicium de periculosis, non semper visum est expedire, cum possint talia ei videri, quae aliis non videantur, vel non capiat professor esse talia. Unde in talibus, quae evidentia non sint, aut fieri non possint a rectore evidentia, satius esset ad provincialem reicere iudicium retractationis.

Caput 8 – Quae hoc capite de privato studio praescribuntur, placuere omnia. Scripturae tamen ea quoque hic ratio habenda esset, quam initio posuimus.

Caput 9 – *De vacationibus* (pag. 142) — § 2 – Circa festum Nativitatis et hebdomadam sanctam omnino 8 dies videntur relinquendi vacationum, tum ut aliquando professores in mediis laboribus habeant respirandi tempus, seque pro pluribus lectionibus comparandi; tum in isto maxime septentrione propter excursiones varias, in quibus tum occupandi sunt sacerdotes discipuli. Sed et vigiliae Nativitatis ac Pentecostes liberae relinquendae; illa prior maxime.

§ 3 pag. 143 – Etiam dum festum unum aliquod vel in quartam vel quintam feriam intercurrit, relinquendus recreationis dies septentrioni, ubi et nostri et discipuli externi magis prope vel aequae certe occupantur festis in templis, quam aliis diebus in scholis.

Caput 10 – *De gradibus* (pag. 144) — § 2 pag. 145 – Quod dispensandum iudicatur, ut in ipso [156v] decursu quadriennii theologici actus pro promotione immisceri possint, id omnino videtur necessarium, petitque propterea provincia haec tota, ut R. P. N. dispenset.

§ 4 pag. 147 – Minus explicate dicitur, an doctores omnes theologi aut qui et quando uti debeant epomide. Hic enim philosophi soli exprimuntur.

Quod vero qui actu docent, eos praecedere debere dicitur, qui non docent actu, id in aliis academiis non servatur. Ubi potius antiquitatis, vel in professionis officio vel promotionis, ratio habetur. Et parum decere videtur, si iuvenis sit professor et senex alius adsit multorum iam annorum emeritus theologus.

Denique hic explicandum etiam esset, quid de doctoribus externis sentiendum, qui in nostris academiis promoti sint, si quando intersint huiusmodi actibus, an non et iis certus locus assignandus.

§ 6 – Promotio ad baccalaureatum valde simplex est; unde forte vilescet, nec satisfaciet externis. Satius foret antiquam consuetudinem academiarum, quae in singulis sunt regionibus, servare. In nostris tamen, si promoveantur, aliquid solitarum ceremoniarum praetermitti posset.

§ 7 – Potius hic Magister Sententiarum aperiendus, quam Biblia, ut quaestionem aliquam explicet candidatus. Nam et postea aliam lectionem ex Bibliis faciet § 9, et longe facilius in Magistro Sententiarum aliqua apta quaestio occurret et copiosa; contra quam disputare postea alii doctores possint.



## Ioannes Balmesius S.I.

Pugnavi ipse mecum diu, ne T.R. Paternitatem magis occuparem occupatissimam. Sed tandem vicit conscientiae stimulus, ut haec saltem per capita, quae copiosius notaram, indicarem.

1<sup>o</sup> – Inconsultum videri recentiorum scholasticorum et augustinianorum opiniones praeferri antiquissimis Patrum circa materiam praedestinationis, productionem rerum momentaneam, possibilem mundi aeternitatem et similia. Patres enim ea nos docuerunt, quae didicere ab apostolis aut eorum discipulis.

2<sup>o</sup> – A principio nostri theologiae discipuli imbibant ipsissimas totidem verbis theologicas conclusiones Scripturae, pontificum, conciliorum, traditionis patrum ex libro ex his methodice conflato, non ex scholasticis magistris. Alioqui eos solos sapiunt. Sic non theologi, sed solum altercatores evadunt, inanes scientia solida et spiritu devotionis. Sint quidem Thomas etc. commentarius, non textus.

3<sup>o</sup> – Communes opiniones scholasticorum theologorum aut philosophorum, quae dicuntur, saepe auctoris earum propriae sunt et falsae, sed communes effectae recipientium et non examinantium ignavia.

4<sup>o</sup> – Monendi nostri, ne in tuenda sua sententia ridicule aliorum dicta detorqueant, tamquam a se stent. Id vitium passim grassatur impudens.

5<sup>o</sup> – Quemadmodum Societas nullos debet promovere ad studia altiora superbos, sic nec tollenda libertas excogitandi humilibus, qui nova non proponunt inconsulto superiore.

6<sup>o</sup> – Cum res sacras theologia tractet, quæ fit, ut nostri post eius studia circa res sacras et religionis, pietatis devotionisque studium fere frigidiores sint (experientia probat)? Nimirum hi, qui sacra prophane tractarunt, ad auram, ad solam scientiam inflantem adspirantes, non veram sapientiam, quae sacra gustat; certe hic est fructus spinosarum quaestionum, inanum altercationum et temerariae manus iniectionis in sacram arcam, ubi sunt tabulae digit Dei scriptae, non Aristotelis; idcirco aliter tractandae.

7<sup>o</sup> – Habent aliae scientiae introductionem. Cur non habet theologia, quae etiam sufficeret nostris, quos obedientia non destinat ad consummatam theologiam? . . . [*Stud.* 2, f. 182v] . . .

10 – Nullibi dictatio permittenda, ne inde ad similes pigros professores serpat consuetudo. Scholia quidem saepe necessaria, ac proinde permittenda. Remedium vero, quod patres fol. 99 adhibent, in morbum recidit. Nam illa mora dictatio est, et expositio illa grammatici est, non theologi, et inutilis. Qui vero annotare proprio iudicio, quae oportet, ex praeceptoris dicentis dictis nescit, tanquam ad literas ineptus ab scholis arcendus est.

122 11 – Cum praeceptoris officium sit, suos discipulos omni ratione iuvare, id nullo loco melius praestare potest, quam cum eorum repetitionibus adest. Nunquam ergo absit. Nullum autem ad eundem finem excipere a repetitionibus praeceptor.

126 12 – Constitutiones nostrae ab Ecclesia non abhorrent, quae dies festos studio vitae internae, pietatis et spiritus dicavit. Quibus animus quomodo vacare potest disputationibus et altercationibus praeparandis occupatus ac distractus? Contendant ergo discipuli eo tempore peculiariter cum proprio amore, superbia et reliquis passionibus propriis, non cum condiscipulis. Sic pariet Societas discipulos et doctos et bonos. Alioqui non mirentur superiores, si laborent cum nostris sciolis.

141 13 – Legendis scholasticis, sine succo Patrum, redduntur nostri aridi, eorum spiritu imbuti. Terant ergo Patres nostri discipuli, caeteros cum opus ad eorum intelligentiam. Sic habebimus theologos apostolicos, non aristotelicos.

142 14 – Cum christiani bachanalia non habeant cum gentibus, cur sic nominantur sacri dies Quinquagesimae? Cur etiam nostri poetae sibi placent in suis ethnicis carminibus, in nominandis Iove, Apolline, musis et similibus portentis daemonum? Haec et similia ethnica, R. P., severe regula prohibe, obsecro. Accedat et regula, qua praecipias, feria secunda et tertia Quinquagesimae in scholis nostris legi, ut eos dies sacros eripias daemone, eos sibi usurpanti; qua edita et observata, assuescent paulatim discipuli universi, non dubium.

Addat, obsecro, tertiam, qua sanctae antiquitati congruenter statuatur ubique recreationem feria quinta, cum apud omnes christianos feria quarta venerationi sit memoria passionis, et ob eam paenitentiae, non recreationi dicetur. Sic enim ultra omnem memoriam in Gallia, Germania etc. Nec moror. Dimidium hebdomadae commodius relaxationi studiorum, sed incommodius pietati, quae praeferenda studiis et nostris commodis. Adde, quod maior sit orbis Urbe.

Huc pertinet regula quarta, qua constituatur, in promotione alicuius in gradum aliquem dari Biblia theologo (pro D. Thoma); Thomam aut alium (pro Aristotele). Fundamentum enim theologiae [183r] est verbum Dei, et philosophiae christianismus. Quae conventio Christi ad Belial [2 Cor. 6 15]? Numquid hostis Christi Aristoteles? Atqui in libris suis honoratur, et cum invocationi SS. Trinitatis (cum fit promotio) eius nomen immiscetur, et locis sacris. Apage ethnica. Abundant nobis christiana. Ultor erit Deus.

Cum ad seriam theologiam Societas solos pietate, humilitate et zelo insignes promovere debeat, nisi velit alios perdere et deflere, non est dubitandum de hebraico studio, quod eis commendandum ante theologiae studium; nec enim minus theologo necessarium, quam graecum.

#### Ioannes Bleusius S.I.

De scholastica — In cap. 1 – Arbitror, scholasticae cursum quadriennio absolvendum.

In cap. 2 – Non video, cur in fine pag. 89 statuatur, ut idem professor prius legat de confirmatione, ordine etc., quam de sacramentis in genere.

In cap. 3 – Incommodo, quod pag. 99 affertur, duplex addi potest. Prius est, quod ubi dictatio ab explicatione non secernitur, perpetua sit dictatio, quia semper scribunt auditores, non sine magno imbecilliorum, praestantis alioqui ingenii (qui scriptis ob magnas eorum utilitates carere nolunt), incommodo. Posterius est, quod scriptis, quae inter legendum excepta passim circumferuntur, nemo uti possit ob mutilationem et confusionem. Vel igitur fatendum est, neminem hactenus accommodate ad auditores docuisse, vel necessariam esse dictationem ab explicatione seiunctam. Puto, saltem in partibus transalpinis, ubi communiter non sunt tam celeres animi motus, quam in Italia, optimam eam esse docendi rationem, quae diligenter explicata, breviter dictat.

In cap. 4 – Catalogus quaestionum pag. 102 etc. propositus, directionis causa proponendus, non absolute praecipendus videtur. Ita enim solvetur dubitatio de plena aut non plena alicuius quaestionis explicatione, et magnum solatium eadem eodem loco saepius docentibus vel aliis succedentibus relinquatur, si paululum ordinem et modum tractandi liceat immutare.

Multa ibidem reservantur interpreti Scripturae. Quid si non adsit? An non idem scholastico permittitur? Quod postea de controversiis conceditur?

Rursus, cum pag. 89 et 90 tantum dicatur, tertio de sacramentis, quarto de poenitentia etc., at vero pag. 119 120 121 nihil de quaestionibus D. Thomae dicatur, sicut in aliis mate-

riis dubium esse potest, an prorsus omittendus sit D. Thomae contextus, an faciendi tractatus? Quod prius pag. 95 interdicatur.

In cap. 5 – Expedit, ut per quadrantem etiam theologorum aliquis repetat lectionis summam. Quod neque Parisiis, neque hîc servatur.

Iudicandum etiam esset romanis paucos auditores nostros saepius exerceri in Gallia, quam multos Romae. Ubi, licet plures sint exercitationes, tacent nihilominus etiam nostri toto primo anno (ut ferunt), et reliquo cursus tempore vix tertio quoque mense semel disputant.

In cap. 6 – Quae numero 8 huius cap. habentur, multum videntur commendanda.

In cap. 7 – De hoc et sequentibus haec tantum scribenda videntur: Primo, necessarium videri, ut saltem provincialibus potestas relinquatur constituendi de vacationibus et gradibus iuxta provinciarum varietatem ac necessitatem. Deinde, certa constare experientia in partibus ultramontanis, molestam vel etiam [*Stud.* 3, f. 373r] odiosam fore scholasticam, si ab ea controversiae separentur. Sola enim varietate detinentur auditores, qui subtiliorum quaestionum discussione se non egere palam profitentur. Mixta igitur esse debet huius temporis theologia.

Circa definitiones ex 1a 2ae et consequentibus hoc unum addam, videri satius esse, ut vel decretum R.P. Generalis antea missum<sup>63</sup> confirmetur; atque ita theologis liceat quascunque D. Thomae opiniones (praeter illam de conceptione B. Virginis) defendere; vel ut, indicatis tantum liberis, sive non necessario tenendis, generaliter statuatur: in aliis omnibus sequendum esse D. Thomam; quam ut iubeantur interpretes B. Thomae contra ipsum sine evidenti causa etiam in indifferentibus sentire ac docere; cum praesertim non minor sit futura inter nostros disceptatio de sensu definitarum sententiarum, quam de conclusionibus S. Thomae.

#### Nicolaus Clerus S.I.

*De scholastica theologia* – Cap. II – (Pag. 89 linea ultima) «Tertio de sacramentis in genere» – Absurdum est, ut agat professor de sacramentis in genere, postquam egerit in specie de sacramentis Confirmationis, Ordinis, Extremae unctionis.

(Pag. 95 n. 4<sup>o</sup>) «Nusquam dictetur» – Contra, videtur consultius dictare multis de causis: 1<sup>o</sup> Si magister lente docet, iam hoc ipsum dictare est, et quidem tota hora. Sin celerius, quotusquisque et quanto labore assequetur? – 2<sup>o</sup> Pater Paez aiebat<sup>64</sup>, se nihili facere sub se excepta, quod putaret, nihil exceptum sine multis mendis. – 3<sup>o</sup> Fortasse expediet, tantum dictari pauca, eaque praecipua, et veluti cardines ac principia totius doctrinae. – 4<sup>o</sup> Si non omnes egent dictatura, saltem iis permittatur, qui auditores sunt natura tardiores.

Cap. V – (Pag. 123 lin. 6) «Nemo repetat ex scripto, sed memoriter» – Dum tamen, ne singulas allegationes cogatur sigillatim et nominatim recitare. Nam id puerile est, tempus extrahit disputationum fructuosius impendendum.

(Linea penultima) «Nisi forte malint non liberari» – Hîc quanto satius sit, ipsos professores praeesse repetitionibus.

Caput VI — Videtur huic capiti de disputationibus addendum: 1<sup>o</sup> Quanti intersit, praesidem, antequam aliud argumentum proponatur, semper summatim exponere, quid

<sup>63</sup> Vide instructionem Patris Acquaviva de doctrina theologica in S.I. sequenda, anno 1582 datam; supra, mon. 7.

<sup>64</sup> Iacobus Paez S.I. (1537-1582), hispanus, professor philosophiae ac theologiae annis 1561-76 in Collegio Romano; cf. SCADUTO, *Catalogo* . . . 109-10; et VILLOSLADA, *Storia* . . . 323-25.

priori responderit, et eadem opera ostendere, solutum esse argumentum, ut sit in singulis aliquid fructus, quod carpant et auditores ii, qui non disputant. – 2<sup>o</sup> Ut qui impugnatur, non patiat aliter repeti argumentum, quam proposuerit. Nam, si dissimulet, ut fere fit, dum cogitat, quid sit replicaturus, brevi fiet, ut non videantur se mutuo satis intelligere, qui disputat et respondet. – 3<sup>o</sup> Videtur multum conferre, ut quemadmodum respondens disputantis argumentum repetit, ita contra hic illius solutionem; et antequam hanc impugnet, prius indicet, quid impugnare potissimum velit.

Caput IX – (Pag. 142) «*De vacationibus*» – Hic velim addi, quae ratio esse debeat privati studii tum praeceptorum, tum scholasticorum tempore vacationum. Verendum enim, ne a plerisque non satis utiliter expendatur. Quidam scriptitationibus tempus terunt, alii ad alia inutilia [se] conferunt. [*Stud.* 3, f. 367r]

### Ioannes B. Gonzales S.I.

Circa cap. 3 – De ratione dictandi (pag. 95) infinita dici possent, quae facile cuiusvis occurrunt. Hoc ego dixerim: Si ea ratio docendi ineatur, actum esse de Societatis doctrina; summam fore et in praeceptoribus et in discipulis negligentiam; quodque caput est, si velimus ita lente dicere (quod facit Cuiacius)<sup>65</sup>, necesse est vel omnia excipi cum maxima difficultate et frigide a doctore exponi, vel pleraque omitti et forte meliora; et molestissimam esse iis, qui tantum audiunt eam docendi rationem; et quae una dictantur hora, uno quadrante utilius explanarentur, aut ad summum dimidia hora; et ita possent, quae sunt explanata reliqua media hora dictari; et Constitutiones hanc rationem magis probant in 4 Part. c. 6<sup>66</sup>; et commodius id fiet, si per duas horae partes explicentur, quae per tres alias dictentur.

Circa cap. 6 – Modus docendi, qui praescribitur, videtur omnino esse contra rationem. Eo enim fieret, ut idem saepius non sine molestia et iactura temporis repeteretur. Melior videretur modus, si, proposito quaestionis vel articuli titulo, statim responderetur, ita esse aut non esse. Idque probaretur D. Thomae rationibus vel melioribus, si suppetere. Deinde refellerentur contrariae sententiae. Ratio enim et naturae ac doctrinae ordo exigit, ut prius veritas proponatur et intelligatur, ex qua omnis falsitas possit dignosci ac refelli. Et hoc sensu etiam philosophus docet, affirmationem priorem esse negatione. Quod autem D. Thomas et alii faciunt, ut prius argumenta in contrariam partem afferant et rationes dubitandi, valet ad excitandum ingenium et aperiendam difficultatem, quod a praeceptore in schola debet etiam fieri, dum viva voce rem explanat uberius, non autem cum explanatam dictat.

Circa cap. 4 – Quae dicuntur de omittendis et tractandis quaestionibus suis locis, plures habent difficultates, quas persequi non vacat. Ut est illa, quod prius de sacramentis quibusdam agatur, quam de sacramentis in genere, et ordo D. Thomae saepe abrumpatur. Cum facilius possit remediis, quae afferuntur, occurrere, si nimirum iubeatur, ut qui docet tertiam partem, primo anno doceat de Incarnatione et sacramentis in genere, aut certe duobus sequentibus totam de sacramentis materiam absolvat.

Circa cap. 10 – Quae dicuntur de promotionibus, non videntur commode servari posse, nisi mutentur omnia, quae fiunt nunc in hac academia. [*Stud.* 3, f. 373v]

<sup>65</sup> De quo vide supra, adn. 43.

<sup>66</sup> Vide MP I 241 litt. I.

## Iacobus Salesius S.I.

Circa cap. 1 – *De tempore, quo theologiae scholasticae curriculum absolvendum sit* (pag. 81) — Placet, quod dicitur de theologia docenda quadriennio. Quod additur de 3<sup>o</sup> scholastico, verendum, ne alii professores moleste ferant, sibi cursum in duodecimum annum protrahi. Alii contra, et quoniam videtur expedire, ut in Societate multi totam theologiam explicarint, alioqui in non explicatis fere rudiores manent, videretur cursus annorum 12, sive trium collegarum, committendus iis, quibus aliquo modo deessent anni ad perfectum cursum, demandatis iis ipsis partibus, quae deessent.

Circa cap. 2 (Pag. 89 n. 3<sup>o</sup>) Propter ordinem D. Thomae et nexum quaestionum incommodum videtur de confirmatione prius agi, quam de sacramentis in genere. Improbabunt etiam externi et sanctiones notabunt. Atque id etiam infra annotandum occurrit pag. 113, non videri incommodum, ut D. Thomae ordinem umquam pervertere iubeamur (permitteri melius posset). – 1<sup>o</sup> quia eo loco facilius inveniuntur a quolibet. – 2<sup>o</sup> quia multi communes locos iuxta ordinem D. Thomae utiliter instituunt. – 3<sup>o</sup> quia eo loco plures habentur commentarii, qui alibi non sunt ad manum. Exemplum pag. 103 q. 43. Fit etiam saepe reiectio in alium locum, nec assignatur, ut pag. 109 q. 3 a. 4.

Circa casus conscientiae (Pag. 90) – Quae de casibus conscientiae docenda sunt, videntur utiliter et ordinatissime doceri posse, si ex D. Thoma, adiectis iis, quae non habentur; nam et scholastici omittunt huiusmodi quaestiones. Ita unus esset D. Thomas ad omnia, in quem sane finem suam Summam contexuit. Alioqui nullus certus est ordo inter casistas. Ita demum fieret, ut non eadem a diversis docerentur, et totus D. Thomas explicaretur.

De controversiis (Pag. 92 n. 8<sup>o</sup>) – Omittenda videntur et relinquenda prudentiae lectorum, ut et pag. 94 in medio, de quo supra; et pag. 95 n. 2<sup>o</sup> quidni haereses antiquae breviter explicentur ad Patres intelligendos? ita et Sotus<sup>67</sup> et alii insignes faciunt. Fieri etiam potest, ut aliquando multis sit opus rationibus, solutionibus; et omnino molestum et onerosum fore puto, si praeceptive proponatur.

Circa cap. 3 (Denique pag. 95 n. 4<sup>o</sup>) – «Ubi mos est dictandi etc.» hoc ut nimis durum iudicem, facit modus, qui postea exponitur. Alioqui tota classe notare magna attentione et labore, quae postea exscribas duplo tempore, minus recte et perfecte, et quo libenter utatur nemo, videtur incommodissimum, maximique dispendii. [*Stud.* 3, f. 373v]

## Laurentius A. Fauteus S.I.

Cap. 1 – Quadriennii spatium scholasticae sufficere arbitror ob rationes, quae ibi assignantur.

Cap. 3 – Dictandi consuetudo improbat — Vel dictandum erit, vel curandum, ut magistri ita loquantur, ut excipi singula non incommode possent. – 1<sup>o</sup> Quia multi ingenio tardiores non assequuntur; – 2<sup>o</sup> Multi ob imperitiam linguae latinae nesciunt repente magistri sententiam latinis litteris mandare. Quare putarem, dictandum paucissimis et praecipua ac difficiliora; faciliora continuata oratione proferenda.

Ibidem — Ubi dictatur, addendus horae quadrans explicationis. – Non putarem propter taedium auditorum, qui aegre hora in schola continentur. Posset dictationi explicatio suis locis misceri. [*Stud.* 2, f. 175v]

Catalogus tractandarum quaestionum c. 4 et casuum — Multa hic relinquuntur Scripturae et casuum interpreti, a scholastico omittenda: 1. An apparitiones factae in novo et

<sup>67</sup> Petrus de Soto O. Pr.; vide supra, mon. 10 adn. 220.

vetere testamento per Deum, an per angelos? – 2. De nominibus Dei. – 3. De sensibus Scripturae. – 4. Quomodo Deus puniat peccata patrum in filiis. – 5. De adventu Messiae contra iudaeos. – 6. De sacramentis confirmationis, ordinis et extremae unctionis.

Quae omnia, si omittantur a doctore scholastico, arbitror discipulos nunquam habituros: 1. Quia non praescribitur locus interpreti Scripturae, ubi quaestiones, quae hic illi relinquuntur, tractet. – 2. Multae earum ad certos Scripturae libros spectant, quos incertum, an interpretes Scripturae illis 4 annis, quibus discipulus scholasticae studet, sit explicaturus. – 3. Interpretes Scripturae non repetet ea singulis quadrienniis. – 4. Illa tria sacramenta, ut facilia, relinquuntur, sed sane multa in iis, maxime in ordine, sunt difficillima; quae nunquam discipulus sciet, si ad auctores, qui de iis scripserunt, ut hic fit, ablegabitur, cum vel auctores non habeat, vel raro alia praeter scripta attingat . . .

*De repetitionibus* – Cap. 5 – Pag. 124 — Liberat omnino doctorem a repetitionibus – Putarem, magistrum, ut minimum, semel in hebdomada adesse debere: 1<sup>o</sup> ut dubia, si quae habent graviora, proponant. – 2<sup>o</sup> ut discipulorum ingenia exploret et studia accendat.

Quod autem hic dicitur, fas esse dubia magistro in cubiculo proponere, tria habet incommoda: 1<sup>o</sup> Quod sub praetextu dubiorum, magister cum discipulis charioribus tempus in fabulis consumat, ut experientia vidimus. – 2<sup>o</sup> Quod si quid praeclare in cubiculo ad dubia a magistro dicitur, eo reliqui careant. – 3<sup>o</sup> Quod molestiae magistro augentur, et tempus aliquando studiis accomodatius praepeditur.

*De disputationibus* – Cap. 6 7 — Omnia praeclare.

*De privato studio* — Similiter. Praescribendum tamen videtur, ut scholastici unum aut alterum caput Scripturae legant, ne plane rudes sint; ut multis accidit, qui in scholasticis multum progressi, libros Scripturae omnes vix viderunt. Quod incommodum est.

*De vacationibus* – Cap. 9 N. 2 — Nimius rigor videtur in vacationibus discipulis ingratulus valde et magistris interdum molestus, et praeter aliarum academiarum consuetudinem. Accedit, quod in quibusdam regionibus breves admodum sint vacationes generales, ut in Germania, Polonia, Gallia etc., ut merito particulares illis relinquendae sint. [177v]

*De gradibus* – Cap. 10 N. 5 — Inter doctores, qui actu docent, praecedant ii alios, qui actu non docent – In aliis academiis id non observatur, sed antiquitatis professionis vel promotionis habetur ratio. Illud saltem non decet, ut iuvenis professor seni doctori et olim professori anteponatur.

*Ibidem* — Caeteri omnes philosophi sive promoti sive non promoti, nullo ordine se deant — Nec hoc in aliis academiis fit, sed magistri promoti praecedunt. Et forsitan idem in nostris commode observabitur.

N. 6 novam rationem praescribit conferendi baccalaureatum, et n. 7 promotionis. Putarem consultum antiquam consuetudinem academiarum sequi; eam inquam, quae in academiis uniuscuiusque provinciae et olim fuit et nunc est usitata. Secus enim externis non admodum satisfaciemus. Et vilescet promotio. In hominibus Societatis promovendis forsitan aliquid ceremoniarum usitatarum poterit praetermitti.

### Ioannes Leopoltanus S.I.

De theologia scholastica illud occurrit — Optandum esse, ut ea sic reformetur atque instituat, ut sit praesenti temporum conditioni et Ecclesiae utilitati magis accommodata. Quod fieret, si quaestionibus mere speculativis et quae nunquam veniunt ad praxim, praetermissis, eae potissimum tractarentur, quarum est usus in rebus ecclesiasticis. Item, si in iis explicandis non minus audirentur Scripturarum testimonia, conciliorum decreta, Patrum

sententiae, quam rationes physicae et metaphysicae. Sic enim et a positiva theologia non multum dissideret, imo, altera iuvaretur ab altera; et esset usui maiori, non solum scholis, sed etiam concionibus. Nunc autem, qui scholasticae student, fere fastidiunt positivam; et iterum, qui se totos tradunt positivae, rursum fastidiunt pleraque in scholasticis tamquam nec omnino certa, nec in omnibus consentanea antiquitati Ecclesiae, et magis philosophiae, quam theologiae nixa fundamentis. Observatum est etiam, plerosque concionatores fuisse meliores et gratiores populo in initiis, antequam audissent theologiam scholasticam, quam cum illa audita ad idem munus rediissent. Causa est, quia antea pro concionibus [*Stud.* 3, f. 292v] adferebant affectuosa, ex Scripturis aut sanctis patribus, aut libris spiritualibus deprompta. Post auditam vero theologiam, istis fastiditis, maiorem habent respectum ad suas quaestiones speculativas, et ex scriptis theologicis suis conantur fere conficere suas conciones, quae saepe frigent ad populum, cum aliqua diminutione existimationis de concionatoribus Societatis. Putant autem aliqui, istam accommodationem theologiae scholasticae ad nostra tempore vix esse sperandam, quamdiu praelegetur D. Thomas; qui optime quidem omnium, sed pro suo tempore, otioso in Ecclesia et in scholis, nimis scholastice tractat omnia; et videtur esse nimis in plerisque quaestionibus et articulis. Ac optandum quidem esset, aliquem e Societate existere, qui tale aliquid conficiat in theologia, quod cum maiore fructu et applausu praelegi possit<sup>68</sup>. Sed tamen antequam hoc fiat aut fit, omnino D. Thomas videtur retinendus. Censerem, D. Thomae Summae aut potius et aliorum operum, in quibus idem argumentum tractat, compendium conficiendum et separatim excudendum; in quo eae tantum quaestiones continerentur cum articulis, qui publice praelegendi iudicantur. Nam in septentrionalibus regionibus forte etiam ex iis quaestiones aliquae possent praetermitti, quae proponerentur in Italia et in Hispania.

2. Cum dicitur in libro: Novos tractatus non esse conficiendos in theologia, sed inhaerendum quaestionibus et articulis D. Thomae, hoc melius vellem considerari pro nostris praesertim regionibus. Cum enim in iis exoriantur quotidie novae haereses, et quidem atroces, qualis est contra SS. Trinitatem, quod in divinitate non sit nisi solus Pater; quod Christus non sit naturaliter Deus, nisi per conceptionem per Spiritum S. et sanctificationem pro munere Messiae; quod Spiritus S. non sit persona, sed tantum operatio Dei et donum; quod animae substantia non sit distincta a corpore, et ideo moriatur cum corpore, cum eodem resuscitanda; et aliae pleraeque his non dissimiles; an non esset utilius theologum ad has haereses solide refutandas suas conferre lectiones? Ipsimet haeretici incitarentur ad disputandum de suis materiis; principes ipsi et alii nobiliores non dedignerentur adesse talibus lectionibus et disputationibus. Nunc autem cum non audiuntur nisi mere scholastica, dicuntur iesuitae sibiipsis legere theologiam et sibiipsis disputare; et ita frigent lectiones theologicae, ut externos valde paucos auditores nostri habeant in theologia plerisque in locis.

3. *De dictando* – Ut non dictentur lectiones in Italia et Hispania, pulchrum est et non inutile. Ibi sunt auditores expeditiores et ad intelligendum et ad notandum. Caeterum, in Germania et Polonia, puto, semper in usu fuisse in academiis dictationes permistas explanationibus. Nec puto, aliter posse fieri. Fere enim perirent multae lectiones, tamquam ad concionem venirent, eandem saepe ex quavis causa negligerent; et paulatim neglectis pluribus lectionibus, quas scribendo recuperare non possent, dilaberentur a studiis. [293r]

*De vacationibus* – Vacationes in Polonia fiunt diebus Iovis hebdomadariae, non autem diebus Mercurii; eo, quod in his abstinetur a carnibus. Si festum incidat in diem Iovis,

<sup>68</sup> Qua de re vide supra, adn. 36.

transfertur recreatio in diem Martis, nec omittitur propter festum, eo quod et magistri et discipuli non minus occupantur diebus festis, quam profestis. Nam diebus festis habent suas exhortationes in classibus, vel lectiones sacras; et post prandium repetitiones. Praeterea intersunt mane sacro, alicubi solemnibus, et concioni (ut hic Calissii) et laudibus vespertinis. Quare non sentiunt se levare diebus festis. Ideoque nihilominus indigent recreatione aliqua in hebdomada. Caeterae quoque vacationes mutantur fere per provincias. Ideoque possent constitui in congregationibus provincialibus.

De promotionibus – Bonum esset, prius promoveri eos ad gradus, qui docturi sunt ordinarie aut theologiam aut philosophiam. Sic enim et illis pararetur maior auctoritas et ipsi excitarentur magis. Quamquam cum iunioribus id forte fieri posset postquam perlegissent primum cursum, ut animarentur ad secundum legendum. Porro, non minus interesse existimo, ut observetur ordo in promotionibus nostrorum ad audiendam vel philosophiam vel theologiam. Contingit enim interdum, ut statim post primi anni novitium aliqui iuvenuli mittantur ad cursum, forte aliquorum patrum favoribus et commendationibus, qui potuissent utilius exerceri in humanioribus vel discendo vel docendo. Similiter ad theologiam audiendam statim audito cursu philosophico aliqui sunt missi. Et tales postea ad docendum in scholis inferioribus non se facile demittunt. Ad superiora autem non semper sunt apti, aut certe laborem fugiunt, satis habentes, quod absolverunt sua studia, nec sunt assueti laboribus scholasticis. Quare videretur et hoc constituendum, ut post novitium nostri docerent prius aliquamdiu in classibus grammaticis; et post philosophiam auditam in humanitate et rhetorica. Sic enim essent magistri idonei. Nunc vero contingit, in classibus inferioribus haberi saepe debiles magistros, et qui facile succumberent externis; nec semper satisfaciunt suis auditoribus.

Alfonsus Pisa S.I.

Pag. 101 – Sicubi dictandum fuerit, tribus horae quadrantibus dictetur etc. – Parum aut nihil videtur esse discriminis, si ita legatur, ut excipi possit ab auditoribus, qui non sint tardissimi, aut si dictetur interposita explicatione. Quare in his consuetudines servari possent variae in variis locis. In universum autem dictandum videtur simplicioribus auditoribus a debilioribus magistris; capacioribus auditoribus possunt non dictare.

Pag. 120 – Sacramenta confirmationis, ordinis, extremae unctionis tractentur prout vacaverit etc. – Videtur potius aliis materiis detrahendum, quam lectionibus istorum sacramentorum. Miror, quod ibi dicitur, «cum et faciliora sint, et habeatur in promptu, unde peti possint». Ego nusquam maiorem difficultatem expertus sum, quam in sacramento confirmationis et ordinis. Facile quidem est explicare, quae habet Magister et S. Thomas. Sed supplere, quae illi non tractarunt prout postulant haec tempora, difficillimum est. Ordo fere tantum habet tractationis, quod plura sacramenta simul; siquidem plures ordines, quodammodo plura sunt sacramenta. Quale est asserere ordines esse sacramenta divinitus instituta, et res divinitus institutas praeterire aut leviter tractare? Haec sunt plena nostri temporis controversiis et diversis catholicorum opinionibus, quae ut concilientur, multa opus est industria, labore et iudicio. Dabo exemplum. Scriptura et patres ante S. Thomam, et aliqui scholastici post ipsum, et scribentes adversus haereses, et ritus aliorum temporum et aliarum ecclesiarum totam fere ordinis substantiam collocant in manus impositione. S. Thomas et concilium florentinum in traditione instrumentorum. Nec tamen dicunt, esse duas materias, sed omnes commemorati unam tantum designant. Quare contra communem et receptam sententiam est statuere plures materias; contra eandem est



dicere, Ecclesiam mutasse materiam, quia non fuerit a Christo tradita; concilium tridentinum longe aliud sonat, quam florentinum. Traditio et Scriptura sunt pro manus impositione, pro concilio florentino et S. Thoma decisio Eugenii IV et praecepta Societatis. Haec non possunt componi ita, ut satis fiat et commode defendantur sine magno sudore. Turrianus noster<sup>69</sup> duos libros edidit de solis hierarchicis ordinationibus. Simile quid fecit Michael Medina<sup>70</sup> et Espencus<sup>71</sup>. Et hic liber asserit, praeteriri posse sacramenta haec, ad quae tot pertinent controversiae, tot casus conscientiae, tot quaestiones scholasticae. Forte in pace aliarum provinciarum id fieri poterit, in nostro septentrione opus est, ut fusissime, doctissime et clarissime tractentur. Nam et maior pars decretorum Gratiani cum sua glossa tractat de sacramento ordinis . . . [289v] . . .

Conclusio — Cum haec scripsissem, occurrit, quod circa supradicta de studio theologico [290r] proposueram<sup>72</sup>, ut pro septentrionalibus provinciis non legeretur S. Thomas, sed aut patres conficerent novam summam theologiae, aut legerentur 4 libri de orthodoxa fide S. Ioannis Damasceni, aut methodice colligeretur doctrina S. Augustini, nisi videatur sufficere Confessio Augustiniana iam ante aliquot annos edita per Patrem Torrensem<sup>73</sup>. Hoc ultimum magis placebat quibusdam patribus, et mihi occurrit ratio, quod Iovanienses laudatissimi theologi non videntur sequi alium doctorem, nisi S. Augustinum, ut ex libris, qui ab eis eduntur, licet colligere, ut a Tiletano<sup>74</sup>, Hesselio<sup>75</sup> etc.

### 13

#### IUDICIA PATRUM, IN PROVINCIIIS S.I. DEPUTATORUM, DE RATIONIS STUDIORUM (1586) TRACTATU, QUI INSCRIBITUR: «DE CONTROVERSIIS PRAELEGENDIS»<sup>1</sup>

##### ASSISTENTIA ITALIAE

##### Professores Collegii Romani

Circa § primum – De retinenda lectione Romae pro ultramontanis, videtur omnibus illud esse statuendum, ut ubicunque sunt duae lectiones scholasticae, lectio controversiarum distincta non introducat; ubi vero iam introducta est, potius tollenda videretur. Cuius rei rationes dabuntur seorsum R.N.P. Generali<sup>2</sup>. Huius lectionis auditores, etsi plerumque debeant esse transalpini, non tamen ab hac excludentur alii aliarum nationum studiosi, iudicio superiorum deligendi; cum saepissime ex aliis nationibus praeceptores eligantur, qui hanc scholam praelegant, aut qui mittantur ad partes transalpinas, ubi necessario sit illis interdum cum fidei hostibus de hisce rebus fortiter dimicandum; tum quod etiam nostris saepe sit in Italia, Hispania etc. cum haereticis tractandum. PP. Parra [*Stud.* 3, f. 40r] et

<sup>69</sup> Franciscus TORRES S.I., *De hierarchicis ordinationibus ministrorum Ecclesiae catholicae* (Dillingae 1569); cf. SOMMERVOGEL VIII 113-26.

<sup>70</sup> M. Medina OFM (1489-1578), hispanus; cf. *Encicl. Catt.* VIII 599.

<sup>71</sup> Claudius Espence (1511-1571), gallus theologus; cf. *Encicl. Catt.* V 599-600.

<sup>72</sup> Vide supra, mon. 10, (P. Pisa)

<sup>73</sup> Vide supra, mon. 10 adn. 201.

<sup>74</sup> Iodocus Tiletanus (Van Ravesteyn – 1506-1570), flander theologus; cf. *Biogr. Belg.* XVIII 802-06.

<sup>75</sup> Ioannes Hessels (1522-1566), flander theologus; cf. *Biogr. Belg.* IX 320-22.

<sup>1</sup> Textum huius capitis vide in MP V 85-88.

<sup>2</sup> Quod scriptum, sicubi lateat, reperire non valuimus.

Bellarminius censent, nihil de aliis nationibus a transalpinis esse statuendum. Divisio autem in scholasticos et casuum auditores probatur omnibus. Illud vero nemini placet, ultramontanos scholasticos audire controversias tantum biennio. Quae dicuntur de conditionibus eorum, qui sunt eligendi ad 2.m ordinem, non videntur in hoc studiorum ordine collocanda; tametsi tres, videlicet P. Rector [B. Sardi], Bellarminius, Augustinus [Giustiniani] iudicent, id non debere poni in regulis, sed optimam esse pro superioribus animadversionem. Quod statuunt patres, debere casuum auditores suum curriculum conficere quadriennio, ut eodem quadriennio controversias et Scripturam audiant – non placet, sed ad id videtur satis esse biennium, tum quia id grave collegiis esset, tum quia non sunt descensuri unquam in certamen cum haereticis, cum id sit theologorum proprium.

Circa 2.m – De germanorum concionibus – Non videtur esse huius loci, neque pertinere ad studiorum ordinem. Adde, quod et molestum et parum utile studiosis esset. P. Parrae et Bellarminio, ut iacent, omnia placent.

Circa 3.m – De nimio cantu germanorum – Non videtur spectare ad hunc locum, nec ad ordinem studiorum, etsi adhibenda esset aliqua hac in re moderatio. P. Parrae summo placent omnia.

Circa 4.m – De ordine lectionum, ratione controversiarum, si tollatur controversiarum lectio, Scriptura facilius praelegatur prima hora matutina. In reliquis ordo, qui nunc servatur in Collegio Romano, retinendus esse videtur; scilicet, ut mane prima hora legantur controversiae, 2.a hora scholastica, eademque hora casus; ultima vero dimidia hora habebitur lectio hebraea. Tempore pomeridiano, post primam dimidiam horam casus et theologia; ultima vero hora lectio Scripturae.

Circa 5.m – De tempore et modo curriculum controversiarum – Non videtur sufficere quadriennium, sed plus minus videtur requiri octennium, ut cum fructu pertractari possint. Reliqua vero, quae circa modum praelegendi dicuntur, videntur aliqua ex parte relinquenda lectorum prudentiae. P. Parrae tamen placet, omnia illa definiri.

Circa 6.m – De controversiarum disputationibus – Non probantur huiusmodi disputationes; tum quia hoc exercitium est valde periculosum, ne assuescant defendere haeresim, vel veritatem impugnare. Et experientia compertum est Romae, non fuisse utilem huiusmodi exercitationem, immo difficillimam; tum quia fere semper disputantes digrediuntur ad disputationes scholasticas, cum nesciant urgere locis Scripturae vel patrum, vel argumenta haereticorum impugnare ex propriis.

De repetitione domestica, quod dicitur, semel in hebdomada facienda – Placet omnibus, excepto P. Rectore et Parra, quibus videtur nunquam faciendas esse repetitiones, quia semel repetere, parum utilitatis adfert huic materiae, detrimenti vero quamplurimum aliis repetitionibus. De praeside repetitionum harum, si essent faciendae disputationes et repetitiones, probaretur quod dicunt patres, sed propter solas repetitiones, sicuti censemus esse faciendas, videtur sufficere praefectus studiorum collegii, ubi fiunt. Quod autem animadvertitur de scholaribus, videtur superioribus relinquendum.

Circa 7.m – De praelegenda scholastica in regionibus ultramontanis – Idem dicendum videtur, quod dictum est de tempore, quo explicanda est theologia scholastica. De controversiis vero, ubi non praeleguntur, introducendis, idem censemus faciendum in Germania, [41r] quod initio huius capituli censuimus ubique faciendum; videlicet, non esse introducendas, ubi non sunt; et ubi sunt, data occasione tollendas. De tertia controversiarum lectione audienda cum quarta Scripturae, videtur nobis, id fore et detrimento valetudinis et studiorum; et ideo etiam si esset distincta lectio controversiarum, non esset definiendum, ut omnes quatuor lectiones audiant. Quod ad id, quod dicitur de modo praelegendi scholasti-

cam et controversias, ubi non est distincta controversiarum lectio, illud tantum videtur statuendum, ut in transalpinis regionibus exacte legantur controversiae a scholasticis, ubi occurrunt, secundum ordinem D. Thomae.

Circa 8.m – De collegio pragensi, quia est res particularis, non videtur inserenda universali studiorum ordini.

#### Provincia Mediolanensis

Ubi controversiarum lectio propria non est, tractari debent in scholastica plenius vel minus plene pro regionum necessitate; ita tamen, ut scholasticae quaestiones exacte tractentur, non obiter. Hoc enim mirifice theologiam debilitat, et nervos disputationum elidit. Undecum haereticis non ita tuto et graviter pugnatur ab eo, qui scholasticis subtilitatibus non assuevit. [*Stud.* 3, f. 151r]

#### Provincia Neapolitana

Circa modum legendi controversias quatuor patribus videntur multa relinquenda lectorum prudentiae, ut verbi gratia illud, ut sit contentus duobus vel tribus Scripturae locis, cum plerumque expediat, afferre quam plurima testimonia, si modo ad rem faciant, et rei gravitas postulet. Patri Rectori [Spinelli] probatur ut iacet.

Tribus patribus placet omni ex parte, patribus tamen Maiorio et Iustiniano repetitio illa unica in hebdomada videtur inutilis, et incommodare aliis repetitionibus; et fortasse etiam non-nihil periculosa; necesse enim esset assuescere aliquos disputare contra fidem. [*Stud.* 3, f. 100r]

#### Provincia Sicula

*De controversiis praelegendis* — Quae in his duobus capitibus decernuntur, approbata sunt communi patrum consensu. [*Stud.* 2, f. 35r]

### ASSISTENTIA HISPANIAE

#### Provincia Aragoniae

De § 1 – Audire quidem controversias et Scripturas totumque in his studium incumbere sine theologiae scholasticae firmamentis, res est exposita magnis erroribus. Qua de causa permultum interesset, hosce positivos, de quibus hic sermo est, minimum duobus annis audire theologiam scholasticam. [*Stud.* 2, f. 236v]

#### Provincia Toletana

Pag. 152 – Quae de illis duobus ordinibus dicuntur et eorum divisione, et de lectionibus, quas debent audire, videndum est, an commode exerceri possint in omnibus nationibus, et ne diversitate nominum notae inter nostros auditores occasio detur, et offensio aliqua fiat, quod hi ad hunc ordinem, non ad alium ordinem eligantur; cum praesertim secundum librum «ad secundum ordinem non sint alligandi, nisi qui praestent ingenio plus quam mediocri» etc.

Pag. 154 – «At si quando vis est in verbis, pauca illa verba allegentur potius per infinitivum modum» – Hoc explicatione indiget. Nam quid verbis illis significetur, non facile est intelligere. [Madrid, Bibl. Acad.]

## Ioannes Mariana S.I.

Pag. 152 – Istos positivos et scholasticos theologos non satis intelligo. Providendum potius, ne diversitate nominum notae inter nostros auditores occasio detur.

Pag. 154 – Allegentur potius per infinitivum modum etc. – Hoc non intelligo; certe alii non intelligent. [*Gall.* 62, f. 20]

## ASSISTENTIA GERMANIAE

## Provincia Austriae

№ 5 – Cum et in scholasticis et casibus certo ordine materiae distributae sint, petatum est, ut simili forma controversiae digerantur, ut singulis annis certum habeat professor, quod docere oporteat.

№ 6 – Expedire videtur, ut sicut Romae, ita et in regionibus ultramontanis, ubi lectio controversiarum instituitur, habeatur semel singulis septimanis repetitio de auditis controversiis, relicta eo die scholastica repetitione. [*Stud.* 3, f. 270r]

## Provincia Germaniae Superioris

Num. 1 – Satius erit, ut auditores illi scholastici praeter lectiones scholasticas audiant uno anno Scripturam, et altero controversias, et duobus reliquis casus conscientiae; cum facilius videantur posse per se consequi, quae ad exactiorem Scripturae et controversiarum cognitionem pertinent, [*Stud.* 3, f. 206v] postquam unum annum in utroque studio posuerint; et alioqui verendum sit, ne cognitionem casuum, tantopere necessariam, assueti subtilioribus speculationibus, perpetuo fastidiant.

Num. 3 – Sane, necessarium erit, ut alumni Collegii Germanici (quemadmodum hic notatur) multum de studio canendi et eiusmodi occupationibus alienis detrahant, ac in studium theologicum diligentius quam hactenus fecisse videntur, incumbant. Negari enim non potest, quin tales plerumque ex illo Collegio redeant, ut in doctrinae solidae cognitione longe superentur ab his, qui in his locis ultramontanis operam theologiae dederunt; et quos illi (quia scilicet non viderunt Italiam) molestissimo quodam fastu atque supercilio contemnunt.

Num. 5 – Possent interdum cum delectu ipsa etiam verba haereticorum citari, si videlicet paucula sint et eiusmodi, ut auditoribus odium potius erga haereticos concitatura, quam scandalum aliquam allatura videantur. Loci autem haereticorum vel auctores certe, qui errores illorum commemorant, semper sunt fideliter citandi.

Ibidem – Usus quotidianus docet, pude fieri non parum haereticos, cum ostenditur, quemadmodum a se ipsi et inter se dissentiant; nec id illi semper fatentur. Quare breviter est hoc etiam faciendum.

Num. 6 – Optandum est, ut nostri, qui ex transalpinis locis Romam mittuntur, maiore saltem temporis parte, quoad fieri possit, in ipso Collegio Romano maneant; quandoquidem fere mittuntur non tantum studiorum, sed etiam disciplinae Societatis penitus cognoscendae causa.

Num. 7 – Supra circa cap. 1 de theologia scholastica notavimus<sup>3</sup>, expedire potius in locis transalpinis, ut una cum scholastica theologia explicentur casus et controversiae a tribus scholasticae professoribus. Tunc vero, ut auditores magis in controversiarum cognitione exercerentur, singulis septimanis semel esset instituenda repetitio de solis controversiis,

<sup>3</sup> Vide supra, mon. 12 (Prov. Germ. Sup.).

relicta eo die repetitione scholastica, ad eum modum, quo hic num. 6. dicitur id Romae faciendum esse in transalpinorum collegiis. Minime vero placet, quod praeterea in illo num. 7 additur, accommodatum esse his temporibus, ut si duo tantum sint in transalpinis collegiis scholasticae theologiae professores, contenti sint S. Thomae conclusionibus cum paucis probationibus etc. Id enim maxime his locis et temporibus accommodatum est, quod maxime valet ad muniendam et defendendam fidem, quae nunc maxime ab haereticis impugnatur. Ad hoc autem valet imprimis accurata tractatio scholasticae theologiae; siquidem huius scientiae munus proprium est, fidem saluberrimam (ut D. Augustinus loquitur) gignere, nutrire, defendere et roborare. Quare, si in Italia et Hispania propterea quod ibi possint haereses esse, non frustra, sed valde utiliter ad eum finem, nempe ad defendendam fidem, accurata tractatio quaestionum scholasticarum suscipitur; multo certe utilius ad finem eundem in transalpinis locis suscipietur, ubi haereses non modo possint esse, sed iam sunt. Videtur itaque in his etiam locis theologia scholastica, etiam ubi duo tantum professores sunt, non minori diligentia, quam ipsae per se controversiae tractandae. Nam (quod attente cogitandum est) etiam controversiae tum vel maxime docentur et tractantur, cum docentur auditores ipsas per se controversias sine magistro posse expedire et tractare, id quod scholasticarum theologiae cognitione consequuntur. Et certe hoc tempore vix ulla re magis opinionem apud suos detrahi haereticis videmus, quam cum argumentis vere theologicis in fidei quaestionibus vexantur et confunduntur. Nam quod ad nuda testimonia attinet, ipsi etiam legunt non indiligenter et Scripturas et patres; quorum sententias (ut etiam Scripturae divinae) tandem praesidiis scholasticae theologiae ab illorum corruptelis vindicare oportet. Quo fit, ut haeretici etiam, quasi coacti, tandem scholasticae theologiae rationem in suis disputationibus affectare incipiant. Nec sane transalpinis ingeniis facultas ad scholasticam theologiam capessendam deest, nisi quod eis, nescio quo pacto, quaedam desperatio iniicitur, dum toties praeiudicatam aliorum de ipsis opinionem contrariam audiunt. Inde fortasse conceptam, quod celeritate illa ac promptitudine italica deterrii Romae transalpini, (ut sunt mansuetiori natura) impares aliis nationibus in concertatione literaria videntur. Aliorum autem, qui ingenia transalpinorum in eorum patria et suo tanquam modo tractant, longe aliud de ipsis iudicium est. Unde enim praecipuos scholasticae atque subtilioris illius theologiae autores, nisi ex transalpinis locis habemus? Sed haec tantum obiter attingere per occasionem in hoc loco visum est, ut si fieri possit, minuatur in Societate haec opinio, quae de omittenda professione reconditionis theologiae in locis transalpinis, non iuste sane, et cum magno etiam rei catholicae incommodo, a plerisque concepta est.

Ibidem – Si in aliqua academia transalpina, ubi nostri audiunt, Scripturae lectionem profiteatur externus (ut Ingolstadii fit)<sup>4</sup>, cum in his locis minime sane expediat externum professorem a nostris audiri (parum enim accurate ac raro tales docent, ut alia incommoda praetereamus), oportebit domi pro nostris fratribus privatim Scripturae professorem instituere; qualis aliquando fuit Ingolstadii. Posset autem is bis aut ad summum ter in hebdomada docere.

Num. 8 – Videndum est, utrum non exactior studiorum ratio posset institui in illo collegio pragensi<sup>5</sup>, ut ex eo loco maior fructus capiatur in toto illo regno Bohemiae.

<sup>4</sup> Vide Karl HENGST, *Jesuiten an Universitäten und Jesuitenuniversitäten* (Paderborn 1981) 86-99: *Das Problem der Eingliederung von Jesuiten in die bayerische Landesuniversität Ingolstadt*.

<sup>5</sup> De statu studiorum collegii pragensis hoc tempore cf. KROESS, *Geschichte der böhmischen Provinz der Gesellschaft Jesu I* (Wien 1910) 471-503.

### Provincia Rhenana

§ 5<sup>o</sup> – Videretur, haereticorum aliquando crassiora mendacia, impudentiora scommata, exaggerationes, antilogias et dissentiones proponendas, eorum verbis etiam quandoque positis, quae ob auditorum scilicet oculos eorum fraudes et ineptias magis constituent. His enim modis illos quidem pudefieri magis ac perturbari experimur (unde et concordias subinde cudunt et recidunt), catholicos vero magis magisque in dies confirmari et illos execrari.

§ 7<sup>o</sup> – Quod aliae scholae tempus habeant, idem omnino theologica etiam habere potest; hoc scilicet modo: duae horae scholasticae theologiae tribuantur, una Scripturae, et quidem toto quadriennio; una controversiis et casibus, alternis tamen; media reliqua linguae sanctae. Sed anni principio praeceptores in legendo auditores exercere oportet, nisi forte ii legere iam in humanitatis classibus didicissent, ut est in Constitutionum parte quarta cap. 13 litera B<sup>6</sup>.

Quia vero etiam in Germania valetudini officere compertum est, tot uno eodemque die lectionum auditionem, superioris fuerit dispicere, quinam ex nostris quatuor lectiones audire possint. [*Stud. 3, f. 246v*]

### Provincia Aquitaniae

Pag. 154 – *Haereticorum verba* . . . Haereticorum verba et praesertim haeresiarcharum, in regionibus, ubi vigent haeresiae, si pauca sint et impietatem illorum maxime prodant, interdum referenda videntur, quoniam alioqui solent haeretici cum quibus disputant catholici, qui non habent facultatem legendi libros haereticorum, impudenter negare huiusmodi esse sententias suorum principum, sed haec illis imponi a catholicis. Idemque iudicium est de exaggerationibus, quae ad illorum impietatem patefaciendam plurimum valent. Itaque aliquid in hoc genere relinquendum est iudicio et prudentiae doctoris pro loco et tempore.

Pag. 154 – *Tertio sit contentus duobus* . . . Imo, non debet esse, qui ex instituto tractat controversias, esse contentus duobus vel tribus Scripturae locis, etiam manifestis; sed expedit, ut omnes loci, saltem manifesti afferantur. Qui loci aliquando sunt in tanto numero, ut valde utile sit futurum et operae precium, illos in varias classes distribuere, ut cum agitur de libero arbitrio, de iustificatione, an Deus sit auctor peccatorum; ut hac ratione haeretici et pondere et multitudine locorum Scripturae obruantur. Nam saepenumero accidit, ut in tanta locorum multitudine omnes ita sint aperti et clari, ut nesciat, quem potissimum afferre debeat. Deinde, quia haeretici omne genus probationum contemnunt, nisi illud quod ex Scriptura affertur.

Pag. 154 – *Septimo, si quando dissentiant* . . . Quando principes eiusdem sectae dissentiant inter se, vel unus et idem haeresiarcha a seipso, non videtur hoc praetermittendum, quia nullum videtur posse efficacius inveniri medium ad convincendos et confundendos sectarios illius, et denique ad commonstrandam et coarguendam falsitatem doctrinae eiusdem.

Pag. 160 numero primo – Si constituentur tres lectores scholasticae in primariis collegiis, vel si, ubi sunt duo lectores scholasticae et unus lector casuum, hic convertatur in scholasticum, ut dictum est superius, nullus praeterea videtur constituendus lector casuum. [*Stud. 3, f. 378v*]

<sup>6</sup> Vide MP I 289 291.

Pag. 160 numero 2 – *De magia etc.* – Imo vero propter tempora, in quibus versamur, quia adeo vigent tot magi, schismatici, haeretici et bella, expedit, ut his de rebus satis accurate disputetur a lectoribus casuum conscientiae.

Pag. 163 numero 5 – *Ita vero materias audiendas . . .* Haec confusio non probatur, nec videtur inducenda; neque item divisio scholasticorum.

Pag. 164 numero 7 – *Lectione peracta, fiat repetitio* – Fiat sane, si modo praeceptor non doceat per sesquihoram; nam alioqui manendum esset illi in classe per duas horas.

### Provincia Franciae

Circa titulum «*De controversiis praelegendis*» haec observata sunt — 1<sup>o</sup> – Omnes censuerunt, huic titulo, uti et duobus sequentibus, praefigendum esse cap. 11 12 et 13, ubi sunt tantum capita quaedam tractatus de theologia, et non tituli diversi. (Pag. 152 n. 1<sup>o</sup> lin 1). Iudicarunt omnes (unum excipio), nullam faciendam esse mentionem Collegii Romani, ut hic fit, aut alterius collegii in particulari, ut fit infra (pag. 156 n. 8) collegii pragensis. Quia, cum ratio studiorum debeat esse generalis pro tota Societate, non decet eam ad particularia collegia descendere, sed faciendam esse aliam rationem studiorum accommodatam mediocribus collegiis omnibus. Nihilominus alicui non displicuit, mentionem fieri quorundam collegiorum in particulari in ipsa generali ratione studiorum, ne forte venientes ad illa collegia, si videant non servari, quae praecipuntur in generali ratione studiorum, offendantur, nescientes illa esse excepta. Quod fieri potest facile, si hic nulla fiat illorum mentio.

2<sup>o</sup> – (Pag. 152 n. 1<sup>o</sup> lin. 3 4 et 5). Maior pars putavit sufficere auditoribus Scripturae, casuum conscientiae, ac controversiarum biennium, aut ad summum triennium ad audiendum; et nimium esse quadriennium, cum non sint futuri adeo perfecti theologi. Duobus nihilominus [*Stud. 3, f. 350v*] visum est, recte concedi quadriennium, nec quidpiam immutandum, etiamsi non dictetur.

3<sup>o</sup> – (Pagina eadem n. 1<sup>o</sup> lin. 8), ubi dicitur «nihil de casibus, nisi qui audiunt in theologia», visum est omnibus, hoc minime convenire, ut ullus sit ex nostris sacerdotibus aut theologis, qui non audiat casus, nisi illos duntaxat, quos audit a scholasticis, qui perpauci erunt aut nulli prorsus, ubi est unus aut duo lectores casuum praeter scholasticos. Praesertim cum Constitutiones nostrae tantopere studium atque peritiam casuum conscientiae commendent atque inculcent<sup>7</sup>, ut nihil fere magis aut frequentius; et illorum cognitio sit omni hominum generi, et nostris maxime, admodum necessaria et utilissima. Quid, quod hoc parum consentit cum iis, quae in hac ipsa ratione studiorum capite 2<sup>o</sup> pag. 90 n. 3<sup>o</sup> versus finem habentur<sup>8</sup>, ubi iubentur auditores theologiae haec a professore casuum audire, et additur (quod verum est), multa esse, quae absque harum rerum scientia nec tuto, nec commode transigi possunt. Quare iudicarunt omnes, nostros theologiae auditores debere ubique audire casus conscientiae, et potius Scripturae lectionem aut controversiarum, si quae praetermittenda sit, quam casuum conscientiae debere praetermittere, quos nostros ignorare minime decet.

4<sup>o</sup> – (Pagina eadem lin. 14 et 15). Omnes iudicarunt, verba illa praetermittenda esse «nec elatiore animo, qui superbiant postmodum et nostris adversentur apud episcopos, ut sese in eorum gratiam insinuent». Pari modo, quod dicitur (eadem pagina, n. 3<sup>o</sup>) «de cantu Collegii Germanici moderando», licet omnibus placuit et idem fieri cuperent ubique in tota

<sup>7</sup> Cf. *Const. P. IV c. 5 litt D* (v. MP I 221); et c. 8 § 4 (in *MI Const. III 133*).

<sup>8</sup> Vide MP V 53.

Societate. Tamen iudicarunt, non spectare ad rationem studiorum, sed ad munus et gubernationem P.N. Generalis et provincialium in suis provinciis. Et proinde esse hoc loco praetermittendum. Item, quod habetur (pag. 153 n. 3<sup>o</sup> lin. 13) «nisi sub Natalem Domini», visum est, loco horum verborum ponendum «nisi sub noctem Natalis Domini», ne forte extendant ad omnes dies festos natalitios.

Ad haec, quae habentur (eadem pagina n. 4<sup>o</sup>) «de ordine lectionum Collegii Romani», videntur non spectare ad generalem rationem studiorum, et proinde praetermittenda. [351r]

3<sup>o</sup> – (Pagina 154 lin. 4 n. 5<sup>o</sup>). Visum est omnibus, praescribendum esse atque determinandum, quid et quantum legetur quotannis ex quadriennio in controversiis, uti supra factum est in scholastica, ne si id permittatur professori, res protrahatur in longum et non absolvat omnes quadriennio. Item ibidem (lin. 5 et sequentibus), ubi traditur modus explicandi seu praelegendi controversias, visum est quibusdam, primo explicandam atque confirmandam esse fidem seu veritatem catholicam; deinde recensendas haereses et confutandas. At pluribus visum est, recte se habere in libro, et 1<sup>o</sup> recensendas haereses, deinde ponendam fidem catholicam et stabiliendam. (Pagina eadem lin. 14 et 15 n. 5<sup>o</sup>), ubi dicitur «3<sup>o</sup> sit contentus duobus vel tribus Scripturae locis valde manifestis», iudicarunt omnes, adferenda esse omnia illustria Scripturae Sacrae testimonia, neque sufficere debere tria, cum haeretici maxime provocent ad Scripturas. Quare illustria omnia testimonia sunt producenda, ut eorum veluti multitudine non premantur modo haeretici, sed opprimantur etiam.

4<sup>o</sup> – (Pag. 154 lin. 30 et pag. 155 lin. 1), ubi dicitur «quarum catalogus conficiatur in Germania», placuit omnibus addi haec verba «et sicubi novae nascuntur»; quia non solum in Germania, verum etiam in Gallia, Anglia, Polonia et aliis in locis novae haereses nascuntur. (Eadem quoque pagina 155 lin. 13 n. 6) Post illa verba «habeant ultramontani», visum est omnibus addendum «qui Romae sunt», ne de aliis etiam absentibus et in suis provinciis degentibus intelligatur, et ad illos extendatur. (Eadem etiam pagina lin. 24 25 et 26 n. 6) Visum est omnibus, praetermittendum illud, quod dicitur de ultramontanis omnibus, qui Romae agunt, ad Collegium Germanicum aut Anglicanum mittendis. Hoc enim non spectat ad rationem studiorum, sed ad rationem gubernationis superiorum, et ad P.N. Generalem. Neque forte semper expediet id facere.

7<sup>o</sup> – (Pag. 156 n. 7 lin. 1 2 3 et sequentibus aliquot), in quibus agitur de numero professorum in theologia, qui esse debent in variis collegiis, visum est omnibus, in magnis collegiis et provincialium seminariis oportere esse quinque, si fieri possit. Duos scholasticos, Scripturae interpretem, professorem controversiarum et lectorem casuum conscientiae unum. Quod si tot esse nequeunt, sint saltem quatuor, scilicet scholastici duo, interpretes Scripturae et professor casuum conscientiae; et tunc vel duo scholastici explicent controversias iuxta ordinem D. Thomae, ut plerisque visum est, aut dividantur inter duos scholasticos et Scripturae interpretem, qui vel illas alternatim cum Scriptura explicet, ut alicui placuit, aut tractet, ubi sese offeret occasio, pro commoditate sua, ut alteri visum est. (Eadem quoque pagina et numero, versus finem) Visum est omnibus, nimis ieunus et arctus ille modus tradendi scholasticam theologiam, qui ibidem praescribitur pro ultramontanis. Praestaret namque omnino scholasticam non docere, quam adeo ieune docere.

8<sup>o</sup> – (Pag. 157 lin. 3) Cuidam visum est, faciendam esse mentionem catechismi P. Emondi Augerii<sup>9</sup>, eumque in Gallia praelegendum esse; quod sit accommodatior Galliae,

<sup>9</sup> Edmundus Auger S.I. (1530-1591), gallus; de eius catechismo in Gallia adhibendo vide MP IV 287-88.



et recenseat haereses Calvini et aliorum haeticorum Galliae. Pluribus tamen visum est, etiam in Gallia retinendum esse catechismum P. Canisii<sup>10</sup>, ubi latine docetur catechismus; P. vero Emondi catechismum gallice in classibus, in quibus docetur catechismus gallice. Uni etiam visum est, nullam prorsus faciendam mentionem catechismi P. Canisii, aut etiam addendum esse «vel alterius magis accommodati, qui proponetur». Quod fieri possit, ut aliquis alius pater Societatis, temporis decursu, scribat catechismum magis temporari accommodatum, quam sit vel P. Canisii aut etiam P. Emondi Augerii.

### Provincia Poloniae

Quod initio § 1 dicitur, retinendam esse hanc lectionem pro ultramontanis Romae, et § 4 alios non admittendos praeter paucos etc., visum est laxandum magis. Nam et itali et hispani plures controversiis deberent incumbere. Tum quia Ecclesia, quae oppugnatur, communis est parens omnium, unde et defensio communis. Tum quia plures apti desiderantur, qui contra haereses scribant. Id vero tales, si exercitati essent in hoc genere, facilius praestarent ob ingenia faciliora, quam nonnulli ultramontani. Sine controversiarum autem cognitione aliqui ex illis partibus, si non nostri, alii saltem satis ieiune et imperite id tentarunt, cum haeticorum opiniones nunquam calluerint.

§ 5 (pag. 154) – Visum est, minus commodam hic praescribi rationem tractandarum controversiarum, dum catholica solis duobus aut tribus locis Scripturae confirmanda docetur, rationibus item paucissimis; decreta vero ecclesiastica afferenda et patres non nisi per infinitivos etc. Nam decreta parvi faciunt haetici; patres, nisi ipsa verba eorum afferantur, centones iudicantur. Contra, Scripturis maxime congestis et rationibus pugnant. Multum vero confunduntur contradictionibus aliquibus insignioribus suorum, prudentiores maxime et cordatiores ex illis. Itaque [*Stud.* 2, f.157v] visum est expedire, ut Scripturae adferantur, quae iudicio magno adhibito usui videantur futurae. Itidem de rationibus efficacibus iudicandum. Patres rarius quidem, sed ad verbum in sententiis illustrioribus citandos; decreta vix attingenda; contradictiones vero, maxime eorundem authorum, dum secum ipsi pugnant, non negligendas.

§ 7 – Quae de toto hoc paragrapho sententia sit provinciae huius, initio de theologia scholastica visum est<sup>11</sup>. Illud vero in primis nimis onerosum foret, quatuor lectionibus quotidianis, praeter haebraicam, nostros onerari. Valetudo etiam septentrionis id non ferret. Quod experientia nimium docet.

§ 8 (pag. 157) – In transalpinis omnibus collegiis, ubi nec philosophia nec theologia praelegitur, si vel seminaria habeant adiuncta, vel multos, qui ad sacerdotium instituuntur, quotidie vel controversiae vel casus alternatim legendi essent; idque hora ultima pomeridiana easdem ob causas, ob quas in ipsis esse universitatibus distinctum a theologis professorem horum ponendum supra visum est.

### Ioannes Balmesius S.I.

9<sup>o</sup> – Quorsum tot professores theologiae? Distribuantur duobus aut tribus materiae theologiae. Ex quarum tractatione solida habebit auditor, quod sufficit ad casus et controversias. Qui enim has et illos seorsim profitentur, coguntur multa repetere, quae ab aliis

<sup>10</sup> De variis Petri Canisii S.I. catechismis ad discipulos erudiendos conscriptis vide MP I-V 197 adn. 10 et passim.

<sup>11</sup> Vide supra, mon. 12 (Prov. Pol.).

auditores percipere. Sic tempus teritur, et tamen breve esse conquerimur. Haec si fiant, professoresque theologica tantum tractent, et auditores ancillares disciplinas teneant, [Stud. 2, f. 182v] quis dubitat, satis esse triennium et tres professores; quorum primus et omnium doctissimus esse debet, et merito, qui doceat Scripturam, secundus et tertius, aut si velis, quartus, singuli suas portiones. Nam de iis, quos superiores volunt solum delibare quaedam, dixi num. 7.

Ioannes Mariana S.I.

Pag. 160 — Graviore aliae incumbant disputationes etc. – Deleo vocem graviore.  
[Gall. 62, f. 20r]

Laurentius A. Fauteus S.I.

Retineatur haec lectio Romae pro ultramontanis. — Putarem utile, ut itali quoque et hispani, quoad etiam licet, controversiis incumbant. – 1<sup>o</sup> Ut, cum oportet, scribere adversus haereses possent. Quod [Stud. 2, f. 178r] forsitan, si exercitati essent, melius praestarent, quam nonnulli ultramontani, ob feliciora ingenia. Et hoc deceret, quoniam oppugnatio haeresum non unius provinciae, sed totius Ecclesiae debet esse communis. Est enim Ecclesia, quae impugnatur, communis omnium parens. Sine controversiarum vero cognitione cum multi itali, cum hispani satis ieiune et aliqui etiam imperite contra haereses scripserunt, cum haereticorum opiniones ne cal[li]uerint quidem umquam.

Ioannes Leopolitanus S.I.

Videndum censerem primo, an iam sit necessaria tam accurata singularum tractatio, postquam exit liber P. Bellarmini, qui omnes fere continebit<sup>12</sup>. – 2<sup>o</sup>, an in partibus septentrionalibus non sit melius earum tractationem coniungi cum theologiae lectionibus sive Scripturae. Nam tot lectionibus audiendis et scribendis pauci possunt sufficere. Deinde, quia separatim instituta lectio controversiarum, si non habet suas repetitiones, sicut et Scripturae, minus curari solet. – 3<sup>o</sup>, si sunt legendae controversiae ex professo, an expediat haberi aliquem librum, cuius doctrinae et methodo inhaereatur. Talis esset Concilium Tridentinum quoad doctrinam, canones et decreta. Nam hoc procedit fere per ordinem haeresum exortarum nostro tempore. Si quid deest, facile suppleri posset. [Stud. 3, f. 293r]

<sup>12</sup> R. Bellarmini S.I. liber *De controversiis christianae fidei*, anno 1586 Romae in lucem prodiiit; cf. de eo supra, mon. 10 adn. 207, et mon. 12 adn. 61.

IUDICIA PATRUM, IN PROVINCIIS S.I. DEPUTATORUM  
DE TRACTATU RATIONIS STUDIORUM (1586), QUI INSCRIBITUR:  
«DE CASIBUS CONSCIENTIAE»<sup>1</sup>

ASSISTENTIA ITALIAE

Professores Collegii Romani

Circa § 1 – De duobus casuum conscientiae professoribus in singulis collegiis – Omnia placent, praeter illud unum, ut auditores scholastici audiant unam casuum lectionem, et professores scholastici non legant materiam de iustitia et iure, sed relinquant professoribus casuum, iuxta illud quod statutum est de tempore legendi scholasticam<sup>2</sup>.

Circa 2.m – De partiendis materiis a casuum professoribus biennio – Divisio primi biennii videtur inaequalis, quia nimium est uno anno explicare omnia sacramenta. Quare vel tantum definiendum est, ut biennio absolvantur censurae et sacramenta, vel si dividendi sunt anni, censuris adiungenda sunt aliqua sacramenta, ut sacramenta in genere, baptismus etc.; altero vero anno poenitentiae et matrimonii sacramenta explicantur. P. Parrae omnia probantur ut iacent.

Circa 3.m – De hora et ordine praelegendi casus, deque eorum auditoribus – Videtur totus hic § delendus, quia in eo supponitur auditores theologiae debere audire casus, quod supra a nobis quibusdam rationibus fuit improbatum<sup>3</sup>; et quia commodius erit, si [*Stud. 3*, f. 41v] eadem hora legantur casus quam scholastica.

Circa 4.m – De modo praelegendi casus in collegiis primariis, et ubi tantum unus est casuum professor, et exiguus est auditorum numerus – Nihil videtur determinandum ex iis, quae hoc § continentur; tum quia nituntur illo principio, debere auditores theologiae audire casus; quod non probatur; tum quia tanta est varietas in collegiis circa lectiones casuum et Scripturae, ut nulla alia ratio certa praescribi posse videatur, quam ut accedant ad modum supradictum, ubi sunt duae casuum lectiones, quantum fieri potest iuxta superiorum prudentiam et lectionum, auditorumve numerum.

Circa 5.m – Si exiguus fuerit numerus auditorum casuum, ubi unus tantum hanc doctrinam profitetur, idem plane docendum videtur quod de superiori.

Circa 6.m – De modo praelegendi casus, ubi sunt duo casuum professores, tres patres, videlicet Parra, Bellarminius, Augustinus [Giustiniani] omnia approbant. PP. Rector [B. Sardi] et Soares censent, nihil esse praescribendum ex his omnibus.

Circa 7.m – De repetitione post lectiones per mediam horam in scholis facienda – Tres, videlicet P. Rector, Bellarminius, Augustinus censent quidem, habendas esse repetitiones per mediam horam vel per quadrantem; non tamen obligandum esse praeceptorem, ut sit praesens. Reliqui duo, PP. Parra et Soares idem censent dicendum, quod supra de theologis. De repetitionibus domi faciendis – Placet fieri repetitiones per horam praesente docto-

<sup>1</sup> Textum huius capituli vide in MP V 88-93.

<sup>2</sup> Vide supra, mon. 10, (Prof. Coll. Rom. in cap. I).

<sup>3</sup> Vide *ibidem*.

re. Reliqua videntur nimis minuta. Modus autem repetitionum videtur idem esse debere, qui supra statutus est theologis<sup>4</sup>.

Circa 8.m – De disputationibus quolibet die sabbathi habendis – Nulla ratione probatur disputationes statuendas esse in scholis casistarum. Nam vel erunt valde frigidae et ieiunae, si praescripto modo fieri debeant, et facillime [42r] molestiam afferent auditoribus; vel, si haec ratio servanda non esset, illud saltem inde sequeretur, quod inter argumentandum ad res scholasticas facile dilaberetur. Nec etiam videtur servari posse ordo ille a patribus praescriptus; ut videlicet casistae non legant scholasticos auctores aut textus canonicos, quibus possint suam in argumentando difficultatem proseguere et tueri. P. Parra omnia probat, ut iacent, excepto quod ei breve videtur tempus sesquihorae.

Circa 9.m – De collatione habenda in domibus et collegiis Societatis, ubi nulla est casuum lectio – Non probatur, ut omnes obligentur, sed ut aliqui in his materiis consummati vel ob gravem aliquam occupationem detenti possint a superioribus eximi. P. Rector ad haec addit: Ea non esse ponenda in ordine studiorum, cum habeantur in regulis provincialis<sup>5</sup>.

Circa 10 – De modo instituendarum huiusmodi collationum, ubi publica est casuum lectio – Non probatur, ut intersint sacerdotes, qui absolverunt curriculum casuum et sunt operarii in collegiis, repetitionibus scholarium, sed habeant ipsi propriam collationem inter se, ut in aliis collegiis.

Circa 11.m – De conditionibus et auctoritate praesidis harum collationum, deque ordine in illis servando – Nimium auctoritatis tribui videtur praesidi harum collationum, praesertim cum non discipulis praesideat, sed exercitatis et consummatis, et vix ullus reperiri possit, qui pro dignitate id muneris sustineat, et omnia illa praestare possit, quae hoc § continentur. Videtur etiam nimis molestum regulis discipulos illos astringere, qualis est definire certos respondentes. Sed videtur sufficere, ut praeses ex materiis hic designatis proponat [42v] aliquot casus, quos affigi curet loco solito, ita ut ad quodlibet respondendum singuli patres se praeparent. Praesidis vero erit exquirere sententias aliorum, repetitiones moderari et tandem res definire. Reliqua vero videntur illius iudicio et superiorum prudentiae relinquenda.

### Provincia Mediolanensis

Multa hic n<sup>o</sup> 1 et 3 dicuntur, quae apud nos locum non haberent, qui censemus scholasticis lectionem casuum non esse audiendam, ob rationes supra allatas cap. 1<sup>6</sup>.

Circa casuum lectionem, quae maximi momenti et cum praxim vitae humanae contineat, haec praeterea videntur nobis considerata: – 1. Ad casus explicandos eligantur magistri idonei; id est, qui iuditio, doctrina et rerum experientia polleant; non enim haec lectio est eiusmodi, ut cuilibet demandari possit, qui ad alias lectiones aptus non existimetur. – 2. Familiare textus canonici habeantur cum aliquo praecipuo interprete, ut Pannormitano<sup>7</sup> vel Archidiacono<sup>8</sup>; idem de bullis pontificum et concilio tridentino. Neque opus erit omnes legere doctores, sed optimi eligantur ex scholasticis, summistis, canonistis. – 3. Ita tractent casus, ut neque sint nimium ieiuni, neque tam exacti, ut scholastici; sed satis erit,

<sup>4</sup> Vide MP V 69 – cap. 5 *De repetitionibus*.

<sup>5</sup> Vide reg. 57 praepositi provincialis, et reg. 13-15 prov. in Rat. stud. (1599); *Institutum S.I.* III 79 et 159-60.

<sup>6</sup> Vide supra, mon. 10 (Prov. Mediol. in cap. I).

<sup>7</sup> Nicolaus de' Tedeschi (Abbas Panormitanus dictus – 1368-1445), sculus iuris peritus; cf. *Diz. Encicl. Ital.* VIII (1958) 337.

<sup>8</sup> Guido da Baisio (Archidiaconus dictus – 1246-1313), italus bononiensis, iuris peritus; cf. *Encicl. Catt.* VI 1289-90.

rem exponere cum aliquot praecipuis fundamentis, rationibus, autoribus, maxime cano-  
num. – 4. Servent scientificam methodum, ut prius tradant generalia, post particularia; et  
in his fundamenta seu principia, unde reliqua quasi conclusiones eliciantur. Expediret revo-  
care omnia ad quaedam capita, ut contractus, virtutes, vitia, praecepta, sacramenta. – 5. Lec-  
tor sit resolutus, clarus, brevis, et opiniones contrarias breviter et modeste confutet, et suum  
cuique opinioni momentum prudenter tribuat, sive teneatur, sive refutetur; quae tantum pro-  
babilis, quae omnino tenenda, quae reiicienda omnino, quae sine periculo sustineri potest. –  
6. Sicut non satis est circa universalia versari, cum haec materia practica sit, ita opus erit so-  
brie particularia tractare non iterando in exemplis eisdem omnino casus sola materia diffe-  
rentes, ut aliqui summistae faciunt. [*Stud.* 3, f. 151v] – 7. Si in omni doctrina unio in Societate  
curanda est, maxime in hac, quae cum sit practica, maiorem discordiam parere potest, ut ex-  
presse dicitur Tertia Parte c. primo § 18<sup>9</sup>. Quare videtur corpus aliquod huius doctrinae con-  
ficiendum in tota Societate<sup>10</sup>, in quo praecipua capita contineantur, in quibus omnes conve-  
niamus, et in quaque provincia colligenda, quae propria eorum locorum sunt circa contrac-  
tus et abusus, et unum aliquod statuendum, in quo convenient nostri.

### Provincia Neapolitana

§ 1 – Patri Rectori [Spinelli] perplacet, quatuor reliquis non item; supponit enim scho-  
lasticae auditores debere audire unam lectionem casuum quotidie. Quod supra ab ipsis  
reiectum est<sup>11</sup>.

§ 3 – Quod attinet ad horas, omnes sentiunt, rem integram relinquendam esse superio-  
rum iudicio, et auditorum et locorum commoditati. Caeterum, quia supponit auditores  
theologiae debere audire casus, iisdem quatuor patribus videtur supervacaneus.

§ 4 – Quod spectat ad ea collegia, in quibus unus tantum est professor casuum, et exi-  
guus numerus auditorum, iisdem quatuor patribus nihil videtur definiendum, quia omnia  
nituntur illi principio, theologos debere audire casus conscientiae. Pater Rector mallet  
omitti lectiones Scripturae, et retineri perpetuo casus absque alternatione.

§ 5 – Convenit inter omnes, non posse materias casuum usque eo in angustum deduci,  
ut biennio ab uno praeceptore unica tantum lectione quotidie omnes explicentur; ac ne to-  
to quidem triennio. Praestat enim accuratius pertractari; alioqui vix posse ab ingeniosissi-  
mis recte percipi.

§ 7 – Primum, omnes idem hoc loco sentiunt, quod dictum est supra de repetitionibus  
theologicis. Quod vero dicitur de repetitionibus die dominico faciendis, visum est omnibus, es-  
se supervacaneum, quia si quatuor repetitiones fiunt in hebdomada, nihil supererit repeten-  
dum. Deinde Patri Rectori et Patri Blasio [Mucante] loco repetitionum videntur introducendae  
conferentiae eo tempore, quo theologi suas habeant disputationes. Quod tamen reliquis nullo  
modo probatur, quod huiusmodi conferentiis nimis graventur magistri, quibus plus oneris im-  
ponitur, quam si iubeantur lectionem aliquam habere. Discipuli vero, cum omnes materias au-  
dituri sint suo tempore, non magnam videntur frugem facturi. Adde, quod conferentiae eorum  
propriae videntur, qui studio casuum absoluto, in Societatis ministeriis exercentur.

§ 8 – Hoc totum videtur omnibus tollendum, quod disputationes huiusmodi neque  
magnam afferant utilitatem, neque fieri possunt cum dignitate professoris; et quod caput  
est, facile in disputationes scholasticas dilabi possint.

<sup>9</sup> *Const.* P. III c. 1 § 18; *MI Const.* III 86.

<sup>10</sup> De summa quadam casuum conscientiae ad usum S.I. conscribenda cf. MP IV 237 251 279.

<sup>11</sup> Vide supra, mon. 10 (Prov. Neap. in cap. II).

§ 10 – Nulli placet, eos qui casus non audiunt, repetitioni casuum interesse.

§ 11 – Quatuor patribus satis esse videtur, si praeses casuum aliquot casus affigat, quos legant omnes, et ad respondendum se comparent. Patri Rectori probatur, quod definitur a patribus, dummodo nulli praemoneantur, sed omnes parati accedant ad respondendum. [*Stud. 3, f. 100v*]

### Provincia Sicula

In dubium fuit revocatum, an theologiae scholasticae auditores casus etiam conscientiae audire debeant. Affirmarunt duo, negarunt quatuor. Si enim ratio studiorum praescripta observetur, omnes fere materiae explicabuntur, quas audivisse satis est boni ingenii auditoribus; praesertim, si addendum sit sacrarum literarum biennium. Ubi vero aliqui ex nostris studio casuum conscientiae addicti fuerint, nec ex externis discipulis defuerint, placuit omnibus, quod hic definitum est, ubi potuerit observari. [*Stud. 2, f. 35r*]

### Assistentia et Provincia Lusitaniae

Pag. 160 § 3 – «Hora prima scholarum» – Matutina casuum praelectio in eborensi collegio neque explicatur, neque vero explicari potest prima scholarum hora. Sunt enim per id tempus sacerdotes, qui eam frequentant, in re divina facienda occupati.

Pag. 164 – «Fiat in scholis repetitio» – Huiusmodi casuum repetitiones introducendae tantummodo videntur, ubi per temporum et personarum circumstantias commode fieri potuerit.

Pag. 165 § 8 – «Quolibet sabbatho» – In eborensi collegio, ubi praelectiones casuum duae sunt, hoc modo sese habent hebdomadariae disputationes. Non affiguntur, ut in scholastica theologia, conclusiones, sed antemeridianis scholis quaterni casistae, antequam ad mutuam concertationem veniatur, singulas praelectiones, quae per eam hebdomadam a matutino professore explicatae fuere, summam repetunt; tunc aliquot ordine designati argumentantur. Idemque fit pomeridianis scholis. Repetunt enim alii totidem numero casistae singuli singulas vespertinas praelectiones etc. Videtur autem haec disputandi ratio utilior. Sic enim ii, qui respondent, uberiores praebent materiam ad disserendum; proindeque maius studium ac praeparationem domo afferunt. [*Stud. 2, f. 301r*]

### ASSISTENTIA HISPANIAE

#### Provincia Aragoniae

De § 2 – In plerisque materiis, quae hic recensentur, sunt res valde practicae et admodum necessariae. Quare in hac institutione dicendum non esset de iis, et nihil [*Stud. 2, f. 237r*] vel pauca quaedam et utiliora de illis attingenda sunt. Sed praestat dicere, ut de iis legantur breviter, quae pertinent ad praxim.

De § 3 – Videtur necessarium, quod hic significatur, scilicet, ubi non est, nisi casuum professor unus, esse concedendum ei tres annos ad expediendos necessarios casus, nec obligandum esse tanto numero materiarum quemadmodum lectores duos duobus annis, sed magis necessariis.

De § 4 – E duobus modis hic propositis posterior magis arridet; scilicet, ubi exiguus est numerus scholarum theologorum, audire debere omnes singulis annis quadriennii Scripturam et casus alternis diebus. Sed fit illico scrupulus in § sequ. pag. 163 versu 9, ubi sermo est de professore casuum. Dicitur enim: sed ita variantibus bienniis, ut habeat uno biennio auditores etiam theologos, altero autem casistas tantum. Quod si per totum quadriennium

casus audituri sunt, quomodo audient uno tantum biennio? Cumque singulis annis quadriennii et non uno tantum biennio theologi auditores accedant, videtur profecto sequi, ut impossibile sit habere solos casistas in uno biennio. Quamobrem verba paragraphi sequentis magis exponenda videntur.

De § 5 – Ubi dicitur professori casuum, ut legat duas materias ita, ut tertio quoque die lectionem habeat de spectantibus ad theologos, et sequenti die de pertinentibus ad casistas, esset addendum: si vires eius id tulerint. Multis enim arduum ac fere impossibile videbitur.

De § 7 – Magnum est obligare ad dimidiam repetitionis horam. Sufficeret ad quadrantem aut paulo amplius, ut dicitur de theologia.

De § 8 – Satis est iacturam facere unius lectionis casuum propter concertationes sabbatinas. Cum autem accidit, ut rari de externis intersint his disputationibus, oporteret habere has ea hora, qua lectio ulla sit omittenda. Sunt enim multae transigendae materiae. [237v]

De § 9 – Exceptio eorum, qui pene pares sunt praesidi, multis obiecta est incommotis. Plurimi enim sibi pares videbuntur, vel eius rei documentum aliquod praebere volent in collationibus, ut ab eis eximantur. Et est valde consentaneum, quo decisiones optimae sint, interesse viros eruditos. Quibus hoc commodi eveniet, ut et doctiores in dies fiant, et refri-cent praeteritorum memoriam. Ne vero mutuis contentionibus horam extrahant, faciet autoritas ac praesentia superioris. Qui monet eos, maxime cum opus fuerit, ut sententiam argumentaque sua simpliciter et candide exponant.

De § 11 – Usus huius provinciae est, ut ipse praeses seligat ac distribuatur casus. Atque hoc fortasse est melius, ut in singulis materiis ordo servetur. Quamvis etiam addi possit: Ubi quis ad eam rem idoneus adest, posse in ea adiumento esse praesidi.

De eodem § – Non expedit, ut his casibus studeant caeteri indistincte apud quoscumque voluerint doctores; sed, ut quilibet apud unum aliquem a praeside praestitutum; quo principalium doctorum sententiae ibi referantur, et tutior doctrina ex his colligatur, quam omnes sequi debeant. Quo fit, ut interrogandi non sint duo fere aut tres duntaxat. Sufficit autem, ut duo tresve propriam sententiam de re proposita ferant. Dum in iis non includantur peritiores huius facultatis. Hos enim omnes in singulis casibus fere semper interrogare oportet.

De eodem § – Neque etiam consentaneum est in Hispania quidem, ut duo vel tres patres praemoniti respondeant novis dubitationibus, quas post explicatam casuum doctrinam, proposuerint alii. Hoc enim esset quasi conclusiones defendere. Quam ad rem pauci inveniuntur apti. Itaque satius esset, praesidem breviter respondere. Tametsi cum ipsi visum fuerit, potest praeses unum aut alterum nominare, qui respondeat, et ipse tandem definiat, quid sit sentiendum.

Si rationes scientiae in fine huius paragraphi retinendae sunt, delendum esset illud: alioqui vix reperietur, qui velit praesidere. Arguit enim non nihil imperfectionis in iis, qui propterea hoc munus detrectaturi essent.

#### *Observatio de ordine hactenus tradito*

Maioris perspicuitatis gratia, et quo commodius praefectus ordinem studiorum inveniat, valde e re nostra esset, conferre seorsum in unum caput aut in appendicem, quotnam lectiones theologiae et caeterarum praeterea scientiarum haberi oporteat in perfecto [238r] quoque collegio; quasque lectiones audituri sint ibi scholares primi et secundi anni; quas item tertii et quarti. Ubi autem pauciores sunt professores, quibus lectionibus et quomodo sint interfuturi. Omnes denique casus ac circumstantiae, quae in hoc capite de casibus et in

alio de controversiis etc. attinguntur, aut iis de rebus incidere possunt, omnia eodem capite essent comprehendenda.

### Provincia Baetica

§ 1 – Nostris praesertim fratribus utilius foret, tertium audire theologiae professorem, quam eum, qui levi examine conscientiae quaestiones tractat. Primo, quia sic nostri solidioribus nisi fundamentis, maius doctrinae specimen apud praelatos et in academiis ostenderent. – 2<sup>o</sup> quia despicere solent proprii theologiae scholastici auditores parum illam examinatam et fidei fere trium vel quatuor doctorum nitentem tractationem, qualem moralium quaestionum professor praestat. – 3<sup>o</sup> Quia hac ratione plures habebit Societas insignes professores, virosque et apud externos magni nominis, quos nobis saepe aufert non ingeniorum, sed similium occupationum penuria. – 4<sup>o</sup> Quia plures ex nostris et externis auditoribus adolescentiam agunt, quibus perinde tempus diuturnum superest his spiritualibus morum quaestionibus percurrendis. – 5<sup>o</sup> Quia si scholasticae theologiae professores nunquam eas quaestiones praelegunt, non erunt instructi ut cum, sicut saepe fit, interrogantur, exacte respondeant, ut theologiae professores decet; cum praesertim pene haec omnia memoria excidant, nisi usu lectionum aut confessionum audiendarum etiam firmentur. A quibus omnibus absunt longe plerique nostri theologiae studiosi.

Conferret autem valde, si in singulis provinciis, unus esset destinatus locus, qui iudicio et examine aliquorum ex doctis collegii, ubi ipsi resident, minus apti sunt (idque citra magnam controversiam) theologiae scholasticae.

Par autem esset, ut iam tandem prodiret moralium harum quaestionum plena et integre confecta summa, quae et theologiae auditoribus et his etiam, qui confessionibus audiendis navant operam, prodesset valde. Neque etiam aliis professoribus virisque rebus aliis distentis noceret. [*Stud.* 2, f. 290r]

§ 5 – Circa ea, quae de praeside domesticarum controversiarum c. 5 dicitur, non apparet ita grave professoribus theologiae, qui unam tantum praelegunt lectionem, eis controversiis praeesse; idque experimento constat, utilius esse (ut alia omittam), ut doctrina praeceptoris explicetur magis ad eius mentem et melius percipiatur ab scholasticis.

### Provincia Castellana

In maioribus collegiis, ubi non est ulla lectio casuum conscientiae, forte ratio, quae servatur Compluti, multum afferet utilitatis. Fit autem hoc modo: Ille qui praeest, curam habet seligendi casus ordine; qui scripti publice proponuntur biduo, antequam de illis discutetur, ut veniant parati omnes, qui intersunt, praecipue hi, quibus cura est demandata autores consulendi.

Autores autem omnes distribuuntur inter auditores theologos, et unusquisque suum autorem non modo legit, sed secum etiam affert. Et ordine eorum sententiae recitantur. Deinde patres, quam sententiam maxime probant, pronunciant atque adeo disputando, si opus sit, probant. Postremo, qui praeest, deligit, quid probabilius videatur. Quod in codicem collegii refertur, ne pereat tam fructuosus labor. [Madrid, Bibl. Acad., f. 8r]

### Provincia Toletana

Pag. 160 – «Professoribus theologiae scholasticae graviore incumbere disputationes» – Illud «graviore» videbatur delendum.



Pag. 165 – «Bis in hebdomada vel semel saltem convenient» etc. – Cum indulgentia his verbis concessa pro regula forsan habenda sit, et necessitati non satisfiat, si semel in hebdomada a nostris sacerdotibus collatio casuum habeatur, non videbatur, ut illa indulgentia poneretur.

Pag. eadem – «Ab hac autem collatione sacerdotes nulli, exceptis theologiae professoribus, aliisve pene paribus praesidi» etc. – Nullus videbatur excipiendus a collatione casuum. Nam ex praesentia magistrorum et eorum, qui pares sunt praesidi, maiori cum satisfactione fiunt tales collationes, magisque veritas elucescit, et modum supradictum in talibus casuum collationibus apud nos servari solitum, utilem valde esse experientia comperimus. Quare nihil in his provinciis mutandum in eo videbatur. [Madrid, Bibl. Acad.]

#### Alfonsus Escudero S.I.<sup>12</sup>

En lo que toca a los casos, me parece bien las trazas puestas, salvo en algunas cosillas. Lo 1º que leer todas las materias morales en dos años, es mucho embutir a los discípulos; y que queden no tan resueltos y también para los maestros no será poco trabajo; así por estudiar tantas cosas como por averse de resolver bien en ellas, porque en poco tiempo no se haze mucho; y como los casos morales pendan de circunstancias de tiempo, lugar y persona etc., que no están escritos en los libros, parece mejor traza enseñar a los discípulos de modo que pueden resolverse por si mismos; y ésto no se podrá hazer sino es leyendo las materias con exacción y con sus principios para que actuados con ellos se sepan resolver a solos en los casos ocurrentes; y haziéndose deste modo, es bien correr lo que se pudiere, y para los que no se leieren están las sumas, de que el hombre ayudándose queda suficientemente proveído para este ministerio.

En lo que se dize que los casuistas arguyan más por modo de preguntas, que argumentos, me parece bien, porque siendo el arguir mui formado por ventura les sobrevendría deseo y apetito de ser philosophos y theólogos, pero tanpoco no an de ser las preguntas tan secas que el casuista no ponga su dubda con eficacia, y un modo de argumento casuístico (aunque no aya mayor ni menor formadas como los philosophos lo hazen), de otra manera ni sabrían bien la verdad, ni cobrarían afición a aquel modo de studio.

En lo que se dize que donde no oviere conferentia de casos y oviere lición, vayan los confesores alguna vez entre semana a la conferentia, me parece bien, porque supuesto que exercitan el officio de confesores, es bien traigan los casos muy entre las manos, y házese esto bien con el cuidado de preguntar y responder en la conferentia que por fuerza se a de tener continuando el ir allá, y si algunos se hallaren tan honrrados, que se mortifiquen o lo sufran, tengan conferentia por sí los padres, como el libro aconseja. [Madrid, Bibl. Acad., f. 4v]

En lo que se dize que el presidente señale a tres para que digan sobre el capo propuesto y después el presidente diga lo que los autores hablan, y lo resuelva, me parece bien en las conferencias donde se hallan muchos estudiantes. Pero donde no los ai, como los padres unas vezes están ocupados para no poder estudiar tanto como eso, otras vezes no son tan capaces para responder, todavía se les hará dificultoso, y así en tales colegios me parece sería mejor guardar la costumbre ordinaria, que se tiene de que digan sus autores y resuelva

<sup>12</sup> A. Escudero S.I. (ob. 1620), hispanus, anno 1587 Matriti patris spiritualis munere fungebatur; vide Tolet. 12/a, f. 190r.

el presidente, y después le propongan sus dificultades; y para vitar la prolixidad que en referir los autores se suele tener, me parece que el presidente los traiga vistos, y se den 7 o 8 autores de los que mejor hablan en materias morales, a aquello que se entiende darán mejor cuenta dellos, y referidos estos se podrá resolver el caso con brevedad, de manera que guardando esta forma se pueden resolver dos o tres casos en una conferencia; y quando se llegaren muchos a la conferencia, puede aver autores doblados y que la mitad de los padres digan en una conferencia, y la mitad en otra; y con esto abrá igualdad en todos, y los que en la conferencia non ovieren de traer autor, pueden traer bien estudiado el caso para dificultar en lo que les pareciere. También se me ofrece otra traza, que pues se ponen dos casos, en el 1º digan la mitad, y en el 2º la otra mitad, que se pueden señalar fulano. Y fulano en el 1º caso y fulano con fulano en el 2º; y así traerán todos autos en cada conferencia, y avrá igualdad, y los que no dixeran en el 1º caso, dificultarán en él, y en el 2º de la misma manera traiéndolos estudiados. De qualquier modo destos que se use, parece que se guarda igualdad y brevedad.

Tambien me parece que la costumbre de pedir los pareceres no se deve dexar, porque como veen más 4 ojos que dos, la experiencia a mostrado que en los pareceres se dizen mui buenos puntos y advertencias, que al presidente por docto que sea, se le suelen pasar de vuelo, y así es bien se guarde, mas por vitar prolixidad, si fuesen muchos los que an destar en conferencia, podránse partir al modo que está dicho de los autores, y siempre digan algunos doctos porque los pareceres sean de fructo, de lo qual se sigue que donde cómodamente se pudiere hazer, es bien obliguen a los doctos a que vengán a las conferencias, así porque hazen memoria de cosas que a vezes se an olvidado, como porque aprenden nuevas advertencias, como también porque ellos ayuden a la comunidad con sus buenos pareceres. Y lo que objecta el libro, que estos gastarán mucho tiempo en porfias, se responde que el remedio será el obedecer al superior o presidente quando les dixeran que basta.

Tambien me parece que si los mandatos que el libro pone, se ponen por regla, será poner a los maestros y superiores otra lei vieja de preceptos que patres nostri portare non potuerunt<sup>13</sup>, como se vió en el ritual pasado, que vino a estas provincias, y así se me ofrece que se tomase por directorio y fuesen los superiores entablando con suavidad la execución; sólo me parece podrá quedar por regla no nos apartásemos de S. Thomás al modo dicho, pues es expresa constitución de nuestro padre Ignatio<sup>14</sup>.

## ASSISTENTIA GERMANIAE

### Provincia Germaniae Superioris

Num. 1 – In seminariis Societatis, ubi scholastica theologia sive a tribus sive a duobus professoribus docetur, non esset opus eiusdem theologiae auditoribus lectionem casuum audire, sed posset ea per conferentias de casibus suppleri; idque fore videtur tum utilius, tum etiam nostris Constitutionibus satis consentaneum<sup>15</sup>. Hae enim communiter pro nostris non tam casuum lectionem, quam exercitium et quasi praxim quandam in cognitione casuum commendare videntur. Et prodest idcirco exercitatio haec magis, quia hic discunt nostri in necessitate recurrere ad autores, quos ad respondendum in conferentiis consulere debent. Quare ex fundamentis casuum, quae nostri a professoribus scholasticae theologiae

<sup>13</sup> Cf. Act. 15 10.

<sup>14</sup> Vide *Const.* P. IV c. 14 § 1; MP I 297.

<sup>15</sup> Cf. *Const.* P. IV c. 7 litt. B; MP I 265.

acciperent, possent satis commode assequi in conferentiis illis cognitionem sufficientem casuum. Quos ideo professores in eas conferentias deberent reiciere, sicut essent alioqui reiciendi ad casuum lectionem.

Num. 2 – Omnino videntur a professore casuum necessaria tradi debere de illis etiam rebus, de quibus hic dicitur, vel parum, vel nihil dicendum esse.

Num. 3 – Impedimenta matrimonii, cum adhibita scholastica methodo breviter comprehendendi possint, et vix ab ipsa tractatione de matrimonio possint separari, non sunt a scholasticae professore omittenda, [*Stud.* 3, f. 207v] mutilata materia. Sic etiam contractus et censuras, ostensis fundamentis, succincte tractare potest. Omnis enim moralis materia habet etiam sua quaedam fundamenta in speculatione, et suos tanquam nervos, quorum discussio et explicatio non ad casistam, qui instruit ineptos etiam ad speculationem et ad examen rerum, sed ad scholasticum pertinet.

Num. 5 et 6 – Modus docendi utiliter casus, sive una illorum lectio, sive duae habeantur, considerato quidem fine huiusmodi lectionum, deberet talis esse, ut professor de difficultate proposita, referat primum classicas opiniones, quarum unamquamlibet possit quis tuto sequi, citatis autoribus. Deinde eligat ex illis unam, quam ipse putet probabilior, eamque unico fundamento brevissime confirmet, et ad casus aliquos descendat, quasi gratia exempli; et tum progrediatur ad aliam difficultatem, omissis aliis omnibus, quae ea de re pro vel contra disputari possent. Hac ratione, si casus tractentur, utilis illorum lectio erit. Primo, quia tunc omnes auditores quantumvis ingenio tardi, eam intelligent; alioqui facillime ad lectionum modum semischolasticum deflectitur, qui proinde neque scholasticus neque casisticus, sed nullus, id est, nullis accommodatus sit. Secundo, quia magnum operae precium erit, ea ratione posse velut uno intuitu videre simul, quae ad ipsam praxim, sine ullis aliis tricis possunt pertinere. Tertio, quia facilis erit tunc progressus in omnibus, quae ad casus pertinent. – Quarto, quia is modus est proprie accommodatus ad finem lectionis casuum. Hic enim finis est formare confessarium non ad defendendam aut discutiendam doctrinam (hoc enim est scholastici theologi), sed duntaxat ad utendum illa secure in ministerio audiendarum confessionum. Atque his etiam accedit, quod ubi quis ipso delectu et cognitione nuda sententiarum instructus fuerit, levatus iam onere conquirendi assertiones, facile deinde per se ipse poterit ex autoribus discere illustriora fundamenta doctrinae, ut de rebus istis iudicium suum etiam possit formare. Est autem optandum, ut iussu R.P.N. Generalis ab aliquo Societatis theologo exercitato cursus casuum conscientiae ea methodo, qua dictum est, et optimo ordine accurate conscribatur<sup>16</sup>.

Num. 9 – Etiam in collegiis, ubi lectio casuum est, expediet praeter ordinarias eius lectionis repetitiones unam communem conferentiam pro casistis et aliis domesticis sacerdotibus de materiis aliquibus, extra lectionum ordinem in hebdomada instituere, ne alii domestici quasi ex accidenti tantum ad exercitationem casistarum viderentur accedere, sed omnes aliquando in communi, et ex aequo sese in hoc genere exercerent.

Ibidem – Videtur rectoribus praescribendum, ut conferentiae casuum semper intersint.

Num. 11 – Potius expediet, ut ad conferentiam casuum omnes parati veniant, et praeses, quos velit, ex tempore interroget; ne si secus fiat, ii, qui praemoniti non fuerint, parum vel nihil de propositis casibus studeant.

Postremo, occurrit in hoc capite, superiorum diligentia esse providendum, ut qui studio casuum ex instituto vacaturi sunt, utiliter alioqui occupentur tempore, quod ipsis ab eo studio supererit. Expediet enim, ut versentur partim in Scripturae aliquot partibus, cum

<sup>16</sup> Ut casuum quaedam summa ad usum communem S.I. conficeretur, desiderium fuit universale; cf. e. gr. supra, adn. 10.

aliqua notatione et fructu legendis; partim in catechistica doctrina bene intelligenda; partim in ali-[208r]quot fortasse concionum faciliorem libris cognoscendis; et aliis huiusmodi rebus, quarum usus aliquis plerumque esse solet in omni tractatione cum proximo. Quin etiam possent aliqui Scripturae lectionem (si id commodum esset) audire, quando ea in eodem collegio haberetur. Atque hac de re monendi essent superiores in regulis, ut huius curae sint memores.

### Provincia Germaniae Inferioris

1. Operae pretium videtur, ut non modo delectus opinionum, sed etiam auctor, qui potissimum sequendus sit, indicetur; sicut in scholastica theologia S. Thomas<sup>17</sup>, in controversiis P. Bellarminus<sup>18</sup> etc. Aut certe, quod magis esset optandum, eiusmodi opus Societatis opera ac iudicio in lucem edatur<sup>19</sup>.

2. Cum ratio studiorum institutionem conscientiae casuum in eodem collegio cum scholastica theologia collocet, non videntur, hoc saltem tempore, collegiorum proventus in hac provincia tantum ferre posse nostrorum numerum. Itaque theologiae scholasticae Lovanii, Leodii casuum conscientiae nostris instituta sunt seminaria. [*Stud.* 2, f. 115r]

### Provincia Rhenaniae

§ 1 – Casuum vero in scholis repetitio isto quidem modo esse nequit, uti patet, quia horam mediam occupat haebrea, et aliis cum lectionibus ante nominatis, temporis plus ea repetitio postularet. Domi vero posset, hebdomadibus singulis, una eorundem casuum repetitio, loco repetitionis scholasticae, institui, quae collegio toti communis esset. Si enim alia repetitio esset, eique theologi auditores interesse deberent, aequo plus fatigarentur. Rogant autem R. P. N. obnixae patres, ut quod innui videtur folio 317, aliquae casuum decisiones edantur<sup>20</sup>, quibus omnes commodius uti possint. [*Stud.* 3, f. 246v]

### Provincia Franciae

Circa titulum «De casibus conscientiae», seu caput, haec occurrerunt. — Praefigatur huic titulo: Caput duodecimum<sup>21</sup>.

1<sup>o</sup> (Pag. 158 lin. 1) Ubi dicitur «Constitutiones saepe commendant studium casuum conscientiae, praecipue vero in 4 parte cap. 5 D<sup>22</sup>» cum non sint Constitutiones, sed earum Declarationes ibidem; ut et infra, lin 12, ubi dicitur «ibidem D»; hoc ergo corrigendum videtur. Item, (pag. 160 lin. 1), ubi dicitur «Optandum esse, ut in omnibus primariis collegiis duo sint professores casuum», omnibus visum est, sufficere unum, dummodo quotidie doceat; neque posse nostros tot lectiones simul quotidie audire.

2<sup>o</sup> – Quod dicitur (pag. 160 n. 1<sup>o</sup> lin. 9 et 10) «quod auditores theologiae debeant regulariter unam quotidie lectionem casuum audire uno biennio», visum est omnibus pugnare cum eo, quod dictum est [*Stud.* 3, f. 351v] supra in capite, seu titulo de controversiis (pag. 152 n. 1<sup>o</sup> lin. 8 et 9) «nihil de casibus, nisi quae audiunt in scholastica»<sup>23</sup>.

<sup>17</sup> Vide supra, adn. 14.

<sup>18</sup> Vide supra, mon. 13 adn. 12.

<sup>19</sup> Vide supra, adn. 16.

<sup>20</sup> Vide supra, adn. 16.

<sup>21</sup> Cf. supra, mon. 13 (Prov. Franc. § 1).

<sup>22</sup> Vide MP I 219 221.

<sup>23</sup> Vide MP V 85.

3<sup>o</sup> – (Pag. 160 n. 2<sup>o</sup> lin. 21 et sequentibus quatuor) visum est omnibus de suspensione, Eucharistiae sacramento, haeresi, schismate, statu regum ac principum, et de bello, quatenus hae materiae ad casus conscientiae pertinent, accurate agendum esse, et non leviter tantum haec argumenta attingenda esse, ut dicitur.

4<sup>o</sup> – (Pagina eadem lin. 10 n. 3<sup>o</sup>) iudicarunt omnes, ultramontanos non esse excipiendos a casibus, cum haec lectio sit omnium maxime necessaria et utilissima, etiam ipsis ultramontanis. (Pag. 161 lin. 11) visum est omnibus, definiendum, quid et quantum quotannis sit legendum, tum ab uno tantum professore, tum a duobus in casibus, quemadmodum in theologia scholastica factum est, ne auditores defraudentur suis materiis, et res protrahatur in longum. Item, ibidem in fine dicitur «nostros non posse audire quatuor lectiones», contra quam (pag. 156 lin. 2) dictum est de ultramontanis<sup>24</sup>. Item, quod praescribitur ibidem (n. 4<sup>o</sup> lin. 17), ut unus quotidie duas lectiones casuum praelegat, visum est omnibus, fieri non posse, cum haec lectio sit omnium difficillima propter resolutiones, et multum studii laboris atque lectionis requirat.

5<sup>o</sup> – (Pag. 162 n. 4<sup>o</sup> lin. 4 et sequentibus), ubi dicitur «alternis ea audiunt» usque ad lineam 23 n. 5<sup>o</sup>, visum est omnibus satis esse et satius, ut in primariis collegiis sint quatuor tantum professores, duo scholastici, unus interpret Scripturae, et unus lector casuum; atque inter priores tres dividantur controversiae, sua cuique parte assignata, quam quotannis absolvere debeat, assignatis locis, in quibus tractandae sint. Et in magnis collegiis, ubi auditores tam multi sunt, ut dividi possint inter interpretem Scripturae et lectorem casuum, poterit tam Scripturae interpret, quam lector casuum quotidie docere. In collegiis vero, ubi pauci sunt auditores, ut dividi nequeant, legant alternis diebus interpret Scripturae et casuum lector, et sic auditores audient quotidie tres tantum lectiones, nec gravabuntur. Ubi vero uterque legit quotidie et divisi sunt auditores inter interpretem Scripturae et casistam, nostri primo biennio audiant casus, quia maxime sunt necessarii scitu, et amoveri possunt auditores pro necessitate occurrente; secundo vero biennio Scripturam, ut simul audiant lectionem haebraeam et coniungant cum Scriptura Sacra. Non defuit tamen, qui arbitratus est, ubique in septentrionalibus regionibus debere esse lectorem controversiarum proprium, a caeteris professoribus distinctum, propter necessitatem controversiarum in his partibus. Nec improbat, nostros professores tam in controversiis, quam in casibus praelegendis astringendos esse ordini D. Thomae, quoad summae illae, de quibus supra dictum est<sup>25</sup>, fiant, ut unus D. Thomas instar omnium nobis sit.

6<sup>o</sup> – (Pag. 163 linea 21, ubi exigitur triennium ad casus explicandos). Maiori parti visum est sufficere biennium, aut ad summum triennium, si quotidie explicantur, et non dictetur, ut dictum est. Aliis visum est requiri quadriennium, etiamsi non dictetur.

7<sup>o</sup> – (Pag. 164 n. 7<sup>o</sup> lin. 24 et sequentibus) Ubi agitur de repetitione lectionis casuum, visum est omnibus, aut omnino non esse repetendas lectiones casuum, aut tantum per quadrantem repetendas esse; quia supra (pag. 122) non nisi quadrans est praescriptus<sup>26</sup>. Deinde, quomodo fient repetitiones, si statim sequantur aliae lectiones?

8<sup>o</sup> – (Pag. 165 n. 8<sup>o</sup>) Iudicarunt omnes, non esse disputandum in casibus, nisi forte in collegiis, in quibus duo sunt lectores casuum; sed satius esse habere collationes de casibus. (Ibidem n. 9<sup>o</sup>) nihil praescribitur de tempore, quo durare debent collationes de casibus. Et visum est omnibus, per horam durare oportere, et posse haberi diebus dominicis, si sabba-

<sup>24</sup> Vide MP V 87 § 7.

<sup>25</sup> Vide supra, adn. 16.

<sup>26</sup> Vide MP V 69-70.

tinae praecesserint scholasticorum disputationes, et ad illas etiam externos accedere posse, nisi ubi tantum unus est theologus praeter casistam, qui cum eo concurrat in disputatione, ut supra dictum est.

9<sup>o</sup> – (Pag. 165 n. 9<sup>o</sup> lin. 26) visum est omnibus, etiam pares praesidi debere venire ad conferentias, et commendandum nostris studium iuris canonici. Quin et pluribus visum est, debere etiam professores interesse, si sacerdotes sint, etiam theologiae, dummodo tamen adsit [352r] superior, qui eos cohibeat. Unus tamen sensit, non esse cogendos praecceptores, ut veniant, sed relinquendum hoc eis liberum. Quod si accedant, non esse tamen interrogandos, sed satis esse, ut audiant.

#### Provincia Lugduniae

Pag. 158 – Expediret conscribi librum absolutum, clarum et perspicuum de casibus conscientiae a nostris, quem omnes sequeremur<sup>27</sup>; aut assignari, quem maxime sequeremur, ut in scholastica theologia D. Thomam. [Stud. 3, f. 396r]

#### Provincia Poloniae

§ 1 – Ne ultramontani quidem, qui Romae controversiis student, plane rudes in casibus essent remittendi in patriam. Unde ad minus uno aliquo anno eos audire deberent, vel loco Scripturae (quamquam ea quoque in primis sit necessaria) vel extraordinaria aliqua lectione festis dominicisve instructi. [Stud. 2, f. 158r] Quod forte in seminariis isthic, ubi fere ultramontani vivunt, haud difficile fieret. Nec enim satis illis fuerint, quae in scholastica audituri sunt, cum omnium pene casuum tractatio scholasticis adempta sit supra.

§ 2 (pag. 160) – Potius breviter percurrere dicantur omnia, quae hoc paragrapho nominantur, quam ut nihil dicatur. Quin etiam, si necessitas certorum vel locorum vel temporum ita tulerit, permittatur, ut fusius etiam tractentur; puta de schismate, ubi multi schismatici, de bello tempore belli etc.

§ 5 – Quid de dividendis materiis inter casistam et theologum congregationi visum sit, supra habetur initio de theologia scholastica<sup>28</sup>.

#### Nicolaus Clerus S.I.

Ut etiam superiores interesse debeant aut possint, sed de hoc sequenti §.

Pag. 159 – Videtur hic praetermitti locus ille Constitutionum, in quo sub nomine positivae casus conscientiae commendantur. [Stud. 3, f. 367v]

#### Laurentius A. Fauteus S.I.

N. 8 – Quolibet sabbato per duas horas disputetur. – Hoc supervacaneum putarim, cum repetitiones quotidie fiant, et casus non multa egeant disputatione. Utilior forsitan lectio foret. [Stud. 2, f. 178r]

#### Ioannes Leopolitanus S.I.

In iis fortassis utiliter explicarentur decreta Tridentini Concilii de reformatione<sup>29</sup>. In iis enim saepe dubitari solet, quatenus obligent. Sed quia talis explicatio non posset edi for-

<sup>27</sup> Vide supra, adn. 16.

<sup>28</sup> Vide supra, mon. 12 (Prov. Pol.).

<sup>29</sup> Quae decreta videsis in *Concil. Oecum. Decreta* (1962) 720-29.

tassis propter omnes provincias, illud forte esset utilius, ut ab aliquo e nostris conscriptus ederetur tractatus de casibus conscientiae<sup>30</sup>; tali praesertim methodo, [*Stud.* 3, f. 293v] quali conscripserat P. Toletus. Et credo, idem pater id optime faceret. Primo, quia cum istud studium tantopere commendetur, magis afficerentur nostri ad doctrinam unius e Societate, quam externorum. – 2<sup>o</sup> Posset hic liber esse ordinarius pro repetitionibus casuum in singulis collegiis. – 3<sup>o</sup> Valeret etiam pro lectionibus casuum; ut liberentur a tot scriptionibus, quibus non pauci enecantur aut debilitantur ante tempus.

## 15

### IUDICIA PATRUM, IN PROVINCIIS S.I. DEPUTATORUM, DE TRACTATU RATIONIS STUDIORUM (1586), QUI INSCRIBITUR: «DE LINGUA HEBRAEA»<sup>1</sup>

#### ASSISTENTIA ITALIAE

#### Professores Collegii Romani

Circa 1 § – De iis, qui admittendi sunt ad lectionem hebraeam et quo tempore – Quamvis, ut plurimum, scholastici debeant interesse huic lectioni a 2<sup>o</sup> aut 3<sup>o</sup> anno, videntur tamen aliqui ad eam seligendi ex quocunque anno, iudicio superiorum et praeceptorum, ut subveniatur penuriae auditorum, et reperiantur aliqui idonei, qui postea eam lectionem praelegere possint.

Circa § 2 – De his, qui ad studium linguae hebraeae obligandi sunt – Non videntur obligandi theologi omnes, sed id potius superiorum prudentiae relinquendum. Quod etiam videtur esse conformius Constit. 4 P c. 6 litt. D.<sup>2</sup>

Circa eundem § – De academia nihil videtur regula praescribendum, sed id quoque superiorum iudicio relinquendum. Qui tamen, prout expedire iudicaverint, curent, ut privatis ac domesticis exercitationibus iuventur ii, qui in his studiis progressum aliquem facturi sunt. De introductione vero ad rabbinos intelligendos, idem censetur, quod de academia privata.

Tertius § de grammaticae institutionibus – Placet totus. [*Stud.* 3, f. 42v]

#### Provincia Mediolanensis

Proponendum visum est, ut consideretur, an expediat, nostros iuvenes, dum rethoricae dant operam, prima rudimenta addiscere linguae hebraicae, quae in puerili aetate facile, in grandiori difficile addiscuntur, maxime fatigatis iam longo studio ingeniis. Certe ea aetate et tempore datur opera linguae etiam graecae. [*Stud.* 3, f. 151v]

#### Provincia Sicula

*De lingua hebraea* — Recepta sunt omnia. [*Stud.* 2, f. 35r]

<sup>30</sup> De summa quadam casus conscientiae conscribenda vide supra, adn. 16.

<sup>1</sup> Textum huius tractatus videas in MP V 93-94.

<sup>2</sup> Vide MP I 235.

## Assistentia et provincia Aragoniae

De 2 § – Nequaquam convenit, omnes theologos audire linguam hebraeam anno tertio. Multi enim penitus inepti sunt ad studium eiusmodi. Plures vero quatuor lectiones sustinere nullo modo poterunt. Ac proinde iudicio rectoris aut praefecti relinquendum esset, quinam audituri sint hanc lectionem.

Videndum esset praeterea, num sufficeret haec lectio alternis diebus et breviter, ne tantum onerentur scholares, si huic etiam lectioni interfuturi sint. Caeterum, an id expediat, dubitamus. Quoniam in 4 P. C. 6 § 5 et c. 13 § 4<sup>3</sup> dicitur, ut videat rector, audiendaene sint lectiones linguarum ante vel post theologiam. Inde colligitur, ediscendas non esse, quo tempore theologiae navant operam. Etiam videntur significare Constitutiones, ut prius audiantur. Nam c. 13 lit. B<sup>4</sup> dicitur, ut legantur graeca et hebraea lingua in classibus humanitatis atque rethoricae. Et cap. 15 A<sup>5</sup>, ut binos annos perdiscant eloquentiam et linguas. Quod autem dicitur 4 P. c. 6 D<sup>6</sup>, convenit, ut in theologia sint mediocriter eruditi etc., ut illis linguarum studium utile sit et nihil noceat, posset hac ratione cum caeteris, quae citavimus, conciliari, Patrem nostrum f. r. Ignatium hoc loco agere de eo, qui multum incumbit in cognitionem linguarum, et eius adiumento legere atque intelligere vult, quae in sacra pagina tradita sunt illis linguis. Non autem de eo, qui mediocri illarum cognitione contentus est. Neque intendit illis statim interpretari Scripturas. [*Stud.* 2, f. 238r]

## ASSISTENTIA GERMANIAE

## Provincia Germaniae Superioris

Num. 1 – Quanquam ordinarie quidem ante tertium annum non expediat theologiae auditores ad lectionem haebream admittere, tamen esset superiori aut praefecto committendum nominatim, ut interdum secundo anno aliqui admitterentur, cum vel paucitas aliqui auditorum eius lectionis, vel alia causa ita faciendum esse suaderet.

Num. 3 – Esset quoque per aliud bimestre circiter spatium aliquid hebraici textus ex Scriptura interpretandum ad ostendendum usum praeceptorum, quae prius traduntur in grammatica, et postea rursus grammatica repetenda; praesertim, si qui accederent auditores novi, ac iterum aliquid textus ante finem anni posset exponi.

Videtur autem satis fore, ut alternis diebus haec lectio habeatur. Idque potius per tres quadrantes (addita repetitione quadrantis ultimi), quam per mediam horam, uti supra in hoc libro cap. de controversiis num. 4 indicabatur<sup>7</sup>; si tamen distributio horarum pro ratione loci id patietur.

Visum praeterea nobis est, separatim ad Patrem Nostrum mittere iudicium cuiusdam patris, qui Ingolstadii hanc facultatem proficitur. Quod ad hunc locum pertinet<sup>8</sup>. [*Stud.* 3, f. 208r]

## Provincia Franciae

Circa titulum *De lingua hebraea* — 1<sup>o</sup> Huic titulo praefigatur caput 13<sup>o</sup>. Sic namque senserunt omnes.

<sup>3</sup> Vide MP I 233 et 293.

<sup>4</sup> Vide MP I 289 191.

<sup>5</sup> Vide MP I 301.

<sup>6</sup> Vide MP I 235.

<sup>7</sup> Vide MP V 86.

<sup>8</sup> Vide inferius scriptum Balthasaris Hagelii S.I.

<sup>9</sup> Cf. supra, mon. 13 (Prov. Franc. § 1).



2<sup>o</sup> – Quae citantur (pag. 160 lin. 1 n<sup>o</sup> ex quarta parte Constitutionum cap. 6<sup>o</sup> lit. D), videntur potius desumpta ex Declarationibus, quam ex Constitutionibus. Quare hoc corrigendum videtur. Quid, quod neque Constitutiones, neque Declarationes ibidem loquantur sigillatim de lingua hebraea, sed generatim de linguis<sup>10</sup>. Quare commodius hoc loco citarentur Constitutiones 4 parte cap. 12 § 2, et Declarationes<sup>11</sup>, quae faciunt linguae latinae, graecae, hebraicae atque etiam caldaicae et arabicae mentionem.

3<sup>o</sup> – (Pag. 170 n. 3<sup>o</sup>) visum est, praeter grammaticam P. Bellarminii<sup>12</sup>, faciendam etiam esse mentionem aliarum grammaticarum, ut *Institutionum* Quinquarborei<sup>13</sup>, aut aliorum etiam, ne nostra obtrudere videamur; praeterquam quod multa desint in grammatica P. Bellarminii, quae addenda forent.

4<sup>o</sup> – Circa totum hunc titulum seu caput de lingua hebraea illud monendum videtur, declarationes Constitutionum 4.a parte caput 13 B<sup>14</sup> praescribere, ut lingua hebraea doceatur in classibus humanitatis et rhetoricae, ut et graeca, non in theologia. [*Stud.* 3, f. 352r]

### Provincia Poloniae

Quod paragrapho 1<sup>o</sup> pag. 169 ante tertium annum non iudicantur admittendi theologi ad hoc studium, illud incommodi annexum habere visum est in paucitate discipulorum, quae in nonnullis universitatibus reperitur, quod vix ulli sint auditores futuri hebraeae, si tamdiu differatur. Unde occurrendum anticipatione.

§ 3 (pag. 170) — Bimestre spacium pro tota grammatica hebraea nimis angustum visum est. Prolongandum igitur.

In septentrione vero iudicatum est expedire, propter haereticos, qui hebraeam passim quibusvis praelegunt, eaque ratione ad se multos trahunt, ut liberum sit etiam nostris pro occasione loco-[*Stud.* 2, f. 158v]rum aut temporum alios praeter theologos admittere ad eandem, ut quibus studiis trahuntur ad haereticos nonnulli, iisdem retrahantur.

### Nicolaus Clerus S.I.

Pag. (170 § 3<sup>o</sup>) Fortasse non est commodior Bellarmini<sup>15</sup>, quam Clenardi<sup>16</sup> grammatica, si spectes, quae adiuncta sunt a Quinquarboreo<sup>17</sup>, Isaaco<sup>18</sup>, Genebrardo<sup>19</sup>.

Videbantur hinc monenda, quae ad linguam hanc addiscendam permultum faciunt. Nempe, de scribendi usu, legendi, enarrandi, repetendi. Cum enim nova sit talis, et tam longe absit a ratione aliarum linguarum, haec difficultas usu maxime atque exercitatione superanda est.

Confert ad eam rem plurimum, si doctor in singulis radicibus, affixis, particulis nihil eorum praetermittat, quae faciunt ad rationem grammaticae. Nam eiusmodi frequens inculcatio multum facit ad praecepta illa animo mandanda. [*Stud.* 3, f. 367v]

<sup>10</sup> Vide MP I 233 235.

<sup>11</sup> Vide MP I 283.

<sup>12</sup> De qua vide supra, mon. 10 adn. 215.

<sup>13</sup> Ioannes Quinquarboreus (Cinq-Arbres – 1500c-1587), gallus; auctor operis *De grammatica hebraeorum* . . . (Parisiis 1546); v. *Ouvr. pédag.* 366.

<sup>14</sup> Vide MP I 289 291.

<sup>15</sup> De R. Bellarmini S.I. grammatica hebraea vide supra, mon. 10 adn. 215.

<sup>16</sup> Nicolaus Clenardus (Kleynaerst – 1494-1542); cf. MP I-V 456 et passim.

<sup>17</sup> Vide supra, adn. 13.

<sup>18</sup> Ioannes Isaacus (saec. XVI), germanus; *Grammatica hebraea absolutissima* . . . (Coloniae 1557); cf. *Ouvr. pédag.* 366.

<sup>19</sup> Genebardus (Gilbertus – 1537-1597) OSB, gallus; auctor opusculi *Isagoge rabbinica* . . . (Parisiis 1559); *Ouvr. pédag.* 316.

## Ioannes B. Gonzales S.I.

Viris doctis non probatur grammatica P. Bellarminii, nisi valde bene emendetur et explanetur. [*Stud.* 3, f. 373v]

Balthasar Hagelius S.I.<sup>20</sup>*De schola hebraica*

1. Professor sit theologus, linguae chaldaicae, syriacae et graecae non ignarus; vir dexter et industrius. Haec auctoritatem conciliant dignam maiestate hebraica et iudicio academico, quo haec lingua tradi et disci debet. Theologus quidem esse debet, tum quia auditores proprie theologos habet, tum quia materiam plane theologicam tractat. Quanquam enim grammaticae explicatio sine theologiae cognitione consistere possit, nunquam tamen propria sanctorum vocabulorum significatio, et sententia Dei, quam explicat is, qui libros sanctos exponit, uti oportet, nisi a theologo tradi recte poterit.

Linguae chaldaicae et syriacae peritus esse debet, quia nullus plane ex libris sanctis est, qui pure hebraice scriptus sit; deinde quia non aliter quam aliarum artium professores commentarios aliorum legere necesse est. Iudaei autem antiquiores ita scripserunt, ut plura ex chaldaeo, syro, arabico etc. sermone habeant, quam hebraeo. Denique Christi et apostolorum tempore lingua syriaca in usu ita fuit, ut passim omnes loquerentur syriace. Cuius linguae usum verba quoque in Novo Testamento ab evangelistis posita declarant. Omnia enim fere syriaca sunt. Quod si ergo quispiam Vetus Testamentum recte interpretari velit, quando ad illos locos ventum fuerit, qui in Novo quoque Testamento repetuntur, nunquam illud sane poterit ille facere, qui syriacae linguae fuerit ignarus.

Linguae graecae doctissimus esse debet. Siquidem Novum Testamentum graece scriptum est, in quo cum plurimi loci veteris doctrinae graece quidem, sed tamen non optime explicati contineantur, graecus omnino sit oportet, qui locos eiusmodi bene interpretabitur. Denique, si nulla scientia aut doctrina sine peculiari quadam industria et dexteritate tradi potest, necessario, qui in hac schola docet, maxime industrius esse debet. Multa namque sunt, quae discentes abstergere possunt, ut soni asperitas et horror et similia. Quae omnia doctoris industria, quantumvis gravia sint, lenire potest et debet.

2. Explicabit autem huiusmodi professor principio quae ad praecepta grammaticae pertinent. Deinde sancti alicuius libelli ex Biblicis interpretatio succedet. Praecepta sola tradenda nunquam erunt, quia ieiuna et aspera sunt, ac proinde fastidium adferre possunt. Si tamen selectas ex purioribus et facilioribus Scripturae Sacrae libris sententias (quas in libellum collectas typis mandare non erit difficile aut inutile) opportune interponet, levato fastidio, discentes mirifice ad studium animabit. In sanctorum librorum interpretatione ad Vulgatam Bibliorum aut D. Hieronymi versionem respiciet; poterunt enim facilius hae versiones cum textu hebraico concordari, quam aliorum latinae inter se. Unde facili negotio quidam concordiam inter Psalmos latinos et hebraeos composuit. Idipsum in aliis libris non minus faeliciter effecturus.

3. Libri, quos praeleget, erunt grammatica, deinde 5 libri Mosis, quia puriores reliquis sunt et faciliores, praecipue Genesis; Ecclesiastes, Threni Hieremiae, Ruth, lib. Iudicum, Regum et Paralipomenon. Etsi enim ipsi nonnihil sint ex linguis mixti, simpliciores tamen

<sup>20</sup> B. Hagelius S.I. (1551-1616), germanus, qui multis annis linguam hebraeam professus est Ingolstadii; cf. *Germ. Sup.* 19, 42r; *GERL. Catal. Gen. Prov. Germ. Sup.* 158; *SOMMERVOGEL* IV 18-19. Vide praeterea quae de auctore et eius scripto traduntur superius, in iudicio *Prov. Germ. Sup.* de lingua hebraea.

sunt reliquis et ob materiam quam tractant, ferme historicam, faciliores. Job a Mose scriptus fertur, sed multum a puritate hebraea abest. Daniel fere chaldaice loquitur; similiter Esther et Esdras. Libri Prophetarum, qui in captivitate vel paulo post, vel ante floruerunt, ab hebraea puritate longissime absunt. Uno verbo, prophetae omnes obscuri sunt, quia numeris fere (nobis tamen hactenus ignotis) vincti sunt, et se rebus [*Stud.* 3, f. 236v] potius accommodant. Psalmi quoque Davidis non ubique hebraeum sonant; concisi et breves sunt in sententiis. Initio grammaticae minime praelegendi sunt, cum nec grammatica ratio in illis perfecta sit, et de sensu tot sententiae apud hebraeos interdum sunt, quot de latinis apud latinos. Commodius igitur provectoribus explicabuntur. Iudaei Cantica Canticorum, principium Geneseos, Ezechielis principium et finem legere et explicare nefas esse volunt ante trigesimum aetatis annum; sed religiosi nimium sunt. Si is professor sit, et illi auditores, quos supra esse diximus, commodissime legi et intelligi poterunt post fundamenta grammaticae iacta, et levem aliquam aliorum faciliorem librorum cognitionem perceptam. Proverbia et omnes libri Prophetici propter obscuritatem, nostro iudicio, ultimo ferme loco legentur.

4. Grammatica, quae praelegetur, Roberti Bellarmini<sup>21</sup> erit, si tamen correctior in lucem prodierit. Multa tractat facile et clare, pauca quaedam obscurius et negligentius. Itaque requiri merito potest, ut si rursus in lucem redeat, loquatur pluribus et clarioribus verbis de accentibus, numeris, nominum derivatione, coniugationum usu et significatione, vocalium mutatione et affixis. Syntaxin et prosodiam paucissimis attingit, de idiotismis et proprietatibus linguae nihil scripsit; quae tamen maxime necessaria sunt. Clenardi tabulae<sup>22</sup> breves nimium et pro provectoribus, quam incipientibus potius scriptae; utiles tamen hebraicae scholae. Quinquarboreus, Iohannes Isaac<sup>23</sup> satis boni grammatici, non tamen usque adeo commodo ordine scripserunt. Apud iudaeos de grammatica pauca scripta reperiuntur, quia fere huius rei ignari sunt. Quae tamen extant optimae, notae sunt: opera Eliae<sup>24</sup> cuiusdam Levitae Germani, et Rabbi Davidis<sup>25</sup> *Michlol*. Hoc est opus perfectum propterea, quod contineat lexicon et grammaticam. Quod opus cuiusmodi sit, ex Xantis Pagnini<sup>26</sup> grammatica et lexico iudicare licet: quod enim ille hebraice scripsit, illud suo latino sermone Pagninus, iudaeus genere, professione dominicanus monachus, expressit. Haec omnia eo spectant, ut, si quae supra in Bellarmino notata sunt, corrigantur, optima illius futura sit grammatica.

5. Lexicon haec schola nullum habet, meo iudicio, idoneum. Scripserunt quidem hebraei, catholici et haeretici; sed scripta lexica nulli satis probari possunt. Apud hebraeos extat altera pars *Michlol* Rabbi Davidis, M. Aruch et Doctor puerorum. Lexicon Kimchi vertit Pagninus, ut supra diximus. Neuter doctis probatur, quod nimium iudeorum quorumvis testimonio tribuant, neque etiam originem vocum probe et rite produnt. M. Aruch vertit Munsterus<sup>27</sup> haereticus. Quis fidem haeretico, aut iudaeo perfido habeat? Doctor puerorum totus hebraicis literis scriptus est, sed interpretatio partim italica est, partim ara-

<sup>21</sup> Vide supra, adn. 15.

<sup>22</sup> Vide supra, adn. 16.

<sup>23</sup> De quibus vide supra, adn. 17 et 18.

<sup>24</sup> Elias Levita (1472-1549), germanus hebraeus; *Grammatica hebraica* (hebr. et lat.), interprete Sebastianio Munstero (Basileae 1525); v. *Ouvr. pédag.* 224.

<sup>25</sup> David Kimchi, rabbi narbonensis (1190c-1240), *Michlol, id est perfectio, in qua parte continetur grammatica hebraica* (Constantinopoli 1532); *Ouvr. pédag.* 377.

<sup>26</sup> Sanctes Pagninus, italicus (1470-1536), *Rudimenta linguae sanctae* (Lugduni 1529); *Ouvr. pédag.* 489-90.

<sup>27</sup> Sebastianus Munster (1489-1552), *Dictionarium hebraicum . . .* (Basileae 1539); *Ouvr. pédag.* 463.

bica. Hoc lexicon, si quod aliud, maxime probaretur. Ex haereticis scripserunt varii varia, suspecta sunt omnia. Restant ergo catholicorum lexica, quae ego quidem viderim et legerim. Quorum praecipuum Pagnini est, de quo supra iudicavimus. Alia extant in Bibliis Regiis Antverpiae impressis<sup>28</sup>, quae ex Pagnino transcripta sunt. Quid valeant, iudicent alii. Quocirca, si professor scholae hebraicae tueri dignitatem suam et auditorum utilitatem curare volet, proponat lexicon novum ex fontibus ipsis et sanctis libris collectum etc.

6. Quanquam lingua hebraica possit ac soleat doceri quovis die ac tempore, commode tamen, ubi id fieri non potest, in vacationibus tantum docere poterit professor. Cum enim auditores ipsius theologi sint, et fatigati gravioribus studiis, quibus ex instituto vacare debent, non volent aut pote-[237r]runt linguis operam navare. Hoc in vacationibus praetendi potest. Deinde, studio assiduo et perpetuo ad mensem unum plus efficitur, quam si quotidie studeas, et tamen nihil contendas, vel quia non possis, vel quia nolis. Tertio, quemadmodum gratissimae alternae camaenae sunt, ut dicitur, ita quoque studiorum varietas delectabit. Quod si ergo quispiam studiosus sit, et aliam rationem in vacationibus, et aliam aliis temporibus studiorum esse viderit, dubium non est, quin utramque amplexurus sit; praecipue, si certus utrobique ordo constiterit. Quarto denique, qui conscientiae quaestiones explicant, aut Scripturam interpretantur, in multis academiis non docent ordinarie, sed tantum, quando vacatur a reliquis studiis. Hebraea doctrina haud minus utilis est, eodemque ferme modo cum reliquis disciplinis conferri potest. etc.

7. Qui scholae hebraicae praefectus est, suum decus ac nomen tunc maxime obtinebit, si vel inter ipsum et reliquos theologiae doctores doctrinae et animorum consensio fuerit. Habent enim auditores eosdem. Qui auditores, si viderint, alios aut contemnere aut non uti, quod ab altero didicerunt, nae illi cum doctore suo minus convenient, quam ipsi doctores inter se conspirant. Quid enim operam et studium suum aliquis in eam rem ponat, cuius usum esse nullum videt, ubi tamen maxime esse deberet? Ostendant igitur alii doctores, sensum Scripturae ex fontibus etiam petendum esse. Convincent subinde haereticos illis sententiis, quas abunde Scriptura hebraica suppeditat, et statim florebut scholae hebraicae.

8. Si idem fuerit Scripturae interpres et linguae sanctae professor, fiet ut cum maiore laude sua et auditorum utilitate, uterque suo munere fungatur. Qui enim hebraeus est, saepe suo diffidens ingenio, ad sanctos patres et Ecclesiae catholicae decreta confugiet, si errorem vitare velit. Qui autem in academiis Scripturas interpretantur, si hebraei non sint, accommodata ad saeculum nostrum et apte ad haereticos convincendos nunquam docebunt in Germania, etc.

#### Ioannes Leopolitanus S.I.

Haebrea lingua posset habere suam dignitatem, si doceretur a professore Veteris Testamenti, qui in suis lectionibus ex fonte haebreo pleraque citaret. Tunc animarentur multi ad studium ipsius quoque grammaticae hebraeae, quae per se est insuavis et onerosa provectionibus, nisi quis sit expertus necessitatem ipsius in Scripturis. [*Stud.* 3, f. 293v]

<sup>28</sup> De *Bibliis Regiis* vide *Encicl. Catt.* II 1569.

## Alfonsus Pisa S.I.

Pag. 169 – Ante tertium annum non videntur theologi ad hebraeam lectionem admit-  
tendi ordinarie. – In Polonia longe commodius audirent hebraea fratres, qui iam sunt in  
graecis et humanioribus mediocriter versati. Habent poloni magnam facilitatem in addi-  
scendis linguis, et habent magnam necessitatem hebraeae linguae, ut respondeant antitrini-  
tariis, qui omnes Scripturas Veteris Testamenti revocant ad hebraeum textum, quem iudai-  
ce exponunt. Nec potest doctus theologus agere cum illis cum honore Societatis, nisi versa-  
tus sit in hebraeis. Theologi iam non in punctis grammaticis, sed in gravissimis controver-  
siis occupari debent. [*Stud.* 3, f. 289r]

## 16

IUDICIA PATRUM, IN PROVINCIIIS S.I. DEPUTATORUM,  
DE RATIONIS STUDIORUM (1586) TRACTATU, QUI INSCRIBITUR:  
«DE STUDIO PHILOSOPHIAE»<sup>1</sup>

## ASSISTENTIA ITALIAE

## Professores Collegii Romani

Circa 1m § – De triennio cursui dando: In hoc universali studiorum ordine nihil attinet ad-  
dere particularem illam exceptionem de eborensi et conimbricensi collegio. Regula vero univer-  
salis, ut philosophiae cursus triennio absolvatur, placet omnibus. Quod item dicitur de quibus-  
dam Germaniae collegiis, eximendum est ab universali ordine studiorum. Abrogetur vero (ut  
dicitur) consuetudo illa compendii logicae praelegendi, antequam in cursum ingrediantur.

2.s § – De applicandis ad casus conscientiae: totus placet.

Circa 3.m § – De examine post Summulas faciendo: et melius et commodius fiet hoc exa-  
men post Praedicamenta. Quod vero ibidem dicitur: Omnes simul examinandos esse – non  
probatur. Praestat enim ternos vel quaternos examinari. Tollatur illud, quod praescribitur, ut  
praemoneantur, qui non videntur ad examen idonei. Quod vero subditur, esse caute aliquos  
subtrahendos examini, non videtur regula praescribendum, sed relinquendum superiorum pru-  
dentiae. Exceptio item illa seu specificatio de transalpinis, non probatur. Et quae sequuntur ad  
finem usque §, eximantur ab hoc ordine et superioris iudicio permittantur.

Circa § 4 – De non mittendis ad cursum, nisi post annum humanitatis et alterum rheto-  
ricae, regulariter quidem ita videtur esse faciendum. Caeterum, saepe conveniet tum Socie-  
tati, tum externis, etiam scholasticis, ut vel ratione aetatis, vel ingenii, vel aliarum circum-  
stantiarum promoveantur ad logicam ex ipsa classe humanitatis. Quod ad nostros [*Stud.* 3,  
f. 44r] attinet, placet sane, ut biennio etiam et triennio in rhetorica exerceantur; si tamen  
speratur fore ut evadant insignes. De germanis et anglis nihil videtur hoc loco definiendum;  
est enim res valde particularis. Reliqua placent.

§ 5.s – De Aristotele interpretando etc.: Maneat ut iacet; nisi quod P. Rector [Sardi] et  
P. Pererius nollent ullo modo prohiberi nostris, quin facere possint tractatus seorsim ab

<sup>1</sup> Textum huius tractatus videsis in MP V 95-109.

Aristotele, ubi diligenter et accurate, ut patres praecipiant, explicaverint textum Aristotelis. Caetera probantur; ita tamen ut illa translatio Aristotelis ex graeco in latinum sermonem publice non explicaretur aut citaretur; sed tantum quae nunc vulgata est. Esset illa tamen usui et adiumento nostris. Excepto P. Rectore, qui censet illam esse etiam citandam et explicandam publice in scholis, modo digna iudicetur.

Circa § 6.m – De duorum mensium spatio Summulis dando, conveniunt omnes. Videretur autem prohibendum solum, ne singuli praeceptores singulas summulas facerent, sed unam certam eligerent, quae optima iudicaretur. Caeterae res placent quidem, sed non omnia regulis definienda.

Circa § 7.m – Quod patres censent statuendum de Porphyrio<sup>2</sup>, P. Parrae, P. Pererio et P. Augustino [Giustiniani] non placet. P. Rector et P. Belarminius id probant vel maxime.

§ nonus – De Averroë<sup>3</sup>: Placet totus ut iacet; excepto P. Pererio, cui videntur quaecunque et in Averroë et in aliis gentilibus vere dicta sunt, simpliciter esse citanda atque docenda; praesertim cum in digressionibus Averrois uberius soleat esse philosophiae doctrina.

§ item decimus – Qui fieri debeant philosophiae professores; probatur totus, sed videretur reponendus in regulis superiorum et praefecti.

§ undecimus – De privato nostrorum studio et de libris: Placet totum.

Circa § 12.m – De hora: Conveniunt omnes; ita tamen, ut expresse praescribatur professoribus, ne horam excedant. Quod ad repetitiones pertinet, licet aliud de theologicis iudicaverimus<sup>4</sup>, probamus tamen repetitiones philosophiae prout patres definiunt. [44v]

Circa § 13.m – De philosophia morali introducenda: Placet ut inducatur, ubi cum dignitate et commode fieri potest. P. Benedicto [Perera] et P. Parrae, quia ea lectio nusquam posset cum dignitate continuari, potius videtur non esse introducenda, etiamsi in praesens alicubi posset digne praelegi. Disputationes in ethicis nulli probantur, cum haberi non possint sine magno incommodo disputationum philosophicarum, nec magnus inde speretur fructus.

§ 15.m – De conclusionibus dominicis diebus defendendis etc.: Placet totus.

Circa § 16 – De disputationibus menstribus: Omnia placent, praeter illud de ethicis, ut dictum est. De disputationibus vero, ubi est unus tantum cursus, probantur omnia.

Circa § 17.m – De actibus faciendis et de seligendis per examen discipulis, qui illos sunt habituri: Placet quod dicitur. Illud vero quod examen publice fiat et omnes examinentur, probatur nemini; tum quia id praestari non posset propter alias multas exercitationes quae praescribuntur, quae inter se convenire non possunt; tum quia est res permolesta et discipulis et examinadoribus. Adde, quod vix ullus inde fructus perciperetur, cum illis praesertim circumstantiis, quae apponuntur a patribus. De tempore vero actuum: Quod pertinet ad actus, de quibus in hoc § agitur, satis videtur esse, si totum illis scholarum tempus detur; duae videlicet horae cum dimidia, sive mane sive vesperi; tum ne professoribus intermittendae sint lectiones; tum quia nimis onerantur et auditores et professores. Accedit, quod est hoc minus utile, minimeque necessarium. De numero argumentantium, placet ut sint tres et tales quales patres esse volunt. Addendum tamen esset (ubi id commode fieri potest), non enim semper in promptu fortasse erunt doctores ac professores. Quod ad id spectat, ut intersint omnes cum philosophi tum theologi studiosi, probatur omnibus; uno P. Parra excepto, qui nollet ad id theologos obligari. Porro de professoribus theologis satis esse defini-

<sup>2</sup> De Porphyrio et eius *Isagoge* vide MP I-V 11 et passim.

<sup>3</sup> De Averroë, philosopho arabo vide MP II-V 478 et passim.

<sup>4</sup> Vide supra, mon. 12 (Prof. Coll. Rom. in cap. IV).

re, ut rector vel praefectus curaret, ut saltem aliqui semper interessent, ac si vellent, argumenta prosequerentur. [45r]

Circa § 18 – De modo praelegendi: Satis videtur regula illa generalis duobus primis versibus contenta: Philosophi ne amplificent quae percurrenda sunt etc. Reliqua, quae in particulari traduntur tam de logica quam de physica et metaphysica, videntur superflua, neque in particulari praescribenda; ac, si praescribenda essent, longe aliter viderentur debere praescribi.

Circa § 19.m – De distributione philosophiae in singulos annos: Satis erit illud definire, ut suae cuique anno et certae materiae attribuantur. Primo videlicet anno tota logica; 2<sup>o</sup> anno octo libri Physicorum, qui quam fieri potest, diligentissime exponantur; item libri De caelo, et primus liber De generatione; 3<sup>o</sup> demum anno secundus liber De generatione, tres libri De anima omnino accuratissime praelegendi; denique Metaphysicae tres ultimi menses tribuantur; ita ut septuaginta vel octoginta circiter lectionibus explicetur. Optandum praeterea maxime esset, ut libri Meteororum eo tempore, quo studia intermittuntur, cum una tantum in die habetur lectio, exponerentur ab uno aliquo extraordinario praeceptore; vel ab ipso praeceptore cursus, si posset et vellet, ultima hora pomeridiana. Si enim Meteora 2<sup>o</sup> vel 3<sup>o</sup> anno inserantur ordinariis lectionibus, fieri nulla ratione potest, quin tempus necessarium praeripiatur libris Physicorum vel De anima vel De generatione; et mutiletur necesse est tractatio eorum librorum atque interpretatio, qui sunt omnes per diligentem explicandi. Dissentit unus P. Parra, qui velit, 2<sup>o</sup> anno praelegantur octo libri Physicorum, libri De caelo et tres Meteororum; 3<sup>o</sup> vero anno libri duo De generatione, tribus circiter primis mensibus; tum vero libri tres De anima, quinque fere mensibus; reliquum tempus detur Metaphysicae.

Circa § 20 – De opinionum delectu: Placet. Illi tamen regulae hoc addendum videtur, ut nulli liceat ab Aristotelis opinione recedere, nisi in iis, quae vel fidei repugnant vel alicui opinioni iam communiter in scholis receptae.

### Provincia Mediolanensis

N<sup>o</sup> 3 – Videtur satis seorsim singulos examinare, non simul, ut videntur velle sex patres romani; – 1<sup>o</sup> ne ipsi discipuli sint quasi iudices tum eorum qui examinant, tum eorum qui examinantur; – 2<sup>o</sup> quia accidere potest ut ex duobus paribus unus sit excludendus, quia cum eodem sint ingenio – id est, minus quam mediocri – tamen alter prudentia et usu rerum ad gubernationem excellit; quo in genere admittendos aliquos esse etiam ipsi patres fatentur.

Rursus, qui apti non sunt, cum dexteritate admonendi sunt, ut patres romani dicunt; sed ita tamen, ut intelligant, se ideo reiici, quia apti non sunt examinantium iudicio; alioquin [*Stud.* 3, f. 152r] experientia comperimus, eos numquam acquiescere, sed semper ad studia aspirare.

N<sup>o</sup> 4 – Biennium rhetoricae communiter nimis longum videtur. Multi enim parum apti ad excellentem linguae latinae cognitionem videntur; si qui vero vel iuniores fuerint, vel magnae indolis in hoc studio, possent ad biennium et triennium retineri; praesertim si eorum propensio accedat, quae ad perficiendum in hoc studio multum facit.

N<sup>o</sup> 5 – Quod dicitur de nova versione Aristotelis facienda, quae sententiam retineat, verba commutet, non placuit nostris doctoribus: – 1<sup>o</sup> quia textus noster in sua brevitate et obscuritate habet multos sensus, quos dant graves doctores, nec sunt excludendi. – 2<sup>o</sup> quia in omnibus academiis hic textus iam receptus est, et alio textu uti, praesertim tam diverso,

esset aliena lingua apud omnes loqui. – 3<sup>o</sup> quia gratius est audire Aristotelem latine sine iudicio interpretis interposito; quod saepe suspicionem parit parum fidelis versionis. – 4<sup>o</sup> quia illa nec versio esset, nec paraphrasis, ac propterea ingrata. – 5<sup>o</sup> Experientia docet versiones illas Perionii<sup>5</sup>, Gruchii<sup>6</sup> latini paulatim concidere.

N<sup>o</sup> 6 – Prohibendum est expresse, ne dictetur a magistro Summula vel seorsim detur discipulis describenda; quia multitudo parit confusionem, et tunc neutra intelligetur a tyronibus.

Addimus etiam, in ea summa, quae praelegenda est, sive sit Patris Fonsecae<sup>7</sup>, sive alterius, non esse relinquendum arbitrio magistri, quid omittendum sit, sed typis cudatur eo modo, quo legi debet. Certe Patris Fonsecae liber videtur restringendus quoad res, et aptandum esset, ut sermo esset [152v] magis concisus, nec tam oratorius. Faciunt enim verba multa et elaborata, ut sententia elabatur, nec in tanta verborum copia facile discipulus modos rei facile explicandae arripit.

N<sup>o</sup> 7 – Nulla ratione videtur dimittendus Porphyrius, cum in omnibus academiis sit usitatus, et ab omnibus doctoribus expositus, et in colloctionibus familiaribus vel disputationibus ab aliis citatus a nostris cum dedecore ignoraretur.

N<sup>o</sup> 13 – Satis videtur dimidium horae ad moralem lectionem; et quia est pomeridiana, nec eo tempore gravanda sunt capita, ob cibi concoctionem; et quia satius est dare aliquod tempus repetitioni et quieti, ut sint alacres ad lectionem philosophicam; et quia vix umquam finitur lectio ad pulsum campanae, quin aliquid tempus praeterlabatur.

N<sup>o</sup> 17 – Examen illud publicum non probatum est; neque placuit obligatio ad duas horas, ut dictum est supra cap. 10 praxis theologiae fusius<sup>8</sup>. Addimus etiam, pro externis auditoribus defensuris posse invitari aliquem religiosum, si ei libuerit, qui defendit, qui primo loco vicem patris nostri habeat.

Rursus, ad actus publicos nostrorum iudicamus, ordinarie non esse invitandos externos honoris causa, nisi disputatio fiat nomine totius collegii ad famam conciliandam vel alia iusta causa superiori videatur.

N<sup>o</sup> 18 – Ordinate et distincte in philosophia ponendi sunt libri, qui leguntur, et iuxta eos apponantur, quae annotanda sunt, ut factum est in praxi theologiae cap. 4 hoc fere modo: Summulae nihil dictetur, nisi brevissimae annotationes, ut assuescant futurae scriptioni auditores. Prolegomena brevissime, agatur de secundis intentionibus vel de ente rationis; nam plena tractatio est in metaphysica. Non disseratur de [153r] practico et speculativo, neque de unitate scientiae.

Porphyrius – De universalibus per aliquot propositiones brevissime aliquid tradatur, et plenior tractatus reservetur in metaphysica; nihil de ideis, nihil de unitate formali; in capite de specie non agatur de principio individuationis; est enim res metaphysica; in capite de genere non agatur de distinctionibus realibus, rationis, quia est metaphysicum.

Sextum caput de comparatione universalium vel omittatur vel compendio explicetur.

Praedicamenta – Tractatus exactus et plenus de ente et singulis praedicamentis fiat in metaphysica. Hic satis erit aliqua dicere ad Aristotelis intelligentiam.

Libri Periermenias – Non disseratur de providentia vel praescientia, de libero arbitrio, de natura contingentiae, de verbo mentis. Liber secundus compendio explicetur tantum.

<sup>5</sup> Joachim Périon (1499-1559) OSB, gallus; cf. *Biographie Générale* XXXIX 613-14; *Ouvr. pédag.* 499-500.

<sup>6</sup> Nicolaus de Grouchy (1520c-1572), gallus; cf. *Biographie Générale* XXII 221.

<sup>7</sup> Petrus de FONSECA S.I., *Institutiones dialecticae* . . . (1564); vide SOMMERVOGEL III 837-38.

<sup>8</sup> Vide supra, mon. 12 (Prov. Mediolan. in cap. X).



Libri Priorum – Octo vel novem priora capita explicentur; reliqua vel per compendium vel omittantur. Tractentur quaestiones propriae, ut de propositione, de inesse, an ex maiore necessitate minore de inesse sequatur conclusio necessaria.

Libri Posteriorum – Sunt exacte explicandi; secundus vero, si non licuerit per tempus, compendio.

Libri Topicorum – Si per tempus licuerit, explicari potest primus et secundus. Libri Elenchorum omittantur; tractatus autem sophismatum haberi potest ex Summulis.

Libri Phisicorum – Textus primi de opinionibus antiquorum explicari possunt compendio, et opiniones eorum brevissime explicentur.

De creatione, si placet agere hoc loco, pure philosophica explicentur, omissis theologicis.

De forma breviter disseratur, omissis metaphysicis, vel de anima, ut an detur forma separabilis.

In secundo tractatu de causis non agatur de ideis divinis, sed tantum contra Platonem, et ad quod genus causae pertinent; nihil in tractatu de casu et fortuna; agatur de providentia.

In 3<sup>o</sup> textus de infinito potest compendio tradi. [153v]

In 4<sup>o</sup> tractatu de loco non disseratur de ubiuitate Dei, neque de loco substantiae spiritalis.

Textus de vacuo potest per compendium tradi.

Tractationes de tempore – Nihil de aeternitate, tempore discreto; de aevo parum, quia theologica sunt.

Sextus liber et septimus possunt per compendium tradi.

In octavo non disseratur de infinitate primi motoris, de necessitate in agendo, quia metaphysica sunt.

Libri de caelo – Textus saltem praecipui primi et secundi explicentur; reliqui per compendium. Quae astrologica sunt, omittantur, si est magister mathematicus; sin secus, tradantur breviter.

Libri de Generatione, de corruptione – Hic intelligatur dictum, quod primo Physicorum dictum est; nihil de resurrectione, de daemonibus et tractione eorum de strigis seu lamiis, de magia et incantationibus.

Libri Metheorum – Textus Aristotelis compendio explicetur vel etiam omittatur, si temporis angustiae id exigant. Quartus Meteorum omittatur, nisi tempus supersit.

Libri de Anima – Textus primi de opinionibus antiquorum potest compendio tradi.

In secundo propter honestatem nihil agatur de potentia generativa animalium; in eodem anatomica omittantur, et medica; nihil etiam de physionomia.

In tertio non videtur agendum de statu animae separatae.

Libri metaphysici – Servetur in his, quod sex patres tradunt hoc numero 18.

N<sup>o</sup> 19 – Videntur nobis, tertio anno cursus dandi sex menses, duo de generatione et libris de anima; et quatuor satis esse pro metaphysica.

Addendum hic videtur, multis de causis non expedire, ut liberum sit magistro finire cursum, quando voluerit; sed ad summum 15 dies ante alios; nam et domi disciplina turbatur, dum nostri iuvenes non occupantur et desiderio absolvendi potest magister vel multa omittere, vel non pro dignitate tractare, vel discipulos nimium onerare scriptione.

### Provincia Neapolitana

Visum est omnibus, quod spectat ad Summulas, iis, qui certo futuri sunt casistae, non esse eodem tempore [*Stud. 3, f. 101r*] praelegendas, quo a futuris philosophis audiuntur. Id

enim fieri non posse sine iactura earum lectionum, quae interim a casistis audiuntur. Quocirca ut canoni 17 2ae congregationis<sup>9</sup> satisfiat, posset illis privatim perlegi dialecticae compendium ante studiorum instaurationem.

§ 5 – Omnes communi consensu iudicarunt, quaestiones, quae incidenter occurrunt ex textu Aristotelis, iudicio praeceptoris relinquendas, velint eas ibi tractare vel omittere, si parvi momenti sint, vel in commodiorem locum reicere. Tractatus autem in philosophia non modo utiles, sed pene dicam necessarij videntur, quia cum in fine omnium textuum Aristotelis de aliqua materia instituendae sint eadem de re quaestiones, ut praescribunt patres, quis non videat, commodius futurum, si aliquo certo ordine, certaue methodo proponantur et explicentur? Hoc autem nihil est aliud, quam tractatus et disputationes instituere. Placet tamen, prius textum Aristotelis quam accuratissime explanari.

§ 7 – Nemini videtur a nostris scholis reiiciendus Porphyrius; tum ne videamur soli sapere, cum in omnibus academiis explicetur, tum quia iam videtur in scholis obtinuisse, et doctissimorum commentariis illustratus omnium philosophorum manibus quotidie teratur.

§ 8 – Quae dicta sunt de theologis, eadem placet hoc loco de philosophis intelligi.

§ 12 – Quod spectat ad modum dictandi vel non dictandi, idem esto iudicium, quod de theologis; quod ad repetitiones autem, pene idem. Constitutiones enim 4ae partis cap. 6 littera H<sup>10</sup> tantum praecipunt, ut repetitiones fiant in scholis vel domi. Atque ideo videntur loqui de nostris tantum. Sicubi tamen repetitiones in scholis cum utilitate fieri iudicarentur, possit id integrum relinqui superiorum iudicio.

§ 13 – De philosophia morali dissentiunt patres; tribus enim probatur id quod definitum est. Patribus Bernardo [Colnago] et Benedicto Maiorio nequaquam; si enim, inquit Pater Bernardus, incidat huiusmodi lectio in tertium annum, ut praescribitur, necesse est vel enucleate ac subtiliter morales quaestiones tractari; – quod si fiat methaphisicis, erit valde onerosum; quippe qui per id tempus gravissimis lectionibus distineantur, et toti fere sint in comparandis conclusionibus, quas absoluto curriculo publice defendent –, vel ieiune tantum ac tenuiter; et hoc praeceptoris male cedit; quippe cuius autoritas auditoribus subtilioribus disputationibus assuetis ludibrio sit futura. Pater autem Maiorius affirmat, se vidisse huiusmodi lectionem aliquando inchoatam in Collegio Romano, deinde ob inopiam auditorum omissam. Itaque nollet eam introduci. Si tamen introducatur, nullo modo disputationes ut mox dicetur § 16.

§ 16 – Patri Maiorio tollendae videntur disputationes ethicae quia neque magnum fructum pollicentur, et non mediocre incommodum afferunt disputationibus philosophicis.

§ 17 – Principio nulli placet examen publicum institui coram omnibus philosophiae auditoribus; id enim nimis laboriosum esset. Itaque satius iudicarunt, seorsum ab examineribus fieri. – 2<sup>o</sup> Videntur excipiendi [101v] ab examine, qui iudicio superioris, audito praeceptore et praefecto, censerentur inepti. – 3<sup>o</sup> In examine singulorum non videtur praescribendum certum tempus, sed relinquendum examinerum iudicio; et certe non deberet excedere horam; alioquin enim fore tum scholasticis tum examineribus supra quam dici potest et molestum, et onerosum. – 4<sup>o</sup> Ea distributio actuum quae hoc loco praecipitur, in magno nostrorum numero communiter servari non potest. Alii enim vacare debent theologiae; alii alio mittuntur, ut scholis praesint; atque ita in fine lectionum deberent omnes esse

<sup>9</sup> Vide *Institutum S.I.* II 532 n. 17; et MP III 10 n. 88.

<sup>10</sup> Vide MP I 239 241.

liberi et expediti. – 5<sup>o</sup> Doctori externo, praesertim si sit ecclesiasticus, non videtur tribuendus secundus locus in argumentando in nostris praecipue scholis, sed potius primus. Quocirca praestaret fortasse, ut primo loco argumentaretur aliquis professor philosophiae seu theologiae e nostris, vel doctor externus. 2<sup>o</sup> loco aliquis ex antiquioribus auditoribus theologiae. 3<sup>o</sup> denique loco condiscipulus. – 6<sup>o</sup> tribus patribus non videntur cogendi professores theologiae, ut intersint actibus, sed satis esse ut rector vel praefectus curent aliquem ex illis adesse; quod tamen Patri Rectori [Spinelli] et Patri Blasio [Mucantius] videtur secus, propter maiorem splendorem et auctoritatem; cui plurimum confert professorum praesentia.

§ 18 – In extrema parte huius paragraphi visum est omnibus, quaestionem de supposito et natura, quaestionem item de concursu Dei cum causis secundis non esse methaphisico prohibendas, dummodo theologica non attingat.

§ 20 – In opinionum delectu nulli placet definiri primam et 2am propositionem, quia sunt contra D. Thomam; nec quartam, quia est de re levi, et multis videtur falsa; nec quintam, tum propter auctoritatem D. Thomae contra sentientis, tum quia Patri Bernardo videtur quaestio de nomine. In propositione decima Patri Bernardo, Patri Maiorio et Iustiano videtur tollendum illud «univoce», quia est quaestio de nomine; in quo tamen dissentiant Pater Rector et Pater Blasius. In undecima Pater Bernardus vellet tolli verbum illud «proprie», ne detur occasio ambigendi circa vim vocabuli subsistentiae. Duodecima nulli videtur definienda, quia nonnullis videtur repugnare Divo Thomae. In decima tertia nulli placet definiri quod dicitur de hominis cogitativa, quia secundum D. Thomam et alios dicitur collativa intentionum individualium.

Decima 5a nulli probatur, quia est de re levi.

### Provincia Sicula

Circa nonum punctum arbitrati sunt patres, non videri inconueniens, si citentur opinioniones, dummodo non fiant sectae, iisque nostri non addicantur.

Circa decimum septimum punctum: Cum multa sint quae hic dicuntur, quaedam [Stud. 2, f. 35v] a patribus recepta sunt, quae idcirco hic a nobis praetermittentur. In quibusdam patres discreparunt; horum autem primum est de iis qui ad actus admittendi sunt; nam tres patres censuerunt admittendos esse tantum excellentes; tres vero reliqui praeter hos etiam eos, qui excederent mediocritatem.

Secundum est de actibus vel examine externorum discipulorum. Omnibus enim patribus visum est, externos etsi ad actus publicos non sunt cogendi, si tamen velint defendere, non esse admittendos nisi examinatos.

Tertium fuit de numero examinatorum. Iudicarunt patres, necessarium esse ad minus quinque certos esse debere ac determinatos, quorum unus sit praefectus, alter examinandum magister; tres reliqui, ut diximus, semper iidem et non vicissim commutati. Quamvis enim satis est, ut in unoquoque examine praeceptor et unus ex reliquis vicissim commutatus examinatoris munus obeant, reliqui tamen adesse semper debent examini, ut suffragia ferre possint; quod merito et recte ferre non poterunt, nisi auditis omnibus examinandis.

Quartum de initio ac tempore actuum, existimarunt omnes, satis esse, si post Pentecosten inchoentur.

Quintum est de fine actuum. Necessarium putarunt patres, ut omnes actus in fine triennii absolvantur; nam philosophiae cursu absoluto, plurimae interveniunt mutationes, et anno sequenti absque theologiae inchoatae detrimento huiusmodi actus haberi non possent.

Sextum est de examinandis. Voluerunt enim patres binos ternosve examinari, satius esse quam singulos.

### Provincia Veneta

Pag. 171 § 2. – Consideratione dignum videtur, num addendus sit quartus annus philosophiae curriculo perficiendo, ita ut quarto anno explicetur metaphysica per aliquot menses unica praelectione singulis diebus; ut interim parare se una possent discipuli ad publicos actus celebrandos iuxta Const. 4 part. c. 15 § 2 B<sup>11</sup>. Hoc enim pacto commodius et melius explicarentur ea, quae ad philosophiam spectant; quorum multa vel omittuntur omnino, veluti libri de caelo, et meteororum, vel imperfecte tractantur; quod in Metaphysica saepe numero videmus accidere, ut vix eam partem professores attingant, cum tamen ad theologiam capessendam maxime omnium sit accommodata. His accedit quod opus non esset, ut alter doctor sufficeretur ad libros de caelo et meteororum explicandos. Quae res maxime vel ob id videtur incommoda, quod raro contingat, ut is philosophiae professoris doctrinae [*Stud. 3, f. 160v*] sit plane conformis. Unde et distensionis non levis occasio nasci solet inter nostros. Id etiam maxime persuadere debet, quod quarto anno nostri parare se debent ad publicos actus celebrandos; et si qui ex externis nolent adesse, non magno fructu privarentur, cum Metaphysicam vix etiam leviter degustent anno curriculi tertio.

Pag. 177 § 4. – Rhetoricae facultati adipiscendae biennium tantum tribuendum videtur; quicquid autem superaddatur, anget auditores, ita ut saepe vel ad studia ineptiores accedant; vel si quid in ea facultate profecerint, aegre ad graviora studia subeunda consendant.

Pag. 182 § 6 – Ad ea verba logicae Summula etc., Patris Fonsecae Summula<sup>12</sup> prolixa videtur; quare vel ea brevior et commodior efficienda, vel alia edenda. Idque quamprimum; nam plerique praeceptores huiusmodi introductiones a se compositas, vel hinc inde nonnunquam etiam parum pro dignitate compactas discipulis tradunt; praesertim qui numquam philosophiam aut logicam docuerunt, necdum constituerunt, quid ipsis in progressu anni de multis opinionibus sentiendum sit. Quare cavendum videretur, ne quisquam cum primum accedit ad philosophiam docendam, huiusmodi summulam componat, sed aliquam ex editis consilio superioris deligat explicandam. Possent autem summulam conficere praeceptores, cum secundum philosophiae cursum aggrediuntur.

Pag. 184 § 11 – Dummodo is Averroes<sup>13</sup> non sit etc., ut ut verum sit, non expedire discipulos nostros domesticos, qui vix summis labris philosophiam degustarunt, in Averrois perobscuri commentariorum lectione versari, nihilominus decere magis videtur, ut is in hac formula et studiorum ratione minime nominetur. Iudicium illud sit praeceptoris vel praefecti, utrum consultius discipulis sit, hunc vel illum auctorem ipsis decernere. Si enim nominetur, cum omnibus illud insitum naturale sit, ut in vetitum semper animus intendat, exardescet in auditoribus legendi Averrois appetitio. Neque bene audient nostri apud externos, quod Averroen non tam veritatis eversorem, quam odio quodam et contrarietate quadam in illum, animorum perturbatione ducti, illum oppugnandum susceperint. Denique, plus Averroen facimus quam oportet, si quidem dignum illum putemus, qui nominatim a nostris studiis propulsetur.

<sup>11</sup> Vide MP I 303.

<sup>12</sup> De qua vide supra, adn. 7.

<sup>13</sup> De Averroee vide supra, adn. 3.

Pag. 190 191 – Qui examine praevio ex convictorum collegiis seligendi sunt ad actus publicos celebrandos, unico tantum examine probandi sunt. Ad quod examen illi omnes convenient, quorum iudicio demandata est a superioribus approbatio. Sesquihoram non multum excedere debet examen. Nam et illos, qui ad illud perfrequens convenire debent, et eos quorum scientiae et ingenii periculum fit, examen aequo longius torquet et angit; facillimumque esse videtur etiam minoris temporis spatio iudicium ferre, tum de eorum qui examine probantur ingenio, tum etiam de iis, quos in ea facultate fecerint, progressibus.

Pag. 193 – Ad finem, ubi de motoris primi virtute infinita atque libertate tractandum esse in metaphysicis praecipitur, notandum id minus expedire; tum quia is locus magis proprius est, in quo et Aristoteles ipse [tractat], iuxta cuius sententiam illud explicandum, et caeteri, qui de philosophia naturali quam optime meriti auctores egerunt; tum quia motor ipse, qui principium effectivum motus est, physicae considerationis est. A motore enim sicut a motu res penitus avulsas tractat metaphysicus, et saepe docet Aristoteles, ad materiam et subiectum physicum spectare; tum quia medium ad id probandum physicae referri debet acceptum; ac ob id tota de motoris virtute et libertate tractatio philosophiae naturalis propria [161r] erit, ac improprie ad metaphysicam transferetur; tum denique quia cogeretur philosophiae doctor eadem saepe repetere. Nam cum Aristotelis 8 Physicorum librum interpretatur, necessario multa in eandem sententiam, imo pleraque omnia ad motoris virtutem ac libertatem, vel tollendam vel statuendam, cogetur docere; eademque in metaphysicis, ubi res ex professo exagitantur, necessario repetere. Quare videtur liberum relinquendum doctoribus, ut eam rem ex suo arbitratu, ubi magis expedire iudicaverint, exponant.

Eadem pag. plane in fine cautum est, ne philosophi de concursu Dei cum causis 2is, disserant, sed totum illud negotium theologo relinquunt. Videtur tamen posse suo iure philosophus philosophice, ex Aristotelis et aliorum philosophorum placitis eam disputationem desumere; neque id sine auditorum fructu continget; tum quia auditis iis, quae a philosophis sunt disputata, faciliorem sibi faciunt gradum ad eandem secundum veritatem theologicam assequendam; tum quia multa diceret ea de re philosophus quae vel referri non docet theologum, et multa, quae si diceret ac vellet, per tempus non liceret afferre in medium; tum demum, quia multi ex externis auditoribus philosophia percepta aliis acquirendis disciplinis se dedunt, et ea disputatione privari non debent.

Pag. 194 195 – Prohibentur philosophi, ne de supposito ac natura disserant, neque de aliis, quae pendent ex veritatibus revelatis. Sed iniuria id cautum esse videtur ob eas, quae supra recensitae sunt rationes; et usus iam obtinuit, ut de iis omnibus philosophice philosophus disserat. Et cum veritas veritati non repugnet, sed optime quadret philosophica veritas ad veritates revelatas rite percipiendas, mirum in modum valere videbitur. Quod si ea omnia sint praetereunda philosopho, quae ex revelatis pendere possunt, quamplurima, scitu omnium in philosophia dignissima, relinquenda forent. Atque eorum fructu ac delectatione iniuria auditores ii privarentur, qui non sunt theologiam, in qua illa tractantur, audituri. Nostrorum autem doctorum labor non tantum ad domesticos, sed etiam et maxime pertinet ad externos; praeterquam quod ex eiusmodi rerum eximiarum ac illustrium neglectu nostrorum doctorum atque scholarum nonnihil collaberetur auctoritas.

Pag. eadem sub finem – Certum quoddam tempus libris de Anima et Metaphysica decernitur. Visum est fore commodius et aptius, si Metaphysicae interpretandae certus quidam lectionum numerus statuatur; haeque satis esse possunt circiter centum, non quidem plures. Octuaginta autem minime pauciores. Quod si maluerint tempus praefigere, illud quidem pro libris de Anima sex mensium sit. Reliquum in Metaphysicam insumendum . . .

Pag. eadem ad finem – Post aliquot definitas propositiones haec verba adnectuntur: «Et aliae id genus [161v] opiniones» etc. Quae contentionum atque altercationum seminarium constituere poterunt inter professores et praefectum. Quamobrem satius esse videtur, ut omnes quae praescribendae sunt, apponantur; quibus exceptis, liber opinandi campus relinquatur professoribus.

#### Didacus Tapia S.I.<sup>14</sup>

Circa cap. p.m. § 4 fol. 177 de studio humanitatis praemittendo — Nimis grave videtur cogere nostros ordinarie, ut audiant per annum humanitatem et per biennium rhetoricam; maxime cum aetas non id, nisi aegre admitteret, ingenia non indigerent, et ab usu regionis is mos alienus esset. Satis ergo est, ut observetur Constitutio de non admittendis ad philosophiam, nisi eos qui fuerint bene in humanitate fundati<sup>15</sup> iudicio superiorum. Si enim ita praescriberetur, saepe esset inutilis labor et aliorum et studiorum et ministeriorum impedimentum.

Circa delectum opinionum in philosophia (fol. 196) de sequenda Aristotelis doctrina –

Omnes sentiunt quod hic affirmatur de non recedendo ab Aristotelis doctrina, ubi ea fidei non contradicit; sicut et nostrae praecipunt Constitutiones<sup>16</sup>.

Sed providendus esset modus, quo Aristoteles non traheretur in tam diversas opiniones, illum unoquoque suo modo interpretante. Sic enim Aristotelis doctrina obscurissima et ineptissima unitatis regula est in philosophica scientia. Etenim hodie diversissimae sunt de philosophia doctrinae. Et nihilominus unusquisque non nisi Aristotelem se sequi praetendit. Thomistae arbitrantur, veram philosophiam Aristotelis habere, quod eorum dux probe illum intellexerit et studiose secutus fuerit. Aliis adeo thomistica philosophia viluit, ut fere nihil dignum Aristotele in ea esse censeant. De quo iam dixi supra, regulam nominam<sup>17</sup>. Quocirca in exponendo Aristotelem unusquisque in suo sensu abundare vult; nullum Aristotelis commentarium perfectum putat, et nisi proprios conceptus, aut certe illos, quos transcribit ex scriptis aliorum, dictet discipulis, nihil dignum invenit, quod illis explanare possit. Ex quo sequitur in professoribus opinionum magna varietas. Quas enim unus probat, alter approbare renuit. Sequitur magnus discipulorum labor in transcribendo, quae melius inveniuntur impressa; immo discipulorum ruina. Amittunt enim plerique sanitatem; et omnes labore scribendi nimium occupati, minus expedita ingenia habent ad percipiendum ea, quae scribunt. Quocirca experientia compertum est, quod et ego attentissime animadverti, illos evasisse praestantissimos omnium, qui minus scripsere, et plus attentioni lectionum et exercitio argumentandi dediti fuerunt.

Prima, quia hi, qui non scribunt, possunt plus temporis ponere quieto studio et in eo copiosiori cum fructu ingenia exercere. Quam ob rem tam propter unitatem in aristotelica doctrina, quam propter maiorum discipulorum progressum deberet R.P. noster Generalis praecipere severe, ut in philosophia et logica legerentur aliqua commentaria vel ex factis, vel si aliqua meliora fierent. Quamvis in nonnullis non tanti momenti opinionibus vel explanationibus posset esse libertas, sicut et in theologia iudicatum est convenire. [*Stud. 2, f. 52v*] Nec hoc difficile reputetur, quoniam factum est saepius in Societate et cum ingenti fructu, et fit in nonnullis saecularium universitatibus. Quare ergo nostri professores amore obe-

<sup>14</sup> De D. Tapia S.I. vide *Introd. gen.*

<sup>15</sup> Vide *Const. P. IV c. 6 § 4*; MP I 233.

<sup>16</sup> Vide *Const. P. IV c. 14 § 3*; MP I 299.

<sup>17</sup> Vide supra, mon. 10 (D. Tapia S.I.).

dientiae ducti non legent aliquem commentarium per superiores designatum? Certe ego nescio, quare scripta philosophiae, quae non a veteranis philosophis nimis celeriter componuntur, in magno pretio habentur, et quae in lucem edita sunt, magna cum consideratione a viris omnium consensu praestantissimis, adeo viluerunt? Nec video, quomodo qui non adeo magna scientia praeditus est, quotidie proprio ingenio possit binas lectiones praeparare et dictare discipulis et veritatem attingere, et eam non inveniet in libris, qui per multos annos considerati et conscripti fuerunt et tandem cum multo examine in lucem editi? Dices, in eis esse quasdam opiniones quae non placent, quasdam quae non bene fundatae sunt. Certe in scriptis, ex quibus transcribuntur lectiones, et in illis qui dictantur, erunt plures opiniones falsae et non ita bene fundatae illae quae verae sunt; maxime quia ille qui dictat, debet studere brevitati et multa omittere. Non certe videtur ulla digna excusatio ut non legant nostri aliquem ex editis commentariis vel ex edendis.

### Assistentia et provincia Lusitaniae

Pag. 171 – Nec conimbricense nec eborense collegium philosophiae cursum triennio absolvit; hoc enim transacto, adhuc philosophi semestri spatio unam audiunt philosophiae lectionem per duas horas a prandio. Multae tamen eaeque graves rationes occurrunt, quae in his etiam collegiis philosophiae cursum triennio circumscribi debere persuadeant. Primo, quia id magis congruit cum Constitutionibus parte 4a c. 15 num. 2<sup>18</sup>. – Deinde, quia ita habet usus plurimarum academiarum. – 3<sup>o</sup> quia hac [*Stud.* 2, f. 301v] ratione plures habebit philosophia auditores, quos quadriennii nomen deterret, et ab eloquentiae gymnasio ad iuris prudentiam transmittit. Aiunt enim, nolle se consensescere in ea scientia, quae difficultatis multum habeat, lucri parum. – 4<sup>o</sup> quia redacta ad triennium philosophia, citius theologi sui cursus metam attingent, eritque proinde etiam maior numerus. – 5<sup>o</sup> quia omnia quae nunc tribus annis et dimidio explicantur, triennio absolvi poterunt, addita praelectione mathematicae; resectis multis logicae quaestionibus, quibus nostrates magistri tempus terunt; ac praesertim amota dictatione, postquam commentaria, quae nostri in hac provincia moliuntur, in lucem prodierint<sup>19</sup>.

Quae vero contra obici possunt, haec fere sunt. Primum, videri semestre illud tempus necessariis rebus impendi; siquidem exercentur interim discipuli, paranturque a magistro tum ad eas, quas mensarum disputationes vocant, quae mense martio cum magno splendore et frequentia in hac provincia habentur; tum ad licentiatursae examen, cui sine diuturna exercitatione non videntur exponendi. – 2<sup>o</sup> In conimbricensi collegio illam temporis praescriptionem, atque illum quatuor professorum numerum ex fundatione academiae, quae a regia autoritate dependet, institutum esse.

His tamen facile occurritur. Nam quod ad primum attinet, abunde exercentur scholastici toto triennio. Praeterea, externi illo sex mensium spatio fere audiunt unam theologiae vel medicinae lectionem ante meridiem; nostri vero domesticis ministeriis non raro occupantur. Quo fit, ut illud tempus magis nomine quam re in philosophiae repetitiones haud raro insumatur. Quod ad 2m vero spectat, facile videtur posse eam commutationem a rege impetrari; addita praesertim mathematicae lectione, quae scholis maiori ornamento futura est. Censet vero P. Ludovicus Molina, tametsi R.P. Generalis praedictam commutationem in eborensi collegio facere possit, ad eam nihilominus confirmandam Regis consensum requiri.

<sup>18</sup> Vide MP I 301 303.

<sup>19</sup> De Petri de Fonseca S.I. Commentariis in Aristotelem, et de Cursu artium conimbricensi (Commentarii Collegii Conimbricensis S.I.) cf. RODRIGUES, *História* . . . II/2 102-22; SOMMERVOGEL II 1273-78 et III 837-40.

Porro, si philosophia ad triennium redigatur, nonnulla secus ac nunc se habent, statuenda et ad triennem cursum accommodanda erunt. Imprimis enim, ut quarti anni menses ex parte saltem compensentur, obligandi videntur philosophi ad frequentandas quotannis scholas unum mensem praeter octo, quos Conimbricae pro suscipiendis gradibus hucusque frequentare tenebantur (Eborae enim veteri illius academiae instituto ad novem menses coguntur); ita tamen, ut penes rectorem maneat facultas in eo mense, prout ei visum fuerit, dispensandi; imo et in duobus graves ob causas. [302r]

Expedit praeterea, ut dum examina peraguntur, unam horam matutinam, vespertinam alteram, tresve quadrantes in gymnasio adsint etiam ii, quorum cursus examinatur; eritque eius rei non parva utilitas; exercebuntur enim tunc a magistro in ipso procinctu ad certaminis periculum subeundum; nec, ut hactenus, per eos dies intempestive feriabuntur.

Inchoatur nunc in conimbricensi et eboresi collegio baccalaureatus examen ineunte anni tertii februario; licentiatursae vero initio aprilis anni quarti. In posterum baccalaureatus examen ad extremos anni secundi menses, licentiatursae vero ad ultimos tertii retrahendum erit; ita tamen, ut utrumque examen in idem tempus non incidat. P. P. Ferrer examen licentiatursae ad initium potius quarti anni, id est ad mensem octobrem reservandum iudicat. Primum, ne duo illa examina continuato tempore, eoque aestivo habeantur. Deinde, quia interiectis, inquit, feriis paratiores accedent scholastici ad examen. Reliqui patres contra sentiunt. Nam quod ad aestivi temporis incommoditatem attinet, aequum est, ut eam philosophiae candidati aequo animo ferant, exemplo eorum, qui in conimbricensi academiae theologiae, utrique iuri et medicinae operam navant; quos constat eodem tempore examen subire. Neque admodum verisimile est, philosophos a literariis feriis redituros esse ad examen paratiores, quam erant dum in gymasio quotidie exercebantur. Accedit, quod si examina sub finem anni tertii peragantur, ea ratione facilius scholastici usque ad tempus vacationum in scholis detinebuntur; ac denique, quod maxime optandum est, sequentem annum a philosophicis omnino liberi alii scientiis integrum impendent.

Illud quoque circa philosophorum examen R.P. Generali proponendum occurrit: Qui pro licentiatursae gradu examinantur, solent non in physicis tantum et metaphysicis ac caeteris fere, quae toto quadriennii decursu didicerant, sed in logicis etiam examinari; in quibus tamen iam ante baccalaureatus gradum sat longum ac severum examen subierant. Et quia prima congressio ac certamen de logica est, proindeque examinatores circa eam acris insistent, fit inde, ut discipuli potius laboris partem in logica ponant, omisso graviore et utiliori physicae, metaphysicae ac moralis philosophiae studio. Huic incommodo iamdiu remedium aliquod optatur; nec satis unquam fuit eos, qui examinandi munus exercent, admoneri, ut de iis quae logicam attingunt, cursim tantum ac breviter disputarent. Nec si id faciant, satis adhuc consultum videbitur scholasticorum utilitati, qui si de tota logica in utroque examine se capitulatim exami-[302v]nandos sciant, totam operam in ea perdiscenda consument. Omnino igitur expedire videtur, ut in licentiatursae examine e tota logica quisque suum dumtaxat problema tueatur; adversus quod singuli examinatores singula opponant argumenta. Ne vero in eo problemate plus aequo immorentur ac caeteris quaestionibus, ut fieri solet, tempus praeripiant, differendum id erit ad finem examinis. Praestat enim hac in re utilitatis quam ordinis habere rationem. Porro in locum logicae succedent Physicorum libri, e quibus hucusque unum tantum problema a singulis defendebatur; nunc vero libri omnes praeter 6m et 7m defendendi erunt; ita tamen, ut minime cogendi sint scholastici capitum summam reddere (quod in libris de generatione et quibusdam aliis fieri solet); id enim nimis esset onerosum; sed Aristotelis theoremata, celebres divisiones et definitiones, insigniorum textuum interpretationem, illustrium sententiarum probationes; at-



que haec omnia breviter et sine tricis. Ita praeterea, ut respondere etiam teneantur sex argumentis, quae ex eorundem librorum materia ab examinadoribus proponenda erunt, singula circa singulos libros.

Pag. 180 § 5 *Quod si contextus ...* — Expediret, si ab aliquo nostrorum Aristotelis contextus, saltem qui in usu scholarum est, e graeco in latinum sermonem de integro verteretur, aut si id sero tandem fiet, ut ex variis versionibus una aliqua seligeretur, veluti Aldi<sup>20</sup>, Basileae aliaeve eiusmodi, quae collatis iis, quae Romae in Vaticano, Florentiae, Parisiis et alibi habentur, si quid opus esset, corrigeretur.

Esset quoque magnum operae pretium, si versio librorum *Metaphysicae*<sup>21</sup>, quam iam P. P. Fonseca maiori ex parte absolvit, ab eodem ad extremum perduceretur ut, separatim excussa, in nostris scholis praelegeretur, cum ea caeteris clarior sit ac probator.

Pag. 184 «Morem dictandi» — Placet quidem amoveri in hac etiam provincia dictationem a theologia. Quodsi res non bene cesserit, ut multi timere se aiunt, facile erit R.P. Generalis facultate ad eam redire. A philosophia tamen nullo pacto videtur amovenda, hoc rerum statu, dum scilicet commentaria in Aristotelem, quae in hac provincia iussu R.P. Generalis conscribuntur<sup>22</sup>, in lucem exeant; quibus deinde nostri loco communium commentariorum, quae hactenus dictabantur, uti possint; maiori tamen libertate; ita videlicet, ut integrum sit praeceptoribus, quae proprio Marte invenerint, [303r] insuper annotare ac proprias tradere observationes, quas per se discipuli in gymnasio excipiant. Interim nihil, quod ad dictandi morem in philosophia spectat, immutandum videtur in hac provincia; alioqui vehementer timendum est, ne in ea magnam faciat philosophia iacturam, et labor difficultasque excipiendi sine dictatione, quae a praeceptoribus praeleguntur, studiosos deterreat.

Pag. 185 «*Totas duas horas*» — In hac provincia non humaniorum tantum literarum, sed philosophiae quoque auditores duabus horis et dimidia mane, totidemque vesperi in gymnasio commorantur. Neque de iis hoc rerum statu quicquam detrahi potest sine literariae disciplinae iactura, cum totum id tempus scribendo, legendo, repetendo, disputando satis utiliter consumatur. Post amotam vero dictationem et introductam mathematicae lectionem alia temporis ratio ineunda erit.

Pag. 187 «*Logicae summula*» — Ex Institutionibus dialecticis P. Petri Fonsecae<sup>23</sup> nihil omnino est, quod detrahendum videatur, cum omnia, quae in eis continentur, ad instituentum in dialectica tyronem necessaria sint. Quodsi quaedam in eis capita interdum occurrunt, quae provectiores auditores fortasse requirunt, iudicio praeceptorum omitti poterunt, et in aliud tempus pro discipulorum captu reservari.

Pag. 187 «*Transituros postea ad conscientiae casus*» — Futuri casistae non videntur universi ad dialecticae summulam admittendi, sed ubi id pro hominum ingenio, sine periculo et offensione fieri posse provinciales iudicarint. In hac saltem provincia experientia docuit, nequaquam id tutum fore.

Pag. 189 «*Quolibet mense*» — Disputationes, quae hoc in libro singulis diebus dominicis et quolibet mense praescribuntur, supervacaneae videntur in Lusitania propter disputationum aliarum frequentiam et assiduitatem, uti superius diximus.

<sup>20</sup> Agitur de Aldo Manutio sen. (1449-1515), italo, eximio humaniorum litterarum cultore. Eius versio Aristotelis (5 vol.) primum edita est a. 1498; cf. *Dizion. Encicl. Ital.* VII 365.

<sup>21</sup> De versione latina *Metaphysicae* Aristotelis cf. *Encicl. Filosof.* I (1967) 469-70.

<sup>22</sup> De Commentariis Conimbricensibus cf. supra, adn. 19.

<sup>23</sup> De quibus vide supra, adn. 7.

Pag. 195 «*Deinde libro Metaphysicae*» – Consuevere praeceptores in hac provincia ante baccalaureatus examen 4m et 5m. Metaphysicae librum explicare; quod eorum intelligentia ad multas logicae quaestiones, quae in eo examine attinguntur, dissolvendas necessaria videatur.

## ASSISTENTIA HISPANIAE

### Provincia Aragoniae

De § 3 – Quibus in collegiis pauci sunt auditores, si rector potest aliunde cognoscere, quos oporteat ad altiora studia promoveri, quos vero non item, praestaret hoc examine supersedere; et numerus examinatorum in eiusmodi collegiis non opus est, ut quatuor aut quinque patres contineat. Praesertim, cum in examine, de quo agitur § 17, tres solummodo assignentur. Etiam ante oculos versari debet, quosdam in summulis atque etiam in logica [*Stud.* 2, f. 238v] obscuram de se expectationem vix concitare, qui tamen postea in philosophia progressus faciunt non poenitendos.

De § 4 – Quoniam igitur Societatis plerosque distaedet studiorum humanitatis atque rhetoricae, Societas autem magno tempore privatur operariis, sufficeret, ut ii, qui post noviciatum inveniuntur carere sufficienti latinitate, annum haberent integrum ad eam perfecte comparandam; auditisque paucis rhetoricae praeceptionibus, possent illico dialecticam aggredi. Cum Constitutiones 4 P. § 4 c. 6<sup>24</sup> non aliud exigant, quam ut prius latinae linguae solidum iaciant fundamentum; rhetoricam vero non postulent. Et quamvis c. 15 littera A<sup>25</sup> duos ut plurimos designent annos rhetoricae, hoc magis videtur pertinere ad eos, qui huic studio dicandi sunt, quam ad dialecticam audituros.

De § 5 – Si rationes paragraphi quinti eodem loco movendae non sunt, detrahenda erunt illa verba pag. 178 vers. 18: qua in re non optime audimus<sup>26</sup>, etc.

De eodem – In sexta praeceptione quaestiones, quae sunt posterioris ordinis, deiiciendae essent in suum locum. Quod si necessario contingat ibi esse tractandas, cum id brevissime sit faciendum, tanquam ad rem propositam non attinentes, referendae essent potius inter dubiola, quam inter quaestiones.

De eodem – Pagina 180 vers. 25 dicitur: In primis caveantur tractatus etc. Dictum autem fuerat eadem pagina: Quaestiones prioris generis differantur usque ad finem omnium textuum ad propositae rei summam expectantium. Declarandum igitur esset, de quonam tractatu sit hic sermo. Ne quis forte existimet, quod hic dicitur de tractatibus, repugnare iis, quae de quaestionibus dicta fuerant. Quando tantae utilitatis est, totos contextus de una aliqua materia praelegi et subdi quaestiones, quanta maxima methodo fieri possit. Quod proprie certe videtur esse tractatus iis de rebus constituere. [239r]

De § 6 – Summula P. Toleti<sup>27</sup> et ea quae est P. Fonsecae<sup>28</sup>, disiunctive essent proponendae, cum optima sit toletana, et eiusdem patris philosophia<sup>29</sup> in nonnullis academiis legatur. De neutra autem formula quidquam detrahendum videtur, immo addendum. Docet enim usus, auditores qui non bene imbuti sunt summulis (quorum quaedam nonnullis tri-

<sup>24</sup> Vide MP I 233.

<sup>25</sup> Vide MP I 301.

<sup>26</sup> Vide MP V 98 § 5.

<sup>27</sup> Fr. TOLETUS S.I., *Introductio in Dialecticam Aristotelis* (Romae 1561); cf. SOMMERVOGEL VIII 64-65.

<sup>28</sup> Vide supra, adn. 7.

<sup>29</sup> De eius *In Aristotelis Physicam Commentaria* cf. SOMMERVOGEL VIII 68 et 69.

cae et sophismata saepe videri solent), praeterquam quod parum acuuntur ingeniis, nunquam penitus capere multas quaestiones theologicas, quibus S. Thomas plura interserit de hoc genere. Verbi causa in materia de praescientia Dei, de praedestinatione, de libero arbitrio, de Trinitate, de Incarnatione, de Eucharistia. Itaque tres menses audiendis summulis essent destinandi, maxime cum hoc loco praecipiantur legi brevissime libri Perihermenias et de Priori analysi. Nisi enim serio curetur, ut homines nostrae Societatis sciant omnino ac enucleate materias librorum huiusmodi, non evadent solidi verique theologi, sicut iam usus docuit quibusdam in locis, eo quod hoc genus aliqua ex parte iacuerit. Erit autem in primis commendandum professori, ut quo tempore versatur in summulis, frequenter exercent auditores in praxi materialium, praesertim conficiendi syllogismos in singulis figuris ac modis, notatisque defectibus etc., quando hae omnes non minus exercitatione quam cognitione comparantur.

De § 8 – Quae dicta sunt a nobis in hanc rem super theologia<sup>30</sup>, proportionem dicta putamus de philosophia.

De § 9 – Colon illud: Sed ex affectata quadam obscuritate seu barbaria parasse sibi auctoritatem apud multos – temperandum videtur. Nam externi homines, auditis iis verbis in universum a nostris contra Averroem pronuntiatis, facile credent, profecta fuisse ab animo graviter affecto. Itaque in nihilum reciderent. Non tamen committendum est, ut nostri unquam desistant a deterenda eius auctoritate, indicata illius barbarie et obscuritate affectata, methodo autem et iudicio fere nullo in rebus tractandis, quoties id occasio tulerit. Offerebant autem sese praeclearae occasiones saepissime ad id ipsum oportune exequendum.

De § 10 – Quod tanti ponderis ac momenti sint rationes, quae hoc loco proponuntur, ferendum esset decretum ne quis iudicare possit de hac necessitate absque [239v] facultate admodum R.P.N. Generalis, nisi temporis angustiae aliud poscerent. Tuncque ea de re P. Generalem quamprimum esse monendum.

De § 12 – Etiam atque etiam a P.N. Generali petimus, ut statuatur ipse, qua ratione in Societate perfectius artium cursus habeatur, et typis mandetur, ut eum nostri sequantur in legendo. Dum autem hic absolvitur, interim singularum provinciarum praepositi, auditis consultoribus et quibusdam aliis, qui philosophiam professi fuerint, nominent auctorem in ea provincia magis receptum, quem professores legant, cum facultate impugnandi et addendi, quod commodum fuerit. Hoc autem dictare possint discipulis. Nam integrum dictare cursum facit, ut multo tempore non percipiant auditores in lectione, quae dictantur, quod parum sint versati et eruditi, multumque ponant in emendandis ac poliendis scriptis; nec libros per se intelligere discant; ac denique mediocria ingenia parum proficiant. At vero, cum ex libro legitur, qui parum sunt ingeniosi, maiores faciunt progressus quam cum scriptis ingeniosi; quod multum facit ad proficiendum, providere lectiones ipsas in libro, antequam a professore explicentur ac viva voce legantur. Tum easdem iterum ac saepe relegere in libro bene excuso, cui nihil erit addendum aut detrahendum aut emendandum, sicut in suis manu scriptis efficiunt scribentes in gymnasio. Quod si libris typo mandatis non legatur, haud quaquam observari poterit in philosophia constitutio 4 P. c. 6 § 8<sup>31</sup>, quae praecipit, ut scholastici in audiendis lectionibus sint assidui et in eis providendis diligentes. Nam qui possint providere lectionem, cum incertum sit, qua de re sit acturus praeceptor, quove ordine aut quo auctore? Postremo, tam multa scripta salutem laedit scholarium Societatis. Quare occurrendum est huic malo; saltem in philosophia, quando in theologia minus licet, quemadmodum supra demonstratum est<sup>32</sup>.

<sup>30</sup> Vide supra, mon. 12 (Prov. Aragoniae).

<sup>31</sup> Vide MP I 239.

<sup>32</sup> Vide supra, mon. 12 (Prov. Arag. in cap. III).

De eodem – Quae collegia philosophiam profitentur, etiam propter externos horam definitam habere debent, qua externi repetant lectiones, adstante praeceptore, et argumententur, quemadmodum fit in repetitionibus fratrum. Tuncque poterit supersederi domesticis. Quod sane videntur velle Constitutiones, quae quo loquuntur modo [240r] de concertationibus hebdomadariis 4 P. c. 6 § 10<sup>33</sup>, eodem modo et de quotidianis § seq. Quare sicut hebdomadariae publicae debent esse, ita pariter quotidianae. Adde, quod usus harum academiarum fert, ut sint repetitiones, disputationesque publicae diebus singulis. Quod si hae tollantur e nostris gymnasiis, Societas multum de aestimatione sua amittet; et auditores, qui ad eam confluerint, maximo fructu carebunt.

De § 13 – Pag. 187 versu 6 dicitur: Tunc paucae quaestiones tractentur ex solis principiis Aristotelis. Videtur addendum: Nisi periculum esset errandi. Tunc enim brevis aliqua ratio, et sacrae paginae dictum, aut simile quidpiam illi opponatur.

De § 15 – Singulis dominicis a prandio defendantur – inquit patres romanae congregationis – conclusiones philosophiae, ut habetur in Constitutionibus 4 P. c. 6 § 10<sup>34</sup>. Hoc praeciendum esset prorsus eodem modo, quo in Constitutionibus dicitur; scilicet: in diebus dominicis vel in aliquo die hebdomadae etc.

De § 16 – Quamquam nobis in theologia non oportere plures praesides ac respondentes esse visum est, in philosophia tamen permittendum videtur propriis peculiaribusque de causis, et hic est usus academiarum Hispaniae quod ad philosophos attinet.

De § 17 – Hoc loco non praedicatur, qualesnam actus habendi sint sub finem et exitum philosophiae, ubi tantum est unus professor. Fortasse commodum esset haberi duos: unum prope finem cursus, alterum in fine per totum diem aut solo matutino sive pomeridiano tempore, iuxta consuetudinem regionis.

De eodem § – Pag. 192 paulo ante medium: Huius provinciae usus obtinuit, ut externus fere domesticos nostros praecedat. Et in huiusmodi celebrioribus actibus, ubi doctores argumentantur, nunquam disputant scholastici, nisi cum illi desunt.

De § eodem – In fine paragraphi: In celebribus actibus non est hic in usu instare, sed neque interrogare, neque laudationes contexere, ita ut actus ullo modo interrumpatur. Quamvis laudare nutibus et ipso oris habitu alacriori favere, utilissimum est. Hic vel alibi providendum esset, ut quando quis ante suum ingressum in Societatem [240v] philosophiae operam dedit, vel etiam quando in Societate quidem eam audivit, sed interposita fuit longa mora atque intermissio studiorum eiusdem, antequam ad theologiam admittatur, examinetur a praefecto, et explorata voluntate rectoris, assignet illis spatium commodum repetendi, et domesticum aliquem, a quo sublevetur, si res ita tulerit. Nec theologiam auspice, quin prius philosophiam probe calleat. Etenim, quoties haec non praecaventur, contingit saepissime auditores huiusmodi non bene collocare operam suam theologiae.

De § 18 – In § 18 pag. 193 post medium iubetur primus philosophus disputare de numero intelligentiarum, de infinita virtute, de libertate primi motoris, solummodo de mente Aristotelis. Cum dubium sit, an Aristoteles bene senserit in his omnibus, si haec nude tractentur ex eius sententia, fieri possit, ut periclitaretur aliquis discipulus errore aut opinione temeraria aut dubitatione de eo, quod ambigere nefas est. Qua de causa decernendum esset, ut ubi aliquod periculum huiusmodi eveniret, professor primae philosophiae confirmaret veritatem brevibus aptisque rationibus, adiecto insuper testimonio Sacrae Scripturae vel alicuius concilii. Tum opposita dissolveret argumenta concise, ut praecipit quintum la-

<sup>33</sup> Vide MP I 241-45.

<sup>34</sup> Cf. *ibidem* 243.

teranense concilium<sup>35</sup>. Et hoc item ratio postulat, cum haec prima philosophia christianis legatur, qui cupiunt ac debent veritatem exquirere. Multi praeterea externorum, qui philosophiam a nostris audiunt, ad theologiam non pervenient, sed vel ad medicinam se transferunt, vel ad aliam facultatem. Hi vero semper in eisdem periculis versabuntur, nec servabitur umquam cum eis decretum concilii lateranensis.

De eodem – Pagina 194 in fine interdicitur primo philosopho disputare de supposito et natura. Atqui utrumque proprium eius muneris est, cum de iis agat Aristoteles in metaphisicis et eius interpretes. Satius ergo esset, ut ista ponantur iam et intelligantur in materia de Incarnatione. Addantur vero tantum, quae pendent ex principiis revelatis. Quamquam et horum praesidio primus philosophus [241r] uti posset; sed breviter ad indicandam veritatem. Sicut ad probandum verbi gratia de essentia accidentis non esse actu inhaerere etc., uti potest mysterio Eucharistiae.

De § 19 – Quemadmodum indicantur, quae legenda sunt anno 2<sup>o</sup> et 3<sup>o</sup> philosophiae per sex menses aut eo circiter, sic idem assignare oporteret et primo logicae anno.

De § 20 – Ne quis existimet propter illa verba: Enixe quoque studeat – satis esse, si quis studeat propositiones hoc loco positas propugnare, si quidem id a se ipso possit impetrare nullamque earum prorsus esse definitam, clarius esset hoc exponendum . . . [241v] . . .

De eadem in fine – His verbis: Et aliae id genus opiniones – arbitramur aperiri aditum ad profitenda multa contra D. Thomam et alios graves auctores, vel etiam ad unionem dissipandam contententibus singulis opinionem suam magis nunc esse approbatam. Quo circa praestaret adnumerare his propositiones reliquas, quam huiusmodi verba subscribere.

De reg. 9 – In regula 9 Formulae<sup>36</sup> dicitur, ut nostri non cogantur ad res, quae non tam theologicae sunt, quam philosophicae. De quibus – inquit – ea libertas vel obligatio sit, quae in philosophia statuatur. Atqui in toto hoc capite nullum decretum hac de re latum est. Et quidem professores philosophiae adstringendi sunt legendis opinionibus, ex quibus aliqua theologiarum dependet; earum scilicet, quas nostri sunt professuri iuxta 5 et 6 regulam formulae theologiae. Alioqui nullius essent effectus, quae ibi statuta fuerunt. Neque satisfaceret canon octavo tertiae congregationis<sup>37</sup>, ubi praecipitur, legendam esse philosophiam, quae ancilletur atque subserviat verae theologiae scholasticae, quam nobis Constitutiones commendant. Porro, auditores theologiae saepe graves devorare molestias et multa subire incommoda oporteret, si legerentur eis in theologia sententiae illis oppositae, quas in philosophia inbiberant. Et quamvis hoc videtur colligi ex Formula theologiae una cum aliis nonnullis, quae in hoc tractatu dicuntur, tamen necesse est, ut hoc loco apertius omnia explicentur.

Insuper, serio commendandum esset philosophiae professoribus, ut in D. Thomam defendendum acriter incumbant, quoad eius fieri poterit in reliquis omnibus, [242r] cum eius doctrina adeo praeclara sit atque ab omni remota periculo, conclusiones autem theologiae plerumque inferantur ex aliqua propositione, aut pluribus, quae pendent ex principiis revelatis, et simul ex alio aut aliis philosophicis. Quo fit, ut fere semper, qui in plurimis recedit in philosophicis a D. Thoma, recessurus sit etiam ab eodem in theologicis. Itaque necesse videtur (ut modica sit licentia, magna vero unio inter nostros) praescribere catalogum propositionum liberarum in philosophia, quibus exceptis, in caeteris omnibus D. Thomam sequantur. Etenim, quamdiu hoc infectum perstiterit, non servabitur inter nos il-

<sup>35</sup> Recte «quintum»; cf. MP III 41 adn. 12.

<sup>36</sup> Regulam nonam Formulae videsis in MP V 13.

<sup>37</sup> Vide *Institutum S.I.* II 539 n. 8, et MP IV 248 n. 72.

la animorum consensio atque concordia, quam postulant Constitutiones<sup>38</sup>. Immo, in dies singulos ex huiusmodi licentia innumerae contentiones oborientur.

### Provincia Baetica

1<sup>o</sup> Vellent nostri, idque maxime expediret, aliquod scilicet artium curriculum exactum typis mandari<sup>39</sup>, ne (ut alias innumeras rationes omittam) scholastici nostri graventur perpetuo scribendo.

Circa numerum 7 advertendum est, scholasticos qui nostras scholas in Hispania frequentant, magnopere indigere Isagoge Porphyriana<sup>40</sup>. Nam sine illa non admittuntur ad gradum bachalaureatus ex constitutionibus universitatum. Exigunt enim capita summatim referri, et circa textum dubia proponuntur.

Numero 17 praecipitur ut, quando fuerint tres philosophiae professores, celebriores theses in finem curriculum reiiciantur et eadem saepius a diversis studiosis deffendantur. Contrarius mos viget in Hispania. Ita ut singulis annis bis unusquisque magister has theses deffendat ex ea facultate, quam docet. Qua ratione melius deffenduntur omnia, quae circa philosophiam esse possunt; nec externi gravantur, si toties ad easdem conclusiones invitentur, ut necesse erit, si eadem saepe, licet ab aliis, deffendantur. Neque tempus aestivum in Hispania aptum videtur huiusmodi thesibus deffendendis. Nulli enim fere accedent propter nimios calores . . . [*Stud.* 2, f. 291r]

### Provincia Castellana

In Hispania, praesertim nostri, non essent cogendi ad confutandas opiniones D. Thomae in philosophia. Nam ut sine aliorum offensione possint defendere: materiam primam habere propriam existentiam; et posse esse sine forma per divinam potentiam; et intensiorem fieri per additionem partium gradualium; tamen ad id cogi decreto Societatis, erit valde odiosum. Interest autem nostra cum his, qui D. Thomae sunt studiosi, concordiam conservare; quae certe magnopere labefactabitur, ubi fuerit intellectum, nostros lege prohiberi ab his et similibus B. Thomae opinionibus, in quibus nihil est periculi, defendendis, praesertim cum gravissimos viros habeant defensores.

Mirabuntur etiam viri graves, Societatem se huiusmodi tricis implicare, cum dispendio suae autoritatis et aliorum affectione. Fortasse itaque expediet, totum hoc provincialibus committere, ut videant, cum consilio praeceptorum, quid permitti [9r] debeat pro ratione temporum et locorum, ut in opinionibus theologiae dictum est<sup>41</sup>. [Madrid, *Bibl. Acad.*]

### Provincia Toletana

Pag. 176: Quae de examine nostrorum dicuntur, non videbantur lege statuenda; nec ut tam solemne et publicum examen fiat; sed rectori et praefecto studiorum relinquendum videbatur, ut simul ipsi vel soli [Madrid, *Bibl. Acad.* 12r] vel adiunctis aliis, prout melius iudicarint, examen conficiant, servatis his, quae pro qualitate nationum et personarum servanda videantur.

<sup>38</sup> *Const.* P. III c. 1 § 18; in *MI Const.* III 86.

<sup>39</sup> De cursu artium, qui Conimbricæ a nostris patribus praeparabatur, cf. supra, adn. 19.

<sup>40</sup> De *Isagoge* vide supra, adn. 2.

<sup>41</sup> Vide supra, mon. 10 (Prov. Castell.).

Pag. 193: *Theologo relinquatur tota quaestio de concursu Dei cum secundis causis etc.* – Cum nihil frequentius philosophi in ore habeant, quam concursus primae causae cum secundis, non videtur convenire, ut philosophi id supponant et theologo relinquunt; cuius licet proprium sit agere de concursu Dei cum libero arbitrio, non tamen agere de concursu Dei cum secundis causis naturalibus.

### Provincia Sardiniae

Cuperent insuper patres, quemadmodum in theologia factitatum est, ita catalogum pleniorum attexi aliquarum propositionum, quas in philosophia certas ac definitas nobis esse oporteat. Quum enim (quod ad opinionum delectum attinet) philosophiae professoribus in genere iniungatur, ut regulas generales theologis praescriptas<sup>42</sup>, quatenus ad eos pertinere possunt, duntaxat observent, neque ab Aristotele recedant, nisi in iis quae vel fidei derogant aliquo modo, vel doctrinae receptiori repugnant; communiores item et magis approbatas sententias tenere studeant, quales aliquot perpauca subiungit<sup>43</sup>; non videtur satis nostrorum consensio, quam tantopere hic liber expetit, hac regula prospectum, quia solum hortari, non praecipere videtur, ut enixe conentur opiniones tueri, quae communiores fuerint, et magis nunc approbatae. Ex quo eadem fere incommoda sequantur necesse est, quae circa propositiones theologicas in Commentariolo de opinionum delectu sunt allata<sup>44</sup>; paucis enim illis exceptis, quas vel regula omnino vetat (quod superioribus theologorum regulis essent prohibita) aut explicite definitae extant; in reliquis generaliter permissa est libertas opinandi et docendi quicquid velint. Unusquisque enim contendet suam sententiam nullo pacto fidei christianae derogare, receptiori doctrinae magis consentientem et communior, seu magis approbatam esse, praetextu Aristotelis auctoritatem, se melioribus auctoribus et rationibus niti dicet, aliaque afferet, quibus quae universim statuta sint, facile eludat. Atque haec sunt quae in rationem studiorum summatim dicenda existimavimus. [*Stud.* 2, f. 267v]

### Ioannes Mariana S.I.

Pag. 176 – Ubi de examine nostrorum agitur: Recte, si id examen induci in mores posset; sed qui id contingat? Iudicio rectoris et praefecti relinquerem potius, ne in maiora incommoda incurratur.

### Bartholomaeus Perez S.I.

In folio 177 n<sup>o</sup> 4<sup>o</sup> – Quod dicitur de studio humanitatis et rhetoricae, ut antequam nostri ad philosophiam accedant, triennium in his consumant, pro Hispania erit onerosissimum et laboriosum; praesertim in his provinciis, in quibus admittuntur communiter in Societate non pueri, sed adolescentes, qui iam in facultate aliqua superiori operam litteris dare solent, sicut fit Salmanticae et Compluti. Quare sine spe magni fructus [*Stud.* 3, f. 405r] fieret iactura trium annorum cum his, si per triennium debeant redire ad litteras humaniores.

In folio 181 n<sup>o</sup> 6<sup>o</sup> – Certe hispanis accommodatior est patris Toleti<sup>45</sup>; exercentur enim cum utilitate ingenia hispanorum illis tricis. Imo, aliquando necessariae sunt pro materiis

<sup>42</sup> Quas regulas videsis in MP V 6-13.

<sup>43</sup> Vide MP V 107.

<sup>44</sup> Vide MP V 18-21.

<sup>45</sup> De Fr. Toleti S.I. Introductione in Dialecticam Aristotelis vide supra, adn. 27. – In margine alia manu: «Iam Fonseca in secunda editione has tricas satis docte et minus sophistice addidit». Ad quod videre est SOMMERVOGEL III 837-38.

de Trinitate et Incarnatione. Et experientia compertum est, sine illis non bene solvi plura argumenta tam haereticorum, quam etiam catholicorum, impugnantium veritatem. Quare fructuose laboratur in illis, quando sine excessu fit, cumque assueti sint hispani Summulis Soti<sup>46</sup> et aliorum, a quibus eae patris Toleti multa resecurunt, satis accommodatae manserunt pro illis, nec deterrebunt tyrones, imo recreantur illis acutis cavillationibus.

## ASSISTENTIA GERMANIAE

### Provincia Austriae

Nº 7 – Quod de abrogando Porphyrio<sup>47</sup> propositum est, optandum sane est, et ut quam celerrime fiat, rogamus. Et ne longior fortasse mora tam utili tamque sancto instituto obesse possit, iudicaremus, non tam in Gallia vel Lusitania, quam in Italia vel Germania usum illius inducendum esse, ubi nihil esse videtur, quod utilitatem nostram libertatemque remoretur.

Eadem sententia est de Aristotelis translatione, de quo nº 5.

Expedire iudicatum est, ut plures in specie opiniones determinentur, ut occasio praescindatur magnarum contentionum, et brevitati quoque temporis consulatur. [*Stud. 3, f. 270v*]

### Provincia Germaniae Inferioris

3. De triennali philosophiae curriculo. – Nullam hic habemus propriam academiam; immo, neque in ulla auctoritatis ullam fere partem; et non [*Stud. 2, f. 115v*] nisi Duaci philosophiam profitentur nostri; sed ita tamen, ut ipsius academiae legibus et tempus et actus et promotio universa dirigatur. Disputatum tamen inter nos est, ad duos annos, quibus philosophiae cursus exigitur, aliquidne temporis in nostris scholis addi posse. Id quod praecedenti quoque anno et propositum et pene tentatum fuerat. Ac primum quidem promotionis tempus, quod initio octobris fixum est, pro nostris auditoribus prorogari omnino non potest. Neque enim eos academici separatim ab aliis atque importuno tempore, ut examinent ac promoveant, adduci unquam poterunt. Nisi si fortassis id ab iis impetrari posset, ut et ipsi cursum suum ad aliquot menses extenderent; nam ut ad integrum annum, id ne cogitandum quidem videtur. Quodsi nihil ab iis impetrari tale possit (uti probabilius est non posse), tum initio cursus tempus addendum esset, et si quidem annus, quis adolescentum (quorum hic non solet esse tantum iudicium, ut accuratam philosophiae cognitionem praeferant celeri promotioni), quis igitur aut ad nostrum gymnasium adduci, aut in eo retineri poterit?

De quatuor mensibus fuerat, ut dixi, superiore anno cogitatum; sed neque id, nisi tentatis academicorum animis, atque adeo non repugnantibus videtur faciendum. Primum non videntur tantae nostris adeundae dimicationes (res enim ad aulae ac regis iudicium tota referetur) pro discipulis externis, quorum fere florem Dominus ad Societatem hactenus vocat, in qua habituri facile sunt suo tempore et tempus et modum, ut antequam theologiae studium ingrediantur, philosophiam ita repetant, ut in ea etiam utcumque perficiantur. Nec enim parum est, quod duobus annis efficiunt, nullo vacationum otio interruptis, praesertim sub disciplina ac velut incudem inter et malleum non minus quam vel grammatici et magna praeceptorum diligentia exercitati; et quod caput est, cum magnis assiduisque

<sup>46</sup> Dominicus Soto O. Pr. (1494-1560), hispanus; auctor *Summulae* (1526) et *In Dialecticam Aristotelis* (1543); cf. *Encicl. Filos.* IV (1957) 819.

<sup>47</sup>De Porphyrio et eius *Isagoge* vide supra, adn. 2.



ad diligentiam ac pietatem calcaribus. Deinde, etiamsi externorum quoque consulendum utilitati concedamus, tamen eiusmodi philosophici laboris ac veluti pistrini productione (sic enim vulgo habetur), et a nobis fiunt alieniores, qui nondum sunt nostri; et qui nostri iam sunt, difficilius retineri poterunt. Praesertim quod logicae finis commodius tunc incidet in tempus illud, quo legum inchoantur lectiones; atque in aetatis initium, quo maxime ad libertatem aspirant. Nam [116r] et nunc quoque importune e medio philosophiae cursu libertatis cupiditate diffluunt, vix bene gustata logica et inchoatis dudum legibus. Adde, quod communi patriae more ad philosophiam ex trivialibus, ut vocant, scholis, non iunium circiter mensem, sed octobrem in academias dimittuntur discipuli; atque ita ad alia se omnes collegia recipient, ubi tunc philosophiae inchoetur cursus; ad nostrum nullus, quod quatuor iam in eo menses excursi essent. Quamquam non desit, qui primis tantum aliquot annis haec futura putet incommoda, ac ea superanda tandem speret, ubi laborum nostrorum atque industriae longe se maior exerere fructus inceperit. Sed quid in posterum tempus expectari debeat, incertum est. Hac tamen additione profecto periclitamur, ne dum aliquanto magis uno in genere paucis prodesse volumus, multo paucioribus in reliquis etiam; in hoc autem forte nemini prosimus; ne dicam, quae Societatis per singulos annos germina, et quam veluti scholarum nostrarum messem abicere prope videamur e manibus.

### Provincia Germaniae Superioris

Num. 1 – Praescribendum in regulis nominatim videtur, ut nusquam ante tertium annum sub finem iunii cursus absolvatur. Tunc autem finire oportet propter actus promovendorum, ut supra in cap. 10 de gradibus conferendis<sup>48</sup> annotavimus.

Ibidem pag. 172 – Prorsus est optandum, ut etiam in pontificiis illis et quibuscunque aliis collegiis cursus triennalis, quantum fieri poterit, introducatur. Aliquando enim non est tanta in ea re difficultas seu incommoditas, quanta praetenditur; id quod usus aliquorum locorum ostendit, ubi non admodum difficulter biennales cursus in triennales sunt commutati. Nec sane esset hac in re facile dispensandum. Quod si vero aliqui ex alumni pontificiis minus idonei ad longiores cursus esse deprehendantur, fieri de illis idem posset, quod de nostris fratribus, hoc loco num. 2 et 3 praescribitur<sup>49</sup>, quando hebetiori ingenio videntur.

Num. 3 pag. 175 – Consultum foret, ut non solum in locis transalpinis, sed etiam alibi nostri omnes, qui ad integrum cursum initio admittuntur, permittantur in eo perseverare per totum primum annum, etiamsi in primo quidem examine inepti appareant; tum quia saepe fit, ut qui initio videntur inepti, paulo post, cum aliquantulum progrediuntur, antecellant aliis; tum quia suavius poterunt post primum annum amoveri occasione instaurationis novae studiorum alterius anni etc.; tum quia non potest ulli fere nocere studium logicae per annum, vel certe proderit cuique ad quietem longior illa, imbecillitatis ingenii proprii experientia; tum denique quia non valde longum tempus id est.

Ibidem – Non aliqui tantum, sed omnes deberent de futuro examine et discrimine praemoneri, ut etiam illi sint ea de re praemoniti, qui cum initio videntur ingenio esse ad philosophiam aptiori, postea depraehenduntur ad haec studia hebetes et tardi; id quod non raro etiam accidit. [*Stud. 3, f. 208v*]

Ibidem – Expediet potius, ut nostri non simul, sed seorsim examinentur; ne si alii aliorum examini praesentes adsint, ipsi sibi sumant huius rei iudicium, et murmurent de eo,

<sup>48</sup> Vide supra, mon. 12 (Prov. Germ. Sup.).

<sup>49</sup> Vide MP V 96-97 § 2-3.

quod postea a superioribus de unoquoque statuetur; dum ii, qui a cursu removebuntur, putabunt fortasse, se pari aut potiori iure debuisse in eo relinqui, atque alios qui manent.

Num. 4 – Ad hoc ut nostri non admittantur ad logicam, nisi post annum in humanitate et biennium in rhetorica consumptum, illud etiam tempus, quod extra Societatem his studiis impenderunt, computandum erit; idque etiam declarandum esset in regulis.

Num. 5 – In ratione exponendi atque tractandi doctrinam Aristotelis haec etiam praescribi nominatim deberent: 1<sup>o</sup> Ostendat professor scopum disputationis Aristotelis in unaquaque materia, diligenter ad hanc rem animadversis eorum philosophorum opinionibus, quas Aristoteles instituit refellere; nam ex hac notatione potest deinceps in progressu certius constare de mente atque sententia Aristotelis in iis locis, de quibus dubium aliquod esse solet. – 2<sup>o</sup> Indicat quoque auditoribus generatim rationem ac viam, qua Aristoteles tum sua confirmando, tum refellendo contraria ad eum scopum contendit. – 3<sup>o</sup> Descendat ad ipsam doctrinam Aristotelis in particulari per sua capita; eamque redigat in formam assertionum et probationum syllogisticam, ut auditores intelligant, quid unoquoque loco Aristoteles asserat et quomodo id probet; habeantque succintam et methodicam sententiae Aristotelis expositionem, quam facilius possint memoriter retinere. Quo in genere illud cavendum est, ne tanquam distinctae assertiones ponantur eae propositiones, quas Aristoteles sumit ad extruendam tantummodo probationem assertionis alicuius principalis. Haec enim multiplicatio assertionum confusionem parit, et quasi filum dissolvit argumentorum, quibus confirmatur doctrina. Itaque oportebit dextre inter assertiones et probationes Aristotelis discernere, et utrasque suo loco sine confusione ponere, additis etiam ubi oportum est, divisionibus, quibus ad tollendam quaestionis ambiguitatem ipse Aristoteles quandoque utitur. Item etiam redactis in breviorum summam iis, quae minus praecipua videntur. – 4<sup>o</sup> Proponat de illa ipsa doctrina Aristotelis tractandas quaestiones ea methodo, quam subiectae materiae ratio et ipse doctrinae ordo postulat, etiamsi aliqua eiusmodi quaestio non immediate nasceretur ex textu Aristotelis in eo loco, modo tamen conferat plane ad illam materiam explicandam, et ad id institutum soleat tractari ab autoribus.

Ibidem – Quaestiones, quae nascuntur ex occasione alicuius propositionis, quam Aristoteles incidenter protulit, non essent tractandae, ubi primum occurrunt, si ratio ipsa et ordo doctrinae locum et quasi sedem tali alicui quaestioni praebet in alia materia; ut (exempli causa) non esset in praedicamento quantitatis disputandum, utrum quantitas distinguatur realiter a re quanta, sed in libris Physicorum, ubi de affectionibus corporis naturalis agitur; item neque esset primo libro Physicorum disputandum, utrum totum distinguatur realiter a suis partibus, sed in Metaphysica; cum ea quaestio universe moveri possit de iis etiam totis, quae abstrahunt omnibus modis a materia; et sic de multis aliis quaestionibus.

Num. 6 – Non esset opus de ipso libro Fonsecae<sup>50</sup> aliquid detrahere (cum omnia illa utiliter, privato saltem studio, legi ab unoquoque possint), sed praeceptor praetereat in schola ea, quae pro ratione auditorum commode omitti poterunt. [209r]

Ibidem – Insumantur in explicatione Fonsecae duo menses, aut etiam duo cum dimidio.

Num. 12 – De dictatione supra diximus circa cap. 3: De scholastica theologia<sup>51</sup>.

Ibidem – Satiус esset, ut philosophiae auditores quotidie haberent unam tantum repetitionem per horam de lectione praeterita, quam ut habeant bis per semihoram de lectione

<sup>50</sup> De eius *Institutiones Dialecticae* vide supra, adn. 7.

<sup>51</sup> Vide supra, mon. 12 (Prov. Germ. Sup.).

praesenti; sunt enim fere minus apti et capaces quam ut lectionem in praesentia auditam possint illico cum fructu repetere.

Num. 13 – In ratione ac modo docendi philosophiam moralem eadem methodus servanda videtur, quam supra circa num. 5 notavimus servandam esse in ratione docendi naturalem Aristotelis philosophiam; nisi quod in tractandis moralibus quaestionibus ea brevitatis et cautio adhibenda est, quae in hoc num. 13 merito requiritur. Atque in universum professor philosophiae moralis in regulis, quae ad ipsum pertinebunt, monendus est, ut caveat in modo res morales tractandi, ne theologorum commentarios videatur invasisse. Quod si breviter et intra philosophicos limites res morales tractentur, tempus superesse poterit, ut non modo quotannis 8 Ethicorum libri praelegantur, sed etiam ut alternis annis addatur aliquid de politicis et oeconomicis. Id quod omnino decebit, tum ut plenius philosophia moralis in nostris academiis explicetur; tum quia consentaneum Constitutionibus nostris, quae non hanc tantum aut illam partem philosophiae moralis, sed absolute philosophiam moralem in nostris scholis doceri volunt<sup>52</sup>.

Num. 15 – Non optandum modo, sed etiam praescribendum videtur, ut disputationes illae dominicales habeantur eo loco ac tempore, ubi etiam externi cum nostris interesse et argumentari possint. – 1<sup>o</sup> Ut externi etiam ex ea nostrorum exercitatione utilitatem aliquam capere possint, ac modum discere bene disputandi. – 2<sup>o</sup> Quia fiet hac ratione, ut fratres nostri diligentius ad disputandum se parent, ac modestius etiam in disputando se gerant, quandoquidem res est agenda coram externis. Si quid autem in disputatione peccant, de eo poterunt alias moneri in privatis ac quotidianis repetitionibus. – 3<sup>o</sup> Assuescent facilius hac occasione externi ventitare ad nostrum collegium, et agere familiariter cum nostris; ex qua consuetudine aliquis ad illos fructus spiritualis poterit redundare.

Num. 17 – Examen illud singulorum, quod publice praesentibus caeteris tertio anno circa Pascha, hic pag. 191, dicitur instituendum esse, valde onerosum erit; maxime cum paulo post ineunte iulio examen rursus promovendorum ad magisterium inchoandum sit, ut supra cap. 10 de theologia scholastica circa num. 8 notatum est<sup>53</sup>. Quare satis foret semel tantum sub finem cursus omnes examinari; tum scilicet, cum promovendi examinari debent, ita ut qui ex nostris vel externis promovendi non sunt, eo etiam tempore examinentur ad iudicium faciendum, num sint idonei ad habendum cum dignitate celebriorem aliquem actum, ut hic dicitur; qui vero sunt promovendi, examinentur non solum ad hunc finem, sed simul etiam ad iudicandum, num et quatenus digni sint magisterii gradu. Et quoniam expedit examen promovendorum esse privatum, consequenter etiam reliquos, qui sub idem tempus examinantur, privatim examinari convenit.

Ibidem – Nostri sane non modo in fine triennii et initio post Summulas (ut supra num. 3 praescribitur), [209v] sed etiam sub finem anni primi, et sub finem anni secundi de materiis his annis auditis, domi praesente superiore examinari deberent; tum ut hac ratione ad maiorem in studiis diligentiam incitarentur; tum etiam ut superiori de singulorum in literis progressu melius constaret. Atque ob easdem rationes videntur singulis annis nostri quoque, qui audiunt scholasticam theologiam aut casus aut Scripturam et controversias, similiter examinandi.

Ibidem pag. 191 – Distribuat praefectus materias examinаторibus tempestive, ut supra circa cap. 10 de theologia scholastica num. 3 notavimus<sup>54</sup>.

<sup>52</sup> Vide *Const.* P. IV c. 12 litt. C; MP I 283.

<sup>53</sup> Vide supra, mon. 12 (Prov. Germ. Sup.).

<sup>54</sup> Vide *ibidem*.

Denique in eodem numero occurrit, operae precium fore, ut aliquae regulae generales de recte examinandi ratione nostris constituentur, inspecto prius (si videbitur) usu aliquarum provinciarum.

Num. 18 – Possent in logica utiliter tractari reliquae etiam quaestiones proëmiales et materia universalium; modo id fiat succinte et breviter, et quantum fieri poterit, intra logicae limites. Negari enim non potest, quin istis quaestionibus plurimum auditorum ingenia incitentur; et expedit sane res istas, quarum in progressu philosophici cursus saepe usus est, non tunc primum cognoscere, cum ferme cursus finitur, nempe in metaphysica. Atque idem esto iudicium de materia Praedicamentorum.

Ibidem – Loci et fallaciae sufficienter traduntur a Fonseca<sup>55</sup>, quantum ad usum requiritur.

Ibidem – In tertio etiam et quarto libro Physicorum possunt percurri illi textus, in quibus Aristoteles prolixè recitat opiniones antiquorum de infinito et vacuo et loco, et ubicunque alias id similiter facit.

Ibidem – Potest in 8 libro Physicorum aliquid dici de infinita Dei virtute, sicut plerique faciunt.

Ibidem – Possunt etiam breviter percurri aliquot capita posteriora libri primi de Caelo.

Ibidem pag. 194 – Tractandum etiam a philosopho est de iis caeli proprietatibus, quae physice demonstrantur.

Ibidem – Eadem ratione videntur tractandi quartus et sextus liber Metaphysicae, quae quintus et septimus et duodecimus.

Denique, in eodem num. 18 occurrit monendos esse nominatim philosophos in regulis, quae ad ipsos pertinebunt, ut meminerint eas quaestiones philosophicas accurate tractare, quae supra cap. 4 de theologia scholastica reiciuntur a tractatione theologica.

Num. 19 – Liceat in libris Physicorum consumere sex aut etiam septem menses.

Ibidem – Sic etiam in secundo de Generatione ac libris de Anima possent quinque aut sex menses poni, et in libris Metaphysicorum quatuor aut tres ad minimum.

Num. 20 – Liceat in quaestionibus mere philosophicis tum etiam recedere ab Aristotele, cum aequè multi classici auctores aut certe multi ab eo recedunt.

Ibidem – Non videtur propositio illa quinta numeranda inter eas propositiones, quae sunt in philosophia defendendae. In multis enim locis et a multis authoribus defenditur contraria sententia, quae est D. Thomae.

Ibidem – Ubi ad extremum dicitur, et aliae id genus opiniones, addendum esse videtur: quales sunt [210r] philosophicae illae, quae praeterea continentur in decreto Patris Borgiae<sup>56</sup>. Aliquando etiam Romae constitutum fuit, ut nostri defenderent: Caelum esse corpus ex materia et forma compositum et non simplex; quae propositio posset etiam inter caeteras expresse hic poni.

### Provincia Rhenana

§ 4<sup>o</sup> – Cur philosophico cursui biennium cum trimestri satis esse patres existimarint, ante dictum est<sup>57</sup>. Nunc de modo ad logicam philosophaturos admittendi. Is igitur in nostra provincia est, ut logicam nullus omnino, nisi praeceptorum examine et censura prae-

<sup>55</sup> De *Institutiones Dialecticae* vide supra, adn. 7.

<sup>56</sup> Decretum Francisci de Borja S.I., praep. gen. de opinionibus tenendis (1565) vide MP III 382-85.

<sup>57</sup> Vide supra, mon. 12 (Prov. Rhen. in cap. *De gradibus*).

grediente audiat, et qui idonei minus videntur, in inferioribus classibus retineantur. Atque hunc modum deinceps retinendum has ob causas patres censebant:

1a – Quia plerique solo nudoque logicorum nomine abusi ad sacerdotia aliave officia quibusdam in locis admittuntur; caeteroqui rudes et indocti.

2a – Quia si liber ad philosophiam discipulis aditus pateat, turmatim ad eam omnes proruerent, nulloque vel inscitiae vel incommodorum aliorum repagulo coërcerentur.

3a – Eadem licentia plurimum scholis nostris infamiae crearetur. Si enim ad alias [*Stud. 3, f. 247r*] academias, ut saepe fit, id genus indocti et stupidi abeant, se apud nos logicos fuisse iactitant, et tamen vix infimis grammaticorum subselliis ab aliis digni iudicantur.

4a – Magna in logicis ignavorum et incertium multitudo esset, qui minorem sui curam a praeceptore haberi gauderent, tandemque deteriores fierent.

5a – Scholasticae disciplinae severitas magis retineretur, si a logicis fuci omnes abarceantur.

Fol. 180 – <sup>59</sup> Qui tractatus prohibeantur, patres ambigebant. Est enim quoddam tractatum genus, quod post aliqua Aristotelis capita eadem de re agentia, quaestiones aliquas inter se aptas et nexas coniungit, remque totam uno quasi aspectu discipulis intuendam proponit. Atque hoc minime prohiberi patres existimabant; utile siquidem videtur, et a bonis doctoribus usurpatum; v.g. P. Toletus lib. 1<sup>o</sup> Physic., de natura, forma et lib. 2 de causis.

§ 8<sup>o</sup> – Etsi theologis aliquae diebus canicularibus remissiones concessae sunt, nullae tamen his in partibus philosophis concedendae videntur, nisi forte id aestuantior coeli vis aliquando exigeret; quod rectoris arbitrio decerneretur. Nam theologis concessae aliquae hactenus fuere; quas tamen patres lectionibus alternis iam ante restrinxere. Philosophi autem nullas hactenus ordinarias habuere. Vindemialium tamen feriarum mensis iis dandus, ut dictum est cap. 9 de theologia<sup>58</sup>.

§ 12 – Totum scholarum tempus hîc philosophi ponere solent; et ut videtur, recte, est enim una hora nostris et externis repetendo communis.

§ 15 – Festis diebus philosophi nostri domi disputare possunt, ut in herbipolensi seminario iam disputant. Externi vero alia aliqua honesta et liberali occupatione unam saltem pomeridianam horam, praeter vespas, distinendi videntur. Nam alioqui magno civibus et viris bonis offendiculo sint, dum huc illucque urbe tota festis diebus vagantur, popinas adeunt, in plateis lusiunt etc. Deinde, quia in omnibus pene scholis, etiam trivialibus, aliqua utili et pia lectione hactenus a maioribus occupati et coërciti fuerint.

3<sup>o</sup> – Et in haereticorum scholis etiamnum occupantur et coërcentur. Turpe vero foret, diligentia et honestarum rerum studio vel nos vel discipulos nostros ab illis superari.

4<sup>o</sup> – Sic in scholis nostris observatum hactenus fuit, neque id sine fructu et aedificatione.

5<sup>o</sup> – Quia libellus, licet vespas nullam mentionem faciat, iisdem tamen philosophis disputationum occupationem imponit. Sed sane, ut nunc res habet, ad disputandum adduci externi vix possint, cum profanis etiam diebus a disputationum opere tanquam valde operoso abhorreant. Et cum disputationes theologicae dominico die citra offendiculum publice haberi vix possint, ut antea visum est ad § 2 de disputatione<sup>59</sup>, philosophicae quomodo habeantur? Multo enim maiorem illae cum diei festi sanctitate cognationem habent. Alia igitur iis occupatio quaerenda. Sed quaenam illa esset, sententiis patres variabant. Aliqui aliquas controversiolas ex catechismo, aliove libello proponi posse aiebant, ut ea in pa-

<sup>58</sup> Vide *ibidem* in cap. IX.

<sup>59</sup> Vide *ibidem* in cap. VI § 2.

lestra, valde hoc quidem tempore utili et necessaria, tirocinium aliquod facerent. In ea siquidem sudant haereticorum officinae plurimum. Aliis aliquid ex philosophia vel mathesi iucundum et utile placebat, [247v] ut in menstruo vacationum autumnalium tempore dictum est cap. 9 de theologia<sup>60</sup>. Aliqui postremo antiquum teneri posse aiebant, ut scilicet praeter vespervas declamationi interessent philosophi. Atque hoc postremum commodius videbatur: 1<sup>o</sup> Ne nostris pomeridianae alicuius lectionis occupatio imponeretur; sat enim illis alias negotii. – 2<sup>o</sup> Ut philosophorum praesentia declamationi splendoris plus et dignitatis adferret. – 3<sup>o</sup> Quia ipsa declamationum auditio aliquam etiam philosophis utilitatem afferre potest; cum res graves et honestae gravi et splendida oratione tractentur.

§ 16 – Hanc disputandi rationem patres intelligunt, quatenus ea provinciis accommodari potest. Nam neque ubique theologiae studiosi, qui contra metaphysicos disputent, neque hic triennalis philosophia. Et si esset, primis tamen duobus mensibus a novis dialecticis non disputatur. Cum vero monetur, ut ethicae aliquando theses disputentur, quis earum praeses, cum tres tantum praesides notentur? Hic vero, ubi duo tantum toto fere anno professores, tertii locum ethicus et mathematicus, quia fere ubique unus et idem est, tenere potest.

§ 17 – Examinum et actuum ratio haec suscipienda videtur; ita ut, praeter nostros, convictores et alumnos, etiam externi ad examen cogantur. 1<sup>o</sup> Quia academiarum quarundam examina valde frigent, et ad ea tamen, qualia qualia sunt, paratiores discipuli accedent. – 2<sup>o</sup> Ad maiorem diligentiam omnes excitabuntur, etiam nobiles, qui promotionum tamen honorem iam aspernantur. – 3<sup>o</sup> Quia ad examen trimestre coacti omnes hactenus fuerunt. Perpendere tamen R.P.N. dignabitur, quantum nobis aut praefectis aut magistris onus imponatur, cum, praeter stata academiarum nostrarum examina, quorum fere pondus ii sustinent, haec etiam accedant, et eodem quidem fere tempore, philosophiae scilicet curriculo vel confecto vel affecto. Nam qui examinandi sunt, saepe multi, qui examinare possint, admodum pauci, et ii omnes impeditissimi. [248r]

§ 18 – Quaestionum singulis philosophiae locis tractandarum, omittendarum, transponendarum catalogum, ut in theologia confectum<sup>61</sup> patres optarent, certosque singulis philosophiae partibus, uti et theologiae terminos praefigi. Hi autem his in partibus, in quibus biennio et mensibus aliquot philosophia circumscribitur, recte statui posse videbantur.

1<sup>o</sup> Dialecticae Isagogae, seu Summulis duo dentur menses. 2<sup>o</sup> Porphyrio unus. 3<sup>o</sup> Praedicamentis unus. 4<sup>o</sup> De Interpretatione dies octodecim. 5<sup>o</sup> Analyticis prioribus et posterioribus menses duo et dies 18. 6<sup>o</sup> Topicis et Elenchis mensis unus, fere usque ad iunii finem.

Octo Physicorum libris menses quinque: iulius, augustus, september, november, december. Nam october fere, propter vindemias, ferialis. 2<sup>o</sup> Libris de Caelo, et primo de Ortu mensis unus et dimidius. 3<sup>o</sup> Secundo de Ortu et tribus de Anima menses quatuor et dimidius. 4<sup>o</sup> Metereologicis mensis unus. 5<sup>o</sup> Metaphysicis menses quinque fere, usque ad S. Pauli conversionem; quibus mensibus bis quotidie docendum esset.

§ 20 – Opinionum philosophicarum paulo quam enumerantur, plures definiendae videbantur. 1<sup>o</sup> quidem eae, quae aliquem in fidei negotio errorem vel erroris quasi semen continerent. Deinde, quae animorum concordiam vehementius conturbarent ac distraherent. Non enim multo aut pauciores aut minores in philosophia pugnae, quam theologia. Cuius tamen opiniones quasi omnes, insigni cum labore tum ingenio et prudentia romani patres perviderunt.

<sup>60</sup> Vide supra, adn. 58.

<sup>61</sup> Vide cap. II tractatus: *De theologia scholastica* in MP V 52-55.

### Provincia Aquitaniae

Pag. 171 – Lutetiae quidem olim dabatur integrum triennium curriculo philosophiae; sed hoc tempore ad finem biennii pauci supersunt auditores, ut dictum est ad pag. 145<sup>62</sup>. In aliis vero Galliarum academiis, quae ex parisiensi originem acceperunt, ut in burdigalensi et tolosana, nunquam philosophiae tributum est plus quam biennium. Quod nostrae Societatis rationibus valde incommodum est; praesertim Burdigalae, ubi huius provinciae seminarium philosophorum et theologorum debet esse. Primo, quia biennium non sufficit ad omnes philosophiae partes bene decoquendas; praesertim scholasticis Societatis, qui serio ad philosophiam et theologiam applicandi erunt. – 2<sup>o</sup> Praeceptores ipsi, dum volunt accurati esse, et nihil eorum, quae necessaria sunt, praetermittere, etsi quotidie quatuor horas doceant, in tantas tamen angustias rediguntur, ut valetudinem vix possint tueri, dum hinc sunt anxii, ne quid praetermittatur, hinc vero ne temporis angustiis exclusi, metam philosophiae non attingant. – 3<sup>o</sup> Aliquando accidit, ut qui unum philosophiae curriculum absolvit, statim in proxima renovatione studiorum aliud debeat aggredi, sicque vix habet spatium ad respirandum. 4<sup>o</sup> In ipso biennio non solum logica, physica et metaphysica explicanda sunt, sed etiam ethica et mathematica, et quidem ab eodem praeceptore; quod nullo modo pro dignitate fieri potest; praesertim cum non solum sit docendum, sed etiam dictandum, ut dictum est ad pag. 95. Quod si spatium curriculi philosophici volumus ad triennium protrahere, primum contra mores academiae faciemus; deinde omnes externos discipulos a nostris scholis abigemus. Volunt enim illi praecise ad finem biennii gradum magisterii in philosophia reportare.

Unicum nobis venit in mentem remedium, ut nihil nobis incommodetur, et ut nos ad morem academiae accomodemus. Primum quidem, ut ab initio biennii usque ad finem anni explicentur octo libri Physicorum; sequenti vero anno explicentur accurate libri de Generatione, libri de Caelo, libri de Anima et Metaphysica; sic ut ad festum Pentecostes incipiant fieri actus, et ad finem anni tribuantur gradus. Ista enim commode fieri possunt. Et quia supersunt ethica et mathematica, illa sequenti anno, id est, initio triennii explicentur ab eodem praeceptore, nisi sit aliquis ordinarius istorum professor, qui quotannis ista doceat. Hoc demum 3<sup>o</sup> anno fratres nostri, et si qui externi [*Stud. 3, f. 379r*] adesse volent, et sine dubio semper multi aderunt, philosophiam repetent, partes metaphysicorum agent, et quae de curriculo philosophiae deerant, cumulate audient. Nec vero iure poterit quisquam queri, quod ethicis et mathematicis careat; nam quia quotannis docebuntur, poterunt ea audire, etiam ii, qui biennio philosophiam absolverent, si volent tumultuarie ea audire, atque exponantur ab extraordinario professore et horis etiam non ordinariis, ut possint adesse, qui tres lectiones devorare quotidie volent. Ab aliis vero, qui triennium in philosophia ponent, multo etiam commodius audientur, ut dictum est, et sic observabitur quod inferius pag. 186 dicitur de ethicis 3<sup>o</sup> anno legendis. Quod si fortasse accidet, ut nulli nostri fratres curriculum audiant, nec sint etiam externi, qui triennium velint expectare, sine eo onere levabitur Societas, curriculumque biennio absolvetur sine ethicis et mathematicis.

Pag. 180 – Quod si contextus etc. – Imo satius videtur, ut totus textus, etiam de Principiis, explicetur, quam quaestiones discutiantur. Sic enim prius intelligetur perfecte mens auctoris.

<sup>62</sup> Vide supra, mon. 12 (Prov. Aquit. ad pag. 145).

Pag. 180 – Provincia interpretandi Aristotelem etc. – Quod de commentario edendo in Aristotelem hîc dicitur<sup>63</sup>, placet. Quod autem dicitur de ratione et modo vertendi Aristotelem, quasi per periphrasin et retenta, quoad poterit fieri, sententia Aristotelis, non admodum probatur; quia sic neque textum neque sensum Aristotelis habebimus, sed interpretis. Quo nomine pessime Perionius<sup>64</sup> de Aristotele meritis est.

Pag. 182 numero 3 – Quod de Porphyrio ablegando a nostris scholis et de substitutione in eius locum accurata aliqua institutione ex Aristotelis operibus collecta, dicitur, admodum placet; non enim minus indecorum et absurdum videtur, ut Porphyrius in scholis christianorum exponatur, quam Iuliani apostatae orationes.

Pag. 184 numero 12 – Si dictetur et cursus philosophiae absolvatur triennio, necessaria est sesquihora pro qualibet lectione; si vero biennio absolvatur, tribuendae sunt duae horae singulis lectionibus, sicut hactenus factum est Burdigalae et Tolosae; et hoc modo intelligenda sunt, quae superius saepe diximus de sesquihora ad quamlibet lectionem necessaria.

Pag. 185 – Impendatur semihora repetitioni ... – Haec repetitio videtur tollenda, ubi praeceptores dictant et ponunt in lectione quavis sesquihoram vel duas horas integras.

Pag. 186 – Porro curandum est etc. – In Gallia moris est ut ethica doceantur ab eodem professore, qui docet cursum, idque horis ordinariis; neque ubi sunt tres praeceptores philosophiae, necessario videtur inducendus lector ethicorum separatus.

### Provincia Franciae

Circa titulum «*De studio philosophiae*» haec observata sunt.

1<sup>o</sup> – Tres iudicarunt, totum hunc titulum de philosophia distribuendum esse in capita quaedam maioris distinctionis gratia, uti supra factum est in theologia; tres alii relinquentium ut est.

2<sup>o</sup> – (Pag. 171 lin. 4a et pag. 172 lin. 3a) Visum est omnibus, nullam faciendam esse mentionem collegii conimbricensis, eborensis, aut alterius in particulari, sed triennium curriculo philosophiae ubique ordinarie concedendum, ut praescribunt Constitutiones<sup>65</sup>; si quae vero collegia minus temporis volunt aut ampliori egent, petant a P. Generali, ut cum eis dispenset.

3<sup>o</sup> – (Pag. 172 lin. 26a) Citantur Constitutiones, cum sint Declarationes; quae tamen non loquuntur de philosophia, sed de theologia tantum. Quare hoc corrigendum omnes iudicarunt.

4<sup>o</sup> – (Pag. 172 lin. 27a) Visum est omnibus, collegiorum duntaxat in genere faciendam esse mentionem, non alicuius loci, collegii aut provinciae in particulari, ut Germaniae, Galliae aut Lusitaniae. Ibidem etiam visum est omnibus, nullam faciendam esse mentionem in particulari illorum collegiorum aut locorum, in quibus cursus philosophiae biennio absolviatur. Aut si facienda est mentio alicuius loci, collegii aut provinciae in particulari, fiat etiam Galliae et collegiorum ac provinciarum illius, quemadmodum et Germaniae atque aliorum locorum. Sed petendum a P. Generali, ut cum huiusmodi locis et collegiis dispenset.

5<sup>o</sup> – Ibidem, visum est omnibus, in primario cuiusque provinciae collegio, ubi seminarium Societatis nostrae est, oportere esse tres philosophiae professores, qui philosophiae

<sup>63</sup> De commentariis in Aristotelem conscribendis vide supra, adn. 19.

<sup>64</sup> De Joachim Périon vide supra, adn. 5.

<sup>65</sup> *Const.* P. IV c. 15 § 2; MP I 301 303.



curriculum in triennium protrahant; nec nostros, qui ingenio valent, nisi in huiusmodi collegiis seu seminariis cursum audire debere. Item ibidem visum est omnibus, curriculum philosophiae duobus mensibus ante renovationem studiorum proximam absolvendum esse, ut possint auditores suos actus peragere et se se ad gradus suscipiendos praeparare ante finem augusti aut initium septembris.

6<sup>o</sup> – (Pag. 173 lin. 1a) Visum est omnibus compendium non esse docendum, nisi initio cursus, ubi in triennium produciturs cursus. At, ubi biennio absolvitur, ante initium biennii praelegi compendium in classe rhetoricae posse quatuor iudicarunt. At unus id non probavit, ubi praesertim auditores rhetoricae manent per biennium ea in classe, ne faciant iacturam temporis et lectionum suarum. Nec defuit, qui putaret, mensem integrum concedendum esse compendio, et illo mense nil ab illis, qui compendium audiunt, audiendum esse in rhetorica, sed praetermittendas esse lectiones rhetoricae ab illo tempore, et totum illum mensem tam matutinis horis, quam vespertinis insumendum esse in compendio praelegendum, ne classes perturbentur. Ibidem (lin. 10a n. 2<sup>o</sup>) citantur Constitutiones, cum sint Declarationes; (pag. 174 lin. 9a) citantur etiam Constitutiones, cum sint Declarationes; quod corrigendum videtur.

7<sup>o</sup> – (Pag. 174 lin. 27a ad 30am) Praetermittenda esse illa omnia, quae habentur de cautionibus illis superiorum, omnes iudicarunt. Nam ea videntur pugnare cum religiosa ac christiana simplicitate et ea synceritate, qua superiores se gerere debent cum inferioribus, ut contra hi cum illis; et inducere quandam politiam seu humanam astutiam parum cohaerentem cum sancta Societatis libertate et resignatione, quae in subditis esse debet.

8<sup>o</sup> – (Pag. 177 lin. 5a n. 4<sup>o</sup>) Citantur Constitutiones et non referuntur earum verba, quae recensenda esse, et ad longum ponenda, omnes iudicarunt.

9<sup>o</sup> – (Pag. 178 lin. 6a) Citantur Constitutiones, cum sint Declarationes; hoc ergo corrigatur. Ibidem lin. 18a n. 5<sup>o</sup> tollantur illa verba «qua in re non optime audimus».

10<sup>o</sup> – (Pag. 181 lin. 16a n. 6<sup>o</sup>) Placuit omnibus deputatis (excepto P. Clero, qui summulam P. Toleti<sup>66</sup> praelegendam potius censuit) Summulam P. Fonsecae<sup>67</sup> retinendam, ab eo tamen prius recognitam, donec alia melior temporis decursu sit, quam nostri praelegant.

11<sup>o</sup> – (Pag. 182 lin. 13a et 14a n. 7<sup>o</sup>) Duo ex deputatis arbitrati sunt, retinendam omnino esse Isagogen Porphyrianam<sup>68</sup>. Atque unus ex theologis parisiensibus, unus item ex philosophis idem dixerunt, quia semper hactenus est exposita in omnibus academiis, et a viris doctrina et sanctitate conspicuis, alioquin si contingat nostros discipulos cum aliis disputare et congregi citantibus Porphyrium, nescient, quisnam ille auctor sit, si eum a nostris scholis ablegemus, nec legamus. Alii nihilominus ex deputatis et unus philosophus parisiensis putarunt, eum tollendum et ablegandum ut praescribitur. Et ex his duobus visum est expedire, aliam Isagogen cudere, quae loco illius sufficiatur; duobus nihilominus aliis et illi deputato, qui Porphyrium retinendum censuit, placuit magis nullam aliam conscribi novam Isagogen, quae loco porphyrianae substituatur, sed in Summula duntaxat explicandas esse quinque voces porphyrianas, atque ibidem tractatulum brevem de illis instituendum.

12<sup>o</sup> – (Pag. 182 lin. 21a n. 8<sup>o</sup>) Placuit omnibus deputatis, quod constituitur de vacationibus ac remissionibus studiorum philosophis cum theologis communibus, nisi quod tres iudicarunt, philosophos statim post festum diem [*Stud.* 3, f. 358v] Innocentium in festis Na-

<sup>66</sup> De quo vide supra, adn. 27.

<sup>67</sup> Vide supra, adn. 7.

<sup>68</sup> De quo vide supra, adn. 2.

talitiis lectiones suas resumere debere, non item theologos, ut supra dictum est circa caput 9<sup>oo</sup>; tum quia auditores philosophiae sunt iuniores, quam auditores theologiae; proindeque minus utiliter illud tempus consument, si vacent, quam alii; tum etiam quia professores philosophiae non sunt ordinarie sacerdotes; aut si sint, confessiones tamen non audiunt, quemadmodum professores theologiae illis diebus. At vero in Paschate Resurrectionis, illos proinde atque theologos vacare usque ad dominicam in albis omnes voluerunt ob rationem superius cap. 9 allatam pro vacationibus theologorum, quae perinde locum habet in philosophis atque theologis. Similiter, ante renovationem studiorum, ut se parent ad suos actus, sesquimenssem vacationum illis concedendum esse, omnes iudicarunt.

13<sup>o</sup> – (Pag. 183 n. 9<sup>o</sup> lin. 7a) Etsi non defuerunt, qui arbitrentur, D. Thomam, prae caeteris omnibus Aristotelis interpretibus, nostris commendandum esse in philosophia, quemadmodum et in theologia<sup>70</sup>; tamen visum potius est plerisque omnibus monendum esse, ne nostri ex instituto D. Thomam impugnent in philosophia, ut quibusdam in more positum est, quam praecipendum, ut eundem in omnibus sequantur.

14<sup>o</sup> – (Pag. 184 lin. 17a n. 11<sup>o</sup>) Citantur Constitutiones 4 p. c. 6 M, cum non sint nisi Declarationes; hoc ergo corrigatur.

15<sup>o</sup> – (Pag. 185 n. 12<sup>o</sup> lin. 1a) Quatuor deputatis et professoribus philosophiae collegii parisiensis visum est, dictandum esse in philosophia saltem, quod auditores iuniores sint et minus capaces, ut praeceptorem praelegentem subsequantur excipiendo ea, quae placent. Duobus nihilominus ex deputatis visum est, ne in philosophia quidem dictandum esse, sed tantum lentius et tardius praelegendum initio tantum, ut paulatim assuescant auditores per se, quae observatu digna sunt, excipere, ob rationes superius hac de re allatas circa caput tertium<sup>71</sup>, quae etiam hic locum habent.

16<sup>o</sup> – (Pag. 185 lin. 16a n. 12<sup>o</sup>) Citantur Constitutiones 4 p. c. 6 N, cum sint Declarationes, quod corrigendum est. Item pag. 186 lin. 7a n. 13<sup>o</sup> citantur Constitutiones 4 p. c. 12 C, cum sint Declarationes.

17<sup>o</sup> – (Pag. 186 lin. 8a et 9a n. 13<sup>o</sup>) Visum est quatuor ex deputatis, praecipendum esse, et non tantum optandum ut moralis philosophiae lectio inducatur in omnibus collegiis, in quibus docetur philosophia, sive illa seminaria nostrorum sint, sive non sint. Duobus nihilominus placuit magis in academiis duntaxat et nostrorum seminariis introducendam esse huiusmodi lectionem, ob rationes, quae assignantur in libro, ne nostri tam necessario praesidio et egregio ornamento careant. Eadem vero pagina lin. 29a n. 13<sup>o</sup> visum est omnibus, non esse multiplicandos praeceptores, ne classes perturbentur; et proinde ipsum ordinarium lectorem cursus ethica praelegere debere; non alium, quia non semper ad manum sunt tot lectores, uti hactenus factum est in Gallia; nec onerandos esse metaphysicos tribus lectionibus in die, sed duabus tantum; ita ut mane tertio anno legantur libri de Anima 1<sup>o</sup>, deinde Metaphysica; a prandio vero Ethica. Atque, ut plus temporis concedatur libris de Anima, Metaphysica et 8 libris Ethicorum, qui legendi sunt, aut etiam 10, si fieri potest, danda est professori opera, ut 2<sup>o</sup> anno absolvat etiam secundum librum de Generatione. Item eadem pagina lin. 14a n. 13<sup>o</sup> cuncti iudicarunt, nimis ieiunum, et parum philosophicum esse illum modum, qui praescribitur praelegendi Ethica et exornandi moralem philosophiam coacervatione apophthegmatum, adagiorum, sententiarum etc. Unde praetermittendae omnino videntur lineae tres illae, scilicet 14a, 15a et 16a, ne nostri philosophi cer-

<sup>69</sup> Vide supra, mon. 12 (Prov. Franc. in cap. IX).

<sup>70</sup> Cf. *Const. P. IV* c. 14 § 1; MP I 295 297.

<sup>71</sup> Vide supra, mon. 12 (Prov. Franc. in cap. III).

nentes hanc libertatem sibi relinqui, latius divagentur atque excurrant. Adde, quod non omnes id praestare valebunt. Quare praestat, ut haec medio quodam modo pertractentur inter oratorium, seu poëticum, et theologicum per breves quaestiones ac dubia et responsa, more philosophico.

18<sup>o</sup> – (Pag. 188 lin. 3a n. 15<sup>o</sup>) Placuit omnibus, habendas disputationes philosophicas diebus dominicis. Licet id superius cap. 6<sup>o</sup> improbatum fuerit in theologia ob causas ibidem allatas<sup>72</sup>; quoniam alia est ratio in philosophia, quia iuniores sunt, et fere fratres, nec sacerdotes, ac proinde non occupantur aliis functionibus concionandi, audiendi confessiones, visitandi infirmos, xenodochia etc., et egent maiori exercitatione literaria, quam provectiones.

19<sup>o</sup> – (Pag. 189 n. 16<sup>o</sup> lin. 9a et 10a) Visum est omnibus, disputationes philosophicas, quae singulis mensibus habentur, concurrentibus tribus philosophiae classibus in unum locum, habendas esse vel mane per horas duas cum dimidia, et a prandio per horas totidem, aut mane tantum, vel a prandio tantum per quinque horas pro commoditate loci, ubi tres sunt philosophiae professores. Ubi autem duo duntaxat sunt philosophiae professores, per tres horas solum vesperi; ubi vero unus tantum, per duas horas cum dimidiata, hoc est per tempus scholarum pomeridianarum.

20<sup>o</sup> – (Pag. 191 lin. 13a) Verba illa «illas vero praefectus eodem die vel pridie distribuit examineribus, ne in easdem concurrant, aut graviores aliquas praetermittant» omittenda esse omnes iudicarunt, quia examen liberum esse debet et non astrictum, ut supra dictum est. Item, lin. 20a et 21a visum est duobus ex deputatis, actibus duas duntaxat horas cum dimidiata concedendas esse; at tribus aliis deputatis et uni philosopho parisiensi tres horae concedendae videbantur. [359r]

21<sup>o</sup> – (Pag. 193 n. 18<sup>o</sup> lin. 3a et 7a) Placuit omnibus, catalogum conficiendum esse omnium quaestionum de universalibus et de categoriis, quae a logico reiiciuntur in metaphysicum, ne ille huius limites invadat. Ibidem, lin. 14a visum est omnibus, singulos et omnes Topicorum libros breviter percurrere, et tradendam esse brevem Summam singulorum capitum, et locos omnes cum suis maximis et axiomatibus in breve compendium redigendos esse. Ibidem etiam lin. 28a, quatuor visum est, secundum librum de Caelo exacte explicandum esse cum bona parte primi. At duo iudicarunt, recte praecipi in libro hac de re.

22<sup>o</sup> – (Pag. 194 lin. 10a) Visum est, tollendos esse professores illos extraordinarios Ethicorum et Meteororum; et haec legenda esse ab ordinariis professoribus, uti hactenus semper factitatum est in Gallia; qui, ut tempus sufficiens pro huiusmodi libris 2<sup>o</sup> et 3<sup>o</sup> anno habere possint, debent operam dare, ut 1<sup>o</sup> anno praeter Logicam absolvant etiam vel 1um Physicorum, aut certe philosophiae prolegomena, et 2<sup>o</sup> anno absolvant etiam 2um de Generatione cum Meteoris, ut totus tertius annus integer relinquatur libris de Anima, Metaphysica et ethicorum libris. Itaque aliter faciendum videtur distributio pensi quotannis a philosopho absolvendi, quam fit pag. 195 n. 19<sup>o</sup> a linea 13a ad 18am; ad normam scilicet paulo ante praescriptam.

### Provincia Lugduniae

Burdigalae et Divioni biennio philosophiae cursus absolvitur; nec potest aliter fieri, ubi ex fundatione plures duobus philosophiae professoribus ali non possunt.

<sup>72</sup> Vide *ibidem* in cap. VI.

Pag. 188 15 – De hoc dictum est supra pag. 126 n. 1 et 2; ubi de non docendo diebus festis, nisi quae sunt pia.

Pag. 192 n. 17 – Si actus ita distrahantur, multi, qui ad ius civile aut medicinam prope-  
rant, dilati temporis taedio affecti, discedent; praestaret ergo, ubi hoc periculi est, aut citius  
aut simul omnes promoveri. Ad examen vero una hora videtur sufficere, ne tanta schola-  
rum iactura fiat. [*Stud.* 3, f. 396r]

### Provincia Poloniae

§ 1 – In iis collegiis seu universitatibus etiam in Germania, in quibus seminarium est  
nostrorum philosophorum, visum est de triennio non esse dispensandum, ut boni philoso-  
phi et professores ex ipsa provincia haberi possint. In aliis consultum est servari, quod hic  
Germaniae locis praescribitur. Sed compendium dialecticae et rhetorica auferri non potest  
in septentrione, ubi singulis annis novus non incipit cursus. Unde brevissime et ibi legi ac  
retineri necesse est.

§ 4 pag. 177 – Consultum visum est, in nonnullis dimidiare rhetoricae studium; hoc est,  
ut partem eius ante, partem post philosophiam audiant. Compertum enim est, id ad pro-  
fectum in rhetoricis magnum momentum habere et aliquid ornamenti adderet rhetoricae.

§ 6 pag. 181 – Summula Fonseca<sup>73</sup> longior est; ideoque expedire iudicatum est, ut ali-  
qua compendiosior fieret, et quae duorum mensium spacio absolvi possit et ex aristotelicis  
terminis constaret.

§ 7 pag. 182 – Quod de Porphyrio<sup>74</sup> dicitur explodendo, idem magno consensu visum  
est expedire, ut exterminetur prorsus tanquam et ineptus et impius.

§ 12 pag. 184 – De dictando hic idem iudicium [*Stud.* 2, f. 159v] fuit congregationis,  
quod supra in theologia positum est<sup>75</sup> easdem ob causas. Consultum etiam visum est,  
praescribere, ut recudatur P. Toletus<sup>76</sup>; qui et explicari posset in scholis, addente profes-  
sore, quae iudicaret addenda. Sic enim tanta scriptione opus non esset.

§ 17 pag. 192 – Non visum est, nostros theologos professores deputandos esse, qui  
contra philosophiae theses disputent. Quia id in ultramontanis universitatibus minus de-  
corum haberetur.

§ 20 pag. 195 – Iudicatum est, primo anno cursus philosophici ita temperandam Logi-  
cae tractationem, ut simul etiam primus Physicorum Aristotelis expediatur. 2<sup>o</sup> inde anno  
omnem physicam usque ad libros de Anima exclusive finiendam. Sic 3<sup>o</sup> anno fieri posse, ut  
Metaphysica etiam explicetur. Alioqui nimis multa ex logica in metaphysicam reiiciuntur,  
quae nusquam postea tradentur.

### Ioannes Balmesius S.I.

173 15<sup>o</sup> – Compendium rhetorices in secunda. Logices in prima dispendium est tem-  
poris et studiorum perturbatio.

175 16<sup>o</sup> – Ad studia rhetorices et maiora ne posthac Societas promoveat ad elationem, ar-  
rogantiam, vanitatem etc. propensos, cum quotidie experiatur, se mundo eos parere, non Deo.  
Quoad ineptos ad studia maiora, quid opus tot dissimulationibus? Nam si Dei sunt, clarae voci  
obedientiae acquiescent; sin minus, ut quid terram nostram occupant? [cf. Lc. 13 7]

<sup>73</sup> De *Summulis* Patris de Fonseca cf. supra, adn. 7 et passim.

<sup>74</sup> De Porphyrio vide supra, adn. 2.

<sup>75</sup> Vide supra, mon. 12 (Prov. Pol. in cap. III).

<sup>76</sup> De Francisci Toleti *Introductio in Dialecticam Aristotelis* vide supra. adn. 27.

17<sup>o</sup> – Fiat versio nova Aristotelis. Quae enim exstat, obscurior est graeca. Tollantur distinctiones averroicae per textus; obtundunt enim aures auditorum subinde a magistris repetitae, et memoriam perturbant multitudine.

192 18<sup>o</sup> – Haec fiant carnisprivio et cum vacatur extra festa.

19<sup>o</sup> – Quae solent praemitti prolegomena scientiis a magistris, fere alieno loco, cum quae adducuntur ad ea tractanda, non possint intelligi, nondum cognita scientia. Mira etiam est methodi perturbatio, quae inter nostros professores invaluit: Miscent theologica philosophicis et contra, ruptis scientiarum limitibus et perturbatis terminis. Magnum profecto facinus.

Laurentius A. Faunteus S.I.

*De philosophiae studio* — Omnia optime, et in primis, quae de Phorphirio<sup>77</sup> decernuntur.

Ioannes Leopoltanus S.I.

De studiis philosophiae idem optandum esset, quod de scholastica theologia diximus<sup>78</sup>; ut nimirum ea ita instituantur, quo sint aptiora communi vitae humanae societati, cui artes omnes inservire debent, ne dum philosophi ad suas speculationes parum utiles omnia transferunt, videatur illis extra mundum alicubi locus dandus, ubi illis vacent liberius; et ne homines politici paulatim se incipiant subducere a talibus studiis; id quod saeculo superiore fuit factum, cum detrimento et dedecore omnium pene academiarum; et feraci proventu haeresum, artiumque traditarum ab haereticis; quae ideo sunt avide acceptae a plurimis, quod viderentur habere aliquid magis accommodatum ad usum communem. Quare et elegantia linguae latinae, quoad eius fieri potest, videtur retinenda in his studiis, et alia id genus, quae hanc doctrinam exornent et condiant; et ne suis tantum scriptis sint affixi professores, sed adferant quoque aliqua ex recentioribus philosophiae tractatoribus.

Mathematica putarem praelegenda toto anno secundo, cum physica leguntur in cursu, ubi unus est tantum cursus triennii; quamquam posset incipi sub finem logicae. Ethica vero in anno tertio; et quidem ab alio professore quam lectore cursus. Nam mathematica et physica, qui vellet et posset, idem doceret.

Cum vero boni philosophi et ornamento sint academiis, et postea theologi scholastici fiant perfectiores, curandum videtur, ut philosophia non minori spacio definiatur, quam trienni integri, ubi praesertim et mathematica legetur et ethica.

Summulae, quae vocantur, logicae, deberent habere compendium clarum totius Organi Aristotelici, non tam illius libris inhaerendo, quam proponendo summa utili totius artis disserendi. Qua in re mihi non satisfacit nec summa P. Toleti<sup>79</sup>, quia diversum quid representat ab Organo Aristotelis; nec P. Fonsecae<sup>79</sup>, quia est prolixa, et mensibus duobus aut tribus non potest tyronibus bene explicari. [*Stud.* 3, f. 293v]

<sup>77</sup> De quo videsis supra, adn. 2 et passim.

<sup>78</sup> Vide supra, mon. 12 (I. Leopoltanus S.I.).

<sup>79</sup> De Patrum Toleti et de Fonseca *Summulis* vide supra, adn. 7 et 27.

IUDICIA PATRUM, IN PROVINCIIS DEPUTATORUM  
AD EXAMINANDUM RATIONIS STUDIORUM (1586) TRACTATUM  
QUI INSCRIBITUR: «DE MATHEMATICIS DISCIPLINIS»<sup>1</sup>

ASSISTENTIA ITALIAE

Professores Collegii Romani

§ primus – De mathematicarum necessitate etc. – Probatur ut iacet.

Circa § 2.m – De sesquianno a logicis mathematicae dando – Non placet. Satis videtur annus unus ut nunc fit Romae. Nam onerare ingenia logicorum, tempore praesertim aestivo, quo levantur alii, ipsis vero est diligentius incumbendum in logicam, est res valde gravis et molesta, atque adeo perniciosa. Deinde, sive praeceptor unus sit, qui ambas praelegat lectiones, sive duo, utrumque maxima habet incommoda.

Circa 3.m § – De altero professore mathematicae etc. – Optandum esset vel maxime, tam pro mathematicis, quam pro linguis, quod patres praescribunt; sed quoniam multis iisque gravissimis premimur difficultatibus, quae consideranti facile occurrent, nulla ratione in praesens videtur id posse fieri. P. Parra et P. Pererius longe aliter sentiunt. Censent enim, ne illud quidem experiendum esse, etiamsi ad praxim reduci posset. [*Stud.* 3, f. 46r]

Provincia Mediolanensis

Nº 2 – Videtur nobis sufficere secundus annus philosophiae ad ea audienda de mathematicis et tradenda, quae necessaria sunt, ut sunt tres libri priores Elementorum Euclidis, Sphaera, Astrolabium, aritmetica. Neque in anno logicae tenera iuvenum ingenia videntur oneranda.

Nº 3 – Valde placet, quod hic dicitur de mittendis aliquot Romam ad Patrem Clavium<sup>2</sup> audiendum, ut nequaquam harum disciplinarum perfectio in Societate desideretur. Addi tamen poterunt haec: Reliquam theologiam in sua provincia poterunt audire, ne defraudentur hoc vel bono vel consolatione. Philosophis districte praecipendum est, ne inter docendum vel mathematicorum dignitatem elevent, vel sententias eorum refellant, ut de epiciclis. Fit enim saepe, ut qui minus haec norint, magis eis detrahant. Videtur etiam expedire, ut aliquod genus exercitationis inveniat ad excitanda studia ingeniorum vel singulis mensibus vel 15 quoque die; quale esset vel propositiones defendere, vel audita repetere, saltem difficiliora. Permittantur, qui voluerint, in fine cursus philosophici defendere etiam theses mathematicas ex doctoris earum sententia. Si in aliqua urbe praecipua vel academia esset idoneus numerus auditorum, qui perfecte mathematicas addiscere vellent, posset lectio huiusmodi institui praeter ordinariam. Atque ideo etiam Romae, si qui externi interesse vellent cursui perfecto mathematicorum nostris praelegendo, non viderentur excludendi. Allicerentur auditorum animi, si in fine cuiusque lectionis, praesertim quando spinosiora explicantur, ut elementa Euclidis, praeclara aliqua problemata proponantur ex aritmetica, musica, dioptica et huiusmodi. Item docere, quem ad usum serviant propositiones Euclidis in ordine ad praxim. Quae iucunda esse solent. [*Stud.* 3, f. 154v]

<sup>1</sup> Textum huius tractatus videsis in MP V 109-10.

<sup>2</sup> Christophorus Clavius S.I. (1538-1612), germanus, eximius rerum mathematicarum professor in Collegio Romano; cf. VILLOSLADA, *Storia* . . . 59 et passim.

### Provincia Sicula

*De mathematicis* — Nihil patres repugnarunt. [*Stud.* 2, f. 36r]

### Provincia Veneta

Pag. 200 § 3 – Cogendi non videntur provinciae, ut tertio quoque anno unum, qui mathematicis disciplinis det operam, Romam mittant. Iniuria enim fieret. Eae enim, quae iam habent, qui profiteri possint, quorsum cogentur? Quae non habent, cum primum unum vel alterum habuerint, qui mathematicas disciplinas profiteri possint, neque compelli debent. [*Stud.* 3, f. 161v]

### Assistentia et provincia Lusitaniae

Mathematicarum lectio in hac provincia sic videtur distribuenda: Habebitur imprimis pomeridiano tempore per unam horam, quae prima erit a communi ingressu in gymnasia. Singulis annis post Pascha priori horae dimidio tradentur principia mathematicae, quibus primi cursus auditores interesse cogentur. Deinde tam posteriori dimidio post Pascha, quam reliquo anni tempore per integram horam secundi et tertii cursus auditoribus explicabitur usus astrolabii, theoretica planetarum, aliaque huiusmodi altioris negotii; ita tamen, ut nullum triennium praetereatur sine Sphaerae praelectione, cui, exceptis dialecticae tyronibus, intersint quicunque eam e philosophorum schola nondum audierint. [*Stud.* 2, f. 303v]

### ASSISTENTIA HISPANIAE

#### Provincia Aragoniae

De § 2 – Aliqui de logicorum numero interdum reperiuntur prorsus inepti studio mathematicorum. Alii item sustinere non poterunt onus trium lectionum. Ideo consonum esset, rectorem, audito praefecto ac professore logicae, nominare, quos expediat mathematicis indulgere; praeter quos nec cogatur quispiam, nec excludatur.

De § 3 – Audire 3<sup>o</sup> anno mathematicas, et duas simul lectiones theologiae scholasticae, cum earum brevi repetitione, quae fiat in scholis tantum, reliquum autem idem totum mathematicis impendere, nequaquam expedit. Etenim audire theologiam, et nullo privato studio ei vacare, quid aliud est, quam oleum et operam perdere, et liberiori licentia se armare ad praedicanda ea, quae quis ipse ignorat? Quae, ubi quis lectionibus theologiae commode studere non poterit simul cum mathematicis, melius ei consultum erit, si theologiam non audiat, vel ad eam recte capiendam tertio anno mathematici studii alteram mathematicorum lectionem intermitat. Nisi connexio duarum lectionum id prohibeat. [*Stud.* 2, f. 242r]

#### Provincia Toletana

Pag. 199 – Quod de duobus magistris mathematicarum dicitur, cum in nobilissimis universitatibus unus tantum sit earum artium magister, et nobis unus sufficere videtur; praesertim, cum multa sint alia magis necessaria, et quorum maior est usus, quae in Societate desiderantur. Et ut tales magistri in Societate parentur artium mathematicarum, satis esse videbatur, si nostri audiant eas lectiones, quae a lectoribus generalium universitatum perleguntur. Neque necesse erit ad hanc doctrinam comparandam, academiam in Societate constituere, ad quam ex omnibus provinciis aliqui ex nostris congregentur. [Madrid, *Bibl. Acad.*]

## Ioannes Mariana S.I.

Pag. 199 – Neque Parisiis, neque Compluti aut Salmanticae sunt duo professores mathematici. Quid autem hoc novum onus imponatur provinciis, cum alia desiderentur multo magis necessaria, quippe quorum maior est usus? [*Gall.* 62, f. 21v]

## ASSISTENTIA GERMANIAE

## Provincia Germaniae Superioris

Num. 3 – Possent tertio anno mathematici illi audire vel scholasticam theologiam vel casus aut Scripturam aut controversias, prout cuique magis convenire superior iudicaverit. Ac tempus aliquod praeter repetitionem in schola esset illis tribuendum, quod impenderent ei lectioni, ne frustra illam audirent.

Ibidem – Non esset astringenda provincia, ut tertio quoque anno aliquem ad mathematicum studium Romam mitteret, si iam ei esset de mathematicis professore satis provi- sum. [*Stud.* 3, f. 210r]

## Provincia Rhenaniae

§ 1 – Matheseos encomium, totaque eius studii facta nostris commendatio, dignissima etiam, quae ederetur, visa est, ut, ubi praesertim philosophorum nostrorum seminarium est, diligenter et accurate pertractetur. Hunc vero mathesim docendi modum his aliquot annis semper habuimus, ut, post Summulas, biennio toto, alternis cum ethica diebus doce- retur; sicque a logicis et physicis communiter audiretur. Quod, quia ex animi sententia, fructuose et iucunde cessisse comperimus, retinendum patres existimant.

§ 3 – Quod ad eum attinet, qui ut mathesin perdisceret, in eaque ad provinciae totius utilitatem excelleret, Romam mittendus esset, gratiae quidem merito, tanto pro studio et opportunitate a provinciis omnibus habendae et agenda sunt. Ea tamen patrum sententia est, si quis in Germania nostra Clavius<sup>2</sup>, excellens, inquam, mathematicus existeret, et ea- rum artium cupidus triennio vel anno saltem integro, aliarum occupationum vacatio esse posset, Romam quenque, hoc nomine, mittere, necesse nihil foret. Sic enim facilius, mi- noreque sumptu et periculo mathematicum, qui expetitur, perfici posse. An vero hi in Ger- mania nostra, hoc quidem tempore sint, vel nullo extrinsecus subsidio petito deinceps esse possint, ea omnibus fere patribus opinio est, neque iam esse, neque sine subsidio, quod a romanis patribus defertur, esse posse. Quidam tamen aiebant. Ideoque priores illi modum hasce disciplinas in omnes provincias Societatis disseminandi quasi commodissimum et be- neficentissime Societati universae oblatum gratissimis animis amplectebantur. Et quidem etiam hanc ob causam, ut maior omnium nationum in Societate nostra colligatio, ani- morumque socialis coniunctio retineretur. Quod fit, dum id genus ultro citroque factis mis- sionibus, variarum gentium homines una in domo et collegio permiscuntur, concorditerque simul habitant. [*Stud.* 3, f. 248r]

## Provincia Franciae

Circa titulum: *De mathematicis* haec observata sunt — (Pag. 200 n<sup>o</sup> 2<sup>o</sup> et 3<sup>o</sup>) Visum est omnibus, in magnis duntaxat collegiis oportere esse professorem mathematicae extraordi- narium, qui biennio absolvat cursum mathematicae; et huiusmodi alternatim legere debere



per tres duntaxat quadrantes horae: uno die pro auditoribus primi anni cursus philosophici, altero die pro auditoribus secundi anni; ita ut quotannis absolvatur [*Stud.* 3, f. 359v] totum compendium mathematicarum disciplinarum. In parvis autem collegiis professorem ordinarium cursus philosophici mathematicas disciplinas breviter perstringere debere, ut hactenus in Gallia factum est, et satis bene succedit.

#### Provincia Lugdunensis

Pag. 198 — Expediret saltem servare quod Orontius<sup>3</sup> in quadam epistola scribit, fuisse decretum in academia parisiensi, ut scilicet nemo crearetur magister artium, quin audisset sex Prima Elementa Euclidis. Lovanii certe coguntur philosophi omnes audire arithmeticae practicae et Sphaeram Ioannes de Sacro Bosco<sup>4</sup>. [*Stud.* 3, f. 396v]

#### Laurentius A. Faunteus S.I.

*De mathematicis* – Preclare. [*Stud.* 2, f. 178r]

---

<sup>3</sup> De Finaeo Orontio, scriptore vide MP I-IV 26 et passim.

<sup>4</sup> Ioannes de Sacro Bosco (of Holywood), mathematico vide MP III 319.

# MONUMENTA

## PARS ALTERA

### IUDICIA PATRUM IN PROVINCIIIS DEPUTATORUM DE RATIONE STUDIORUM 1586

#### B — STUDIA INFERIORA SEU HUMANITATIS

IUDICIA PATRUM, IN PROVINCIIS S.I. DEPUTATORUM  
DE RATIONIS STUDIORUM (1586) TRACTATU, QUI INSCRIBITUR:  
«DE STUDIIS HUMANITATIS»<sup>1</sup>

ASSISTENTIA ITALIAE

Professores Collegii Romani

In Prooemio, 2.m – Illud quod affertur ad studia humanitatis promovenda, [*Stud.* 3, f. 46v] ut videlicet professores grammatici in actibus publicis sedeant cum theologis, non probatur; nisi sit excellens atque insignis vir aliquis in classe rhetoricae, cui hic locus convenire videatur.

Circa 3.m – De non onerandis grammaticis – Quod dicitur, praeceptores occupandos esse die tantum dominico, tollendum videtur; accidit enim interdum, ut is dies sit magis laboriosus. Satis vero est, si caveatur, ne plus onerentur, quam professores classium superiorum.

Circa 6.m – De superiorum praesentia in actibus humanistarum etc. – Quod patres volunt faciendum esse cum nostris loco praemiorum cum aliqua celebritate, tollendum est; neque enim id decet inter nostros, cum praesertim facile irrepant abusus.

Circa 7.m – De admittendis ad professionem etc. – Placet totum, quod ibi censent patres; P. vero Parra et P. Pererius id non probant eo modo, quo iacet.

Quod 8<sup>o</sup> loco affertur de convocandis a rectore etc., non probatur. Sufficiunt enim regulae rectoris<sup>2</sup>, quae id satis praecavent. Excipitur P. Pererius, cui et illud placet, dummodo pro eo quod dicitur: «octavo aut 1<sup>o</sup> quoque die etc.», ponatur: Aliquando vel saepe.

Circa 9.m – De iis qui vel in Societatem admittendi sunt vel ad superiores facultates promovendi, ut caeteris praeferantur etc. – Totum hoc non placet; sicut neque id quod sequitur; quia ad ordinem studiorum minime videntur pertinere.

Provincia Neapolitana

Ad ea recognoscenda, quae de studiis humanitatis praecipuntur a patribus, praeter quinque patres supra nominatos<sup>3</sup>, accesserunt Pater Iacobus Abbas et Franciscus Caretonius.

Pag. 205 – Patri Rectori [Spinelli], Patri Maiorio, Patri Blasio [Mucantius] et P. Iustignano non probatur, praeceptoribus inferiorum classium dari locum inter theologos et philosophos, nisi alicui insigni rhetorico; reliquis probatur ut iacet. [*Stud.* 3, f. 101v]

Provincia Sicula

Circa lectionum horas placuit patribus, id totum relinquendum esse arbitrio et commoditati provinciarum. Observandum tamen omnes censuerunt, ne horarum divisio confusionem pariat. Praeterea, aliquam grammaticae et literarum humaniorum magistris occupationem literariam domi iniungendam censuerunt praeter scholasticas, quae in gymnasiis habentur; multo enim tempore domi abundant . . . [*Stud.* 2, f. 36r]

<sup>1</sup> Textum huius tractatus videsis in MP V 111-13.

<sup>2</sup> Vide regulam 39 rectoris in *Institutum S.I.* III 111.

<sup>3</sup> De membris commissionis provinciae neapolitanae videre est in *Introd. gen.*

Pag. 203 – Ea quae in prohemio scribuntur, probata sunt omnia, nisi forte religionis simplicitas laedatur alliciendis praemio et honore hominibus ad suum officium, quod uni videbatur. [*Stud.* 2 f. 36v]

### Provincia Veneta

Pag. 207 § 7 – Convocandi singulis tantum mensibus videntur praeceptores inferiorum classium a rectore, nisi aliter faciendum esse intra mensem cogat necessitas. Quod si singulis octo diebus fieret, vel etiam singulis quindecim diebus, esset nihil aliud, quam praeceptores taedio ac molestia afficere, cum eandem occinentem semper cantilenam rectorem compellerentur audire, et rectoris onus gravius efficere. [*Stud.* 3, f. 161v]

### Assistentia et provincia Lusitaniae

Operae pretium fore videtur, ut statis temporibus magistri omnes una cum praefecto de rebus literariis deliberaturi unum in locum conveniant, ut ibi eos collegii rector de scholarum statu interroget; an videlicet externi discipuli regulas suas observent, an inter eos interturbator quispiam sit, an rem divinam frequentent, an singulis mensibus confiteantur, an strenue operam navent; aliaque eiusmodi ad pietatem et progressum in literis pertinentia. Deinde, ut quisque ordine proponat, si quid ei in eo genere occurrat. Hac enim ratione multa pro re literaria utiliter institui ac provideri solent.

Monendi sunt praeceptores, ut curam habeant exigendi quotidie, quinam in gymnasio desiderantur, quibus de causis abfuerint. Alioqui praeceptorum hac in re incuria multorum ignaviam et pigritiam alet.

Vetus est doctorum hominum querimonia, eos qui in nostris scholis versantur, carere eruditione illa, quae ex variorum authorum lectione comparari solet. Quare deberent nostri in hac provincia plures deinceps una praelectione authores, pro captu tamen discipulorum, exponere. Iuvabitque ad id praestandum, si uno in loco amplificando non haereant, ut interdum fit longis digressionibus; si neque in dictandis scholiis et synonymis profusi sint, neque in explicandis rhetoricae praeceptis quaestiones dialectico magis, quam oratorio modo attexant.

Expedit, ut pro facultatibus cuiusque collegii certa aureorum summa singulis annis in libros impendatur. Queruntur enim praeceptores, defraudari se, ob inopiam librorum, eo fructu, quem ex librorum, qui quotidie in lucem exeunt, lectione, capere potuissent. [*Stud.* 2, f. 306v]

E re erit, si uni vel pluribus nostrorum, qui ad id munus idonei sunt, provincia demandetur linguam aliquot commentariis illustrandi.

Optandum est, ut eloquentiae magistri non uno tantum, ut saepe accidit, sed pluribus annis docendi munus in eodem gymnasio administrent. Sic enim comparabit Societas utriusque linguae eruditione insignes viros, et discipuli, si altero anno eundem se praeceptorem habituros sciant, facilius detinebuntur, nec finito rhetoricae anno, ad alias disciplinas continuo diffugient.

Magnopere conducit in omnibus, tam philosophiae quam humaniorum literarum gymnasiis, ante novae praelectionis explicationem superioris rationem exigere, cum nihil propemodum scholasticos magis domi acuere et extimulare soleat, quam futurae repetitiones.

## ASSISTENTIA HISPANIAE

## Provincia Aragoniae

De proëmio – Adscribendum videtur regulis praefecti studiorum, sive humanitatis si-ve caeterarum facultatum: eius esse munus rectorem admonere de mittendis, praestitutis diebus, ad recreationem, praeceptoribus; tum ut hac de re liberius ille agat cum rectore, quam praeceptores ipsi per se; quos forte aliquando pudor retardaret; tum ut ne rector ipse (ut est fere vehementer occupatus) rem tantopere necessariam obliviscatur aut interdum etiam conniveat. [*Stud. 2, f. 242r*]

Ioannes Mariana S.I.

Pag. 207 – Multa remedia, sed nullum efficax, nisi humaniorum litterarum professores ad professionem quatuor votorum nonnulli, certe insigniores, admittantur, uti pater Ignatius et Laynes fecerunt. [*Gall. 62, f. 20v*]

Ioannes Legaz S.I. – Hieronymus de Burgos S.I.

Fol. 204 lin. – Addendae sunt aliae rationes. – Que como tenemos tomados los mejores puestos, en donde se suelen enseñar estas letras, hazemos daño a las respúblicas, si no tenemos suficientes maestros; y nos infamamos a nosotros, porque como acuden hombres doctos a nuestras escuelas, viendo la insuficiencia de los maestros y poco aprovechamiento de los estudiantes, quedan con muy vaxa opinión de los nuestros y la van publicando.

In proemium de ratione studiorum humaniorum. – Se a de advertir que casi todos los medios que se apuntan en él para animar a los preceptores de las letras humanas al aprovechamiento suyo y de los discípulos en ellas, y quietarse en el ministerio se an procurado en algunos collegios y no se a conseguido el fin que se pretende; y se ha experimentado ser el impedimento para ello o ver que le an de dexar presto y están anhelando a otros studios mayores, por medio de los quales entienden venir a ser professos; o si sospechan que los han de detener mucho tiempo en el officio, no se aplican a él por verse privados de aquel premio que se dá a los theólogos. Y assí se a de considerar si sería el mas efficax medio para que ubiese mucha sufficiencia y perseverancia en este ministerio que entendiesen los tales, no han de ser privados deste premio, siendo ellos buenos religiosos de virtud approbada y aviendo algunos años hecho con exación su ministerio. [Madrid, Bibl. Acad.]

## ASSISTENTIA GERMANIAE

## Provincia Aquitaniae

Pag. 204: Dolent vero plerique ... – In omnibus fere paginis huius libri visuntur, nescio quae inactivae aut querimoniae, qualis ista est. Potissimum vero pag. 26: sectarum semina; pag. 30: Id vero; pag. 70: Quod apud nos; ... et nostra Societas non audit optime – pag. 71: Transalpinis accidit; – et: nullo armorum genere; – pag. 72: Non adeo honorificum; – pag. 129 et 130: iacere disputationes; – pag. 133: Qua in re male; – pag. 152: Apud episcopos; – pag. 169: Quorum penuria; – pag. 205: Vix enim aliquando; – pag. 211: Breviarii lectio; – pag. 234: Graeci sermonis imperitos; – pag. 235: Manca litterarum graecarum; – pag. 236: Ne dicam ... – et: extra Societatem catholici theologi; – pag. 295: Posset iste mos romanus; – pag. 199: Romae quoque; – et si qua sunt alia huiusmodi. Quae si inciderent in manus externorum, praesertim eorum, qui nobis infensi sunt, aut etiam haereticorum, egre-

giam illis ridendi nos praeberent ansam aut traducendi. Admonemur quidem pag. 69 fore, ut diiudicatione facta, ista omnia, quae caussas regularum continent, praecedantur. Itaque, sic nobis videtur, R.P. Generalem optime facturum, ut ubi tota ratio studiorum constituta fuerit, iubeat provincialibus, omnia exemplaria huius libri comburere<sup>4</sup>. [*Stud. 3*, f. 382r]

### Provincia Franciae

1<sup>o</sup> – In primis visum est omnibus, illa omnia praetermittenda esse in hoc titulo, quae attingere videntur gubernationem superiorum et Societatis nostrae reprehensionem et personarum, atque leges superioribus praescriptas.

2<sup>o</sup> – (Pag. 203 lin. 4.a) Ubi dicitur «indicant Constitutiones» non citatur locus Constitutionum, qui addendus est. Ibidem (lin. 9.a), ubi sic legitur «ad haec studia non utilitas modo, sed evidens necessitas etc.», ita legendum potius videtur ad maiorem horum studiorum commendationem «ad haec studia non amenitas modo et utilitas, sed evidens necessitas».

3<sup>o</sup> – (Pagina 204) Deleantur illa, quae habentur (a linea 15.a ad 20.am), etsi vera sint, quia non expedit externos scire nostram inopiam aut penuriam. Item, quae habentur (a linea 21.a ad 25.am) ne nostra delicta externis publicentur aut infirmitates.

4<sup>o</sup> – (Pag. 205 lin. 5.a) Post illa verba «in quibus id usu receptum est» addendum videtur «et in quibus usu receptum non est, introducat mos iste»; seu «et in omnibus collegiis id introducat». Et tollantur haec verba, quae sequuntur «in caeteris rhetoricae saltem professori is locus deferatur; aliis alius plane non obscurus».

(Pagina eadem a linea 6.a ad 30.am) Visum est, in genere quidem sublevandos esse praeceptores, quantum fieri potest, ab officiis domesticis et humilioribus; praesertim illis, quae a coadiutoribus obiri solent, ut monent Constitutiones 4.a parte cap. 6 n. 3<sup>o</sup>; et Declarationes ibidem B<sup>5</sup>. Neque in huiusmodi ullo modo occupandos esse ordinarie; sed neque in communibus Societatis ministeriis refectorii aut culinae, nisi vel semel aut iterum ad summum in hebdomada mane aut vespere. Id, quod facile fieri poterit in magnis collegiis, ubi maior est hominum numerus; at in parvis collegiis, ubi exiguus est auditorum nostrorum numerus et pauci alii praeter ipsos praeceptores, vix id fieri poterit, nisi aliqua ratione provideatur. Ut autem provideatur, curandum esset. Ibidem (linea 18.a), ubi dicitur «servandas esse significant Constitutiones» citandus esset locus, qui insinuat, qui quidem non est desumptus ex Constitutionibus, sed ex Declarationibus 4.a parte cap. 7<sup>o</sup>,<sup>6</sup> unde loco verbi Constitutiones substituendum est nomen Declarationes. Ibidem (linea 21.a et 22.a) visum est, non esse augendum numerum coadiutorum ut subleventur praeceptores; tum quia Constitutiones nostrae vehementer commendant coadiutorum paucitatem, et multitudinem eorum diligenter cavent<sup>7</sup>; tum etiam, quia illis auctis, minuitur operariorum numerus et in Societate et in Ecclesia. Ibidem (linea 26.a) tollantur illa verba «confessarii vero ex concessione quadam», cum non minus sint confessarii membra collegiorum ex Constitutionibus et forma suscipiendi collegia, quam praeceptores, aut alii. Item (linea 28.a) tollantur illa verba «quorum gratia et labore aluntur caeteri».

5<sup>o</sup> – (Pag. 206 a linea 5.a usque ad 10.am) Visum est omnibus, absolute praeciendum esse, ut praeceptores grammatici habeant suam recreationem semel in hebdomada a meridie, sicut et alii. Non autem ut die dominico a prandio rusticentur; quoniam id non posset

<sup>4</sup> Quod et ordinavit P. Generalis. Vide eius epistolam communem ad patres provinciales, die 29 martii 1599 datam, in MP V 454.

<sup>5</sup> Vide MP I 227 229.

<sup>6</sup> Vide MP I 263-69.

<sup>7</sup> Cf. *Const. P. I c. 2 § 2 et litt. A*; in *MI Const. III 47*.

fieri in Gallia, saltem absque offensione. Ibidem (linea 7.a et 8.a) citantur Constitutiones 4.a parte cap. 13<sup>o</sup> F, cum non sint, nisi Declarationes; hoc ergo corrigatur.

¶ – (Pag. 207 a linea 15.a usque ad 20.am) Totus ille locus, qui octavo puncto seu articulo compræhensus est, videtur obscurus. Nam reddit sensum dubium et ambiguum; neque satis apparet, utrum loquatur de externis admittendis in Societatem; an de nostris admittendis [*Stud. 3, f. 360r*] ad professionem, antequam ad superiores facultates profitendas promoveantur. Neque enim defuerunt, qui illum sensum, neque item qui hunc verba illa reddere senserunt.

### Ioannes Leopoltanus S.I.

Etsi probandum est, ut hæc studia in Societate floreat etiam in academiis, in quibus sunt cursus philosophiæ et theologiæ; tamen ex altera parte providendum est, ne collegia minora Societatis, quæ pro solis humanioribus studiis sunt fundata, omni prorsus dignitate et existimatione spoliarentur. Id autem accidit, primo, quando in aliquo collegio non ascenditur ultra humanitatem, quam vocant, ad ipsam classem rhetoricam. Tunc enim contingit, et magistros esse minus doctos, et discipulos paucos, eosque minus cultos; et denique nihil prælegi fere in toto collegio, quod ingeniosum et paulo provectiorem iuvenem aut virum, lectiones nostras aliquando explorare cupientem, magnopere delectare possit, vel ullam dignitatem ac existimationem adferre collegio. Iactaturque passim ab aemulis Societatis: Nimis magno iesuitas docere solam fere grammaticam. Unum magistrum externum pro schola aliqua conductum minimo pretio maiora docere suos, quam iesuitas cum tot millibus suæ foundationis. Quare id primo putarem procurandum, ne sit ullum collegium nostrum, in quo non perveniatur usque ad rhetoricam; in qua vel maxime consistit dignitas humaniorum literarum. – 2<sup>o</sup> Ut in iis quoque collegiis, saltem in primis scholis, sint non indocti professores; non solum qui discipulis suis, sed qui externis etiam, scholas nostras interim visitantibus, possint satisfacere. – 3<sup>o</sup> Ut in talibus collegiis magistri libentius perseverent, nec ad academias perpetue adspirent, et sint magis contenti sua professione: primo, provideatur, ut in talibus collegiis non minus bene tractentur quoad victum, vestitum, habitationes, recreationes, quam in maioribus collegiis; – 2<sup>o</sup> ut librorum habeant copiam, eorum præsertim, qui ad omne genus studiorum humanitatis pertinent; – 3<sup>o</sup> ut in renovationibus studiorum non sint omnino muti magistri et otiosi; sed quemadmodum in maioribus collegiis proponuntur disputationes et assertiones philosophicæ et theologicæ, ita in minoribus collegiis proponantur theses ad disputandum publice rhetoricæ et poeticæ, forte etiam grammaticæ, ut ita omnes professiones honorentur; et honoratæ, seipsis sint magis contentæ.

Multum etiam iuvarentur hæc studia, si ii præficerentur magistris, qui eos possent iuvare et dirigere in hoc genere studiorum.

Danda etiam esset opera, ut in omnibus collegiis, et præcipue in talibus, quæ sunt pro humanioribus litteris, introducatur usus linguæ latinæ inter nostros et externos studiosos, non solum in lectionibus et repetitionibus, sed etiam in colloquiis familiaribus; utque ad eam rem exemplo præeant professores rhetoricæ et humanitatis; et habeant ius admonendi fratres de erroribus manifestis, commissis in lingua latina; quales sunt barbarismi et solaecismi, qui per incuriam sæpe committuntur a nostris in loquendo. [*Stud. 3, f. 294v*]

De dialectica populari tradenda in rhetorica – In talibus collegiis, in quibus non ascenditur ultra classem rhetoricam, permittenda videtur in eadem classe dialectica, qualis est

vel Iacobi Gorscii<sup>8</sup> vel Cornelii Valerii<sup>9</sup>, quae cum rhetorica magis convenit, quam cum logica, qualis traditur in cursu. Nam alioqui oporteret multum immorari in rhetorica in explicatione rerum mere dialecticarum, ut locorum, argumentorum, argumentationum. Et tamen semper esset aliquid imperfectum, cum nescirentur figurae et formae argumentandi. Et sane est melius, ut istis degustatis, postea ex rhetorica accedant auditores ad cursum, quam plane ignari totius dialecticae, minorique tempore indigebunt pro Summulis. Et quia multo plures non eunt ad cursum, praesertim ex minoribus collegiis, sed transferunt se ad aliquas conditiones vitae, etiam sacerdotia, non videntur privandi hac arte tam necessaria.

Fiebat etiam in hac provincia, non sine fructu, ut in iisdem classibus rhetoricis, ubi non est cursus, loco historiae, legeretur interdum vel Lucanus vel Ovidius de Fastis. Atque ita auditores et historiam cognoscebant, et excitabantur ad poesim, iam quodammodo relictam in humanitate.

Ex his potest colligi, quod in hac studiorum ratione perscribenda aut omnia necesse est complecti, habita ratione diversitatis et provinciarum et collegiorum; aut certe relinquere aliquam libertatem, nostris praesertim provinciis. Non enim eodem modo tractantur artes, praesertim inferiores, in omnibus regionibus; nec iisdem viis tenditur ab omnibus ad doctrinae perfectionem.

## 19

### IUDICIA PATRUM IN PROVINCIIIS S.I. DEPUTATORUM DE RATIONIS STUDIORUM (1586) TRACTATU QUI INSCRIBITUR: «SEPARANDANE SINT HUMANIORUM ET SUPERIORUM FACULTATUM SEMINARIA»<sup>1</sup>

#### ASSISTENTIA ITALIAE

##### Professores Collegii Romani

Quae patres in hoc primo capite afferunt, placent simpliciter ut dicuntur. Excipitur tamen P. Pererius, qui haec seminaria satius esse iudicat separari, ubi id commode fieri potest.

##### Provincia Sicula

Pag. 208 – Totum primum caput probatur, et item secundum pag. 211. [*Stud.* 2, f. 36v]

#### ASSISTENTIA HISPANIAE

##### Provincia Aragoniae

Quod attinet ad domestica humaniorum literarum seminaria, quae singula singulis in provinciis oportet institui, illud videtur magis e re Societatis esse, ut privatum illa praeceptorem habeant, eumque omnium totius provinciae praestantissimum; aut si id fieri nequeat absque primariorum collegiorum incommodo, ex praestantissimis quibusque. Is enim iac-

<sup>8</sup> Iacobus Sztemberg Szeliga Górski (1525-1585), *Commentariorum artis dialecticae libri decem* (Lipsiae 1563); cf. ESTREICHER, *Bibliogr. Polska* XVII 259.

<sup>9</sup> Cornelius VALERIUS, *Tabulae totius Dialectices* (Parisiis 1548); cf. *Ouvr. pédag.* 642.

<sup>1</sup> Textum huius capituli videas in MP V 115-20.



turam hanc optimorum copia magistrorum brevi resarciet. Unde fiet, ut neque nostrates illustri careant praeceptore; neque eorum querelis sit locus, qui alios praestantioribus uti praeceptoribus queri solent. Oportere autem arbitramur, eiusmodi seminaria ab externis scholis separari. Primum, quia multi e nostris, praesertim ex philosophis et theologis paulo provectionibus, adduci non poterunt, ut inter puerorum greges versentur; quamvis intelligant, se minus instructos esse earum artium praeceptis, sine quibus vix unquam possint in gravioribus studiis cum laude versari. Deinde quia persaepe fiet, ut qui alicubi grammaticam discet aut rhetoricam, ut eas aliquando profiteatur artes, is ibidem haud ita multo post eadem traditurus sit; dedecet autem eum, qui hodie egit discipulum, cras doctoris personam induere. Postremo, quia nostri breviori tempore evaderent doctiores; tum quia praeceptor seminarii tempus omne consumeret in eis dumtaxat exercendis, quin expectare coereretur externos, qui magna quidem ex parte solent esse tardiores; tum quia liberius multo ageret cum illis et illi vicissim cum eo. Id quod hucusque experti sumus in hac provincia, ubi humanitatis seminarium ab externorum commercio seiunctum est<sup>2</sup>.

Illud quoque videtur expedire non minus, ut eadem seminaria in iisdem instituantur collegiis, in quibus nullum aliud artium genus tradatur. Idque tam ob eas causas, quae afferuntur hoc capite, quam ea quae passim experimur. Et quamvis ea, quae in nova hac studiorum ratione praecipiantur [*Stud. 2, f. 244v*] de humanioribus studiis, huc etiam magna ex parte pertineant, operis tamen pretium fuerit, proprias quasdam leges praescribere, quae hisce seminariis magis consentaneae videantur esse. Nam cum hic fere doceri debeant tres linguae, latina, graeca et hebraea, vias quasdam faciles, expeditas et quasi compendiaras oportebit ostendere, quibus quo intenderint, exiguo tempore nostri perveniant.

#### Provincia Sardiniae

Placet illa ratio, quae in fine praescribitur; scilicet, ut in collegiis primariis doceantur omnes facultates a praeceptoribus maxime idoneis, et quicunque pollent ingenio de nostris, in illis instituantur. [*Stud. 2, f. 265v*]

#### ASSISTENTIA GERMANIAE

##### Provincia Austriae

Placuit sententia de divisione studiorum humaniorum et graviorum. Nam quae praecipua ratio videbatur: ne aut nostros auditores privemus illustribus magistris, aut illustres magistros nostris auditoribus – ea sic [*Stud. 3, f. 271r*] exponi potest: Non defuturos illustribus magistris insignes discipulos, etiamsi ubique nostri non sint. Maius vero momentum in eo esse, ne nostri magistros illustribus destituantur, quam ne tales magistri nostris priventur.

##### Provincia Aquitaniae

Pag. 209: Forte res ista ... – Placet hoc nobis, cum praesertim iubeatur in formula acceptandorum collegiorum numero 2, ut in minimis etiam collegiis tres saltem scholastici alantur<sup>3</sup>. Quod valet non tantum, ut collegii opus perpetuum esse queat, ut ibi dicitur, sed etiam ad accendenda studia, ad animandos magistros, qui gaudent discipulis ex Societate;

<sup>2</sup> Seminarium latinitatis in Hispania institutum est anno 1579. Cf. MP III 45 adn. 4; praeterea videas de iisdem MP IV 231 et passim.

<sup>3</sup> Formulam acceptandorum collegiorum vide in MP II 9-14.

denique ad disciplinae conformitatem retinendam. In seminariis tamen nostris, sive magnis sive parvis, omnes scholastici Societatis deberent esse ut minimum rhetores, nisi pauci fortasse aliquando in classe humanitatis. [*Stud.* 3, f. 382r]

Nicolaus Clerus S.I.

(Pag. 208) Separanda an sint humanitatis et superiorum facultatum seminaria. – Videntur potius non separanda haec ob causas hic allatas. [*Stud.* 3, f. 367v]

## 20

### IUDICIA PATRUM IN PROVINCIIS S.I. DEPUTATORUM DE RATIONIS STUDIORUM (1586) TRACTATU: «HUMANITATIS DOCTORES QUOS ET QUALES OPORTEAT ESSE»<sup>1</sup>

ASSISTENTIA ITALIAE

Professores Collegii Romani

Circa caput 2.m – Quos et quales oporteat esse doctores humanitatis: Totum illud quod affertur in § p<sup>o</sup>, ut omnes videlicet teneantur [*Stud.* 3, f. 47r] grammaticam docere, non probatur ulli. Haec enim res tota superiorum iudicio relinquenda est, qui omnes vel aliquos in hoc docendi ministerio exercebunt, vel ab illo eximent prout in Domino iudicaverint expedire.

Circa § 2.m eiusdem cap., ut singuli videlicet in grammaticae et humanitatis classibus doceant, antequam audiant philosophiam, nihil videtur hac de re statui posse. Sunt enim utrinque argumenta gravissima, et res in particulari pendet a multis circumstantiis. Tamen, caeteris paribus, expedit magis, ut philosophiae cursum prius audiant quam grammaticam doceant. Tum quia initio plerique propter aetatem non sunt ad id munus idonei. Tum quia plerunque accidet, ut hominibus in Societate pene novitiis minime expediat cum externis adeo familiariter et tam saepe versari. Tum quia septem annorum continuatio in philosophia et theologia hominem ferreum debilitaret et frangeret, nedum hominem Societatis, qui satis quotidianis exercitationibus et mortificatione continua debilitatur. Idque experientia comprobatum est, cum ad finem studiorum deinde pervenerint (si qui tamen perveniunt), eos ob infirmam vel paene nullam valetudinem, et ob tantam tanque longam studiorum molestiam, fieri propemodum ad munera Societatis ineptos. Illam vero studiorum interruptionem, quae fit, dum in scholis versantur nostri, docuit experimentum, ad valetudinem maxime conducere. Demum, (ut alia multa omittamus) quod dicimus, id nos docuit experientia. Nam, ut plurimum ita factum est et fit in dies; ac semper rem bene cessisse comperimus. Quamvis P. Belarminio et P. Pererio videretur, ut ante cursum nostri docerent.

Circa 3.m § – Quod dicitur, ut triennio in huiusmodi scholis singuli versentur, placet unanimiter; ita tamen, ut addatur aliquid, quo intelligant subditi, non esse ita praescriptum, quin sine querelis possit hoc tempus vel minui vel prorogari ex sententia superiorum.

§ 4.s – An aliqui se perpetuo addicant scholis inferioribus: Non videtur expedire, ut provincialis homines in Societatem ea conditione [47v] recipiat, ut perpetuo pueros doceant. Caetera placent, exceptis P. Rectore [B. Sarti] et P. Belarminio, quibus totum placet ut iacet.

<sup>1</sup> Textum huius capituli videas in MP V 115-20.

Circa § 5.m – An conducat eos, qui nunc primum incipiunt docere, etiamsi ad superiores sint idonei, initium tamen sumere ab infimis fere classibus: Iudicamus id non conducere. Nam, quod maxime in magistrorum electione curari oportet, illud est, ut unusquisque illi classi praeficiatur, ad quam iudicatur idoneus. Tum vero experimento compertum est, eos qui possunt in superioribus classibus docere, languescere in inferioribus. Ex quo etiam fiet, ut Societas, quod intendit, hac ratione non assequatur; quae id spectat, ut suos homines in studiis etiam perficiat; quod in infimis, ut in altioribus, praestari non potest. Adde quod, si ab infimis incipiant, vel nunquam aut vix ad classem sibi propriam pervenient; vel certe plures tribus annis cogentur in docendo ponere, contra illud quod supra statutum est. Ab hoc discrepant P. Parra et P. Belarminius, qui sentiunt cum patribus.

Circa 6.m § – Futuri praeceptores privatim ab aliquo in ratione docendi exerceantur etc.: Placet quidem; satis tamen est, si huic rei unus mensis tribuatur. Reliqua probantur.

### Provincia Neapolitana

Patri Bernardo [Colnago] et Caretonio circa finem paragraphi cavendum magnopere videtur, ne potius eae causae praetendantur in iis, quos superior aliquis excipi velit, quam excipiantur ii, qui iis de causis vero excipiendi sint; reliquis definitio patrum probatur. [*Stud. 3, f. 102r*]

§ 2 – Patri Bernardo et Caretonio omni ex parte probatur. Reliquis tamen omnibus superioris iudicio totum id permittendum videtur, qui, aetatis et morum cuiusque habita ratione, statuatur, quid magis in Domino expediat.

§ 5 – Omnibus perplacet, uno excepto Patre Maiorio; cui non probatur, fieri initium ab infimis classibus. Mallet enim singulis scholis idoneos praeceptores assignari; propterea quod, si qui pro classe humanitatis aptus est, ad secundam vel 3.am grammaticae deiiciatur, non erit magnopere consultum profectui discipulorum. Omnia vero incommoda facile evitari possunt, si eadem in docendo ratio praescribatur, quam sequantur omnes.

### Provincia Veneta

Pag. 213 in finem § 1 – Valetudinariis etc. Periclitandi sunt valetudinarii. Nam saepe obtenditur imbecillitas capitis spe immunitatis.

Pag. eadem a fine § 2 – Utrum ante philosophiam auditam sint nostri applicandi ad humanitatem et grammaticam tradendam, an postea, problema est ad solvendum valde difficile. Et licet patres propendeant in partem affirmativam, tamen contraria pars videtur probabilior. Primo, quia si illud fiat, cogimur scholas puerorum credere tyronibus aut fere tyronibus, qui nondum firma pietatis fundamenta iecerant in Societate; quo fit ut interdum scandala oriantur. – 2º Demus, esse praeditos virtute solida; demus, non repuerascere ineptiis; at sunt imberbes, carent prudentia in moderando gymnasio, carent auctoritate apud cives, carent gravitate apud discipulos. Quod si contingat, quempiam esse prudentem, eamque sibi parasse auctoritatem et gravitatem; cum haec adeptus, tunc tollitur, ut ad philosophiam transmittatur. – 3º Discendi et docendi vices gratissimae sunt, et prosunt valetudini; quare si philosophia primum audiatur, deinde doceant in scholis inferioribus, alacriores ad studium theologiae redibunt. Aegrius enim quisque sustinet continuatum laborem septennii, quo philosophia ac theologia absolvitur, quam quinquennii rhetoricae et philosophiae; praesertim, cum seniores sint illo septennio, quam hoc quinquennio. – 4º Ad philosophiam theologiamque iam fracti laboribus accedunt et taedio affecti, ita ut non ea alacritate atque conatu languentes fessique studeant, quo recentes studuissent. – 5º Inquie-

to animo docent ante philosophiam, continenter ad cursum inhiantes. Torquentur, cum ultra triennium docere iubentur; at philosophia eruditi, quod sibi videntur magnam disciplinarum partem emensi, non adeo moleste ferunt, quinquennalem aut etiam sexennalem docendi laborem. – 6<sup>o</sup> Qui ante philosophiam docuerunt, labores praeteritos perosi, sic omnia linguarum studia et omnis humanitatis abiiciunt, ut nunquam sibi videantur latine locuturi; ac propterea, si quando cogantur legendo, aut ex alia occasione loqui, aperte declarant, se iam pridem illas cogitationes abiecisse. Contra vero, qui primum philosophiae student, quod certo sciant, se fore humanitatis doctores, non omnino deponunt haec studia. – 7<sup>o</sup> Ne adolescentuli omnino imberbuli [*Stud.* 3, f. 162r] praeficiantur gymnasiis, cogemur eos diutissime in schola rhetoricae detinere, atque in ea, ut ita dicam, consenescere. Quae mora et illis molestissima est, qui praecepta rhetorica plane norunt, quique stilum satis expoliverunt; et Societati obest, cum otiosos illos tamdiu alat, donec barbam emiserint. – 8<sup>o</sup> Quod maximum est, non medebimur ea ratione malo illi, quod nascitur ex querelis iustis principum et praelatorum, quas audimus quotidie in hac provincia, nos pueros pueris praeficere.

9<sup>o</sup> Rationes contrariae ita solvuntur. – Prima solvitur, praesentia praefecti non dat barbam imberbibus. Quod si philosophi aegre reguntur a praefecto, etiam qui iam fuerunt ludi magistri, cum audiunt philosophiam, aegre reguntur et a ministro et magistro. – 2.a Reperti sunt quoque multi, qui logicae et philosophiae scriptis, quas non audierant, incubabant, quo paratiores essent, cum ad eas vocarentur. Item reperti sunt, qui quae nec audierant nec sciebant in gymnasio, publice docere sunt ausi. Hoc autem peccatum non est philosophiae, sed magistri carentis prudentia. – 3.a Occurreret huic incommodo, si cogantur auditores philosophiae aliquid temporis latinae linguae impendere; verbi gratia, iubeatur quotannis orationem quampiam singuli recitare in refectorio, ut bene cedit in collegio mediolanensi; cogantur latine scribere epistolas, quas scribunt etc. Recoquantur adolescentiores atque imperitiores in ludo rhetoricae, ut Romae factitatum est utiliter atque aliquot annos; atque ibi barbariam dediscent. – 4.a Parum prodest magisterium grammaticae caeteris scientiis, cum careat exercitatione latine loquendi. Praeterea, retundit vires ingenii, cum opprimat vires corporis. Adde, eos assuetos in magisterio lectitandis multis variisque libris, speculatione minime delectari. – 5.a Licet haberemus adolescentes moratos, prudentes ac scientes, quibus solae deesset auctoritas atque aetas, non tamen iccirco satisfacissemus expectationi hominum, qui senem ac bene barbatus ludi magistrum optant. Praeterea adolescentia, cupida sciendi, est impatiens, huius nunquam dissimilis docendi labores. – 6.a Totidem deserunt Societatem ante philosophiam, incitati desperatione quadam eius audiendae, quot exeunt post auditam. – 7.a Illum vitae statum sibi multi praestituunt, etiam ante philosophiam. Id autem tolletur, si nemo liberetur ab onere docendi, neminique a superioribus immunitas huius muneris promittatur. Patri vero Codreto<sup>2</sup> respondere possumus, retorquentes argumentum: nihil praestans in litteris humanioribus in Societate hucusque extitisse, quod ab imbutis philosophia non extiterit. Testis Perpinianus<sup>3</sup>, testis ipse Codretus, et caeteri celebres.

Verum, quia difficile est, ut dixi, dirimere hanc litem saepius in Societate agitatam, possent fortasse conciliari dissidentes sententiae media quadam ratione, a qua parum recedunt patres, qui magistrum rhetoricae volunt esse philosophum, et in primariis collegiis humanitatum etiam magistrum. Imo, in aliis gymnasiis, cum nimis adolescentes sunt, aut parum morati, aut aequo grandiores ante philosophiam, ut patet pag. 227 initio. Claudetur haec autem nostra opinio his dictis.

<sup>2</sup> De Hannibale du Coudret S.I. (1525-1599) vide MP I-V 93 et passim.

<sup>3</sup> De Petro Ioanne Perpinyà S.I. (1530-1566), hispano cf. MP II 637 et passim.

Primum – Sit in singulis collegiis unus ex tribus magistris philosophus; isque sit magister supremæ scholæ. Primo, id sentiunt deputati quia rhetorica finitima est dialecticæ, pag. [162v] 227 § 2. – 2º Quia nostri invitantur ad disputationes philosophicas, ad quas vel non potest, vel non debet rector accedere. – 3º Cum debeat magister dicendi peritus esse multarum rerum, nec ignarus philosophiæ moralis, ut docent patres infra pag. 293 § 5, et pag. 186<sup>4</sup>, hæc autem explicantur tertio philosophiæ anno, sequitur necessario rhetorem philosophiæ imbutum esse oportere. – 4º Habent ii plerunque auditores de nostris, a quibus contemnuntur, nisi plus existimetur scire, quam rhetoricam; præsertim, cum auditores sunt magistro seniores, aut ingeniosiores, ut sæpe evenit. – 5º Sine philosophia carent methodo, inventione, sententiis; nec orationem unquam scribing sine auxilio præfecti aut sine furto, dignam doctorum virorum corona. – 6º Id ab origine prima Societatis factitatum est usque ad nostra tempora ubique terrarum, si venetam provinciam excipias. Debet ergo magister rhetoriæ in singulis collegiis esse philosophus. At in primario provinciae collegio debet is etiam, qui humanitatem profitebitur, philosophiæ operam navasse.

Secundum – Expedit infimæ scholæ magistrum esse sacerdotem aut certæ adolescentiæ excessisse. – Primo, quia cum pueris versatur. – 2º quia scholæ auctoritatem affert. – 3º Cives libentius seni liberos committent quam iuveni. – 4º quia sic perrara erit mutatio, quæ scholas nostras adeo facit odiosas. Erit autem facile invenire magistros grandes natu ac sacerdotes his modis: primo, si qui se offerunt sua sponte, ii addicantur iis scholis perpetui præceptores, ut censent patres pag. 219 § 4; ubi multæ rationes ponuntur pro hac re. – 2º aliqui non magni ingenii hac conditione recipiantur, ut perpetuo grammaticam doceant, ut dicunt patres fieri in Hispania pag. 219. – 3º qui non sunt apti ad graviora studia (cum supra statutum sit, non esse ad cursum philosophiæ admittendos, qui sunt infra mediocritatem)<sup>5</sup>, vel qui revocantur a cursu, huic muneri tradantur. Ac primo quidem detineantur tres quatuorve annos in iis scholis, quorum duorum postremis nonnihil temporis, quod proculdubio scholæ studio supererit, tribuant casibus conscientiæ, ne sint otiosi, ut solent esse grammatici. Ubi vero defatigari ac satiari incipient, vacent uno anno, ut dicunt patres pag. 219 § 4. Quo tempore vellem casibus studere diligenter et fieri sacerdotes. Sacerdotes autem ad pristinum pensum redire, et alios quatuor vel quinque annos in eadem schola morari.

Ex hoc autem hæc commoda sequuntur: – Primo, habebunt scholæ nostræ statarium magistrum; – 2º barbatus et gravem sacerdotem; – 3º exercitatum in grammatica tradenda; – 4º non tam cito fient sacerdotes illi, qui studio philosophiæ liberantur. Quod esse magnum Societatis periculum, putavit P. Everardus<sup>6</sup>, bonæ memoriæ; qui mandavit, ne quis ante quinquennium in Societate positum fieret sacerdos. – 5º non fierent magistri tyrones, qui parum æquis animis in multis collegiis excipiuntur. – 6º illud collegium, quod habebit magistrum sacerdotem, [163r] habebit sine onere plures sacerdotes. Neque vero queri possunt hi sacerdotes magistri, iniuriam sibi fieri. Nam, si illi, qui plus ingenio valent, docent decem aut duodecim annos philosophiam, theologiam etc., quales multi sunt, cur non ipsi eam artem, quam per ingenii tenuitatem possunt, tradent decennium?

Tertium – Cum infimæ scholæ magister sit senex, stabilis et sacerdos, supremæ vero philosophus, ac proinde non adolescentissimus, in tertio magistro, qui medius est, modo fuerit sciens et aptus ad docendum, non magnopere ætas aut philosophia requiretur; quare

<sup>4</sup> Vide MP V 102 et 155.

<sup>5</sup> Vide MP V. 96.

<sup>6</sup> Everardus Mercurianus S.I. (1514-1580), præpositus generalis S.I.; vide *Synopsis hist. S.I.* 66.

in eo provincialis iudicium suum sequi poterit; dummodo tamen hic mediae scholae magister neque omnino iuvenis sit, neque in Societate novitius. Illud enim auctoritatem magna ex parte minuit; hoc autem aut praeripit aut tollit omnino eos, qui ex auditoribus in spiritu sperari possunt fructus; cum Societatis spiritum ii magistri nondum plane imbibisse videantur. Quod si etiam philosophus esset, magis probaretur; tum quia philosophus fere semper grandior est annis; tum quia libentius ad eum pueri ascendent a sacerdote infimae scholae, opinione doctrinae invitati. Quod si se offerat hic medius magistrum perpetuum, non est sane recusandus.

Quod si quis obiiciat, ex hac via sequi illud incommodum, ut non possint omnes se in scholis inferioribus exercere, ubi addiscitur latina lingua, quae philosophiae theologiaeque affert ornamentum, cum ponantur statarii quidam grammaticae magistri, responderi potest: – Primo, remanere rhetoricam et humanitatem, in quibus se ii exercebunt, qui graviorum disciplinarum sunt aliquando futuri professores. – 2<sup>o</sup> In grammaticae ludo non potest comparari facilitas latine loquendi, cum ibi materna lingua loqui sit necesse. Verum universae Societati conducibilis est inire rationem, qua cum aliquo nostro incommodo satisfaciamus externis, et saltem magistros stabiles, exercitatos, senesque constituamus. Idem aliqua ratio iustitiae postulat, quae utilitati praeficienda est. Imo, id cedit in maximam utilitatem et universae Societatis, et singulorum. Stabilibus enim magistris positus, floreant scholae. Iis florentibus, silebunt tum invidi, tum ii, qui a nobis haec ut debita requirunt. Quorum querelae faciunt, ut tot reditus pecuniarum in Societate male collocati dicantur; ac proinde et decimis minui et aliquando tolli possint.

Quantum – Optandum est et curandum vehementer, ut in qualibet provincia saltem is, qui magister est seminarii nostrorum, sit stabilis et in hoc munere docendi exercitissimus; alioquin oleum perdetur et opera. Poterit autem sic obtineri: Primo, eligatur aliquis, qui philosophiam audierit (oportet enim esse plus quam mediocris ingenii eum, qui futurus est optimus rhetor et orator), quique in latinitatis et eloquentiae studia propensionem et ingenium aliquando ostenderit. Hic doceat triennium aut quadriennium; postea, ubi fatigari coeperit, [163v] audiat theologiam, si voluerit, et fiat sacerdos. Hac audita, redeat sacerdos ad idem munus docendi. Quod faciet maxima auctoritate et fructu. Perseveret aliquot annos. Ubi octo annos aut plures docuerit, aequum erit tanquam militem emeritum aliqua cessatione atque immunitate recreare. Quare tunc illi detur socius, qui sit eiusdem spei et futurus aliquando magister nostri seminarii, illo liberato. Hunc senior ille manu quasi ducat ad magisterium illud tanti momenti. Ille idem senior ac veteranus corrigat nostrorum scriptiones omnium, externorum vero saltem primi ordinis. Ille toti gymnasio praesit et invigilet. Neque vero absurdum id est. Si enim philosophiae magistris, ubi bis terve philosophiam percurrerint, datur aliqua quies atque levatio, ut nimirum unam lectionem theologiae aut casuum praelegant, cur non etiam magistro dicendi post curriculum multorum annorum detur haec immunitas? Praeterea, nisi haec levatio detur hisce magistris, neminem habebimus, qui scribat aliquid accurato stilo, sempiterna memoria dignum, cum difficile sit scribere dum docetur; praesertim si multi de nostris habentur, qui tanquam sanguisugae temporis et virium habeantur. Hic praeterea cum levare caeperit, scribet eas tragedias elaboratas, quae interdum dari debent, ut habetur regula 58 provincialis<sup>7</sup>. Scribet literas annuas; scribet historias Societatis, et alia similia.

Pag. 222 – Possent futuri magistri exerceri etiam ac periculum sui facere in gymnasio alicuius magistri, egentis auxilio propter infirmitatem aut numerum discipulorum.

<sup>7</sup> Quam regulam videsis in *Institutum S.I.* III 79.

## Didacus Tapia S.I.

Quod non omnes legant grammaticam – Aegre ferendum est, ut illi, qui ingenio praestant (quando id potest fieri) legant grammaticam, quia alias necesse est fieri sacerdotes et operarios absque debito theologiae studio, cum magna iactura Societatis; vel theologiam audire illos oportebit, cum ad eam legendam deberent apti inveniri. Si enim assignemus duos annos primae probationi, unum secundae, septemque studiis, is qui decimo septimo vel decimo octavo anno ingressus est Societatem (rari enim antea recipiuntur), viginti octo annos eos habere oportebit, prius quam apti sint ad ministeria Societatis exercenda. Ex quo intelligitur quod, si per tres annos grammaticam quisque legat, totidem auferet a rebus maioris momenti; id est, vel a ministeriis proportionatis magis eius ingenio, vel a studiis et probationibus necessariis. Dixi enim, haec fieri non debere in iis, qui ingenio praestant ad maiora obeunda. Secus in aliis alterius talenti. Diversae enim sunt Spiritus S. operationes. Etiam dixi: quando fieri poterit. Nam aliter ad exercitium propriae abnegationis conveniet aliquando procedere, et nonnunquam propter magistrorum penuriam non erit haec regula observanda, sicut in usu est in aliquibus locis; quem usum observare oportebit, donec sit magistrorum sufficientia.

Rationes autem oppositae non concludunt. Si enim aemulationis tollendae causa, aliter fiat, nostri fient et nutriuntur delicati. Dicet enim ille, quare hoc ego ago, ille illud? Quare non ego illud, sicut ille? Debent enim omnes in ea esse deliberatione, ut non omnes eidem sunt ministerio vocati, sed unusquisque eam partem habeat, quam ex electione superioris sortietur. Praeterea, non est necessarium aliis ministeriis et officiis legere grammaticam. Vidimus enim theologiae professores, vidimus rectores, qui nunquam eam legerunt. Licet enim experientia omnium officiorum multam acquirat prudentiam, cum tamen unus non possit omnia munia et officia exercere, multa maioris momenti per experientiam ignorare rectorem necesse erit; hoc est, quorum experientia plus illum iuvaret.

Circa § 4 (fol. 217) – De magistris perpetuis.

Ista sententia de magistris perpetuis in literis humanis creandis omnibus placet, sed perdifficilis censetur eius executio propter ingeniorum naturalem inquietudinem. Arbitror vero, non ex ingeniis tantum, sed ex usu potius oriri hanc difficultatem; quoniam, ubi est in usu horum magistrorum perpetuitas, haec impossibilitas [*Stud. 2, 54v*] non invenitur.

Modus autem exequendi hanc sententiam, hic erit: imprimis seligantur ad hoc ministerium apta ingenia. Deinde sciant ipsi electi, propter eorum repugnantiam non perventuros ad vota propria et desideria. Et hoc modo unusquisque vivet sua vocatione contentus. Non enim aspirat quis communiter, nisi ad quod se pervenire communi cursu sperat. Sicut ex coadiutoribus pauci deserunt vocationem ex ambitione sacerdotii propter has duas rationes.

## Assistentia et provincia Lusitaniae

Pag. 205 – «Rhetoricae saltem professori» – Deberent eloquentiae professores, quantum fieri posset, magisterii gradu insigniti esse, ut cum publicis actibus intersunt, pro sui muneris dignitate inter magistros locum haberent.

Pag. 211 – «Aegerrime dispensandum» – Esset quidem hoc observandum, sine detrimento tamen circumstantiarum, quae aliquam in hisce rebus exceptionem nonnunquam adhibendam suadent. [*Stud. 2, f. 303v*]

## ASSISTENTIA HISPANIAE

## Provincia Aragoniae

1. Placet, nullo quemquam praetextu eximi, nisi qui alioqui ineptus (quales sunt ii, qui hoc loco excipiuntur) videatur, ut omni spe immunitatis incisa promptiori omnes et alacriori animo rem suscipiant. Caeterum, hoc ipsum iis verbis explicandum videtur, ut inde liquido constet, licere provinciali aliis etiam iustis de causis, quos velit, eximere.

2. Quamvis omnino necessarium nobis videatur, ut inter philosophiam et theologiam nullus grammaticam doceat, quod experientia docet, plerosque praeceptorum huiusmodi parum deinde proficere in studiis theologiae, difficile tamen ac prope adunatum esse censemus, inducere in hanc provinciam morem hunc legendi grammaticam ante philosophiam. Nam hic adscribuntur fere omnes in Societatem intra 16 ac 20 aetatis annum. Quo fit ut, licet nonnulli exacto tyrocinio lingua latina vehementer indigeant, tenerior tamen illorum aetas impediatur, quominus grammaticam docere queant. Pueri enim cum sint, haud satis commode poterunt pueros in officio continere. Atque ita suis ipsi discipulis ludibrio erunt. Et quod vehementius pertimescendum est, multum etiam de prima illa animi contentione remittent. Siquidem humaniorum literarum professione et puerorum consuetudine defervescit potius, quam augetur studium pietatis, quae nondum est altis defixa radicibus. Praeterea, cum huiusmodi adolescentes rerum Societatis adhuc ignari sint, ea saepe dicunt et faciunt, eosque invehunt in scholas nostras mores, qui pugnant cum docendi ratione, quam Societas servare consuevit. Ad haec, legendi munere perfuncti, ita plerumque affici solent, ut sequenti septennio aegre discipulorum legibus pareant. Denique, scholae nostrae si regantur a pueris, nullum apud externos obtinebunt locum. Quapropter, multo magis expedire videtur, ut emensis philosophiae theologiaeque spatiis, grammaticam nostri fere doceant. Nam praeterquam quod superioribus occurreretur incommodis, facilius illi tunc utiliusque fungentur hoc munere, nihil videlicet de philosophia theologiaeque audienda solliciti, nihil de valetudine ad eas facultates conservandas laborantes, nihil denique metuentes, ne (quod iis solet accidere, qui ante philosophiam grammaticam profitentur) grammaticae causa non absolvant philosophiae theologiaeque curricula. Illud igitur superioribus imprimis commendatum esse oportet, ut tametsi intelligant eorum, qui grammaticae docendae munus expleverint, operas fore Societati peritiles; nullo modo tamen patiantur, ut ante quadriennium theologiae quaestionibus ad conscientiam pertinentibus aut ullis Societatis muneribus operam dent, nisi ad philosophiam et theologiam videantur inepti. Nam nihil est, quod grammaticam aequè reddat invisam, atque haec una cogitatio, quae multorum malorum est veluti seminarium.

3. Experientia quotidiana docemur, triennium circiter pernecessarium esse ad hoc munus utiliter exercendum. Sed curandum videtur diligenter, ne quidquam ad hoc legendi onus temporis cuiusquam vel iussu vel auctoritate vel precibus sine P.N. Generalis prorogetur facultate.

4. Cum inferiorum grammaticae classium, tum maxime humanitatis et rhetoricae praeceptores convenit esse perpetuos, aut saltem eiusmodi, ut longiori temporis spatio versentur in hoc munere. His enim doctoribus [*Stud.* 2, f. 245r] exercitatissimis (eiusmodi brevi tempore nunquam assequemur) opus est, ut eorum opera utilis auditoribus esse possit, et aliorum de nostris scholis opinioni satisfiat. Quare necesse fuerit, viam aliquam hac ratione inire, qua nonnulli ex iis, qui praecipuis naturae virtutisque muneribus ad hoc munus exercendum praediti fuerint, sponte, nullaque adhibita vi, quam diutissime grammaticam doceant, ut sint tanquam firmamenta quaedam scholarum Societatis. Plurimum etiam expediret, infimae classis praeceptores, in collegiis praesertim insignioribus, esse paulo gravio-



res et industriores, tum ut puerorum parentibus consulatur, qui filios suos tunc primum nostris in disciplinam tradunt, aut eosdem postmodum invisunt; tum ut pueri iam inde a primis annis assuescant suos revereri praeceptores. Hic enim primum illorum domantur ingenia, et ad virtutem instituuntur, primoque grammaticae quasi lacte pascuntur. Id quod magno illis adiumento ad probitatem cum eruditione coniungendam in reliquis classibus fore constat.

5. Quamvis scholis nostris admodum conducibile sit eos, qui nunc primum incipiunt docere, non statim fieri praeceptores primae classis grammaticae aut humanitatis, id tamen haud videtur sancendum communi aliqua lege, quae ubique servanda sit. Primum, quia hoc ipsum, quo vitari videtur offensio, maiori erit nonnullis offensioni cum viderint, singulis annis mutare praeceptores. Deinde, quia multi, ut fit, ad eam tantum classem sunt idonei, cui principio praeficiuntur; tum quia experientia docemur, perpauca esse, qui intra annum ita proficiant in grammatica, ut superioribus classibus cum utilitate praeesse possint. Vix enim eam sibi doctrinam comparabunt, quae ad eam, cui praesunt classem administrandam requiritur, cum ad illa convertent animam, quae sequentis sunt classis. Quare, quo tempore possent fructuosius in inferiore classe operam collocare suam, migrabunt in superiorem. Caeterum, eos qui primae classi praefuturi deinde sunt, oportet priore anno praeesse secundae. Quod si fieri non possit, curetur saltem, ut vel substitutione aliqua vel alio quovis modo existimationem aliquam colligant, quae in minoribus collegiis eo magis necessaria iudicatur, quo maiori esse solet offensioni locus.

6. Ubi humanitatis seminarium<sup>8</sup> separatum esse contingerit, posset illius praeceptor non solum fungi officio praefecti primarii cuiusque collegii in admonendo rectore et provinciali, sed novos etiam praeceptores ad officii sui munus instituere.

### Provincia Castellana

An sit utilius, ut nostri grammaticam et rhetoricam doceant antequam discant philosophiam, difficile est in commune iudicare. Sunt enim utrinque graves rationes. Sed fortasse, si omnia ponderentur, utilius est auditoribus, praeceptoribus et Societati, ut post auditam philosophiam hoc fiat, ut experientia etiam docet.

Imprimis interest auditorum, ut praeceptores suspiciant. Multo autem magis reverentur aetate provectiores et doctiores, qui possint eos in officio continere.

In autoribus quos exponunt, sunt permulta, quae non solum maturum iudicium, sed eruditionem etiam desiderant.

Praeceptores docendo grammaticam, priusquam aetatis beneficio firmis sint viribus, ita debilitantur labore, ut postea inepti sint ad alia studia.

Ingenio praeterea hebetes redduntur; sic fit, ut animi et corporis vigore destituti in philosophia parum proficiant, ut docet experientia.

Deinde, cum fuerint praeceptores, vix possunt se, ut dicitur vere pag. 134, gerere ut discipulos decet. Necesse enim saepe est, ut suorum discipulorum, qui eos diligentia et ingenio antecedunt, sint condiscipuli. [Madrid, Bibl. Acad. 9v] Multi etiam animum despondent et in graves incidunt tentationes.

Non possunt diu contineri in munere docendae grammaticae. Unde fit crebra praeceptorum mutatio cum auditorum iactura. Tunc enim praeceptores ad audiendam philosophiam provehuntur, cum incipiunt praeceptorum nomen mereri.

<sup>8</sup> De huiusmodi seminariis vide supra, mon. 19 adn. 2.

Societas etiam grave patitur detrimentum suae existimationis. Nam iuvenes ac pene pueri docent. Aiuntque viri graves, nostros iuvenes occupasse locum praeceptorum, qui iudicio, eruditione et aetatis maturitate longe illos anteibant, et nonnunquam in aliis bonis artibus erant diu multumque versati.

Omnibus autem incommodis difficile erit obviam ire. Sed magna ex parte occurreretur, si servetur diligenter, quod dicit pag. 206 de benevolentia superiorum in praeceptores grammaticae, de honore illis deferendo, de eorum alacritate conservanda. Nam si hoc fieret, fortasse multi, experti laborem audiendi confessiones et aliorum munerum Societatis, libenter se huic [10r] docendi muneri per totam vitam addicerent. Id quod esset omnium optimum et utilissimum. Nam suo exemplo alios allicerent, ut idem facerent; et animo essent quieto, et autoritate plus valerent, et usu docendi proficerent, et doctiores essent in singulos annos, et Societatem plurimum et rempublicam iuvarent. Cuius rei habemus in Hispania aliquot exempla<sup>8\*</sup>.

### Provincia Sardiniae

Quod hinc primo dicitur, aegerrime dispensandum esse, ut aliqui, qui philosophiae et theologiae vacaturi sunt, non doceant aliquandiu humanitatem etc. Et neque theologos ab hoc onere liberandos, id fieri oportere et fore maxime utile videtur.

Id etiam quod 2<sup>o</sup> loco ponitur, utilius esse scholis humanitatis et grammaticae, ut has nostri doceant antequam audiant philosophiam, placet, dummodo novitiis anni secundi non committatur hoc munus, quoniam et ipsis esset perniciosum et Societati et scholis. Illis quidem quia, cum nondum bene confirmati sint in virtutibus, neque altas radices iecerint, praesertim humilitatis, et hoc officium docendi sit honorificum – cuius causa est etiam necesse, eximere magistros a multis oneribus domesticis et obedientiis –, timendum est, ne huius officii dignitate elati, priusquam discant obtemperare, sciant obsistere mandatis et renuere iugum obedientiae. Ex quo sequetur magnum damnum Societati. Nam, si abundaverit magistris, [Stud. 2, f. 266r] habebit paucos humiles et obedientes, quibus satius esset carere. Scholis etiam parum consuleretur, quoniam novitii, novo genere vitae et pietatis officii implicati ac pene pueri facti, neque poterunt neque scient libere, prudenter et moderate agere cum discipulis; quam libertatem, prudentiam et moderationem hoc munus docendi summopere optat. Ea vero, cum nulla possit esse in adolescente et novitio, multis incommodis aditus aperitur. Nam inde oritur discipulorum audacia et in magistros impudentia et contemptus eorundem. Unde molestiae et difficultates multae nascuntur eos retinendi in officio. Quibus malis mederi non potest praesentia praefecti, quia ubique non reperitur, qualis esse debet praefectus, et quicumque fuerit, non adest omnibus horis, neque singulis diebus in scholis, et propter alias occupationes domesticas non potest semper lustrare scholas.

Quod quarto loco quaeritur, an expediat esse aliquos, qui scholis inferioribus addicantur perpetui praeceptores, consideratis quae afferuntur in utramque partem rationibus, libenter venimus in eam sententiam, quae extremo loco ponitur: optandum esse, ut multi sese etiam inferioribus classibus perpetuo magistros dicent; et a provinciali curandum, ut nonnulli, qui non multum ingenio valeant, libenter velint hoc animo ingredi Societatem, ut pueros doceant. Sed dubitamus, id commode cessurum. Et si in Hispania succedit ex sententia, non putamus fore diuturnum, quoniam huiusmodi genus hominum facile dabit assensum initio quibuscunque rebus propositis, dum ardet, dum appetit ingressum, dum ignorat, quid insit laboris in diuturno munere docendi. Ardore vero pristino refrigerato, la-

<sup>8\*</sup> Vide exemplum Patris I. Bonifacio S.I.; MP IV 467 566.

bore docendi assiduo fracti homines ac debilitati, incipient languere taedio, seipsos increpare, quod inexpertis rebus promissi vinculo se alligarint, et graviter intrinsecus commoveri, et si seipsos rectoribus aperire non auserint, etiam cogitare de fide data, utrum servare necne debeant, ita ut casu gravissimo oppressi de sanctissimo statu concidant. Neque temere hoc dictum putetur. Virum enim hispanum habemus in Sardinia, qui vitae nostrae societatem ob hanc causam deserens in familia carmelitarum vivit. Caetera, quae quinto, quae sexto loco scribuntur, placent omnia.

Ioannes Mariana S.I.

Pag. 213 num. 2. Hoc recte, nisi in responsionibus ad penultimam congregationem huius provinciae a nobis propositum<sup>9</sup> fuisset Romae reprobaturum, quasi contrarium Constitutionibus, ut omnes latinam linguam docere pueros aliquot annos post prima tyrocinia cogerentur.

Pag. 219. Deleo illam parentesim (videlicet neque ingenio, neque doctrina abundantem). [*Gall.* 62, f. 20v]

Ioannes Legaz S.I. – Hieronymus de Burgos S.I.

Cap. 2 ratione quarta pagina 212 y 213 – Parece que tiene inconveniente grande que envíen algunos a leer por poco tiempo, excepto los que en esta facultad están bien aprovechados y tienen experiencia de cómo se ha de leer. Porque de otra manera se experimenta ser notable daño de los estudiantes y se desacreditan los studios con su insuficiencia y tanta mudanza de maestros, ni ellos se aprovechan como se nota num. 3 eodem cap.

In eadem ratione ad illa verba: «ad infimam classem mittendos» – parece convenir mucho que no sean menos suficientes los que an de leer en estas classes de minimos y menores, que en las demás classes; porque los vicios que aquí cojen los niños, tarde los olvidan y de ordinario es el mayor numero en estas classes, y acuden a ellas de ordinario los padres y deudos de los niños, y se echan de ver más fácilmente las faltas y al enhornar se hazen los panes tuertos. [Madrid, Bibl. Acad. 1v]

In eodem cap. pag. 214 ad illud: «Noviciatus fervorem retinent» – Por experiencia se hallado muchas vezes que los que tan nuevos se han puesto en este ministerio, pierden la virtud por ser tan tierna. Y assí parecería mejor que fuera de sus años de noviciado ubiesen pasado uno o dos años de seminario.

In caput secundum – Porque el buen progreso de nuestras escuelas de humanidad y aprovechamiento de los estudiantes depende de la suficiencia de los maestros que se an de poner en ellas, sería de mucha importancia, pues que los que han de salir del noviciado para leer en los collegios, muy raros se hallan suficientes para el officio, que primero se exercitasen en los seminarios el tiempo que para ello es necessario; y convendría que este tiempo estuviesse señalado, porque de sacarlos antes de tiempo, no se consigue el fin que de los seminarios se pretende. Y porque lo que se sigue del capítulo 3 adelante, más es dar traza de como los maestros han de aprovechar a los discipulos desde los primeros rudimentos, que dar modo cómo se han de hazer los maestros, parece que convendría mucho ubiese particular instrucción para los seminarios<sup>10</sup>, pues son ordenados para que dellos los maestros salgan consumados, y no quede esto al alvedrío del maestro del seminario que acaece seguir cada uno su traza.

<sup>9</sup> Vide postulatum congr. prov. Castellae in *Congr.* 95, f. 124v n. 7.

<sup>10</sup> De seminariis latinitatis in Hispania constitutis vide supra, mon. 19 adn. 2.

## ASSISTENTIA GERMANIAE

## Provincia Germaniae Superioris

Num. 4 – Etiam ii, qui se offerrent ad perpetuam humaniorum literarum professionem, debent aliquando ita instrui et exerceri in iis, quae ad agendum aliquo modo utiliter cum proximis pertinent; tum ne penitus exarescat in illa siccitate secularium litterarum eorum spiritus; tum etiam ut, si quo casu postea contingat, eos non posse in ea professione pergere, habeant aliquid, in quo cum sua consolatione et aliorum utilitate occupari possint; ne alioqui in ocio et desidia cum maxima sua et aliorum molestia (quod quibusdam accidit) vitam degant, si neque usum alicuius ministerii ante didicerint, nec tum (aliis iam laboribus fatigati ac pertaesi) possint discere. [*Stud. 3, f. 212r*]

## Provincia Rhenana

Cap. II § 1 – Expedit, ut tota Societate paragraphus ista, quoad eius fieri potest, observetur; omnesque primum docendi tyrocinium a grammaticae classibus auspicentur.

§ 2 – Humanitatis et rhetoricae doctores merito philosophiam audisse oportet. Neque enim sine ea recte unquam queant poëtas interpretari, eruditum carmen fundere, oratores explicare, orationem sententiis et doctrina insignem scribere, scribendaevae aliis hypothesin et exemplar praeformare, nisi philosophiae praeceptis instituti, astrologiaeque saltem rudimentis perpoliti, uti mathematicum commendatio ante ostendit, folio 198<sup>11</sup>. Nam certe alioqui versificatores forsitan et locutuleii, poetae vero et oratores esse nunquam poterunt. Neque enim modo parum sibi proderunt, sed traditae etiam iuventuti plurimum oberunt, vel minus certe proderunt.

In grammaticae vero classibus adhiberi quidem possunt, qui philosophiam nondum attigerint; eorum tamen trium diligens a superioribus in iis ratio ducenda; morum, doctrinae, auctoritatis; quam quidem auctoritatem duo illa priora apud prudentes maxime conciliant, sed apud imperitos et impuberes adhuc adolescentulos etiam aetas et vultus maturior. Nam qui adolescentiores sunt, a pueris facile contemnuntur, ipsumque grammaticae magisterium a nostris, quod § 1<sup>o</sup> c. 2 cautum valde volebat. Ipsi vero durum quandoque apparet, e magistris discipulos fieri, tot examinibus, quae philosophos probant, exagitari, et rursum, quasi ferulae manum subdere; cum praesertim accadat, ut philosophiae doctores iis aetate non ita multum praecurrant, et eosdem saepe condiscipulos habere oporteat, quos non ita pridem discipulos habuerunt. Quibuscum in studiis, repetitionibus, disputationibus industria, ingenio, doctrina certare, ab iis etiam forte superari, non nisi submolestum fuerit. Etsi vero imus grammaticae ordo magnam eruditionis copiam non requirit, magnam tamen in puerilibus animis pertractandis et utiliter fingendis prudentiam flagitat. Ipsa vero prudentia provectoris aetatis comes et quaedam quasi alumna est. Quam ob causam non immerito factum quis existimet, ne quis, in plerisque Germaniae scholis, ad pueros erudiendos admittatur, nisi id sit aetatis et eruditionis, ut in academiis aliqua doctrinae liberalioris laurea insignitus fuerit. [*Stud. 3, f. 248v*]

§ 4 Fol. 219 – Qui ad Societatem admittuntur, eo prorsus animo esse deberent, ut ex superiorum praescripto, omni sua vita, quidlibet in Societate discere et docere parati sint, neque aliud iis a provincialibus principio inculcandum videtur. Qui vero ad grammaticum ludum destinantur, eam minimam eruditionem habere deberent, ut latine et emendate loquantur. Nam, quomodo alias latinae linguae primos quasi cibos pueris praemandent, et

<sup>11</sup> Vide MP V 109.

in os, ut dicitur, inserent, si et ipsi edentuli sint? Viciose latinam linguam usurpabunt, barbare et inquinate loquentur, male pronuntiabunt, verborum proprietates ignorabunt: plane caecis caeci duces. At vero huiusmodi saepe a puerorum parentibus, maecenatibus, paedagogis adeuntur, latine salutantur, interrogantur. Quid, si tum soloecismos balbutiant? Veniunt etiam in ludum, qui eorum lectiones audiant, homines externi, vel ad fenestras subaudiunt, vel in praescriptas pueris scriptiones inquirunt. Experti sane aliquoties, saepius scilicet, quam vellemus, alicubi sumus, magnam quorundam magistrorum imperitia Societati notam inuri, et ex istorum ingenio, de professoribus aliis suspicionem eandem oriri. Et tamen huiusmodi homines adeo subinde duri et altiorum appetentes comperti sunt, ut vocationis suae obliti alio eruperint. Eiusmodi igitur esse (patrum quidem opinione) deberent, qui, quando superioribus visum esset, altius sine suo et iuventutis detrimento ascendere possent. Neque bene his in partibus cedit, si latine nesciant, ubi latine docti omnes loquuntur.

§ 5 – Ut gradatim docendo praeceptores ascendant, expedit. Nam in humilitate omnes sic exercentur, et aliquem animorum tractandorum usum capiunt. Auditi etiam sunt aliquando nonnulli, neque indocti, neque imprudentes, qui se gradibus hisce praeteritis altiora capessisse dolerent.

§ 6 – Etsi in nostris omnibus, et in iis tamen maxime, qui aut natu grandiores ad Societatem venerunt, aut externis gymnasiis docendo, discendove litteras tractarunt, curandum videretur, ut Societatis docendi modum privatim docerentur, ne exoticam docendi rationem, quae a nostra fere discrepat, importent. Praemonendi etiam futuri praeceptores, qui docturi sint, viderentur, ut authores ipsos totos ante praelegerent.

### Provincia Aquitaniae

Pag. 211 – Aegerrime ... – Videtur haec regula praescribere, ut antequam audiant philosophiam vel theologiam, prius doceant aliquandiu humanitatem vel grammaticam. Quo sensu si intelligatur, ut certe videtur intelligi pag. 213 in fine, addendum est omnino quod additur: si per aetatem, eruditionem, gravitatem illud praestare possent munus; – ne quid faciamus, quod voluntati fundatorum et Societatis existimationi non respondeat; ut in hoc libro pag. 205 iubetur, eius magnam habendam esse rationem. Quamquam vix poterunt explicare multos poetarum locos sine cognitione saltem mediocri cosmographiae et sphaerae; quare in his docendi essent prius saltem intra privatas parietes, nisi iam in prima classe audiverint. Quod autem dicitur pag. 213, ut saltem uno anno doceant in grammaticis, id videtur cedere in magnum detrimentum discipulorum. Nunquam enim bene docebit grammaticam, qui uno tantum anno docebit. Plus enim in hoc genere valet experientia docendi et exercendi pueros, quam doctrina. Itaque probatur quod est pag. 217, ut non minus quam triennio doceant; quia potius discipulorum, quam nostri ratio habenda est. [*Stud. 3, f. 382v*]

Pag. 212: Tandem decet superiores ... – Quasi vero hae Constitutiones solis cisalpinis praescribantur.

Pag. 216: Id vero ante philosophiam ... – Animadversum est saepe eos, qui docuissent grammaticam, antequam philosophiam audissent, remittendos esse audita philosophia ad aliquam classem grammaticae; partim quia ad philosophiam et theologiam minus apti viderentur; partim quia etiam id necessitas provinciae postularet; eos vero tunc maxime conqueri solitos quod, cum a docenda grammatica ad philosophiam audiendam evehantur, putant se demum ab omni labore docendi grammaticam deinceps exemptos, ut hic dicitur. Quod malum non accidit, si primum omnium iubeantur audire philosophiam.

Pag. 216: Tandem Pater Annibal<sup>12</sup> ... – Contra etiam saepe accidit, quam P. Annibal dixit, ut qui magistri sunt grammaticae, reddantur saepe ineptiores ad philosophiam, illamque negligent vel extremis tantum labris attingant. Nam quod magistri fuerunt, non tam facile postea subiiciuntur praeceptori in rebus praesertim horridis et spinosis; tum quia etiam poeseos et humanitatis studiis, quae per se iucunda sunt et delectabilia, ita absorbentur inter docendum, ut postea omnino abhorreant a philosophis; eoque magis, quo praestantiora habent ingenia. Quod malum passim in istis Galliis serpit, magno cum damno Societatis, quae plures ideo habet humanistas quam philosophos; quos philosophos ex Hispania et Italia cogitur mutuari. Illa vero barbaries, de qua hic agitur, non erit usque adeo formidanda, si bona fundamenta literarum humaniorum iaciant nostri scholastici antequam ad philosophiam applicentur, et si denique inter philosophandum exercitia praescripta pag. 257<sup>13</sup>, et alia similia adhibeant.

Pag. 220: Quotannis ad superiorem progredi ... – Qui docent rhetoricam et humanitatem, saltem in maioribus collegiis, debent audisse philosophiam. Ergo, qui incipiunt docere ab infimis classibus et quotannis ascendunt, non poterunt ascendere ultra primam classem grammaticae, nisi iam audierint philosophiam. Ceterum quod hic dicitur nobis placuit; et quia in utramque partem allata sunt multa commoda et incommoda, nobis satisfactum est per ea, quae fere addita sunt initio: semper spectandam esse a superioribus varietatem ingeniorum, indolis, locorum, necessitatis.

#### Provincia Franciae

(Pag. 213 n. 2<sup>o</sup> lin. 29.a et 30.a et pag. 214 lin. 1.a) Visum est uni extra congregationem ascito ad examen studiorum humanitatis, non expedire, ut nostri grammaticam atque humaniores literas doceant antequam philosophiam discant, sed potius postquam illud audiverunt: – 1<sup>o</sup> quia mos est omnium fere academiarum, ut nemo admittatur ad grammaticam docendam et humaniores literas, nisi prius philosophiam audiverit, sitque magister in artibus. – 2<sup>o</sup> quia nisi prius audita philosophia, non poterunt praeceptores grammaticae et inferiorum classium aspirare ad docendam humanitatem aut rhetoricam, cum harum facultatum professores debeant esse philosophi, ut dicitur infra, hoc eodem capite et numero (pag. 217 lin. 2.a, 3.a, 4.a et 5.a); quod incommodum. – 3<sup>o</sup> quia facilius irridebuntur ab aliis philosophis et theologis, si prius philosophiam non audiverint. – 4<sup>o</sup> quia saepe sunt nimis iuvenes ut doceant; non item ut philosophiam audiant. – 5<sup>o</sup> quia hac ratione si prius doceant annis aliquot antequam philosophiam et theologiam audiant, habebunt frequenter suos discipulos postea condiscipulos in philosophia, aut in theologia, aut etiam forsitan praeceptores; quod incommodum videtur. – 6<sup>o</sup> Id avertet multos, ne sese offerant, ut totam vitam transigant in docendis humanioribus literis, grammatica, rhetorica, si prius non audiant philosophiam quam doceant. – 7<sup>o</sup> quia dum iuvenes sunt, sunt etiam vivaciores ingenii magisque apti ad philosophiam et theologiam audiendam, quam postea dum consenscunt et maturioris aetatis sunt, atque iam fessi docendo. – 8<sup>o</sup> quia multa sunt in illis facultatibus, quae non possunt recte doceri absque cognitione philosophiae. Consultius ergo videtur, ut philosophiam saltem prius audiant. – 9<sup>o</sup> quia si novicii, nunc primum educti ex noviciatu, ad docendum applicentur, amittent facilius religiosam simplicitatem et humilitatem, fiuntque liberiores magistri effecti, quam si essent discipuli et auditores; licet et tunc

<sup>12</sup> Hannibal du Coudret S.I.; vide supra, adn. 2.

<sup>13</sup> Vide MP V 136 § 5.

fiant etiam liberi satis. His non obstantibus visum est duobus ex deputatis hoc relinquendum esse liberum superioribus, ut disponant pro suo arbitratu.

At tribus aliis deputatis visum est, recte praescriptum esse in libro, et nostros prius docere debere grammaticam et humaniores literas, quam philosophiam audiant. – 1<sup>o</sup> quia si prius audiunt philosophiam, quam has facultates doceant et deinde illis docendis applicentur, iam philosophiam oblivioni tradiderint, cum postea theologiam audient; sicque parum aut nihil in ea proficient. – 2<sup>o</sup> quia si prius audiant philosophiam quam illas facultates doceant, suppeditamus arma apostatis. Contra vero, dum grammaticam prius docent, quam philosophiam audiant, probamus eorum constantiam. – 3<sup>o</sup> quia plus habent fervoris egressi ex noviciatu, ut hoc onus suscipiant libenter, et discipulos in pietate et bonis moribus iuvent, quam post philosophiam auditam. – 4<sup>o</sup> quia Constitutiones volunt philosophiam et theologiam consequenter audiri et disci. Itaque vel antequam has facultates discant, grammaticam et humaniores literas discere debent, vel nunquam; similiter et easdem facultates tunc docere, aut nunquam.

(Pag. 219 lin. 30 n. 5<sup>o</sup>) Ubi dicitur «sed initium facere ab infimis fere classibus», duobus ex deputatis et uni extra congregationem visum est, non necessario illis, qui docere incipiunt, inchoandum esse ab infima classe, sed posse initium docendi facere ab aliqua superiori classe; et proinde hoc relinquendum esse arbitrio superiorum. At tribus aliis ex deputatis visum est, optime praescriptum, et nihil immutandum. (Pag. 221) Ubi agitur de delectu alicuius in scholis moderandis valde versato, qui novos futuros doctores ad novum magisterium instituat, duo iudicarunt istiusmodi oportere esse praefectum inferiorum classium, qui magistros novos instituat. At aliis tribus placuit magis, relinqui, ut est in libro, quia non semper ad id idoneus erit praefectus; et ut maxime fuerit, non semper ei vacabit, neque ita libere a se institutos, si minus officio fungantur, coarguet. [*Stud. 3, f. 360r*]

#### Provincia Lugduniae

Pag. 214 – Ut grammaticam docturi prius cursum philosophiae non audiant, videtur repugnare omnium fere academiarum institutis, in quibus nemini, nisi magistro artium, ullam scholam regere licet; et merito quidem. Qui enim philosophia imbuti sunt, multa possunt observare, quae tum ad doctrinam tum ad methodum bene docendi pertinent. Quamquam iudicamus expedire, id totum iudicio superioris relinquere, qui pro rerum et temporum natura, quod e re nostrorum scholasticorum erit, constituet. [*Stud. 3, f. 396v*]

#### Provincia Poloniae

Quod pag. 117 dicitur initio de rhetoricae professore et humanitatis (sed in solis primariis collegiis) philosophum esse debere, idem expedire visum est, ut in omnibus collegiis quoad humanitatem, etiam ubi philosophia non legitur, servetur; tum propter poetas, qui ibi leguntur et Officia Ciceronis aliaque similia; tum ut sint etiam minoribus collegiis, qui existimationem Societatis, si externi accedunt, tueantur; cum in externis collegiis communiter omnes professores soleant esse promoti ad gradum. [*Stud. 2, f. 160r*]

#### Ioannes Balmesius S.I.

217 20<sup>o</sup> – Habet Societas professos, theologos, philosophos, rhetores. Hos spiritus Societatis, si Societatis sunt, reddit percipidos docendorum rudium classium inferiorum etc. Cur ergo non fit? Reddent rationem superiores Deo degenerantis Societatis in nescio quos respectus et acceptance personarum. [*Stud. 2, f. 183r*]

## Nicolaus Clerus S.I.

(Pag. 211) – Non videntur tanti faciendi humanitatis doctores in Galliis. Nam hoc genus etiam avide expeti solet a plerisque. [*Stud.* 3, f. 367v]

## Laurentius Faunteus S.I.

N. 6 c. 2 – Quod hic praescribitur de praeparatione magistrorum, valde bene est excogitatum, quoniam experientia docet, multa perperam in scholis administrari. [*Stud.* 3, f. 178r]

## 21

IUDICIA PATRUM IN PROVINCIIIS S.I. DEPUTATORUM  
DE RATIONIS STUDIORUM (1586) TRACTATU QUI INSCRIBITUR:  
«QUANTUM REFERAT OPTIMA NOSTROS UTI GRAMMATICA»<sup>1</sup>

## ASSISTENTIA ITALIAE

## Professores Collegii Romani

Totum hoc tertium caput probatur ut iacet. Cum praesertim illud ipsum, quod velint patres, ut scilicet corrigatur grammatica Emmanuelis, ipsis iam patribus et videntibus et probantibus, factum sit<sup>2</sup> eaque grammatica ita immutata utimur nunc in Collegio Romano, ubi res bene feliciterque succedit. His non obstantibus, P. Parrae et P. Pererio potius videtur, ut in qualibet provincia ea grammatica praelegatur, quae ibi iudicatur optima et est communissima. [*Stud.* 3, f. 47v]

## Provincia Sicula

Pag. 223 – In capite 3<sup>o</sup> placuit retineri grammaticam Emmanuelis, prout nuper Romae emendata est<sup>2</sup>. In 4 § non videntur omittendae ceterae declinationes adiectivorum; tum quia faciles sunt, tum vero ne videantur nostri discipuli soli ea ignorare, quae ceteri pueri omnes ediscunt. Reliqua in hoc capite probata sunt. [*Stud.* 2, f. 36v]

## Provincia Veneta

Pag. 228 § 3 – Emanuel, qui nuper Romae exivit emendatus<sup>2</sup>, maxime probandus videtur. Ac proinde de nova rursus eiusdem correctione vel alterius editione cogitandum non est, ne in cudendis grammaticae libris tantum operae ac studii frustra ponere nostri videantur, non sine externorum admiratione, et non exiguis discipulorum impensis.

Pag. 231 § 8 – Non modo adnotationes typographi auferantur, sed etiam eae, quae dicuntur de lusitanica lingua, praetermittantur in aliis provinciis, cum nec a pueris capiantur, nec bene a typographis excudantur. [*Stud.* 3, f. 163v]

## Assistentia et provincia Lusitaniae

Pag. 224 – De arte Emmanuelis<sup>2</sup> – Emmanuelis ars, ut nunc se habet, placet in hac provincia. Nec videtur esse, cur displiceat, cum non multis ab hinc annis, antequam in lu-

<sup>1</sup> Textum huius capitis vide in MP V 120-25.

<sup>2</sup> E. ÁLVARES S.I., *De institutione grammaticae libri tres; quorum secundus «nuper est ad veterum fere grammaticorum rationem revocatus Romae 1584»*; cf. SOMMERVOGEL I 225; vide etiam MP V 123 adn. 11.



cem ederetur, Romae approbata fuerit eorum iudicio, quibus eam R.P. Generalis examinandam commiserat. Ac si quaedam in ea sunt, quae nunc immutanda aliquibus videntur, eadem alii retinenda iudicant. Quare in hac discrepantia praestat, eam artem tanto studio, tanto iudicio et observatione conscriptam, tanta approbatione receptam sub eadem formula et doctrinae methodo conservare, cum perspicuum sit, nihil in hoc genere, quantumlibet eximi-[*Stud.* 2, f. 304r]um et accuratum, fieri posse, quod non laudetur ab his, culpetur ab illis. Ac si quodlibet decennium diruat, aedificet, mutet quadrata rotundis, quando tandem firmum aliquid aut stabile habebimus? Certe huiusmodi commutationes tantam levitatis et inconstantiae notam afferunt, ut utilius fortasse reputandum sit, parvam aliquam incommoditatem, si qua subest, dissimulare, quam ad eam resarciendam res novas moliri.

Illud tamen admittendum videtur (quod iam P. Emmanuel cogitabat): Excerptantur e regulis syntaxeos, quae faciliores sunt, ut eae in unum collectae ac separatim excussae<sup>3</sup>, minus provectis legantur, caetera vero provectionibus.

Pag. 230 § 6 – «Necesse non videri» – Potius cavendum videtur, quoad fieri possit, ut sciant pueri genera omnium linguae latinae nominum, eorumque regulas addiscant, ut eas, de quovis nomine rogati, in medium proferant; praesertim, cum neque infinitae sunt, neque ita multae, ut certo versuum numero comprehendi non possint, et a pueris, ut passim experimur, in promptu haberi. Sane vero praestat ad artem recurrere, cuius regulae carmine comprehensae diutius haerent in memoria, quam ad Calepinum<sup>4</sup>, quem non omnes habent. Neque officit, quod eiusmodi carmina maiori ex parte obscura sint; explicantur enim saepe saepius a magistris; nec quod monosyllabis terminationibus sint insuavia. Non est enim necesse in hoc etiam carminum genere, ubi res subiecta non sinit aurium voluptatem aucupari aut elegantiam et concinnitatem quaerere. Idem plane dicendum de regulis, quibus praeterita et supina verborum continentur; et de iis etiam quae ad syllabarum dimensionem pertinent, quas P. Emmanuel in carmen redigere decreverat; possetque id munus alicui nostrum in hac provincia demandari.

Pag. 231 – «Explicandos esse quosdam pedes» – Minime necessarium videtur eiusmodi pedum explicationem eo in loco adhibere, quae tenebras potius offundet, quam aliquid lucis aut emolumenti afferet. Namque, ut pueri pedetentim addiscant aliquot versiculos scandere, sat est novisse dactylum et spondaem, quae uno verbo magister docere potest; cum interim dum syllaba explicatur, nullum genus carminum attingi debeat, quod illi non expleant. Caeteri vero ad finem prosodiae servandi erunt.

## ASSISTENTIA HISPANIAE

### Provincia Aragoniae

Retinenda videtur imprimis grammatica, quam Emanuel ipse commentariis illustravit, ita ut nihil immutetur ordo quo primum ab eo scripta et digesta fuit, ut sit posteris veluti primum exemplar, unde reliquae fuerunt expressa. Alterius vero grammaticae, quae istinc affertur<sup>5</sup>, partitio nobis non omnino probatur. Quare nostram hac de re sententiam paucis perstringemus.

Primo igitur, tota grammatica secunda [di]videtur in duo volumina, quae coniunctim, ubicumque (ut in Hispania, ubi cum pleraque huius artis volumina grandiora sint, vix aliter integra putaretur) expedire videbitur, concinnari possint.

<sup>3</sup> Vide *ibid.* 224-25: *Éditions partielles*.

<sup>4</sup> Ambrosius Calepinus lexicographus; cf. MP II-V 554 et passim.

<sup>5</sup> *Institutiones* Patris Emmanuelis Romae retractatae; cf. supra, adn. 2.

<sup>2º</sup> Breves illae et perspicuae partium orationis descriptiones cum nominum accidentibus, concordantiis et aliis eiusdem generis, nullo modo videntur primo loco ponendae, sed contra, post nominum atque verborum inflexiones. Nam, quamvis faciles sint atque perspicuae, minus tamen commode tradi possunt statim initio, cum puerorum ingenia vix aliis assuescunt, quam nominibus verbisque flectendis.

<sup>3º</sup> Neque declinationum, neque coniugationum ordo ulla ex parte videtur invertendus, ne si praepostere tradatur, puerorum memoriam perturbent, dum ad ea, quae oportuit initio devorari, longo intervallo revertentur. Iam neque satis esse putamus, post modum subiunctivum addere hanc annotatiunculam: Modus subiunctivus aliquando explicatur per *Possum* vel *Sino*, nisi etiam exemplum integrum apponatur sub finem quatuor coniugationum simplicium, non ut illud discere iubeantur pueri, ut sit in promptu praeceptorum, si quando illius usum pueris explicare voluerit.

<sup>4º</sup> Pauci illi versus, de quibus num. 6, non videntur necessarii, cum praeceptiones omnes de generibus nominum, deque praeteritis supinisque verborum, quas affert Emanuel, explicari satis [*Stud.* 2, f. 245v] commode possint. Primum, quia hic facile discuntur a pueris. Deinde quia versus, quibus illae comprehenduntur, neque sunt ita obscuri, ut percipi nequeant, neque ita barbari, ut verendum sit ne pueri ad barbariem instituantur. Postremo, quia licet aliquando horum praeceptorum obliviscantur pueri, non tamen oleum et operam eos perdidisse existimandum est, cum idem fere in aliis facultatibus fieri soleat. Quid? Quod si semel accurate discantur, facilius erit, cum opus deinde fuerit, ad illa recursus, quam si numquam ea pueri didicissent; satis vero habeant praeceptores iis vel mediocriter suos auditores instruere. Quocirca, si libuerit, moneantur, ut quae difficiliora et obscuriora videbuntur, ea vel omnino praetereant vel leviter tantum attingant.

<sup>5º</sup> Post regulas praeteritorum ac supinorum collocari possent difficiliora illa atque longiora Emanuelis rudimenta; quippe cum hoc loco facile queant percipi, neque omnino rescindenda videantur. Quatuordecim vero praecepta, de quibus agitur num. 1 pag. 224<sup>6</sup>, demptis iis, quae ad breves illas partium orationis descriptiones pertinere diximus, omitti non incommode possunt, cum ea vel auctor ipse in commentariis praetermittenda duxerit.

<sup>6º</sup> In calce primi voluminis ponenda videtur epitome quaedam totius syntaxis, quae regulas omnes generales, magisque perspicuas ita digestas habeat, ut in opposita pag. scribantur exempla suis distincta numeris; quae non aliunde petenda sunt quam ab eodem Emanuele.

<sup>7º</sup> Syntaxis, quae initio secundi voluminis poni debet, in duas illas primarias partes, de quibus agitur num. 2, ita videtur tribuenda, ut redigantur omnia eiusdem classis verba in certa quaedam capita. Hanc enim generalitatem tironibus etiam aptam esse passim experiuntur hispani. Neque id obstat quominus verba deinceps cum suis quaeque significationibus collocentur. Ultimum locum occupabit Prosodia, in qua nihil mutandum videtur praeter canones incrementi; in quibus tradendis servetur ordo vocalium, qui tam multis deinde tamque dissimilibus unum in locum collatis exceptionibus, nimium implicitus rem nonnihil obscurat. Communiores vero pedes ac pervulgata magis metrorum genera, de quibus dicitur num. 7, non videntur adhibenda paulo post initium, cum ignaris adhuc quantitatis syllabarum nihil profutura sint ad componenda metiendave carmina. Integrum tamen erit praeceptorum, cum id expedire iudicaverit, aliquid horum ita exponere, ut e suis quaeque locis depromat. Illud vero maxime desiderari videtur ad huius operis perfectio-

<sup>6</sup> Vide MP V 121 adn. 5.

nem, ut addantur canones de primis et mediis syllabis, quos pater Emanuel, ut credimus, addidisset, si diuturnior ei contigisset vita<sup>7</sup>. Expedire etiam nobis visum est, addi separatim regulas quasdam tum de enclyticis, tum de peregrinis hebraeis, barbaris, indicisque dictionibus, ut tanta in pronuntiando varietate sublata, nostrates in unam, quoad fieri posset, proferendi rationem conspirarent.

### Provincia Sardiniae

Quod in hoc capite dicitur de ordine commutando grammaticae P. Emmanuelis, conducere valde videtur, et optamus, ut postquam fuerit in hunc ordinem digesta<sup>8</sup>, ad nos mittatur. [*Stud.* 2, f. 266v]

### Ioannes Legaz S.I. – Hieronymus de Burgos S.I.

Todo lo que esta en este capitulo advertido sobre el arte del padre Manuel, parece muy acertado; particularmente en el número sexto, que los géneros, pretéritos y supinos del padre Manuel se pongan en buen verso y claro, y con la brevedad que apunta ser necesaria para los niños; porque en España se siente ser odioso cargar a esta edad de prolixidad de preceptos que ayan de tomar de memoria; y por esta misma razón parecería importante que la syntaxis no se multiplicasse por classes por el orden que aquí se apunta, por ser muy prolixo, y se decoraria dos vezes una misma cosa, antes convendria se abreviasse lo que se ha de decorar, y lo demás se dexe al exercicio, uso y disputas de los discípulos, distribuyendo por las classes lo que es proprio de cada una dellas. [Madrid, Bibl. Acad.]

### ASSISTENTIA GERMANIAE

#### Provincia Germaniae Superioris

Inprimis, nobis quoque Emmanuelis Grammatica prae caeteris probatur; quam et omnino censemus retinendam. Quae vero contra in hoc primo numero afferuntur, illa non tanta videntur, ut Grammaticae Emmanuelis ordo commutandus sit.

Num. 1 et sequentes – Primum, 14 illa praecepta retinenda sunt, modo rudi et pingui, ut aiunt, Minerva a praeceptoribus explicentur; et secundum eam explicationem pueri exercentur, et aliquid componere addiscant. Hoc modo si explicabuntur, nullo modo puerorum captum superabunt. Immo vero, magnam afferent lucem, ut non prorsus ignari Syntaxeos, ad eius postea perfectiorem explicationem paratiores veniant. Ne autem tum nova quaedam sibi audire videantur, iisdem omnino verbis 14 illa praecepta in fine Rudimentorum, atque deinde in Syntaxi ponenda sunt.

Pag. 224 – Si neutra, deponentia etc. in Rudimentis exposita fuerint, non est necesse, eam expositionem deinde in Syntaxi repetere. Videntur tamen formae illae verborum, paulo accuratius alicubi explicandae, praemissa divisione, post explicationem quinque generum verborum. Quod et alii grammatici faciunt, dicendo: verborum alia esse primitiva, alia derivativa; primitiva, quae a nullis [*Stud.* 3, f. 212v] verbis derivantur, ut lego, scribo, caleo; derivativa, quae ab aliis verbis derivantur, ut lecturio, scriptito, calesco; dividendo utrumque membrum in suas species, additis etiam terminationibus communibus certorum generum verborum, ut quod inchoativa desinunt in *sco*; meditativa in *rio* etc. Ne autem puero-

<sup>7</sup> E. Álvares diem supremum obiit die 30 dec. 1582 Eborae; vide FEJÉR, *Defuncti* . . . I/2 8.

<sup>8</sup> Vide supra, adn. 2 et 3.

rum ingenia aut obruantur aut confundantur, eadem acceptio activorum, neutrorum etc. retinenda est in Syntaxi, quae alibi fuit tradita ea de re in Rudimentis, aut nihil aut paucissimis differendo.

Pag. 224 et 225 – Ordo Emmanuelis per casus, in Syntaxi servatus omnino retinendus est. – P<sup>o</sup> Quia Societas maxime cupit unam syntaxin, qua ubique utatur. Reliquus autem orbis, praeter solam Italiam, utitur syntaxi procedente ordine casuum, ut patet in Gallia ex Despauterio<sup>9</sup>; in Belgio et Germania ex eodem vel aliis; in Hispania ex Nebrissensi<sup>10</sup>, et similibus. Neque vero pudere nos debet a reliquis orbis partibus syntaxeos ordinem accipere. Nam et P.N. Ignatius, pia memoriae, philosophiae ac theologiae cursus in Constitutionibus non ex italica, sed gallicana atque hispaniensi consuetudine accepit<sup>11</sup>.

Secundo – Etiam in ipsa Italia, quando Societas docere cepit, usa est simili syntaxi; primum quidem Patris Frusii<sup>12</sup>, bonae memoriae, deinde vero Despauterii, postremo Emmanuelis.

Tertio – Circa annum 1570 Romae inducta est Syntaxis P. Ledesmae<sup>13</sup>, quae per classes activorum, passivorum etc. procedit. Verum ea vix unum aut alterum annum duravit; sed cum alias ob causas, tum ob hanc est communi consilio reiecta, et Emmanuel susceptus.

Quarto – Hic in num. 3 pag. 226 paulo post medium dicitur: Provectionibus tradi posse Emmanuelis Syntaxim, sicuti nunc est; rudioribus vero ut est in romana aeditione anni 1584. Quae res aut duas syntaxes facit ordine inter se pugnantes maxime, aut certe haec duo non cohaerent cum iis, quae dicta sunt.

Quinto – Quod in fine numeri 3 dicitur, romanam illam syntaxin facillimam et utilissimam pueris esse, id quidem iudicio quorundam, qui id fecerunt aut suaserunt, dicitur; revera autem, an ita sit, dubitari potest. Nam, non solum in nostra provincia, sed et in Italia facti sunt discipuli valde securi in syntaxi secundum ordinem Emmanuelis, modo praeceptores ad eam affecti essent. Sed quod olim accidit in Despauterio, idem nunc videtur in Emmanuele. Olim enim etiam in Italia, qui spinas et molestias despauteriani ordinis superarunt, et ipsi et eorum discipuli optimi grammatici evaserunt. Contra vero, qui terrebantur accurato illo ordine, qualis est etiam Emmanuelis, maxime scientifico (ut hic etiam dicitur pag. 225), illi Despauterium fastidientes, raro discipulos in grammaticis securos fecerunt. Quare vitium non in Emmanuele, sed in praeceptoribus, laborem et ordinem accuratum fugientibus, videtur esse; ut, aequalibus positus ingeniis, plus et brevius ex Emmanuele ut nunc est, quam ex immutato et praeceptores et discipuli profecturi sint.

Sexto – Ista ratio per classes verborum activorum, passivorum etc. nullo modo magis perspicua, sed potius magis confusa, et longe magis est incerta. Etenim tot classes conficere, ac praeterea verba in ordinem significationum redigere, puerorum ingenia maxime obruit. Item, in multis classibus verborum, praesertim neutrorum ac deponentium, nulla regula et ratio significationis adiungitur, ut verba ibi non enumerata, et tamen secundum rem ad eam classem pertinentia, a pueris dignosci non possint, quare et quomodo ad eam classem reducantur. Item, eadem ratio significationis repetitur et in activis et in deponentibus, ut [213r] frustra fiat per plura, quod aequae bene et melius et brevius fieri potest per pauciora. Item, in neutris ac deponentibus aut omnia verba enumeranda sunt ad suam classem pertinentia, aut certe (quod in ea romana Syntaxi fit) attexendae series verborum

<sup>9</sup> Ioannes Despauterius (Van Pauteren), flander; de eius grammatica latina cf. MP I-V 137 et passim.

<sup>10</sup> Aelius Antonius Nebrissensis (de Nebrija), hispanus grammaticus; cf. MP I 645.

<sup>11</sup> De modo parisiensi in collegiis S.I. introducto cf. MP I 8\* et 263 adn. 5.

<sup>12</sup> De opusculis grammaticae latinae, ab Andrea Frusio (des Freux) S.I. conscriptis cf. MP I 529 adn. 24.

<sup>13</sup> De grammatica latina Iacobi Ledesma S.I. cf. MP II 472.

instar cuiusdam Calepini<sup>14</sup>. Quae res puerorum memoriam vehementer perturbaret. Item, tot genera appendicum plane pueros turbant, ut nesciant, quo se vertant. Quod vero contra hunc ordinem Emmanuelis affertur, parum aut nihil est. Illa enim de refert et interest et sum non adeo difficilia sunt, ut capi non possint; quae tamen aliquando discenda essent. Item, miscere activa deponentibus, neutra communibus, quando de significatione et constructione agitur, nihil est. Nam, et in generibus nominum regulae generales aequè optime varias terminationes saepe complectuntur, ut: nomina fluviorum sunt masculina, quomodo-  
documque desinant, ut Albula, Nar, Tyberis, Ister, Danubius etc.

Item, quod quinto loco obiicitur, id maximae laudis et praestantiae est, multa nimirum verba, secundum varia significata, ad eundem casum pertinere. Quod vero sexto loco affertur, etiam parum est. Nam, et exercitatione docentur pueri applicare generalia singularibus, et praeceptorum diligentia verba aliqua, quae minus a pueris dignosci possent, esse eius significationis (qualia hic afferuntur: adulor et fruor) proponuntur et explicantur.

Quod vero ad veteres grammaticos attinet, neque ii de syntaxi accurate quicquam habent, et quicquid de illis sit, ordo Emmanuelis certior et solidior est, ut turpe sit, quemadmodum ille ait, inventis frugibus, glandibus vesci.

Ex his facile patet, quid de 2 et 3 numero sentiamus; ea nimirum nullum locum habere, quare Emmanuelis Syntaxis omnino inverti, ne dicam perverti debeat.

Illud tamen in Syntaxi Emmanuelis videtur desiderari, ut minuta quaedam addantur; qualia sunt, cum de numeralibus agitur, constructio nominis mille, quod substantivum et adiectivum aliter construitur, ut adolescentes hîc valde impingant; ut explicandum sit, quomodo loquendum sit, quando tantum dicitur mille aut tria millia, aut ter mille; aut etiam cum ducenti vel trecenti etc. adduntur. Item, in constructione infiniti, illa circuitio futurum fuisse, absolute sine dubitatione, ponenda esset, ut bene est in aeditione romana anni 1584. Item, in praeteritis habet prandeo non habere pransus sum in praeterito; quod tamen in Syntaxi concedit. Et alia huiusmodi minuta et pauca, quae accurate legenti et perito occurrerent.

Num. 4 pag. 229 – Rudimenta vero grammatices, quo puerorum ingeniis magis accommodentur, sic confici commode posse videntur, ut primo loco quinque simplices nominum declinationes, deinde verbum substantivum sum, tum coniugationes verborum collocentur; postea partes orationes, earumque accidentia singulis partibus. Anomala item, defectiva et impersonalia, et alia huiusmodi suis partibus subiiciantur. Versus etiam de verbis, quae carent supinis, ponendi sunt non in rudimentis, sed in grammatica suo loco, in materia de praeteritis et supinis. Forma vero et declinatio nominum adiectivorum subiicienda est nominibus substantivis. Nec propriis capitibus distinguenda videntur, cum illorum inflexio ex substantivis facile possit intelligi. Brevi tamen scholio hoc significandum est. Ultimo regulae 14 concordantiarum, de quibus supra dictum est, ponendae sunt. In his autem rudimentis quaeri potest, num aut per breves quaestiunculas et responsiones, aut per divisiones confici debeant. Haec enim ratio pueris facilius videtur futura, et ipsi paratiores ad respondendum erunt, quam si continuata serie sine ullis divisionibus et omisso numero, ut frequenter Alvarus solet, conscribantur. Item, circa definitiones Rudimentorum Alvari videndum est, an illae sint communes aliis partibus orationis; ut nominis definitio videtur convenire [213v] pronomini. Demum, quaedam magis teneris puerorum ingeniis debent accommodari, non philosophice definiri, ut est definitio nominis substantivi etc. Rudimenta autem grammatices separatim excudi debent, ut hactenus in hac provincia factum est, ne grammatica aequo prolixior videatur, et tollatur nonnullis calumnian-  
di occasio.

<sup>14</sup> Ambrosius Calepinus, italus lexicographus; vide supra, adn. 4.

Num. 6 pag. 230 – De nominum generibus, verborum praeteritis et supinis necesse videtur, ut ea pueri magna diligentia ediscant. Quod, si ea aetate non fiat, multo minus proVectiores facturi sunt. Quorum ignoratio progressum studiorum magnopere remorari solet. Quin etiam docti saepe viri, qui ista pueri non didicerunt, magno cum suo et aliorum dedecore hîc hallucinantur. Ipsi vero Alvari versus correcti sunt et ad memoriam iuvandam accommodati; in quibus cum sensus, non elegantia sermonis spectetur, ut in hoc lib. p. 241 recte dicitur, non est multum laborandum, quod insuaviores sint et in monosyllabas terminentur. Illud tamen in Grammatica Alvari desideratur, quod anomala nomina nimis pauca ponat. Possent, quae latinorum scriptorum testimoniis vere anomala sunt, in unum collecta versibus comprehendi. Addenda etiam quaedam sunt versibus comprehensa de formatione genitivi tertiae declinationis, cuius Alvarus in sua Grammatica nihil plane meminit. Et res una est in grammaticis institutionibus summe necessaria.

Num. 7 – Ordo iste Prosodiae, praeterquam quod est apud grammaticos inusitatus (excipio Despauterium et fortasse alios quosdam paucos), naturae prorsus repugnat, et ad doctrinam, seu versiculos dimetiendos, et qualescunque etiam scribendos est inutilis. Nonne sit absurdus, qui leviter et imperfecte posito fundamento imperfecte construat parietes, imperfectum deinde superimponat tectum, et tandem ad fundamentum perficiendum redeat, ac parietes tectumque absolvat? Item, ne puer tamdiu a latino sermone et scriptione vacet, exponamus ei 3 4 praecepta ex rudimentis, deinde communiora ex grammatica, praeterea communiora ex syntaxi, postremo perfecte ei rudimenta tradamus. Dimensiones syllabarum sunt quasi rudimenta, pedes quasi etymologia, carmen quasi syntaxis. Proinde Emmanuelis Prosodia ut absolutissima, et ad docendos pueros accommodatissima, videtur retinenda.

Secundo – Incommodum videtur agere bis de pedibus, bis de versibus, primum de communibus, postea de minus communibus; cum uno loco possit utrumque percommode fieri. Ne Despauterius quidem hoc sibi faciendum putavit.

In prosodia Alvari, ubi dicitur: Versus metimur pedibus, quibus metiendis non parum prodest syllabae communis necessitatis metrice, licentiae poeticae cognitio – addenda videntur haec verba: De quibus supra dictum est; et figurarum, de quibus nunc dicitur.

Num. 9 pag. 232 – Itali monendi serio videntur, ut qui opus habent grammatica non breviori; praesertim cum apud eos sit parvus usus latini sermonis, ut ea ratione magis confirmentur. Neque iudicium sumendum ex illis, qui aetatem suam in his literis confecerunt. Adolescentes enim paucos annos in his studiis grammaticis versantur.

Circa eundem numerum – Grammatices rudimenta omnino separatim excudenda videntur propter commodiorem usum puerorum. Caeterum nihilominus, tota ars grammaticae eiusque partes subiectae, orthographia, prosodia, etymologia et syntaxis in unum volumen conferenda, atque de singulis, quae adolescentibus usui esse possunt, convenienti ordine doctrinae explicanda essent. Itaque, ex Alvari Commentario primum statuenda definitio grammaticae, eiusque divisio; tum singularum partium pertractatio plena et perfecta. Atque de Syntaxi et Prosodia Alvari iam nostrum [214r] iudicium explicavimus. De orthographia, cum nihil ille tradiderit, ea praecepta tradenda. Quae, tametsi fortassis auditoribus non sint praelegenda, iisdem tamen usui esse possint in scribendo. Turpe enim plane est, nullum in nostris scholis librum extare, qui de orthographia praecipiat. Etymologia denique, quam 1<sup>o</sup> suo libro Alvarus explicandam suscepit, perfectius et ordinatius tradenda, ordine simul persequendo orationis partes singulas, cum omnibus accidentibus uberius et plenius, quam in rudimentis factum sit; quinimo eadem etiam, quae in rudimentis tradita sunt, iisdem plane verbis, sed maiori typo repetenda; tum ut sic pueri totam doctrinam ora-

tionis simul ante oculos subiectam habeant; tum ut et praeceptori et discipulis ea res occasio sit non quidem ea, quae in schola rudimentorum praelecta fuerunt, rursus praelegendi, sed identidem, dum nova et perfectiora (quae minori typo excusa esse deberent) et illius scholae propria addiscunt, repetendi. Quod si italis ob longitudinem, quae tamen modo utilis sit, molesta esse non debet, haec ratio minus fortasse quadrat, transalpinis certe, qui perfecta grammatica utuntur, et ex ea multum ac solide proficiunt, quadrabit ut quam maxime.

Ad extremum – Rogamus vehementer, ne tam ingens mutatio fiat Emmanuelis, quanta et in hoc libello totis quinque paginis proponitur, et ab aliis forte provinciis desiderabitur. Alioqui potius nova grammatica conscribatur.

Primo – Ne si Emmanuelis nomen retineat, homini diligentissimo et doctissimo summa fiat iniuria, qui si in vitam rediret, librum suum distortissimum mutilatissimumque non posset agnoscere.

Secundo – Apud nos nullum est dubium, quin si ab Emmanuele aliquo, aut ei similibus in vulgatos grammaticos, qui vel in Germania, vel in aliis provinciis explicantur, tam severe inquireretur, plurima reprehenderentur. Et tamen iuventus ex illis nihil mutatis atque correctis proficit. Cur tam misera sit Emmanuelis conditio, et quare Societas vult totum mundum intelligere, se habuisse grammaticum, qui ita hanc artem docuerit, ut prope modum quot paginas, tot vitia habuerit, caecus omnino et omnis iudicii experts, quique nunquam in scholam videatur ingressus, cum multis annis docuerit?

Tertio – Etiam si valde multumque mutetur, non erit tamen finis conquerendi, et erit bonus vir perpetuarum querelarum argumentum. Cumque liber eius nomen praeferat, quicquid vel alieni vel nostri reprehenderint unquam, omne id Emmanuel, Emmanuel fecisse dicetur. Ita non solum sua ipsi errata obiciuntur, si qua erunt adhuc, sed etiam aliorum, qui eum mutaverunt. Hoc certe modo gratia bene meritis non refertur.

Quarto – In tam varia et multiplici mutatione difficillimum est similitudinem conservare, et vix cavebitur, ne alba nigris, scortea argenteis permista iudicentur.

Quod ad nostram censuram attinet, videmur nos moderate gessisse, ut qui eundem totis ferme quatuordecim annis per omnia huius provinciae collegia explicando, magnos ex eo fructus iuventutem percipere senserimus. Ac proinde petimus, ut nunc quoque illorum iudicium praecipue requiratur, qui ipsum vel diligentissime legerunt, vel in scholis tradiderunt; non autem eorum, qui aut sola auditione de illo cognoverunt, aut levi brachio versarunt.

### Provincia Rhenana

Cap. 3 § 1 – Una Societate tota grammatica valde ab omnibus expetitur, et unus prae grammaticis omnibus Emmanuel; iis tamen, quae de ordine patres notarunt, immutatis.

§ 6 – Exceptiones omnes, quae in usum venire solent, memoriae a pueris mandandae viderentur, propter memoriam vero a P. Emmanuele, vel alio quocunque versu astringendae. Caeterae minus usitatae, notandae illae quidem, sed neque versu neque memoria comprehendendae.

§ 7 – Valde in Emmanuelis Prosodia patres omnes R.P.N. rogatum velint, ut de syllabarum mediarum quantitate tractatus conficeretur, qui vel Prosodiae insereretur, vel seorsim extaret: 1<sup>o</sup> Quia tam praeceptores quam discipuli metricam hanc partem magnopere desiderant, et id, quia ea magnopere et saepe indigent. – 2<sup>o</sup> Quia Calepinum<sup>14</sup>, qui quantitatem istam quandoque indicat, discipuli vel nulli, vel paucissimi habent; et si haberent,

haud tamen sufficeret. – 3<sup>o</sup> Quia grammatici, qui ea in re laboris et operae aliquid posuerunt, magnum apud studiosos omnes nomen et auctoritatem collegerunt, et imprimis Despauterius. At hunc cum in aliis nonnullis, ipso etiam Emmanuele censore, tum in hisce maxime crebrius hallucinatum constat; sed ita, ut ab homine docto et industrio, cuiusmodi P. Emmanuelem et alios plures habet Societas, non difficulter emendari possit. Quam ad rem iuvare queat, licet haereticus, qui in Germaniae scholis pervagatur: Iacobus Mycillus<sup>15</sup>. Hoc enim magnum ad latinam pronunciationem, de qua postea, momentum attulerit. [*Stud.* 3, f. 248v]

### Provincia Aquitaniae

Pag. 223 – De Grammatica Emanuelis – Ut Nebrissensem hispani, sic Despauterium<sup>16</sup> galli adeo sibi familiarem reddiderunt, ut ab eo difficile admodum aegreque discedant. Accedit, quod eum utilibus et familiaribus glossis latine et gallice illustrarunt, quibus pueri vix carebunt. – 3<sup>o</sup> Quamvis Emanuel quaedam tradat praestantius et melius quam Despauterius, contendunt tamen plerique, ea non ita multa esse, ut propterea mutandus videatur Despauterius. – 4<sup>o</sup> Despauterius tradit quaedam multo melius quam Emanuel, ut heteroclitia, figuras et quantitatem, quorum partim nihil tradit, partim non ita perspicue. – 5<sup>o</sup> Tanta appendicum varietas pro varietate classium mirabile fastidium et confusionem afferet pueris, nisi secernerentur et in varia opera, sua cuique classi tribuerentur. At regulae versu comprehensae facilius memoriae haerent. Si sublatae essent hae difficultates, tametsi aliae quoque multae sese offerant, libenter conaremur Emmanuelem in patria apud omnes ponere. [*Stud.* 3, f. 383r]

### Provincia Franciae

(Pag. 223 lin. 23.a) Tollantur illa verba «qui iure optimo possit caeteris anteponi», quibus Emmanuel noster caeteris anteferri videtur, ut constat ex sequentibus; aut temperentur.

(Pag. 224) Rescindantur, quae habentur linea 5.a ab illis verbis «si quid igitur etc.» usque ad illa verba quae ponuntur linea 9.a «Ordo fortassis etc.», quibus immoderate laudatur Emmanuel, caeteri vero omnes deteruntur. Occasione illius quod hic dicitur de optimo grammatico deligendo atque in nostras scholas introducendo, iactata fuit hoc loco quaestio illa: utrum praestaret Emmanuelem passim in nostras scholas introducere per universam Societatem; an vero satius sit Despauterium retinere, ubi iam docetur, et alibi introducere, ubi non docetur? Et quidem tres ex patribus deputatis, atque alius quidam in consultationem ascitus, et universi professores grammaticae atque humaniorum literarum collegii parisiensis, atque unus ex theologis mussipontanis, qui etiam hac de re suam opinionem ad nos perscripsit, senserunt Despauterium omnino retinendum esse in nostris scholis, atque etiam sicubi non est iam introductus, introducendum esse, rescissis tamen atque truncatis his quae barbara sunt, si quae istiusmodi sunt; Emmanuelem vero posse esse praeceptoribus nostris instar commentarii optimi, quo iuventur. Rationes vero quae illos in hanc sententiam impulerunt, hic subiungi voluerunt; quae eiusmodi sunt: – 1<sup>o</sup> Quia Despauterius ab aliquo tempore receptus est et introductus in tota Gallia, Germania et Belgio

<sup>15</sup> I. Mycillus (Moltzer – 1503-1558), alsatius; scripsit *De re metrica* (Francofurti 1539); vide *Ouvr. pédag.* 444.

<sup>16</sup> De Nebrissensi et Despauterio grammaticis vide supra, adn. 9 et 10.



tam ab externis, quam a nostris; eumque omnes externi et discunt et docent: ut ergo nos conformemus illis et auditoribus qui eo imbuti ad nostras scholas accedunt, retinendus est Despauterius, ni velimus nobis labores duplicare, curando imprimis, ut auditores externi, qui ad nos veniunt, Despauterium dediscant, et deinde Emmanuelem nostrum, aut alium [*Stud.* 3, f. 360v] quemvis, quem docemus, discant. – 2<sup>o</sup> Quia a tempore P. Ignatii, beatae memoriae, Despauterius introductus fuit in ipso Collegio Romano et in aliis, ut messanensi, iussu P. Natalis<sup>17</sup>, piaae memoriae, reiectis aliis, qui prius docebantur; et bene successit. – 3<sup>o</sup> Quia Despauterius antiquior, brevior, facilius et multo ordinatior est Emmanuele; neque omnino barbarus, aut non adeo certe atque a quibusdam existimatur. – 4<sup>o</sup> Quia longe facilius memoriae mandatur a pueris et firmitus retinetur propter versus et promptius occurrit usui, quando opus est. – 5<sup>o</sup> Quia grammatica non quaerit eloquentiam aut ornatum. Nam ornari res ipsa vetat, contenta doceri, inquit ille; et habet grammatica suas voces et nomina artis, quae refugere non est necesse; quemadmodum et aliae scientiae, philosophia ac theologia. – 6<sup>o</sup> Quia viri doctissimi in quacumque facultate prodierunt non alia imbuti grammatica, quam Despauterii, ut Muretus<sup>18</sup>, Longolius<sup>19</sup> et alii. – 7<sup>o</sup> Quia Despauterius magnopere commendatur a Manutio<sup>20</sup>. – 8<sup>o</sup> Quia si qua sit obscuritas in Despauterio, facile tollitur diligentia et industria boni praeceptoris. – 9<sup>o</sup> Quia germani semel expulerunt Despauterium a suis scholis (ut fertur) atque amandarunt; sed postea poenitentia ducti eundem multo maiori, quam antea honore reduxerunt atque revocarunt. – 10<sup>o</sup> Quia ratio illa, quae videtur monere ad introducendum Emmanuelem, quae ponitur pag. 223 lin. 11.a et 12.a ibi «superioribus plane annis per varios itum est grammaticos» scilicet multiplex grammaticorum mutatio et varietas, non habet locum in regionibus cisalpinis, ubi semper retentus est Despauterius; nec illam iacturam expertae sunt.

At his non obstantibus, quidam ex deputatis censuit, Emmanuelem ubique in nostra Societate introducendum esse, sed correctum et ordinatius dispositum; atque additis (si fieri potest) elegantibus versibus, quibus omnia comprehendantur ad captum puerorum, his rationibus adductus: – 1<sup>o</sup> Ne ille privetur fructu suorum laborum, quos ex superiorum imperio suscepit. – 2<sup>o</sup> Ut habeamus nostra propria. Alioquin nihil unquam habebimus proprium nostrum – cum tamen tam multi ex nostris scribant, habeantque multo plura et longe maiora praesidia, quam priores illi scriptores – si omnes nostros reiiciamus, cum saepe non sint nostri doctrina et usuperitia illis inferiores, sed etiam aliquando longe superiores. – 3<sup>o</sup> Quia habemus nostros in aliis, ut Rhetoricam Cypriani, Summulam Toledi et eiusdem Commentarios in philosophiam, Institutiones Fonsecae, P. Clavii in mathematicis, controversias et grammaticam hebraeam P. Bellarmini<sup>21</sup>. – 4<sup>o</sup> Quia, si nostri praestent aliis, quid si nostros illis praeferamus, cum et externi nostro exemplo permoti idem sint facturi? – 5<sup>o</sup> Quia alioquin nunquam habebimus inter nos conformitatem eam, quam optamus et quam aliae religiones habent, quae suos quaeque certos habet auctores, quos praelegit. – 6<sup>o</sup> Quia in diversis provinciis et regionibus diversi ab externis praeleguntur grammatici. Quod si nos illis conformamus, pro varietate regionum et provinciarum introducemus varios grammaticos in Societate. Sin omnes unum et eundem Despauterium sequamur et praelegamus

<sup>17</sup> Vide H. COUDRETUS, *Ratio studiorum Collegii Messanensis* (1551); MP I 93 n. 3 et 97 n. 5; et NADAL, *De studii generalis dispositione et ordine* (1552); MP I 138 n. 4.

<sup>18</sup> M. A. Muretus (1526-1585), gallus; cf. *Ouvr. pédag.* 465-66.

<sup>19</sup> Gilbertus Longolius (de Longueil), flander; cf. *ib.* 400.

<sup>20</sup> De A. Manutio vide supra, mon. 16 adn. 20.

<sup>21</sup> De his auctoribus ex S.I., et de operibus ab iisdem conscriptis vide supra, mon. 10 adn. 210-16 et passim.

in omnibus locis, magis moleste id ferent externi, quam si unum nostrum praelegamus; quod nimirum eorum grammaticos uni externo postponamus. Alius ex deputatis putavit, aliquam bonam grammaticam brevem et puerorum usui accommodatam elegantibus versibus conficiendam esse ab aliquibus idoneis ad id deputandis pro tota Societate nostra, ut conformitatem inter nos habeamus. Quod, si id fieri non possit, introducatur ubique Despauterius, sed diligenter correctus atque emendatus, et rescissis barbaris atque obscuris versibus, et suffectis eorum loco aliis elegantibus et perspicuis.

(Pag. 224 lin. 17.a) Immerito videtur reprehendi ordo Emmanuelis in eo, quod initio ponit 14 praecepta toti syntaxi communia; cum sine his non constant rudimenta, et illa quae praeciipiuntur de gerundiis, supinis, participiis, infinitis etc., iam aliquo modo nota sint pueris ex rudimentis. Ibidem lin. 30.a redarguitur «quod in omni syntaxi eundem sibi putavit per casus». At haec methodus et brevior est et tutior.

(Pag. 225 lin. 1.a usque ad 9.am) Ubi dicuntur, in principio poni difficiliora quaedam et obscura atque obscure, immerito etiam redarguitur. Nam nihil illorum erit obscurum aut difficile, ubi ex rudimentis didicerint, quae oportet, fundamenta. Praeterea, non semel tantum audiuntur haec, quae etiam aliquo modo ex rudimentis nota sunt, ut videtur existimare ordinis corrector, sed saepius; itaque non propterea immutandus est ordo. Item, a linea 9.a usque ad 26.am reprehenditur methodus Emmanuelis, quae optima est, tutissima et securissima, quam sequuntur galli, germani et belgae; quaeque multo firmior et tutior est illa, quam sequuntur in Italia; quae nihil habet certi aut solidi. Neque multum difficultatis habet haec Emmanuelis methodus, si pueri bene rudimentis instituantur et ab industrio praeceptore.

(Pagina eadem lin. 26.a et sequentibus) Ubi dicitur «Quinto, in uno quolibet casu exponendo redigit multa verba in duo, vel tria, vel plura quaedam capita etc.» At haec fecit etiam Priscianus<sup>22</sup>, quare iniuste Emmanueli vitio vertitur.

(Pag. 226 lin. 3.a) Ubi dicitur «sed singularium potius», atque singularia sunt prope-modum infinita, nec eorum esse potest scientia. Quare hac ratione fit, ut nunquam sint grammatici; quales videre licet plerosque quibusdam in locis, viros etiam celebres, et eloquentes alioquin, qui in mediis verborum delitiis turpissime errant et impingunt. Item, lin. 9.a ubi dicitur «at ea singularibus adaptare non est puerorum». At experientia docet contrarium; usu eius et industria praeceptoris discunt. Pagina eadem n. 2<sup>o</sup> linea 25.a et sequentibus aliquot, methodus illa, quae traditur, est incerta. [361r]

(Pag. 229 lin. 23.a) Ubi dicitur «et a concordantiis ad syntaxim pedetentim ordine supra exposito per quotidianam thematum compositionem», omnibus improbatum est mox ad syntaxim a concordantiis progrediendum esse, intermissis nominum generibus heteroclitis atque verborum praeteritis et supinis, quae interseri debent.

(Pag. 230 a linea 9.a usque ad 30.am n. 6<sup>o</sup>) Nulli probatum est, ut pueri nesciant genera nominum, et verborum praeterita atque supina. Imo, haec omnino discere debent; et carminibus quidem, ut facilius retineantur et memoriae mandentur. Hac enim ratione non egebunt semper Calepino<sup>23</sup>; quin etiam incorrectum et mendosum emendabunt et corrigent. Secus vero nec secure, nec tuto loquentur, neque ex arte, sed potius ex usu et consuetudine. Neque Despauterius est adeo barbarus in suis versibus, quin si industrius nactus fuerit praeceptorem, reddi possit latinus et eloquens; neque ita obscurus, quin dilucidus evadat.

<sup>22</sup> De Prisciano Caesariensi grammatico vide MP II 590.

<sup>23</sup> Ambrosius Calepinus, italicus lexicographus; vide supra, adn. 4.

### Provincia Lugduniae

Pag. 223 – Difficillimum erit in Galliis Despauterium relinquere, quod in omnibus fere academiis magno sit in pretio. Item, qui [ex] aliis scholis ad nostras veniunt, magna iactura cogentur illum dediscere. Emmanuel vero nostris poterit esse loco commentarii, et ex eo corrigi Despauterius, ubi minus bene aut omnino male praeceperit. [*Stud. 3, f. 396r*]

### Provincia Poloniae

Visum est, tenendam esse grammaticam illam Emanuelis, prout a patribus hoc capite efformanda censetur. At, quod n. 6 pag. 230 carmina improbentur, omnino contrarium congregationi visum est, cum experientia constet, et longe plus pueros proficere, si carminibus praecepta comprehensa discant, et tenacius retinere, quam soluta oratione; ideoque carmine comprehendenda esse pleraque omnia, praesertim genera et declinationes, praeterita item et supina, et prosodiam; syntaxin etiam, quoad eius fieri possit. Interea vero, dum hoc fiet, optima visa est grammatica Simonis [*Stud. 2, f. 160v*] Verepae<sup>24</sup>, multis iam Societatis collegiis usitata, quae et nostro tempore et post Emanuelis grammaticam accurate scripta est, et doctos iam dedit discipulos, et annotationes fere omnes ex Emanuele desumpsit. Ideoque multis visum est, eam retineri posse, praesertim cum ea Emanuelis grammaticae forma, quae hic praescribitur, necdum his partibus sit visa, ut plenum de ipsa iudicium ferri possit.

### Ioannes Balmesius S.I.

21<sup>o</sup> – Grammaticae, quae exstant, omnes carent ordine congruenti ingeniis adolescentum. Quo fit, ut in ea diu laborent, quod superflua doceantur et necessaria alieno loco. Is vero ordo non nisi ipsa re a me explicari paucis potest. [*Stud. 2, f. 183r*]

### Laurentius Faunteus S.I.

Videtur insinuare, pueris non esse necessariam omnium nominum generum cognitionem. Contrarium reor: – 1<sup>o</sup> Quoniam, nisi dum pueri sunt, ea addiscant, nunquam discent. [*Stud. 2, f. 178v*] – 2<sup>o</sup> Facilius pueri ea discunt et fidelius retinent maxime versibus comprehensa.

### Ioannes Leopoltanus S.I.

Grammatica – Bonum est, ut in Societate sit una et optima. Et talis erit non difficile P. Emanuelis Alvari. Nam p<sup>o</sup> Syntaxis eius et Prosodia probantur; praesertim eae, quae sunt in editione romana anni 1584<sup>25</sup>; in qua Annotationes sunt brevius comprehensae et simul positae cum regulis. Idem ergo fiat cum regulis etymologiae. In quibus tamen plura essent observanda, ut sit liber aptus pro nostra provincia. Et primo quidem curandum est, ut tam Rudimentorum liber, quam Etymologiae formam artis exactiorem habeant. Rudimentorum liber, qui servit infimae classi grammaticae, deberet habere formam totius Etymologiae, hoc est, octo partium orationis, breviter pro tyronibus comprehensam, cum formulis

<sup>24</sup> Simon VERREPEUS (Verypen), *Institutionum scholasticarum libri tres* (Antverpiae 1573); *Ouvr. pédag.* 662-63.

<sup>25</sup> De hac editione romana grammaticae latinae Patris Álvares vide MP V 123 adn. 11, et supra, adn. 2.

declinationum et coniugationum. Secundus vero liber Etymologiae, qui secundae classis grammaticae inservit, eiusdem Etymologiae praecepta, plenius explicata in usum provectiorum, complecti deberet.

In hac ergo Etymologiae tractatione plane deficit grammatica Emanuelis. Nulla est enim plane forma artis in tota etymologia. Non definitio grammaticae, non divisio, non partes orationis suo ordine explicatae; sed omnia quasi disiecta et confusa, et pleraque quoad artem minus exacte tradita. [*Stud. 3, f. 295r*]

Et sane, quod ad methodum artis conscribendae attinet, nunquam effugiet vituperationem intelligentium, qui secundum nescio quos respectus particulares artis veram et germanam methodum commutare volet. Ars enim debet esse una et perpetua, et certa atque exacta methodo descripta secundum naturam suam. Artis accommodatio ad ingenia discipulorum et explicatio pertinet ad docentem, et ingenia suorum discipulorum pernoscentem. Ipse videbit, quid ad usum alicuius commutare, quid omittere debeat. Sed ars ipsa, quatenus est ars, indiget plena, quoad eius fieri potest, descriptione et digestionem. Hinc enim accidit, quod habemus infinitas grammaticas, dialecticas, rhetoricas et omnes vel imperfectas vel redundantes, quia unusquisque pro suo placito artis methodum commutat; et vel addit vel subtrahit, quod videtur. Atque artis vera descriptio una debet esse et perpetua. Id ergo quaerimus in hac Grammatica Emmanuelis; praesertim quod ad Etymologiae praecepta attinet; quin et ipsa Rudimenta.

Addo: Si volumus habere exactos professores grammaticae, oportet eos exactam artem habere, cuius possint, cum opus est, reddere rationem.

Atque adeo, ut descendam ad particularia: Primus liber grammaticae apud nos vocatur rudimentorum, in quo primo loco ponitur definitio grammaticae, deinde divisio, tum de literis pauca; post quid etymologia, quot partes etymologiae. Quae deinceps cum suis accidentibus suo ordine explicantur, interpositis suo loco declinationibus et coniugationibus verborum, quas Alvarus in principio libri sui ponit, illis prioribus praetermissis.

In secundo libro de etymologia tradi solet eadem exactius, omissis iis, quae sunt dicta in primo libro, ut formis declinationum et coniugationum etc. Sed accidentia partium orationis praecipua exactius explicantur. Itemque, nominum et verborum analogia et anomalia. Item, nominum genera et formationes, verborum praeterita et supina. Haec autem valde alieno loco ponuntur ab Alvaro in Syntaxi verborum, idque imperfecte.

In syntaxi, nescio quare, omittitur definitio et divisio syntaxeos, cum sint haec duo instrumenta artium tradendarum, et lucem toti arti praeferant. Pulchra satis et expedita est divisio syntaxeos in concordantiam et regimen, sive ut alii dicunt transitivam et intransitivam consequutionem. Nec video, quare prius sit agendum de constructione verbi, quam nominis et pronominis. Cur enim non procedatur per ordinem partium etymologiae, quoad fieri potest?

Similiter, in prosodia et definitionem eius et divisionem praemittere vellem; et deinceps partes propositas ordine suo explicari, ut ubique artis et methodi ratio constet. Etenim usus grammaticorum habet partes quatuor grammaticae; et prosodiae nomine totam artem de syllabarum dimensione, de pedum et carminis accentuumque ratione comprehendit. Quae pars, cum legatur in classe humanitatis communiter, possent addi aliquae observationes de componendo carmine. Nisi forte placeret magis et partes grammaticae accuratius constituere, et artem poeticam a grammatica secernere. Id quod vera methodi ratio postulat, et finium regundorum iura exposcunt. [295v]

Postquam haec scripsi, sumpsi in manus antiquam editionem grammaticae P. Emanuelis Dilingae excusam<sup>26</sup>. Quae mihi multo magis placuit, quam haec romana commutata et decurtata. Nam secundus liber de Syntaxi et tertius de Prosodia plane satisfacit. Annotationes sunt utilissimae pro magistris; discipuli ad eas ediscendas non adstringuntur. Et potest edi grammatica per partes sine annotationibus pro pauperibus in singulis pene collegiis aut provinciis. In primo libro de Etymologia posset aliquid adici. Rudimenta, quae non habet prima editio, possunt formari in singulis provinciis secundum usum regionis. Quare, si italici placet sua nova Emanuelis grammaticae editio, habeant eam in nomine Domini. Nobis relinquunt editionem priorem, hoc est polonae provinciae; quia videtur esse magis nobis accommodata, plenior continens artis grammaticae tractationem. Nulla erit diversitas grammaticae. Idem erit auctor. Imo, nos conservabimus primos labores utiles et accuratos huius patris.

Haec scripsi de grammatica paulo accuratius; tum quia Libelli auctores fatentur ipsi, fundamentum humaniorum literarum esse bonam constitutionem artis grammaticae; tum quod videam, collegia minora minorem in posterum dignitatem habitura, si haec ars non satis commode, nec plene in eis docebitur. Optandum autem esset, ut initio sumpto a grammaticae bona et vera constitutione, eodem iudicio procederetur ad reformationem et rectam constitutionum reliquarum artium.

Quid desit Etymologiae P. Emanuelis, itemque Rudimentis, posset aestimari ex grammatica Cornelii Valerii<sup>27</sup>, qua hactenus usi sumus in hac provincia. Eaque grammatica mitti posset Romam, sicut et dialectica eiusdem et Iacobi Gorscii<sup>28</sup>, ut videatur, an et haec sit permittenda alicubi, ut praelegatur in rhetorica.

## 22

IUDICIA PATRUM IN PROVINCIIIS S.I. DEPUTATORUM  
DE RATIONIS STUDIORUM (1586) TRACTATU:  
«AN CUM PRIMIS FERME LATINAE GRAMMATICAE ELEMENTIS  
GRAECAE ETIAM LITERAE DISCENDAE SINT»<sup>1</sup>

ASSISTENTIA ITALIAE

Professores Collegii Romani

Integrum hoc caput probatur ut iacet. Et vero, licet afferri [*Stud.* 3, f. 48r] fortasse possent in contrarium aliquae rationes, omnino tamen id experiri oportet aliquot annos, ut magistra rerum experientia in re tam gravi tantique momenti nos doceat quomodo res cedere possit. P. Rector [B. Sardi] et P. Parra censent, in nostris scholis ob discipulorum multitudinem id ad primum reduci nulla ratione posse, etiamsi in uno atque altero discipulo, quibus praecipua cura magister aliquis invigilet, res bene succedat. Quare neque tentandum.

<sup>26</sup> Apud Sommervogel haec editio non recensetur; cf. vol. I 223-49.

<sup>27</sup> Cornelius Valerius (Wouters), fland. auctor: *Grammaticae institutiones* (Lutetiae 1557); v. *Ouvr. pädag.* . . . 641.

<sup>28</sup> Iacobus Górski; de cuius opere: *Commentariorum artis dialecticae libri decem* vide supra, mon. 18 adn. 8.

<sup>1</sup> Textum huius capituli vide in MP V 125-28.

### Provincia Sicula

Pag. 233 – In capite 4<sup>o</sup> – Videtur graeca lingua dumtaxat in tribus superioribus classibus, quia cum Romae in omnibus classibus graeca lingua, quarta excepta, posita esset, tamen non successit. Et hoc tempus satis videtur esse, ut discipuli aliquos progressus possint habere in graecis literis. Adhibendum tamen esset aliquod remedium, ut aliqui saltem proficerent. Quod fieri posse videtur, si non promiscue cogantur omnes. [*Stud.* 2, f. 36v].

### Provincia Veneta

Pag. 239 in fine – Cogantur omnino ludi magistri, ut tantulum graecarum litterarum perdiscant, quantum captus discipulorum requirit. Icirco, in posterum nemo nostrorum, qui studet humanioribus litteris, obtentu ullo imbecillitatis memoriae vel ingenii, a studio graecae linguae eximatur. Nam alicui satis erit pervenisse ad verbum. Praeterea, conduceret ad retinendam augendamque graecam linguam haberi in singulis collegiis privatam exercitationem seu explanationem auctoris diebus illis, quibus nec disputationes nec repetitiones [*Stud.* 3, f. 164r] fiunt. Ad quam convenirent omnes magistri humaniorum litterarum et omnes auditores philosophiae; item theologiae si vellent. Cui exercitationi peritissimus graecae linguae praeesset. Quam praefectus et rector inviseret saepe. Et ubi non sunt omnes doctrina pares, duo vel tres ordines fiant et in separata loca conveniant, praeside uno ex peritioribus, sive magister sit sive discipulus. Exercitatio haec semihora non multum excedat. In ea possent magistri nostri, non peritissimi, ea discere, quae essent in schola suos auditores edocturi. Praeterea magistri et studiosi humanitatis, quod disputationibus non intersint, possent crebrius ad hanc exercitationem convenire.

### Assistentia et provincia Lusitaniae

«Magnas ac multiplices» – Modus qui in caeteris rebus plurimum valet, in hac etiam videtur adhibendus; ut videlicet, neque ad suprema gymnasia graecae literae servantur, quod plane suadent rationes initio huius quarti capitis adductae; neque ab infimo, ubi multae sunt classes, inchoentur. Ut enim Quintilia-[*Stud.* 2, f. 304v]nus<sup>2</sup> 1<sup>o</sup> *Institutionum* libro ait, id imprimis cavere oportebit, ne studia, qui amare nondum potest, oderit, et amaritudinem semel perceptam etiam ultra rudes annos reformidet. Itaque verendum est, ne si graeca pueris ante tempus tradamus, rerum multitudine obruti latina simul et graeca oderint ac pedem in primo limine referant. Cum et Divus Augustinus (quo nemo acrior et ingenio aptior) id sibi puero evenisse fateatur. Ingens, inquit, me terruit ophis. Graeca igitur non, nisi explicatis latinae grammaticae elementis ad syntaxeos usque compendium, videntur pueris addiscenda. Id est Conimbricæ a septimo gymnasio; Eborac et Olyssippone a sexto<sup>3</sup>. Hac via, cum media sit et tutior, utriusque partis, quae hoc capite afferuntur incommoda, vitari poterunt.

### ASSISTENTIA HISPANIAE

#### Provincia Aragoniae

Non videtur communis aliqua lex praescribenda, qua ubique gentium iubeantur nostri cum latinis graeca coniungere. Satis enim fuerit doceri graecam linguam in primariis

<sup>2</sup> M. Fabius QUINTILIANUS, *Institutionum oratoriarum libri XII*; cf. MP I-V 140 et passim.

<sup>3</sup> In collegio conimbricensi S.I. numerus classium fuit decem; Eborac et Olissippone autem sex, septem et octo; cf. MP III 581 589 594 595 597.

collegiis, et ubicumque fuerint praeceptores plures tribus. Primum, quia ubi pauciores esse contigerit, totum sibi tempus vindicabit latina lingua, ut graecae ne ad temporis quidem punctum vacare liceat sine magna latinae iactura. Dum enim praeceptor conabitur utrumque sequi, neutrum assequetur. Quod nunquam certe accidet, ubi plures fuerint praeceptores. Nam, quo levius erit onus inter multos partitum, eo feretur a singulis facilius atque libentius. Deinde, quia ubi duo tantum vel tres grammaticam docent, tantum abest, ut quisquam dicat sibi superesse tempus, ut querantur omnes passim temporis dati brevitatem. Et vero perquam grave est, omnes quotquot Societatis gymnasia frequentant, velint nolint, graecis literis erudire. Multi enim vel mediocri grammaticae latinae cognitione contenti, statim ad philosophiam aut ad alterum ius adspirant. Unde fiet, ut multi, rem indigne ferentes, abigant graecas literas, qui alioqui multum in latinis profecissent. Facile autem videtur obviam itura Societas incommodis, quae ex altera parte nascuntur, si doceat literas in collegiis omnibus primariis et aliis, quae habeant quatuor et eo plures grammaticae praeceptores; et ubicumque demum gravior causa subesse videatur. Nam in provinciis, ubi nulla sunt collegia primaria, graecis literis institui nostri possunt in seminariis humanitatis<sup>4</sup>.

Neque illud expedire iudicamus, ut graecae linguae rudimenta cum primis statim grammaticae latinae [*Stud.* 2, f. 246r] elementis coniungantur. Primum, quia reperiri non poterunt tam multi magistri, qui graeca docere queant. Praesertim, cum ne ipsa quidem rudimenta doceri commode possint, quin alia multa paulo obscuriora atque difficiliora teneantur. Deinde, quia tam variae, tam dissimiles, tamque diversae harum linguarum praeceptiones mentes obruent puerorum. Ex quo fiet, ut illorum parentes de nostra docendi ratione passim querantur. Postremo, quia Societatis aemuli nos rerum novarum inventores esse dictitabunt; eoque magis, quod nullum sit in Hispania gymnasium, ubi haec consuetudo servetur. Quare satis nobis visum est, in superiore classe grammaticae, post accuratam syntaxis explicationem, vertente anno semihorae spatio graecae linguae rudimenta iis duntaxat explicare, quos praefectus studiorum ad ea perdiscenda non ineptos iudicaverit. Facilius enim deinde celeriusque percipient graeca praecepta, si prius latina praeclare didicerint, cum perfecta illorum cognitio ex horum cognitione dependeat. Reliqua vero, quae ad graeca pertinent, tradi possunt in classe humanitatis atque rhetoricae.

### Provincia Sardiniae

Propter maximas utilitates, quae ex graeca lingua percipiuntur, et ob summum splendorem, quem affert linguae latinae, censemus esse coniungenda graeca cum latinis etiam in inferioribus classibus, neque timendum violari propterea Constitutiones. [*Stud.* 2, f. 266v]

### Ioannes Mariana S.I.

Pag. 233 – Placet, ut doceantur graeca simul cum latinis; sed ut in omnibus classibus fiat, id vero displicet. Parisiis ex octo classibus, in tribus superioribus nostri graeca pueros docebant, neque toto anno in tertia. In Hispania satis esset, ut in suprema classe docerentur; aut certe, ubi multae essent classes, nempe quinque aut sex, in duabus supremis. [*Gall.* 62, f. 21r]

<sup>4</sup> De seminariis humanitatis seu latinitatis, in Hispania institutis, vide supra, mon. 19 adn. 9.

## Ioannes Legaz S.I. – Hieronymus de Burgos S.I.

In caput quartum – En este capítulo sentía el padre Burgos que, aunque es evidente la utilidad de aprenderse la lengua griega junto con la latina, pero que esto se debía entender en donde ay mayor número de 3 classes. Porque quando son tan pocas, es también muy poco lo que se puede enseñar, como se vee por la distribución de la lengua griega por las classes, que a tres lo que les puede caber dando media hora cada día a este exercicio, es llegar hasta saber leer, declinar y conjugar. Lo qual fácilmente se pierde, quando no ay oportunidad de passar adelante. Al padre Juan Legaz le parece no sólo conveniente, mas necessario que aún en donde no tenemos más de tres o quatro classes, se lea esta lengua juntamente con la latina, así por las razones que se apuntan en el dicho capítulo, como por la experiencia que de ello tiene de aver salido buenos griegos en Oropessa, donde no avía más de tres classes; que algunos dellos con solo lo que allí aprendieron en tres años que studiaron latín y griego, tienen cáthedras y collegiaturas trilingues en Alcalá y Salamanca, particularmente pudiendo se dar maestros con facilidad, teniéndose el cuydado que debe de aver en el seminario para hazerlos. [Madrid, Bibl. Acad. 2r]

## ASSISTENTIA GERMANIAE

## Provincia Austriae

Petitur, ut fiat opera Societatis graeca grammatica<sup>5</sup> accommodata singulis classibus, ad formam latinae Emanuelis<sup>6</sup>.

Videbatur praeterea expedire, ut constituatur aliquid de pronuntiatione graecae linguae, tum propter conformitatem provinciarum, tum ne magistris relinquatur occasio dissensionum. [Stud. 3, f. 271r]

## Provincia Germaniae Superioris

Omnia quae hoc capite disseruntur, placent mirum in modum, cupimusque ita prorsus fieri. Sed de grammatica nobis necessario dicendum est et iudicium nostrum afferendum. [Stud. 3, f. 214v].

*De grammatica graeca et rudimentis*

Ad percipiendam linguam graecam aequè magni refert, quali grammatico utatur Societas, quam ad discendam latinam. Ac proinde cum in Emmanuelem, alioqui accuratissimum et doctissimum, tanta sit facta inquisitio, miramur de Clenardo<sup>7</sup> tantum silentium; eoque magis, quod adeo diligenter, copiose, erudite ac vere capite isto graeca nobis lingua commendatur. Sane, iampridem vehementer optavimus, Societatem suam quoque grammaticum graecum habere, cum catholici perpauci sint, et nullus per omnia probandus adhuc nobis videatur.

Verum de Clenardo potissimum in praesens agemus, qui tribus vitiis haud levibus laborat. Nec enim bonam methodum tenet, seu confusus et verbosus, atque imperfectus est. Quod ad primum, illa γ ante γ post ξ χ τ v etc. cum literis tradi debuerunt; pars articuli ante

<sup>5</sup> Quod fiet anno 1593, quando typis vulgabitur grammatica graeca Iacobi Gretser S.I. (1562-1625), germani: *Institutiones linguae graecae*; cf. *Ouvr. pédag.* 335; et DUHR I 668; KOCH, *Jesuiten Lexikon* 732-34.

<sup>6</sup> De grammatica latina Patris Emmanuelis Álvares S.I. cf. supra, mon. 21 passim.

<sup>7</sup> Nicolaus Clenardus (Cleynaerts, Kleynaerts – 1495-1542), flander, grammaticus; auctor operis: *Institutiones linguae graecae* (Lovanii 1530); cf. *Ouvr. pédag.* 157-66 et *Biogr. de Belgique* IV 163-72.



declinationes simplices, alia pars post verba et pronomina tam longo intervallo ponitur. Necessariae annotationes in simplices, nimium longe reiciuntur, cum suae singulis statim subnecti debuissent. Etiam de contractis nominibus duobus locis agit. In verbis item, nec passivis nec activis, nec mediis ulli tempori omnes suas necessarias annotationes adiungit, sed eas discerpit, partemque hic, partem alibi collocat. Et hoc in barytonis, in circumflexis, in *᾽* facit. Postea acervos annotationum confusissime construit. Putat autem se usque ad annotationes in adiectiva, ea de partibus orationis conscripsisse, quae graecas literas auspicantibus omnino sint necessaria, et citra quorum cognitionem frustra legendis auctoribus operam impendant; cum etiam si quis totam Clenardi grammaticam didicerit, adhuc vix ea teneat, quae ad legendos auctores et graecas literas auspicantibus sunt necessaria. Anomala quoque *᾽* verbis in *᾽* subiici conveniebat; et antecedunt iam proxime investigationem thematis ad finem grammaticae. Similiter, investigationi thematis non in fine, sed post verbum, locus est commodior. Ita fere nihil est, quod non distraxerit, quodque non duobus locis doceat.

Quod ad secundum, potuit saepe verbis paucioribus uti, et 2 aut 3 praecepta in unum colligere; quod iudicabunt, qui grammaticam tradiderunt, et illius usum sunt consecuti. Non erat etiam necesse, quamvis id caeteri quoque faciant, in circumflexis et in uniuscuiusque coniugationis exemplum seorsim, per diversas paginas coniugare; etenim cum tantummodo characteristicis differant, quod prima habet *ε*, altera *α*, tertia *ο*, exitus autem plane similes habeant, idque per activum, passivum et medium, poterant 3 exempla in circumflexis poni in eadem pagina per columnas 3, et per 4 in verbis in eodem modo. Hoc praestitit Ioannes Crispinus<sup>8</sup> atrebatensis, cuius libellum Romam cum hisce nostris observationibus mittimus; qui Clenardum in eum ordinem redegit, quem hactenus desiderare nos significavimus, et paucissimis paginis coniugationes contractas, atque in *᾽* absolvit, quae in Clenardo dimidium paene librum occupant. Quin et obscurius quaedam dicta ipse clarius dixit, et alicubi dormitantem Clenardum correxerat, ut videbit, qui contulerit. Crispini exemplar Ingolstadii ad usum nostrarum scholarum recudendum curavimus; nec dubitamus, quin romani hunc quasi novum Clenardum sint approbaturi.

Veruntamen, ne sic quidem digesta grammatica Clenardi sufficit, et hoc est tertium vitium ipsius; imperfectio nimirum. Non loquor iam de quibusdam praeceptionibus utilibus, quas praetermisit, quaeque ex Vergara<sup>9</sup> et aliis possunt depromi, et nos quasdam ponere hoc loco, si et otium maius suppeditaret, et de Clenardo mutando augendoque potius, quam de nova prorsus grammatica a Societate conscribenda ageremus. Sed de magnis partibus grammaticae sermo est. De accentu per transennam quasi disputat, de spiritibus nulla est regula, de dimensione syllabarum nullum gry, nihil de dialectis, syntaxis duarum paginarum hoc nomine indigna est. Hinc fit, ut cum oporteat nos etiam syntaxin explicare, et alia illa, quae enumeravi, cogamur plures grammaticos in scholas introducere, cum ab uno omnia non possimus petere. [215r] Et quia syntaxis Vergarae nobis propter verborum maxime constructionem fastidiosissimam non placet, praelegimus hucusque Varennum<sup>10</sup>; qui tamen, ut bonus valde sit, praecepta quantitatum dare nobis non potest, cum alioqui de tonis non male disserat. Ergo 3 grammaticos docemus; quod si non videtur incommodum

<sup>8</sup> I. Crispinus (Crespin); vide *Ouvr. pédag.* 183.

<sup>9</sup> Franciscus VERGARA (ob. 1545), hispanus: *De omnibus graecae linguae partibus libri quinque* (Parisiis 1545); vide *Ouvr. pédag.* 657.

<sup>10</sup> Ioannes VARENNIUS (1462-1536), mechliniensis: *Syntaxis linguae graecae* (Basileae 1536); vide *Ouvr. pédag.* 652-54.

magistro, certe pueris propter impensam non est utile. Relinquitur etiam hoc modo libertas tradendi syntaxin et prosodiam graecam provinciis, quas libuerit. Quod non servit concordiae, quam Societas ista ratione studiorum habet propositam.

Quare maiorem in modum petimus, dari negotium alicui linguae graecae perito, et in grammaticis novis ac veteribus probe versato, conscribendi novam, suis 4 partibus absolutam, optimo ordine explicatam, perfectam, et Societatis existimatione dignam grammaticam, qua omnes scholae utantur, quaelibet sua parte. Ad finem desideramus adiungi aliquot paginas ex eleganti scriptore, cum duplici versione, una ad verbum, altera ad sententiam, et in eam meditationes, exemplo Clenardi, in quibus praecepta ostendantur, citatis paginis et versibus, et alia multa passim doceantur ad linguae graecae proprietatem, ad convertendi rationem utilia; quod Clenardus egregie et cum laude perfecit. Nihilominus, quod sibi antesignanus sumpsit, cupimus etiam ex poetis praxin addi, servato eiusdem antesignani modo. Dialectos autem, non ut Vergara, per capita quinque, sed suis locis, cum praeceptis videlicet communibus tradendos suademus. V.g. in prima declinatione minore typo post Αἰνείας inflexum, sequantur statim dorice α, aeolice et boeotice αο etc. in genitivo. In verbis τύπτω τύπτεις τύπτει minore typo post ipsum tempus dorice τύπτες τύπτε, aeolice τύπτης τύπτη etc.

### *De Rudimentis*

Quia vero rudimenta quoque tradenda sunt, ex eadem nostra grammatica illa depromenda ducimus et sic ordinanda. Principio ponatur alphabetum cum divisione sua. Secundo, abbreviationes, quae dicuntur et faciliores. Tertio, notae accentuum, spirituum, apostrophi cum exemplis. Exempla autem omnia, quotquot in hoc libello adducentur, reddantur latine, quo puer tanto libentius et minore negotio graecas voces retineat, si aliquid in ipso limine proficere incipiat intelligendis graecis. Quarto, postquam enumeratae fuerint partes orationis, casus et numeri, sequatur articulus, praepositivus tantum, sine annotationibus. Quinto, inflexiones decem, quam brevissime, omissis exceptionibus et annotationibus universis; adiectis tamen ad singulas declinationes 6 aut 7 exemplis graeco-latinis, ne semper *Ἡμέρα* et *Αἰνείας* cum fastidio cogantur inflectere. De comparisonibus, adiectivorum formationibus, numeralibus, verbalibus, heteroclitis nihil dicendum. Statuatur, sexto loco, pronomen, quam potest paucissimis. Septimo, verbum, ita ut primum in tabula subiiciantur oculis figurativae 3 temporum, ut fit in Clenardo; postea pauca dicantur de augmento syllabico et temporali, praeteritis illis; praepositiones in compositis praefixae vocalibus etc. Deinde, coniugetur *τύπτω* activum, passivum et medium, sine annotationibus et regulis; nisi forte una et altera adiecta. Atque, ut sint paulo perfectiora rudimenta, ponantur etiam exempla verborum circumflexorum et in *μ*. 8<sup>o</sup> Adverbia, coniunctiones, praepositiones tribus verbis comprehendantur. Addantur tamen exempla graeco-latina. Postremo, accedat precatio dominica, salutatio angelica, symbolum apostolorum etc. graeco-latina. In quibus legendis, ediscendis pueri exerceantur. Exempla omnia minore typo. Porro quantum ex hisce rudimentis secundae et quantum primae grammaticae dandum sit, suo loco declarabitur. Nec vero obiici debet, nos nimis perfecta expetere rudimenta, quoniam perfectiorem grammaticam quoque expetimus.

### Provincia Rhenana

Cap. 4 – Magna graecae linguae utilitas et magna necessitas; eius tamen periti non ita multi. Ideoque in romanorum patrum sententiam rhenani patres pedibus, ut aiunt, libenter

eunt, ut quam diligentissime primo a nostris perdiscatur, tum in scholis doceatur. Et quidem, quia a teneris assuescere multum est, prima eius elementa in primo statim grammaticorum ordine proponantur. Sic enim pueri utilissimae rei iam tum ludibundi et aliud quasi agentes fundamenta iacent, ipsisque suis parentibus valde placebunt, dum non latina modo sonare, sed graeca etiam lallare incipient. Atque hoc quidem magnum eius linguae plenius combibendae adiumentum. Sunt et alia tamen nonnulla; v. c. si ordinarie a graecis nullus eximatur, si Societati universae una graeca, ut latina grammatica, proponatur<sup>11</sup>. Si R. di P. N. i mandato a nostrorum aliquibus graeci libelli, quorum lectione, quasi minime vulgari cibo iuventus maxime capitur, conscriberentur, vel ab haereticis iam conscripti et editi, paucis quibusdam, si opus foret, mutatis, vel haereticorum saltem nominibus omissis, in studiosorum manus venirent; eo scilicet modo, quo a Manutio in Erasmi Adagiis tentatum est<sup>12</sup>. [*Stud.* 3, f. 249r] Huiusmodi sunt, graeca lexica, synonyma, phraseologia, apophthegmata, gnomologiae, epitheta, catechismi; et id genus plura, quae uberrime haeretici typographi, Germania tota, profundunt plurimorum manus et animos inquinant. Quin vero prima graecarum litterarum rudimenta seorsim, pro imis grammaticae ordinibus, edenda sint, patres nihil dubitarunt.

#### Provincia Franciae

(Pag. 233 linea 19.a et 20.a) Quaesitum fuit, an graecae literae docendae essent in singulis classibus ab infima usque ad supremam rhetoricae. Et quidem duobus ex deputatis, atque uni alteri ad consultationem vocato visum est, in omnibus, infima tantum excepta, docendas esse; quod in illa ob teneritudinem ingeniorum doceri vix queant, et ut sic gradatim ascendendo a penultima classe auctorem aliquem graecum primo in secunda classe audire incipiant. Demum, ne graeca grammatica, quae aliquo modo differt a grammatica latina et sua habet propria, inturbet puerorum ingenia in latina grammatica addiscenda. Aliis nihilominus tribus ex deputatis visum est, in omnibus classibus, etiam infima, docendas esse graecas literas; quod sic alacrius docebunt praeceptores etiam in infima, si aliquid graecarum litterarum doceri permittantur. [*Stud.* 3, f. 361r]

#### Laurentius Fauteus S.I.

De lingua graeca – 1<sup>o</sup> Utilissimum foret, ut haec observarentur omnia. – 2<sup>o</sup> Valde etiam conducere ad linguam graecam in Societate augendam et conservandam, si philosophiae et theologiae studiosi, quotidie aliquam pagellam ex philosopho ac theologo graeco legant; alias omnia tradunt oblivioni. [*Stud.* 2, f. 177r]

#### Ioannes Leopolitanus S.I.

De graecis literis docendis in singulis classibus secundum proportionem placet. Hic enim a sexennio fere, a tempore visitationis P. Magii<sup>13</sup>, coeptum est in hac provincia; et res bonum habet successum. [*Stud.* 3, f. 295v]

<sup>11</sup> De graeca grammatica componenda vide supra, adn. 5.

<sup>12</sup> De Desiderii Erasmi Roterodami *Adagiis* et eiusdem necessitudine cum A. Manutio cf. *Encicl. Ital.* XIV (1932) 182-83.

<sup>13</sup> Laurentius Maggio S.I. (1531-1605) italicus, anno 1580 ex mandato Praepositi Generalis S.I. visitavit provinciam Poloniae S.I.; cf. MP IV 140.

IUDICIA PATRUM IN PROVINCIIS S.I. DEPUTATORUM  
DE RATIONIS STUDIORUM (1586) TRACTATU:  
«QUONAM MODO INSTITUENDA SINT EXERCITATIONUM GENERA  
QUIBUS LATINAE GRAECAEQUE LITERAE PERDISCI SOLENT»<sup>1</sup>

ASSISTENTIA ITALIAE

Professores Collegii Romani

Totum hoc caput probatur ut iacet. Illud unum excipe circa 7.m exercitationem: De loquendo latine tempore recreationis. Etenim, cum experientia comprobarent, id in Collegio Romano non bene cedere, faciendum est, quod fieri nuper statuit R. P. Generalis, ut videlicet tantum extra recreationis tempus teneantur latine loqui. Verumtamen P. Parrae integrum hoc caput placet sine ulla exceptione [*Stud.* 3, f. 48r]

Provincia Neapolitana

§ 2 – Patri Bernardo [Colnago] et Caretonio videtur apponenda aliqua ratio legendi in humanitate et rhetorica; harum vero singularum inferiorum classium ratio explicanda enucleatus.

§ 3 – Nemini probatur, quod in fine huius paragraphi praecipitur, ut contextus auctoris praelegatur ab aliquo auditore, antequam explicetur a magistro; nemo enim id melius praestare poterit, quam ipse praeceptor.

§ 4 – Omnibus probatur, si tamen in ludo scribatur aliqua vel honoris vel praemioli spe proposita; alioqui frigent. Et quoniam rudiores omnes, qui solent esse plurimi, cum ad primatum aspirare non possint, negligentius ibi scribunt quam domi, promulgandi deinde videntur, qui pessime scripserint, ut quemadmodum alii spe gloriae, ita hi timore dedecoris ad bene scribendum incitentur.

In fine paragraphi quarti perutile videtur Caretonio, in ludum semper afferri primum scriptionis exemplar, et ita decurioni ostendi, ut secundum tradatur; idque ut cogantur scribere bis; quod multas affert utilitates, et etiam corrigere possint interdum errores magistro eorum rationem publice pronuntiante. Dum discipuli lectiones memoriter reddunt decurionibus, magister submissa voce recognoscat singulorum scriptiones; sed ex iis, quarum aliquas prius ipse publice viderit et correxerit; tum ut singuli velocius recognoscant et corrigant; id quod magnum affert lucrum temporis; tum ut diligentius audiant publice corrigentem ea, quorum sunt reddituri privatam rationem. Idem nollet errata praeceptoris manu corrigi, sed signari, ut discipuli deinde suo quisque loco ea deleant et emendationem interscribant. Quae idcirco diligentius attendetur, quoniam scribenda, et magis haeret memoriae, quando scribitur. Illas ipsas vellet reddi magistro quasi recognituro, utrum bene emendarint. Qui si alicuius in eo negligentiam punierit, proderit universis. Eas autem maxime scriptiones magistro tradi vellet, quae corriguntur a singulis eo publice explicante rationem errorum, tum ad acuendam eorum simili timore diligentiam; tum quoniam experientia docet, etiam post octavam et decimam ita correctam, alias scateri erroribus; et

<sup>1</sup> Textum huius capitis vide in MP V 128-32.

ostendi parentibus tanquam a magistro recognitas. Ut autem aliquas emendationes habeant semel, aut bis in hebdomada dictanda a magistro videretur tota latina emendatio [*Stud. 3, f. 102v*].

§ 5 – Quoniam recitatio die sabbati totius libri a principio magnopere in nobis desideratur a saecularibus, quibus maxime speciosum atque utile videtur, et vero est; licet etiam nobis videatur incommodum, institutum tamen est in hoc collegio sine ullo prope labore. Nam augetur numerus decurionum, et cum numerus lectionum excedit verbi gratia quatuor paginas, relinquuntur paginae priores. Quae cum pervenerint ad eundem numerum, relictis posterioribus, vicissim recitantur, ita ut pueri sciant, se universa reddituros aliquando. Atque iis, qui optime reddiderint integrum librum, aliqua praemiola proponuntur.

§ 7 – Illud de catenula tradenda iis, qui vernacula lingua loquuntur, nemini probatur. Quia, ut plurimum, qui minus peccaverit, poenas dabit. Satis igitur videtur, per censores observari, qui deliquerint et puniri vel flagris vel aliqua ignominia, vel denique aliqua precatione recitanda. Quod vero spectat ad latinum sermonem in transalpinis regionibus tempore recreationis, integrum unicuique videtur relinquendum, qua lingua uti velint. Quae enim rationes pro caeteris provintiis a patribus afferuntur, eadem in transalpinas conveniunt.

### Provincia Sicula

Pag. 240 in cap. § 3<sup>o</sup> – Deberet dici clarius, qua ratione discipuli die sabbato ceterisque venturi sint parati ad lectiones hebdomadae vel mensis repetendas; utrumne certi ad certas, an potius singuli ad omnes. In 7<sup>o</sup> § quod de catenula dicitur, non placet. Reliqua huius capituli probantur. [*Stud. 2, f. 36v*]

### Provincia Veneta

Pag. 246 § 5 – Quod de decurionibus decernitur, non valde probandum videtur. Experientia enim docuit, magnam inde nasci in classibus perturbationem, rumores excitari maximos, et pergraves contentiones et altercationes discipulorum oriri. Per se potest praeceptor id praestare, atque satius videtur esse, si non omnes, at certe bene sine perturbationis atque altercationis periculo paucos audire, quam vel omnes vel plerosque per decuriones.

Pag. 247 § 7 – Corrigendum illud de catenula propter seditiones, quae interdum ob illam excitantur. Aliaque iniri potest ratio, qua ad latine loquendum compellantur. Compertum enim non semel est experientia, ex discipulis nonnullos sibi per totum ferme diem servasse catenam, ut liberius materna lingua possent eloqui; observasseque, cum dari deberent pro catena paenae, tunc vero aggressos ex condiscipulis aliquem ex improvviso, et ad loquendum provocasse, et consignasse catenam; atque hunc, qui semel tantum materno sermone usus esset, pro illis paenas dedisse. Haec atque alia id genus incommoda inde profecta sunt, ut facile cognosci possit, tutam atque utilem huiusmodi rationem non futuram. [*Stud. 3, f. 164r*]

### Assistentia et provincia Lusitaniae

Pag. 245 – «Themata domi scribant» – Themata in gymnasio potius, quam domi scribenda esse, et ratio et experientia docent. Nam domi, qui segniores sunt, nihil scribunt, ac nonnunquam aliena opera pro sua utuntur. Caeteri plus temporis quam par est, in concinnando ponunt. Accedit, quod si domi in locum incidunt, a quo se extricare nesciant, cum praeceptorem, quem interrogent, non habeant, infecto opere subsistunt. Hisce vero incommodis facile occurritur, si in gymnasio intra praescriptum tempus ordinarie componant. Praesertim in hac provincia, ubi scholastici duas horas et dimidiam mane, totidemque a

prandio commorantur. Quae horae ita distributae sunt, ut extrema matutina tresve quadrantes, prout schola ratio exigit, compositioni dentur. [*Stud.* 2, f. 304v]

## ASSISTENTIA HISPANIAE

### Provincia Aragoniae

1. Ut pueri facilius ediscant rectam scribendi et distinguendi rationem, tradenda videntur, ubi proveciores fuerint, quae ad utramque facultatem pertinent ex Manutio<sup>2</sup>, aut ex quovis alio auctore, qui ea de re optime scripserit. Quod si neque illa omnino probarentur, non esset inutile redigi in epitomem quandam ab aliquo e nostris huiusmodi praecepta, ut in tanta sententiarum varietate haberemus unum aliquid, quod communi consensu sequeremur.

4. Explicandum videtur hoc loco, quoto quoque die, quaque hora dictanda sint istiusmodi themata. Quae, ut frequentiora esse non debent, quam ut octavo aut 15 quoque die dictentur, ita acutiores ac vigilantiores redderentur pueri, si thema quisque suum egregie descriptum adversario traderet corrigendum in pomeridianum tempus aut matutinum insequentis diei. Videndum etiam erit, utrum expediat, post emendata puerorum themata dictari a praeceptore latinam eiusdem thematis conversionem. Quod hic multi facere consueverunt magno cum fructu discipulorum, qui in caeteris thematis praeceptoris exemplum conantur effingere. Proderit etiam non parum, superioribus praesertim ordinibus, pueros clara et contenta voce themata sua legere, condiscipulis interim arrepto calamo exactisque animis errores observantibus. Quos deinde praeceptor exigit a singulis, ut facilius in se ipso quisque corrigat, quod in aliis suo Marte deprehenderit. Ad quod excitari eos oportet tum praemiolo aliquo iis proposito, qui vitium paulo occultius animadverterint, tum paena, si quem forte apertus aliquis solaecismus aut barbarismus praetervolarit.

7. Hic solent censores punctis quibusdam eos notare, qui vernacula utuntur lingua. Catenula vero in usu non est, quamquam et ipsa vehementer placet. Quare, si videtur, permittatur utrumque iuditio praeceptoris. Caeterum, ubi punctis utendum videatur, constitutam esse oportebit paenam in singulos pro numero ac ratione punctorum, ut hic factitatum est hucusque non sine maximo puerorum emolumento. Nam qui latine non loquitur, afferre iubetur duo vel tria dicendi genera aut lectionem comparare etc. [*Stud.* 2, f. 246r]

### Provincia Sardiniae

Caput 5.m 6.m 7.m – Probamus omnia, quae tractantur his capitibus. [*Stud.* 2, f. 266v]

### Ioannes Legaz S.I. – Hieronymus de Burgos S.I.

Sobre el número quarto del mesmo capítulo se advierta que sería de mucha importancia se añadiesse también un método de escribir epístolas que fuesse proprio de la Compañía, por no tomarle de Erasmo<sup>3</sup>; y señalase en qué classe se a de leer y exercitar, porque no se haze mención desto en la distribución de las classes. Parecería también cosa acertada, porque los progymnasmata de Aphthonio<sup>4</sup> es latín de versión y no stylo proprio, que ubiesse un método de ellos de la Compañía compuesto con tal stylo que los exemplos se pudiesen proponer a los estudiantes para imitar.

<sup>2</sup> Aldus Manutius iun. (1547-1597), italus, insignis humaniorum litterarum cultor; qui scripsit opusculum: *Orthographiae ratio* (1561); cf. *Ouvr. pédag.* 21 et MP III 347.

<sup>3</sup> *De ratione conscribendi epistolas* Erasmi vide MP I-III 99-100 et passim.

<sup>4</sup> Aelius Festus Aphthonius, scriptor graecus; de eius *Progymnasmata* cf. MP I-IV 177 et passim.

## ASSISTENTIA GERMANIAE

## Provincia Austriae

Nº 7 – Iniungitur transalpinis collegiis usus latine loquendi etc.; eximuntur reliquae provinciae. Iudicatum fuit, ut eadem lex cisalpinis iniungatur. Decet enim, ut sicut caeteris omnibus, sic et eruditione, praecipue latinae linguae usu conformes simus. – 2º Hac exemptione facile accidet, in eandem barbariem et latinae linguae fastidium recidere, quod in praefatione de humanioribus studiis in nostris severe culpatur. – 3º Mirum etiam videri potest, tantam esse latinae linguae difficultatem, ut iugum hoc vix tolerabile cisalpinis videri debeat. Nos aliud sane experimur: ubi usus aliquis accesserit, fieri facile. – 4º Etiam transalpinarum provinciarum non minus egent lingua patria pro concionibus, pro confessionibus, pro literis, pro communi vitae consuetudine, quam cisalpinarum. – 5º Experientia constat, cisalpinos complures, maxime externos, non sine Societatis dedecore, ad transalpinos persaepe venisse, quod tametsi a reliquis fere rebus satis instructi essent, minus tamen quam decet, latine loquerentur. – 6º Quid quod in Italia non raro usu venit, ut cum illuc transalpini accedunt et vel confessionis, vel literarum et negotiorum causa colloqui cupiunt, aut balbutiant nostri, aut fere tanquam per interpretem loquantur? [*Stud. 3, f. 271r*]

## Provincia Germaniae Superioris

Pag. 240 – Prima exercitationis ratio etiam probatur nobis; modo ne usus ille sit nimis, qui adolescentibus praeripiat tempus aliis exercitationibus magis necessariis tribuendum. Etiam probatur illa ratio addiscendi orthographiam, si tamen non negligantur ea, quae de orthographia, superius a nobis dicta sunt in cap. 3 circa numerum 9.

Num. 2 pag. 241 – In classibus grammaticae magistro, Ciceronem aliosve auctores interpretanti, haec tenenda videntur: – 1º Auctoris sententia breviter perstringenda. – 2º Integra periodus praelegenda. – 3º Eadem explicanda est, servato ordine constructionis (de quo praecepta tradi deberent in grammatica, uti alii grammatici fecerunt), et simul proprietate linguae vernaculae. Nam si periodum ad verbum interpretetur, servata collocatione auctoris, interpretatio vernacula erit ridicula, et ad intelligendum difficillima. – 4º Servata collocatione auctoris, sensus periodi lingua vernacula reddendus est. – 5º Periodus tota ad structuram cognoscendam resolvenda, ut pueri intelligant, quae quamque vox regat. Singula demum verba, eorumque nativa ac propria notio ac vis explicanda, tum ea quae subsequuntur sub finem pag. 242 servanda sunt.

Num. 2 pag. 243 – Quod praecipitur, ut pueri ne literam unam scribant nisi iussi, addendum illud etiam videtur, ne iubeantur scribere quicquam circa praeceptorum explicationem in scholis grammaticis; neque circa auctores, quicquam quod ad sententiam, neque circa verba, nisi phrases selectissimas, quae respondeant phrasibus linguae vernaculae singularibus. In quibus graviter saepe a pueris peccatur. Et in his quidem admodum sint praeceptores moderati, atque in quotidiana exercitatione conentur potius haec exigere.

Num. 4 pag. 245 – Quod dicitur, ut pueri nihil assuescant scribere, quod M. Tullii auctoritate aut aliorum probare non possint: addendum videtur, ut pueri nihil etiam assuescant scribere, in quo non possint reddere rationem etymologiae et syntaxis. Praeceptor vero inter emendandum horum rationem sedulo exigit.

Num. 4 – In rudimentis deberent exerceri, non tantum verbotenus, sed etiam scriptio-  
ne, transferendis in latinum locutionibus ex probatis auctoribus, secundum ea, quae audiverunt, ut hoc 4 § dicitur. Quod multo magis in 2.a grammaticae schola locum habere debet, ubi etiam breviter themata convertenda sunt. Modi porro corrigendi themata varii vi-

dentur. Interdum, ut singuli suos habeant adversarios, a quibus compositiones corrigantur. Interdum etiam, ut pueri compositiones suas parieti affigant, ut ab omnibus corrigi et emendari possint. Interdum, ut etiam magister domi aliquot compositiones discipulorum, quot per otium licet, corrigat, easque publice in gymnasio legat, audientibus interea caeteris, ut sua, prout audiunt, corrigant. Multum etiam proderit, aliis interim in schola scribentibus ex tempore, privatim aliquorum scriptiones in schola familiariter corrigere et errores quasi ad oculum demonstrare.

Multum etiam puerorum studia promovebit, si thema lingua vernacula dictatum ipse magister accurate reddat, et illud legendum publice omnibus proponat. Inde enim discipuli facile intelligent, quam rationem in scribendo observare debeant, et errores suos emendabunt.

Extremo, habeant pueri libellum exceptorium, in quem referant themata lingua vernacula; quibus [*Stud. 3, f. 216r*] sua in latinam linguam versa, praeceptoris lima correctae, subiiciant. Sic, et quantum progressum succedente tempore fecerint, intelligent, et parentibus ac domesticis praeceptoribus profectus ac diligentiae rationem facilius probabunt.

Num. 5 pag. 246 – Quemadmodum corrector in omnibus nostrae Societatis collegiis non potest commode introduci, sic nec decuriones. Magister vero partem lectionis modo ab hoc, modo ab alio ea diligentia exigit, ut intelligant se ad reddendam lectionem paratos esse debere.

Num. 7 pag. 247 – Catenula omnino tollenda videtur, et propter graves contentiones, et maxima incommoda, quae inde saepe orta sunt. Est enim fomentum plurimarum dissensionum non modo inter discipulos, sed etiam aliquando inter ipsorum parentes.

Ibidem – Quod ad usum latinae linguae retinendum et restituendum inter nostros domesticos, non videntur ea de re censores instituendi, sed praeceptor suos discipulos, praefectus tam praeceptores suos quam discipulos, superior autem omnes moneat, si erraverint, non autem publice, sed privatim et amice; neque omnes promiscue, sed eum quem putat bono animo laturum. Et ut propter alios defectus dantur paenitentiae, ita etiam propter errores in lingua latina commissos ac barbaram latinitatem, quam affectare interdum videntur, paenitentiae sunt iniungendae. Quemadmodum reliqua, quae ad bonos mores spectant, superioribus commendata esse debent, ita etiam haec res maxime.

Quod autem ibidem dicitur, ut etiam hora recreationis transalpini latine loquantur, id locum non habet ob easdem causas, ob quas et aliae nationes eximuntur; cum et ipsi non minus quam alii linguae patriae peritia egeant pro concionibus, pro confessionibus, pro literis, pro communi vitae consuetudine. Adde, quod apud eos longe maior latinae linguae usus est et promptitudo, quam apud italos vel hispanos, ut transalpini in Italiam venientes mirentur tam paucos, et tam pauca italos latine loqui. Propter coadiutores nostros etiam, ne recreationis usu et iucunditate priventur, opus est saepius vernacula lingua loqui. Quod vero de haereticis et communicatione nationum dicitur, id sane permirum est, cum nulli haeretici linguam latinam aboleant, quin vero eam maxime exerceant et profiteantur; neque enim de ullis haereticis hactenus audivimus, qui linguam latinam conentur abolere. Communicationem vero si spectes, certe italici aut hispanici in septentrionem subinde venientibus, sive propter comitia et principum conventus, sive ut in ea vinea operarii Domini sint, multo magis linguae latinae usus necessarius est, quam transalpinis, quibus raro eiusmodi provinciae apud exterarum nationes demandantur.

### Provincia Rhenana

Cap. 5 fol. 248 – Latinae linguae iugum (si iugum tamen vocari debet) Societati universae imponendum aequaliter videtur: – 1<sup>o</sup> quia Constitutiones, omnibus communes, lin-



guam eam omnibus communiter commendant<sup>5</sup>. – 2<sup>o</sup> Quia eius unius linguae vinculo maior in Societate nostra coniunctio. – 3<sup>o</sup> Quia rationes omnes, quae latinam linguam haereticis in Ecclesia commendabilem faciunt, magnam in Societate nostra vim habere videntur. Eas libello quodam P. Ledesma colligit<sup>6</sup>. – 4<sup>o</sup> Quia nostrorum quidam, si eo veniant, ubi iugum hoc intolerabile videtur, se vix invenire aiunt, quicum latine in recreatione agant. – 5<sup>o</sup> Externi plerique Societati ut probrum obiiciunt, se vix eisdem in partibus unum aliquem nancisci, a quo, cum peregrini sunt, latine confitentes aut consilium petentes audiri possint. – 6<sup>o</sup> Quin etiam per ludum nostrorum quorundam phrases et soloecismos, facetiarum instar aculeate iactitant, aiuntque nonnullos, si quid uberius explicandum sit, in collactaneam statim linguam procurrare, seseque abdere. Ut eius aliquando scholae fructu auditores careant, cuius audiendae studio venerant. Haereticis vero magnus hyperbolarum campus, magna, qui eorum mos est perpetuus, sarcasmorum occasio praebere videtur. Audent enim iam quidam eorum dicere, multos in Societate doctos reperiri, sed nonnullos etiam asinos rudere; et quosdam non indoctos, aliena tamen manu, libros edere. Falso id quidem et calumniose, sed tamen omnis eiusmodi mendaciorum et calumniarum ansa cur a nobis, pro virili, non praecidatur? – 7<sup>o</sup> Si vero latini sermonis lege transalpinae provinciae teneantur, aliae vero, quae fere praecipuae sunt, solvantur, non optimum in Societatem exemplum redundabitur. – 8<sup>o</sup> Est quidem lingua latina iis provinciis pernecessaria, sed transalpinis easdem ob causas non minus. Imo, si vere, quod est, dicere liceat, multo magis. Nam propter exterorum, quae in omnibus paene collegiis est, multitudinem, magna eorum paucitas est, qui ad confessiones, conciones, civium et optimatum congressus, indigenam sermonem norint, et ipsi Ecclesiae hostes, plurimos germanicae dictionis copia et apparatu, omnis fere ordinis homines, plebeios et nobiles, magno cum detrimento, illaquearunt. – 9<sup>o</sup> Qui per transalpinas regiones aliquando commeant, si dum viros principes, vel in quos, ut fit, incidunt, appellant, haereant aut offendant, ludibrio sunt. Et si iisdem in partibus commorari debeant, ipsos tandem vel sero latinitati dedere se oportet. Est enim ea hisce gentibus insita opinio, minime illa quidem vera, est tamen, illiteratos esse, quibus latine loquendi prompta et expedita facultas non est. – 10<sup>o</sup> Huc omnia illa pertinet, quibus eiusdem linguae peritia nostris commendatur c. 2. f. 203. Quod si persuasum omnibus esset, et crebris eius linguae consuetudinem sermonibus caperent, futurum brevi esset, ut Societatis exemplo in omnibus religiosorum familiis, ecclesiasticorum, parochorumque congressibus ea, quae nunc vix ulla est, staret ac floreret latinitas, aut sane magno illis nostri ornamento antecellerent. Quis vero et quantus latinae nationalisque linguae usus omnibus in provinciis esse debeat, R. di P. N. arbitrio superiorumque iudicio finiendum videretur, ut nonnullis, quibus aliarum linguarum peregrinitas, vel ob aetatem iam devexam, vel aliam quamcunque ob causam, gravis et molesta nimium foret, quantum videbitur, indulgeant.

In noviciatu omnes in vernacula lingua exercendi viderentur: – 1<sup>o</sup> Quia ex ea re multus aliquando fructus manavit. – 2<sup>o</sup> Quia vetus romani novitatus mos fuit, ut italici authores, una cum grammatica, ibi tractarentur<sup>7</sup>. – 3<sup>o</sup> Quia regula in communibus 10.a observari diligentius inciperet: Ad maiorem etc. discant omnes eius regionis linguam etc.<sup>8</sup> – 4<sup>o</sup> Nullum hoc spiritui detrimentum illo biennio afferre videtur. Quia vernaculi spiritales libelli legi possunt. [*Stud.* 3, f. 249r]

<sup>5</sup> Cf. *Exam. gen.* c. V § 1 (MI *Const.* III 30); et *Const.* P. IV c. 6 § 13; MP I 247.

<sup>6</sup> Iacobus LEDESMA S.I., *De divinis Scripturis quavis passim lingua non legendis . . . adversus nostrae aetatis haereticos* (Coloniae 1574); cf. SOMMERVOGEL IV 1649.

<sup>7</sup> Cf. MI *Reg.* 210; et MP I 590 604.

<sup>8</sup> Vide *Regulae communes S.I.* (Romae 1582) 19; et *Institutum S.I.* III 10 n. 10.

## Provincia Aquitaniae

Pag. 241: In praelegendo ... – Hoc videtur separato capite a superioribus distinguendum.

Pag. 242: Deinde periodum ... – Totus hic locus de optimo genere interpretandi, cum debeat esse perspicuus, a nobis vix intelligitur. Nam quid est: servare collocationem in interpretanda periodo? Quid est, suis locis voces non dimovere? Hic praescribendum videtur, an παραφραστικῶς explicanda esset aliquando periodus, et quid in ea cavendum; an singulis verbis singula explicanda. Quibus in classibus vernacula synonyma; quamvis de eo aliquid videatur praecipi pag. 284. In Gallia optimi quique praeceptores hanc ferme regulam servant in Cicerone interpretando: Primo, legunt aut legi iubent contextum, et menda si quae sint, corrigunt, partesque periodorum et particulas incisaque ostendunt. – 2<sup>o</sup> Synonyma dictant in totam lectionem. – 3<sup>o</sup> Sententiam auctoris et antecedentium cum iis, quae modo interpretanda sunt, connexionem paucis perstringunt. Hoc enim commodius fieri videtur tertio loco quam primo ut hic praescribitur. – 4<sup>o</sup> A principio lectionis ad finem usque artificium exquirunt. In inferioribus quidem classibus orationis partes discutunt, et pro captu discipulorum phrases elegantiores vocationumque diversas significationes adnotant. In superioribus classibus non tantum elegantias, sed historias, fabulas, tropos et schemata diligenter exponunt, et inter exponendum paucis dictant. – 5<sup>o</sup> In inferioribus classibus totius textus constructionem vernacula lingua exponunt; et sic finitur lectio.

Pag. 243: Habitaee praelectionis ... – Eiusdem lectionis alia repetitio iubetur pag. [246P], et quidem optime; alioqui scholastici quasi iam lectionis pensum reddidissent, domi nihil studerent, nec se ad crastinam repetitionem meditatione domestica pararent. At vero duplex repetitio eiusdem lectionis nimia videbitur et certe importuna, plurimumque temporis praeripiet aliis exercitationibus. Deinde, si haec prima repetitio severius exigatur, despondebunt animos pueri, qui vix post meditationem satis parati sunt. Denique, haec prima repetitio videtur comparata ad retinendam attentionem discipulorum. At eius rei alia ratio iniri potest; ut si iubeantur surgere et repetere, si qui minus attentii videantur; ita ut repetitio, quae hic praescribitur, non fiat ordinarie et quotidie, sed quando videbitur praeceptori. Ceterum, tota ratio repetitionis, quae hic praescribitur, nobis placet.

Pag. 245: Exerceantur quotidie ... – An etiam qui rhetoricam audiunt, ut videtur innui pag. 298; at alibi pag. 299 iubentur singulis hebdomadis poema et orationem praeceptori reddere; singulis item diebus dominicis affigere aliquid. Et sic fortasse nimium onerabuntur, nec poterunt omnia pro dignitate praestare.

Pag. 246: Matutinam mane ... – At pag. 299 cum iubeatur oratio Ciceronis horis pomeridianis legi, tamen pag. 298 iubetur repeti mane. [*Stud.* 3, f. 383v]

Pag. 247: Tam antemeridianis quam ... – Hoc bis quotidie fieri videri possit nimium et importunum, cum multae aliquando controversiae inter pueros sint dirimendae, et vix tempus aliis exercitationibus sufficiat. In Gallia ratio haec ferulae vix unquam exigitur a magistris iustis de caussis, sed a primario collegii aut a correctore, quem praesidem vocant.

Pag. 247: Si qua sit ..., num. 6 – Quare additur (si qua sit), cum certum sit, oportere esse classem, in qua doceatur coniugare et declinare?

Pag. 248: Collegiis transalpinis ... – Perriculum est, quod quaerantur rationes, quibus eximantur omnes alii, qui non sunt transalpini a perpetuo iugo latine loquendi. Et certe rationes, quae hic afferuntur aut falsae sunt aut frivolae. Quare admittetur tanta dissimili-

° Vide MP V 131 § 5.

tudo in Societate nostra, quae sub iisdem regulis literarum studium toto orbe profitetur? Et quamvis nonnulla aliquando dissimilitudo propter provinciarum diversitatem admittenda sit in Societate, ista vero de locutione latina et vernacula cur admittatur, nulla ratio suadet. Imo vero contra, multae gravissimae rationes persuadent cogi debere omnes ad latine loquendum: – 1<sup>o</sup> Quia Societas literas docendi studium profitetur. – 2<sup>o</sup> Propter conversationem cum externis, quae tam italibus et hispanis necessaria est, quam germanis et gallis. – 3<sup>o</sup> Propter communicationem inter homines Societatis, quae partim per literas fieri iubetur, partim etiam conversatione. Ridiculum certe fuit aliquando videre Romae in congregatione patrem hispanum, cui non suppetent verba latina ad ferenda suffragia; ut taceant plurima huiusmodi exempla. – 4<sup>o</sup> Eruditio, quae in hominibus Societatis rara esse debet, nulla videbitur, si cui non suppetat latina loquendi facultas. – 5<sup>o</sup> Si itales et hispani eximantur, ergo apud illos nec scholastici nec professores latine unquam loquuntur: ergo illos oportebit in gymnasiis vernacule auctores latinitatis explicare; ergo nec ipsos auctores bene intelligent; ergo apud illos brevi concidet tota latinitas; ergo brevi apud illos occupabit omnia faeda barbaries; ac, ne multa, fiet in Societate schisma, quod Deus avertat. Dicendum potius videtur, transalpinis, quod sua sponte latine loquantur, legem non esse ponendam; et aliis ponendam.

Pag. 248: Silentium et attentio etc. – Silentii ratio non tantum habenda videtur, dum praesens est praeceptor, sed etiam dum expectatur. Cavere debet praefectus, ne nimium attollantur clamores disputantium aut repetentium scholasticorum. Iubendum etiam hic esset, ne cuiquam liceret unquam scholasticorum vagari aut deambulare per aream aut per classem. Quod accuratissime in academiis bene moratis servatur.

### Provincia Franciae

(Pag. 240 lin. 9.a) Ubi dicitur «quam optimis characteribus diligentissime describendis», quaesitum hoc loco est, an pueri in omnibus classibus omnes lectiones describere debeant? Quibusdam visum est, in omnibus classibus describendas pueris esse lectiones, excepta classe rhetoricae ob auctorum varietatem. Aliis in omnibus etiam, exceptis classibus humanitatis et rhetoricae, nisi ubi habeant copiam librorum, seu foliorum impressorum. Sed tribus visum est, auctores duntaxat describendos esse in illis classibus, non item praecepta, ut carmina poetae, qui praelegitur, orationes et epistulas. At tres alii putarunt, in inferioribus illis classibus non auctores modo describendos esse, verum etiam praecepta, ut illis assuescant pueri, et ob alias rationes positas in libro. Omnes praeterea iudicarunt, nemini in quacumque classe prohibendum esse lectiones scribere, qui volet.

(Pag. 241 lin. 8.a n. 2<sup>o</sup>) Ubi dicitur «ac stylus longe maioris utilitatis sunt, quam praecepta grammaticae»; at contrarium est verius. Praecepta enim grammaticae longe pueris utiliora sunt, quam stylus, qui sine illis haberi nequit. Et sibi ipsi contradicit infra pagina 246 linea 24.a n. 2<sup>o</sup>, ubi dicitur «Vacent strenue partibus orationis, praeteritis et supinis, syntaxeos praeceptis intelligendis, atque ediscendis; verbis etiam nominibusque inflectendis».

(Pag. 241 n. 2<sup>o</sup>) Admonitio illa, quae habetur a linea 11.a ad 16.am, ut magister in praelegendo contineat se intra scholae suae limites, salutaris est, et visa est omnibus inserenda regulis praeceptorum et commendanda superioribus omnibus a studiorum praefecto, ut eam diligenter observari curent; essentque clarius et apertius circumscribendi fines cuiusque classis, quos praetergredi non liceret, et sigillatim tradendus modus explicandi auctores in quavis classe, et vetandum ne philosophica aut theologica immisceant huma-

nioribus, ut fit aliquando. Nam nonnulli explicantes Lelium De amicitia, immiscent aliena, et farciunt omnia quaestionibus moralis philosophiae in tertia classe; et ita in aliis.

(Pagina 242 quae dicuntur a linea 3.a ad 16.am) «de interpretatione periodi cuiusque servata collocatione verborum», obscura sunt et obscure dicta. Apertius ergo hoc dicatur et planius. Adde, quod minime videtur necessum ut pueri sciant periodos et numeros, cum nondum sint harum rerum capaces. Minus vero necessarium pueris est, imo plane supra captum illorum, quod dicitur (eadem pagina lin. 22.a) «et quibus eorum quodque rebus aptari possit»; id enim ingenium puerorum longe superat.

(Pagina 245 linea 5.a n. 4<sup>o</sup>) Ubi dicitur «ut pueri fere domi scribant, interdum etiam in ludo», quidam putavit, inferiorum classium auditores scribere oportere in ludo semper, superiorum vero domi; alius, frequenter omnibus scribendum esse in ludo, ut ter quaterve in hebdomada, et frequentius quam domi; nec defuit, qui semper in schola scribendum illis esse existimavit. At tres ex deputatis putarunt, recte sese habere in libro et nihil prorsus immutandum esse. [*Stud. 3, f. 362r*]

(Pag. 246 lin. 19.a n. 5<sup>o</sup>) Praecipendum videtur, ut fiat duplex repetitio cuiusque lectionis; una statim post lectionem ipsam, altera ante aliam lectionem eiusdem libri et auctoris. Nam in hoc ordine non videtur aperte fieri mentio de duplici huiusmodi repetitione, sed subobscura.

(Pag. 247 lin. 17.a n. 7<sup>o</sup>) Ubi habetur «si vernacula lingua utantur, data notula sive catenula», omnes iudicarunt dandam catenulam in omnibus classibus; exceptis duobus, qui putarunt, non esse dandam in classe rhetoricae propter pedagogos multos, qui in ea classe esse possunt, quibus iam dari non decet. Item, eadem pagina lin. 21.a, ubi dicitur «quem tantopere commendant Constitutiones» non citatur locus Constitutionum, neque earum verba<sup>10</sup>, quod tamen faciendum videtur.

(Pag. 248 a lin. 9.a usque ad 15.am) Quod de nostris praecipitur, semper latine loquantur etiam tempore recreationis, et praesertim de transalpinis, videtur multo magis locum habere debere in illis provinciis, quae excipiuntur, propter difficultatem loquendi latine; et eo magis, quo difficulter latine loquuntur, ut assuescant latine loqui, quia magis ceteris egent; et omnes rationes, quae adferuntur pro necessitate latini sermonis in transalpinis, habent etiam locum in illis; et aliae quoque, quae adferri possent. Neque minus egent transalpini linguae patriae peritia pro concionibus, quam aliae provinciae. Quare nullae provinciae videntur excipiendae a lingua latina et sermone latino tempore recreationis. Aut si quae excipiendae videntur, transalpinarum provinciarum, quae minus egent latino sermone, quod maiorem eius usum habent, quam caeterae potius excipiendae videntur, quam ullae aliae; et illae obligandae, ut latine loqui discant, cum eius usum non habeant. Ibidem etiam lin. 20.a, non citatur locus Constitutionum.

### Provincia Poloniae

Quod hic n. 1<sup>o</sup> pag. 240 de describendis Ciceronis libris, quos audituri sunt in classe discipuli, praescribitur, visum est consideratione dignum, an id etiam in classe syntaxeos sit requirendum, cum idem tempus hic longe iam utilius in compositionibus impenderetur. Graecae tamen lectionis textum sive authorem describendum ab omnibus omnium classium discipulis visum est, rhetorica excepta.

Sic quod pag. 243 n. 2 dicitur, severe interdicendum pueris, ut ne unam quidem litteram scribant, nisi iussi, visum est mitigandum. Permittendum enim, si quid (quod fere face-

<sup>10</sup> Vide supra, adn. 5.

re solent diligentiores) seorsim excipere velint, modo id non referant in libellos dictationis ordinarios, sed in alios seorsim pro rapsodis huiusmodi paratos. Saepe enim aliquid boni audiunt a praeceptore, quod tamen dictaturus deinde non sit praeceptor.

Pag. 246 n. 5 explicandum esset nominatim, quas in quibus classibus lectiones memoriae mandare [161r] debeant discipuli, cum contingat, ut quatuor diversos auctores partim ad praecepta, partim ad usum pertinentes una die audiant.

Quod vero de rigore latine loquendi praecipitur n. 7 pag. 248, id omnino servandum in universa Societate visum est, maximeque in Italia et Hispania, ubi magnopere indigent. Nam et rationes, quae hic afferuntur pro usu linguae vernaculae in istis partibus, nihilo magis pro illis, quam pro quibusvis aliis partibus pugnant.

Visum est etiam ex re Societatis fore [si], quantum fieri possit, professor graecae linguae in rhetorica et se et alios assuefaceret ad legendum et loquendum graece. Id enim nisi quandoque fiat, nunquam in scholis nostris insignes graecos habituri sumus. Itaque paulatim manu ducendi essent, minimum ut ea hora, qua audiunt et repetunt graeca, assuefiant et paulatim ad maiora ducantur. [*Stud.* 2, f. 161r]

Ioannes Balmesius, S.I.

248 24<sup>o</sup> – Nisi hora recreationis latina promptitudinem curent, nescio tempus commodius, cum sit fere silentii reliquum omne.

25<sup>o</sup> – Semihora concertationi non sufficit. Hic enim fructus operis est, si bene fiat. [*Stud.* 3, f. 183r]

Nicolaus Clerus S.I.

(Pag. 249 lin. 7.a) «Ut pueri deterreantur a noxiis concursibus» – Expediret iniri rationem visitandi externos auditores etiam noctu, sed id per externos; aut certe prohibendum, ne tum temere vagentur huc atque illuc.

Utrum expediat illos convenire in classem ante summum sacrum et vespas festis diebus, ut fit Mussiponti.

Laurentius Fauntenus S.I.

N. 7 praescribit transalpinis legem loquendi latine et recte; sed idem ob easdem rationes cisalpinis esset imponendum maxime, quod plures in his imperiti linguae latinae sint, quam in illis. Aliqui etiam confessiones latinas excipere non audent ob imperitiam. Quod [non] sine scandalo semel Romae accidisse memini. [*Stud.* 2, f. 178v]

Ioannes Leopolitanus S.I.

Placent exercitationes in singulis classibus propositae, dummodo aliqua observentur. Primo, ut istae quidem sint ordinariae studiorum exercitationes. Si quae tamen aliae his non dissimiles in singulis provinciis videantur magis accommodatae ingeniis eius regionis, possint iudicio superiorum introduci vel commutari. Sicut v.gr. loco concertationis classium menstruae introducta est in hac provincia lectionum repetitio menstrua. – 2<sup>o</sup> Non sunt apud nos tot classes inferiores, ut sic necesse partiri singulas in binos ordines; et unus praeceptor pro una classe inferiore fere sufficit. – 3<sup>o</sup> Syntaxeos compendium non puto expedire, ut tradatur apud nos in grammatica. Sed qui ascendunt ad syntaxim, audiunt plenam syntaxim, et exercentur in illa. Alioqui videtur fore maior distractio cum duplici syn-

taxi, maiore et minore. – 4<sup>o</sup> In classe humanitatis et rhetoricae plures sunt apud nos horae studiorum et plures lectiones. Expeditque, ut ita fiat, quia studiosi domi extra classem aegre student; et si multum vagantur extra scholas, saepe tumultus cient. – 5<sup>o</sup> Si non essent, nisi binae lectiones in die in his classibus, possent singuli praeceptores in iis satisfacere. Sed cum legantur quaternae in classe rhetorica, [*Stud. 3, f. 296r*] professor, si praesertim sit sacerdos, indiget adiutore, ut probatum est experientia; vel pro graeca lectione, vel pro historia, vel pro utraque. Solent etiam istae lectiones ad rhetoricam pertinentes apud nos paulo accuratius explicari. Nam saepe habent adultos auditores. – 6<sup>o</sup> Libelli de generibus dicendi, de numeris, de figuris non desunt hic. Bonum tamen esset, ut de his fiat aliquid accuratius a nostris e Societate. Possent mitti Romam libelli Gorscii<sup>11</sup> de his materiis, et alii similes, ut patres formam videant.

## 24

IUDICIA PATRUM IN PROVINCIIS S.I. DEPUTATORUM  
DE RATIONIS STUDIORUM (1586) TRACTATU:  
«QUIBUS ADIUMENTIS ADOLESCENTUM STUDIA  
AD BONAS ARTES CAPESSENDAS  
EXCITARI ATQUE INFLAMMARI POSSINT»<sup>1</sup>

## ASSISTENTIA ITALIAE

## Professores Collegii Romani

§ p.s – De decuriis etc. – Placet totus.

Circa § 2.m – De lectione aliqua ornatius a nostris explicanda in refectorio – Est multo melius atque utilius, huius loco haberi a nostris aliquam orationem.

§ 3.s – De mutua puerorum concertatione – Probatur totus.

§ item 4.s – De usu declamationum – Placet, nisi quod illud, ut oratio in studiorum instauratione pronuntianda, tantum insignioribus lectoribus demandetur: Non probatur omnino, sed est illi aliqua moderatio adhibenda; ut: si commode fieri potest, vel quid simile; ex quo intelligatur, superiori integrum esse, aliquem eligere etiam ex discipulis, qui id muneris possit etiam pro dignitate sustinere. [*Stud. 3, f. 48v*]

§ 5.s – De versibus et prosa etiam affigendis etc., et § 6.s – De praemiorum divisione – Probantur ut iacent.

§ 7.s – De comoediis habendis etc. – Probatur omnibus, excepto P. Parra, cui non placet eo modo quo iacet.

## Provincia Neapolitana

§ 1 – Illa incitamenta maxime probantur omnibus; sed quoniam animadversum est, eadem post aliquod tempus frigere omnino, videntur persaepe renovanda. Renovatur enim discipulorum alacritas vel mutatis rerum nominibus, ut si quae decuriae erant, fiant legiones etc.

§ 2 – In prima grammaticae et humanitatis omnino curandum videtur ut, quolibet mense semel aut iterum singuli scribant suo Marte epistolam ad adversarium, vel ad classis

<sup>11</sup> Iacobus GÓRSKI, *Commentariorum artis dialecticae libri decem*; vide supra, mon. 18 adn. 8.

<sup>1</sup> Textum huius capituli vide in MP V 133-38.

principem de argumento dato a magistro; id enim cum utile est, tum valde gratum discipulorum parentibus.

§ 3 – Primo, nemini videtur tanta libertas concedenda pueris, ut de qualibet re interrogare possint, sed praescribenda aliqua materia, de qua probabile sit posse pueros respondere; vix enim versatissimus quisque respondere posset ad ita multa. Laudandum quoque videretur, si in fine cuiusque libri explicati bini vel terni defendendum vel explicandum susciperent, quidquid in eo continetur. – 2<sup>o</sup> Placet etiam omnibus, in hac concertatione omnes discipulos debere ascendere et disputationi interesse, ut illic magis excitentur, ut ne in propria classe suo praeceptore destituti nimis obstrepant. – 3<sup>o</sup> Patri Blasio [Mucantio], P. Iacobo Abbati et Caretonio videtur, in omnibus classibus hora disputationi tribuenda, quoniam bona eius pars consumetur in conveniendo. Reliquis probatur quod definiunt patres. – 4<sup>o</sup> Patri Iacobo et Caretonio non placet, fieri certam classium compositionem, malent enim unamquamque cum superiore et inferiore concurrere.

§ 4 – In fine huius paragraphi Pater Maiorius circa illa verba «quae non videtur demandanda, nisi insignioribus doctoribus» vellet addi: quando id commode fieri possit, neque enim videtur absurdum, ut aliquis ex ipsis discipulis vel rhetoricae vel philosophiae, modo emineat, huiusmodi orationem habeat. Reliquis probatur ut iacet.

§ 7 – Patribus Rectori [Spinelli], Blasio, Iacobo et Iustiniano videtur imprimis maxime commendanda regula 58 provincialis<sup>2</sup> ut, si fieri possit [*Stud. 3, f. 103r*] huiusmodi commediae vel tragediae omnino tollerentur; sunt enim toti collegio et praeceptoribus maxime onerosae, discipuli vero incredibile dictu est, quantam tum in studiis tum in moribus iacturam faciant. – Itaque prohibendas potius, quam commendandas videri Patri Maiorio; et Caretonio videntur commendandae, cum ea tamen moderatione, quae praescribitur in regula provincialis. Itaque vellent adhiberi diligentiam ad incommoda tollenda, quae vel in utilissimis rebus aliqua existunt. Illud vero quod in fine paragraphi praecipitur de eglocis coagmentandis, videtur omnibus et difficile factu, et valde laboriosum praeceptoribus.

### Provincia Sicula

Pag. 250 in cap. 6<sup>o</sup> § p<sup>o</sup> – Videndum est, ne promiscuus hic discipulorum ordo ex doctrina potius quam ex moribus aliquorum noceat puritati. – § 2<sup>o</sup> Haec praelegendi exercitatio probatur, modo fiat sine detrimento aliarum exercitationum, quae sunt utiliores. Quare fieri posset diebus festis in academiis, quarum experti sumus fructum ingentem. – § 3<sup>o</sup> Concertandi mos, quomodo hic exponitur, ut magistri, relictis discipulis, ad superiorem classem convenient cum quibusdam, et si alicubi fit cum fructu, videtur esse introducendus, in aliis locis, ut saltem fiat periculum, utrum bene re succedat. Quod si nusquam est introductus, videtur satisfieri posse Constitutioni, si discipulorum certationes fiant in eadem classe. Reliqua in hoc capite probantur. Illud tamen videtur addendum, ut ratio excogitetur, quae possint iuvare magistri. Nam plerique domi multum tempore abundant; ii praesertim, qui docent in classibus inferioribus. [*Stud. 2, f. 36v*]

### Assistentia et provincia Lusitana

Pag. 250 – «Negligentiae scamnum» – In hac provincia scamnum hoc in infimis gymnasiis locum habere poterit; in reliquis vero nullo modo, ne eiusmodi ignominiae nota adolescentem deterreat et a praelectionibus abesse cogat.

<sup>2</sup> Regulam 58 praepositi provincialis vide in *Institutum S.I.* III 79.

Pag. 251 – «Ex suggestu» – Observatum Conimbricæ est per hos annos, non expedire, ut discipuli praelegendi gratia suggestum ascendant; quare sat esse videtur, si e loco paulo editiore caeteris praelegant.

Pag. 252 – «Certent itaque» – Concertationes mutuae de rebus ad grammaticæ et humanitatis studia pertinentibus, maxime inter praeceptores adolescentes, quales fere sunt, qui in hac provincia pueros docent, timendum est, ne male cedant, atque hunc docendi laborem reddant longe molestissimum. Nam cum facile sit in hisce disputationibus ea quaerere, quæ praeceptor in promptu non habeat aut omnino ignoret, veluti si petatur alicuius vocabuli ignoti vis aut reconditi emblematis vel hieroglyphici explicatio; deinde ad græca veniatur (haec siquidem disputationi materia praescribitur), cum, inquam, facile sit his in rebus titubare, labi, deiici praeceptorem, quis interim pueros tenere poterit, ne [*Stud.* 2, f. 305r] risu ac pedum crepitu omnia compleant, ne suum victorem efferant et alienum succumbentem contemnant ac tragaedias excitent? Si philosophiæ professores, qui maturiores sunt ætate ac non raro iam sacerdotes, vix sibi temperant in disputando, ob idque interdum in caenatione reprehensiones audiunt, quis in grammaticorum litibus non timeat multo graviora? Ferunt, hunc disputandi morem initio nascentis Societatis in Divi Antonii collegio usurpari caeptum, ac non multo post cogente incommodorum experientia relictum. Ne tamen discipuli concertationum fructu priventur, sat esse videtur, si e singulis gymnasiis finitimi cum finitimis, praesidente cuiusque scholæ magistro, depugnent. Quam rem studiorum praefectus sua praesentia interdum excitet atque illustret . . .

Pag. 254 – «Nec modicam» – Dum varia praescribuntur exercitationum genera, quibus adolescentum studia ad bonas artes capessendas excitentur, cavendum est, ne discipulis magistrisque tantum imponatur oneris, ut succumbant; ac praesertim, ne docendi munus in dies molestius ac laboriosius fiat. Non videntur itaque cogendi nostri ad exhibendas in aula tam frequentes declamationes, quæ si auditorum expectationem implere debeant, non nisi a scholasticis decursu iam anni provectionibus componi, nec sine accurata emendatione a magistris concinnari possunt.

In hac quidem provincia orationum usus, etsi intra privatos gymnasiorum parietes toto anno haud infrequens sit, in aulam tamen fere non progreditur, nisi post Pascha; quo tempore varii generis orationes et declamationes celebri scholarum concursu haberi solent.

## ASSISTENTIA HISPANIAE

### Provincia Aragoniae

Quæ pertinent ad decurias, nobis valde probantur. Expedire tamen visum est, immunitates aliquas dari superioribus decuriis. Posset etiam aliquando is, qui in publico aliquo certamine victor evaderet, creari dictator aut imperator ea cum pompa ac rerum apparatu, qui reliquorum [*Stud.* 2, f. 246v] animos ad simile doctrinae specimen exhibendum inflammaret. Cavendum tamen, ne quisquam magister dicatur aut doctor, ne huiusmodi honoris ac dignitatis insignia per hanc occasionem veniant aliis in contemptum.

3. Illud etiam praecipiant Constitutiones, ut cum inferioris classis auditores cum superioribus disputarint, disputent quoque vicissim superiores cum inferioribus, constitutis utrimque positionum defensionibus<sup>3</sup>. Quod hic omittitur, cum explicatur, quo modo observari possit constitutio. Neque vero interim caeteri videntur in castris continendi, tum

<sup>3</sup> Vide *Const.* P. IV c. 13 § 3; MP I 287.



propter utilitatem, quam ex utriusque praeceptoris et condiscipulorum responsis percipient maximam; tum propter alacritatem et aemulandi cupiditatem, quam istiusmodi concertationes, praesentibus pueris, afferre solent. Quare, si videtur, relinquatur id praefecti magistrisque iuditio.

4. Nobis videtur satisfieri posse Constitutionibus, si quolibet sabbato unus rhetorum semihorae spatio aliquid non tam celebre in sua classe declamet.

6. Explicandum diligenter esset hoc loco, neque praeceptoris neque praefecto licere vel nummum a quoquam petere ad praemia comparanda sine superioris facultate. Quae summo consilio videtur concedenda propter ea, quae inde existere possunt incommoda.

7. Magis explicandum videtur id, quod dicitur in regula 58 provincialis de comaediis atque tragaediis<sup>4</sup>. Ne videlicet agi permittant non solum comaedias atque tragaedias, sed ne dialogos quidem aut colloquia vulgari sermone, nisi videretur alicubi oportere conscribi argumentum operis patria lingua. Curandum praeterea, quantum suscepti argumenti natura patiat, ne inducantur foeminae; aut si fieri aliter non potest, curetur saltem, ut decoro utantur ornatu, ne vel religiosos oculos aliquo modo possint offendere. Cavendum etiam diligenter, ne in iis agantur locis, quo foeminis aditus pateat. Quae, nisi studiose curentur, omnia praeter alia non pauca, quae inde sequuntur incommoda, illud etiam saepe continget, ut histriones suam in hac re licentiam immoderatam nostris actionibus libenter excusent.

Ioannes Mariana S.I.

Pag. 255 – Curandum est igitur, ut qualibet hebdomada etc. Multae declamationes videntur; neque id observari poterit. Satis esset ter aut quater in anno, praesertim iudice proposito.

Pag. 259 – De dialogis et tragaediis duo videntur constituenda; nempe, ut raro agantur; nam labori fructus non respondit, et puerorum mores parum eo studio iuvantur; deinde de severe sancendum, ne quid agatur lingua vulgari. [*Gall.* 62, f. 20v]

## ASSISTENTIA GERMANIAE

### Provincia Germaniae Superioris

Num. 1 p. 250 – Negligentiae scamna, locum habere tantum posse videntur in scholis grammaticis.

Num. 2 p. 251 – A nostris fratribus in refectorio dum caenatur, orationes ab ipsis scriptae, Ciceronis vero saepius pronuntiandae sunt.

Num. 3 p. 252 – Quod dicitur de concertatione scholarum, quae quolibet mense duae fieri deberent, putamus [*Stud.* 3, f. 216v] sufficere, si singulis mensibus, idque per unam horam, die aliquo praestituto, hoc exercitii genus habeatur. Nam, qui locus citatur ex Constitutionibus cap. 13 § 3<sup>5</sup>, loqui videtur de alio quodam genere exercitationis, nostris proprio, quod non est praetermittendum. Omnino autem providendum videtur, ne nimium pudeant praeceptores, et praeceptoris atque Societatis existimationi detrahatur.

Num. 4 p. 255 – Si semper oporteat vel ex instituto, vel ex oportuna digressionem, ex declamatione aliqua celebri, quae qualibet hebdomada, die aliquo festo, ut saltem initio cuiuslibet mensis, haberi debet, pie affici auditores, sequi videntur haec incommoda. Quod magna varietas in declamando non adhibebitur. Non exercebuntur artis praecepta. Gene-

<sup>4</sup> Vide supra, adn. 2.

<sup>5</sup> Vide supra, adn. 3.

rabitur magnum oratori et auditoribus fastidium propter rerum similitudinem, quae mater esse solet satietatis. Peribit illa celebris opinio, quam plerique de nostris scholis conceperunt, dum semper eadem quodammodo dicimus, et opinionem quandam pertenuis doctrinae et varietatis in hoc genere studiorum apud doctos auditores nostri discipuli sibi colligent. Satis igitur videretur, si eiusmodi materiae essent, quales in scholis tractamus, quaeque vel eruditionem, vel honestam recreationem auditoribus parere queant. Atque, ut rem exemplo clariorem reddamus, quid oberit orationes haberi de diligentia discendi, de agricultura, de gloria, de senectute, de historia, de linguis, de nobilitate, de artibus quaestuosis et aliis innumeris. Item adversarias, pro vita urbana contra nauticam, pro nautica contra urbanam, pro medicis contra iureconsultos, pro iureconsultis contra medicos, pro paupertate contra divitias, pro divitiis contra paupertatem; pro oculis contra aures, pro auribus contra oculos, pro aqua contra ignem, pro igne contra aquam. Profecto, in tanta libertate et varietate necesse est, magnum inesse fructum vel ad cognitionem, vel ad delectationem, vel ad commoditatem scriptionis, vel ad laudem scholae.

Nº 4 p. 255 – Cum vero quaeritur, an Constitutionibus satisfieri possit, si quolibet sabbatho ultima semihorula scholae pomeridianae, unus rhetorum aliquid, non tamen celebre in sua classe declamet, eodem etiam convenientibus humanistis etc. Videtur nobis satisfieri, si fiat eo modo, quo hic dicitur etc.

Num. 5 p. 257 – In carminibus faciendis plerique perverso errore tenentur, qui nescio quae artificia, quae rectius ingeniorum cruciamenta et carnificia dicas, sectantur; in quibus laboris est plurimum, ingenii non multum, nihil fere numerosum, acutum, elegans, quodque imitationem oleat; omnia inconcinna, confragosa, illepida, insulsa, obscura; qualia nec olim solebant facere boni poetae, nec hodie solent, nisi mali, qui bonas horas non curant male perdere. Sunt autem haec, ut omnes voces, non solum unius et alterius carminis ab eadem litera c vel p, sed etiam totius poematis incipiant, quomodo quidam porcorum pugnam fertur descripsisse; ut retro versus legatur et constet numeris suis; ut cruces et aliae figurae per voces cum carmine efficiantur. Ex his putamus totum genus posse intelligi, non enim iam omnes ineptiae istae occurrunt. Monendi ergo sunt praeceptores, ut neque ipsi ament istuc genus poeseos, nec in eodem discipulos vel ipsi exerceant vel exerceri patiantur. Sed alias carminum virtutes illis proponant, quae ex Virgilio, Ovidio, Horatio etc. elucent, quibus maiorem gloriam, quam istis insulsissimis versibus assecuturi sunt.

Ibidem – Quaecunque sive versu, sive soluta oratione a nostris publice affigenda sunt, satis esse videtur, si [217r] ea praeceptor et alius peritus recognoscat. Quando vero domi poeticum aliquid vel oratorium in studiorum votorumque instauratione et diebus aliis celebrioribus affigendum est, iubeantur omnes scribere, et omnium scriptiones, modo sint tolerabiles, affigantur. Quando autem foris publice affigendum, nominentur illi solum, qui idonei ad hoc munus videbuntur. Si quid autem supprimendum videatur, id fiat moderate et cum satisfactione.

Nº 7 p. 259 – Quantum fieri potest, circa scaenicas actiones non nimium gravetur poeta. Utrum autem dirigendo debeat instructori praesse, hoc videtur iudicio superiorum relinquendum.

### Provincia Rhenana

Cap. 6 – Verentur patres, ut contineri possint, qui in classe inferiore, cum eorum condiscipuli superiorem disputationis ergo adeunt, relinquuntur. Cum illis enim eorum magister ascendit, et magistro absente, pueri lasciviunt; maxime si numero tanto sint, quantus in inferioribus hic esse solet. Nam decuriones inania tantum terculamenta iis fuerint.

§ 4 fol. 255 – Magna ex declamationum usu in Societatem laus, in iuventutem fructus hactenus redundavit. Itaque patrum ea mens est, ut his in partibus dominicis diebus omnibus habeantur. Nam sabbathinis tantum, neque Constitutionibus<sup>6</sup>, neque rei ipsius dignitati satis consentaneum. Advigilet vero studiorum praefectus, ut earum argumenta eiusmodi sint, cuiusmodi Constitutiones praescribunt. Potest autem alternis haberi una cum latina oratione soluta, graecum carmen, et cum soluta graeca latinum carmen. Perutile vero foret integras nonnunquam Ciceronis orationes gestu ac voce, quae congrueret, adhibita, immo etiam aliquo aliquando apparatu recitari, vel orationum partem; eodemque modo aliorum classicorum graecos et latinos versus et [Stud. 3, f. 249v] paraeneses, vel earum partes. Audire hos possunt, praeter humanitatis et rhetoricae auditores, etiam qui in grammaticorum suprema classe versantur; et si iis alia utilior occupatio nulla datur, philosophi.

Ibidem f. 256 – Oratio, quae in studiorum renovatione quandoque habenda est, ut insigniori alicui adolescenti demandetur, satius videtur, modo a praeceptore ipso vel omnino composita vel accuratissime sane limata et perpolita sit. Nam periculum est, et quidem non raro, ne aliquam existimationis nostri aleam subeant. Facile namque quibusdam memoria intercipitur, haerent, obmutescunt. Neque eorum semper copia praesto est, qui ut memoria plurimum valeant, dicendo etiam Societatis laudem tueantur. Tuentur vero multo magis, adeoque insigniter amplificant, qui e scholastico pulvere et umbra, sic in solem et theatrum oratorem adducunt, ut orationis elegantia, pronuntiationis ac gestus totius venustate adolescentulus in admirationem omnes rapiat. Quod etiam adolescentulorum eiusmodi parentibus et maecenatibus ita gratum est, ut quod gratissimum. Et praeceptores eo fere tempore multis implicantur, dum ad lectiones sese comparare, examinibus interesse, et alia id genus praestare debent. Neque tamen iis dicendi vel exercitatio vel occasio deesse potest, cum apud nos ea in promotionibus et synodis aliquando deferatur. Atque haec hactenus provinciae istius consuetudo fuit.

§ 5 – Utilis est, sed in ea moderandum illud videretur: «Iubeantur omnes».

§ 6 – Moneri possent superiores, ut quorum magistratuum vel dominorum liberalitate praemia eruditionibus et melioribus darentur, eorum honorifice, illo consessu, mentio fieret; id enim praetermittitur.

§ 7 – De dialogis, eclogis et scenis, quae subinde permittuntur, tria haec in mentem patribus veniebant: – 1<sup>o</sup> Moderatum in iis aliquem, facile scilicet parabilem minimeque sumptuosum ornatum adhiberi posse, ut aliqua personarum distinctio cerneretur. Huiusmodi autem ornatus in omnibus fere collegiis provinciae huius habetur. – 2<sup>o</sup> Ut ex autoribus bonis ipsi nonnunquam dialogi et dramata sumerentur, uti de declamationum orationibus et versibus antea dictum; maxime cum cap. sequenti ex veteribus excerpta id genus nonnulla significantur. Auditum certe spectatuque iucundum est, nec inutile videre Virgilii Eclogas, Aeneidos, vel Iliados partem aliquam certas in personas tributam recitari; Catilinariam coniurationem ex Salustio, vel Ciceronis orationibus contextam proponi, eiusdemque Ciceronis Paradoxa, Dialogus de senectute etc. – 3<sup>o</sup> Ista actiones saepius quam ter aut quater anni spacio usurpari posse, et nonnullas quandoque etiam publice paulo longiores, per unam scilicet alteramve horam. Nam iis alicubi populus, bacchanalibus maxime, a vitiis avocatur, iuventus continetur, convictores bono modo hilarantur. Occurritur etiam illi, quae surrepit, agendi, theatra construendi, personas erudiendi, dialogos aut comaedias scribendi, oblivioni et imperitiae. Et quia huiusmodi actionibus insignis Societati fama his

<sup>6</sup> Vide *Const. P. IV c. 16 § 3*; *MP I 309*.

in partibus comparata est, ei tenebrarum aliquid offunderetur, si tam raro, et propter raritatem tam male posthac ageremus.

### Provincia Aquitaniae

Pag. 250 – Commodum erit si exprimatur, quando sese lacessere debeant scholastici, et quibus in classibus. Nam alicubi in hoc libro statuitur, ut semel in hebdomada per mediam horam disputetur; alibi ut rhetores contra humanistas bis in mense agant; eiusdem vero classis decuriae quoties cum aliis aliae committi debent, non satis clare praecipitur, nisi forte id relinquatur arbitrio praeceptorum. [*Stud. 3, f. 384r*]

Pag. 251 – Cum ferendum est iudicium de praestantia discipulorum, difficile aliquando statui potest, cui tandem primae tribuendae videantur. Nam alii sunt praestantiores in prosa, alii in poesi, alii in graecis, alii in latinis. An is demum palmam referet, qui in omnibus praestet, nec aliter; an vero is, qui in aliquo genere, at superabitur a socio in alio genere; an is, qui praestantior est in iis, quae cuiusque classis maxime propria videntur? Huiusmodi dubitationes afferunt aliquando in distributione praemiorum magnas controversias.

Pag. 253 – Caeteris in schola relictis ... – Isti, qui relinquuntur in schola, vix in ullo officio contineri possunt absente praeceptore. Deinde, periculum esse potest, ne animum abiiciat, existimantes se contemni aut haberi ludibrio. – 3<sup>o</sup> Negligentiores accendi possent ad studium vi concertationis.

Pag. 255 – Celebrem aliquam declamationem ... – Quae traduntur in hoc libro de declamationibus, videntur non satis certa et expressa. Iubentur hic hebdomadariae declamationes, et eae quidem celebres pag. 299; placent menstruae et eae non admodum celebres; nempe duplicis orationis. Nam si iubentur diversae declamationes, nimis videntur onerari pueri et confunduntur declamationibus; si eadem plane sunt, unica illa oratio cum carmine graeco, hanc celebritatem non meretur. Deinde declamationes illae hebdomadariae, quia frequentes erunt, haud dubie et viles nec frequentes auditores habebunt, nisi forte ubi sunt convictores; et sic non erunt celebres. Imo vero, et odiosae molestaeque reddentur pueris. Quod de disputationibus notatum est pag. 133 initio<sup>7</sup>, videtur satisfieri Constitutionibus, si rhetores et humanistae alternis declament hebdomadis, singulique aut bini, idque intra classis privatos parietes, ex praeceptoris suggestu, conventientibus utriusque scholae auditoribus. Celebres vero declamationes instituantur alternis mensibus; sic tamen, ut a rhetoribus quater, ab humanistis bis declamentur. Celebritas porro declamationum in regulis explicanda est. Itaque statuendum est, quot et quales orationes habeantur, quis apparatus, quae ornamenta aulae. In hac quidem provincia celebris declamatio rhetorum non minus habet, quam quatuor integras et elaboratas orationes, prosa, carmine, graece, latine; et praeterea recitantur ab aliquot pueris epigrammata. Humanistae graece nihil pronunciant, nisi fortasse epigrammata. Habentur et aliquando celebriores non sine scaenico apparatu et theatro, ut si iudicium aliquod grave exhibeatur, verbi gratia Iudicium A. Fulvii de filii caede; Iudicium Cn. Popilii Laenatis de M. Tullii Ciceronis caede. In huiusmodi enim actionibus plures personas adhibere necesse est. Cum vero sic instituuntur declamationes celebres, plurimum excitantur et qui declamant et qui audiunt, rei celebritate, varietate, gravitate, apparatu. Quae omnia non possunt esse in hebdomadariis declamationibus, nisi magna fiat iniuria aliis exercitationibus et studiis scholasticorum.

<sup>7</sup> Vide MP V 71-72.

Pag. 257 – Singuli nostrorum ... – An igitur externi privabuntur hoc fructu? Certe, quo plures conveniunt, eo ferventius examinantur carmina affixa. Quanquam fortasse tot carminibus videndis et limandis unus praeceptor vix sufficeret. Nam hic iubetur non nisi potissima quaeque in publicum exire oportere.

Pag. 258 – Duodecim aureorum ... – De praemiorum distributione vide in fine. [384v]

Pag. 258 – Librarii manus ... – Quae est illa librarii manus? An typographi? Cavendum est, ne si semel incipiant hic insanire scholastici, multum et temporis et studii suis aliis occupationibus praeripiant, praesertim philosophi et theologi.

Pag. 259 – Ab ipsis compositas etc. – Magis quidem afficiuntur pueri iis, quae proprio Marte composuerunt. Alioqui tamen videtur fore utilius longe, si Virgilii Eclogas aut Senecae Tragaedias recitarent, quam suas ineptias. Nam hac ratione magnam ad scribendum et ad dicendum suppellectilem sibi compararent.

### Provincia Franciae

(Pag. 250 lin. 10.a) Ubi dicitur «negligentiae scamnum nominetur», dubitatum est, an expediret huiusmodi scamnum esse in omnibus classibus, etiam humanitatis et rhetoricae? Et quidem duo iudicarunt, debere esse in omnibus, excepta sola classe rhetoricae; alius in omnibus omnino, ne illam quidem excipiendam; at duo alii, quorum unus fuit ex deputatis, alter ad consultationem vocatus, censuerunt, excipiendas classes humanitatis et rhetoricae ab huiusmodi scamno; et omnes, moderate illo utendum esse quibuscumque in classibus constituatur.

(Pag. 252 lin. 9.a usque ad 17.am) Ubi mentio fit disputationum inter auditores diversarum classium, quaesitum fuit, an expediret, ut classes inter sese commiscerentur, aut pueri unius classis committerentur pueris alterius classis; an potius, ut singularum classium auditores inter se commisceantur et disputent. Tres ex deputatis putarunt, recte praeceptum esse in libro, et classes inter se commiscendas; ita tamen ut adsit praefectus vel superior, et tollat omnia incommoda, quae ex huiusmodi commixtione accidere possunt. At duobus nihilominus aliis ex deputatis, et uni ad consultationem vocato visum est non esse inter se commiscendos pueros diversarum classium, sed singulis in suis propriis classibus disputandum esse: 1<sup>o</sup> quia inaequale erit certamen, et non erit laus magna auditoribus superiorum classium superare auditores inferiorum classium; ut auditoribus rhetoricae vincere auditores classis humanitatis. At contra, probum erit, superiorum classium auditores vinci ab inferiorum classium auditoribus. Deinde, non est classium rhetoricae, humanitatis aut grammaticae proprium disputare, sed philosophorum potius.

(Pag. 253 lin. 1.a) Ubi dicitur «nec omnes unius scholae ad alteram ascendant, sed lectissimi quinque», omnes uno excepto senserunt, omnes convenire debere, et non tantum lectissimos quosque, quia etiam indocti audiendo proficere possunt; et huiusmodi disputationem per integram horam extrahendam, aut etiam sesquihoram, ut quidam putavit. Praeterea, etiam expedire visum est, ut quando in graecis disputant, graece etiam loquantur interrogando et respondendo. Item, ut disputent, tum singuli in suis classibus contra se invicem, tum classis una contra alteram. Ad haec, disputatum fuit, an omnes pueri unius classis essent committendi cum omnibus pueris alterius classis, aut duo tresve unius classis, vel totidem eiusdem classis aut alterius. Quatuor iudicarunt, omnes unius classis esse committendos cum omnibus alterius classis, aut sibi invicem, non duo tresve solum. Et placuit omnibus, addi etiam modum parisiensem, hoc est, ut omnes classes committantur inter se, non solum in suis classibus aut alienis, verum etiam omnes pariter et palam in atrio collegii;

et in dubiis praeceptores ibidem praesentes adeant et consulant. Affigant quoque singulorum classium auditores publice in atrio themata, orationes, declamationes, carmina, poemata, comedias, tragedias et alia istiusmodi, quae alii corrigant et impugnent vel eiusdem classis vel diversarum.

(Pag. 255 lin. 13.a et sequentibus aliquot) Visum est quinque, satisfieri Constitutionibus praescribentibus orationem unam qualibet hebdomada habendam<sup>8</sup>, more ibidem tradito; nec aliter fieri posse in Gallia propter occupationes multas. Ibidem, visum est omnibus, sufficere, ut publica declamatio habeatur sexies in toto anno, hoc est, semel bino quoque mense; et privata quavis hebdomada; atque hanc componendam esse ab ipsismet discipulis, sed emendandam esse a praeceptore; illam ab ipsomet praeceptore componendam, omnes iudicarunt, quia facilius ipsi component, et minori labore, quam corriget confectam ab aliquo discipulo. Ex publicis sex, visum est omnibus quatuor componendas a professore rhetoricae, duas a praeceptore humanitatis; et quidem ex quatuor declamationibus professoris rhetoricae quidam putarunt, primam oportere esse in genere demonstrativo, secundam in deliberativo, tertiam in iudiciali; quartam posse esse aliquod iudicium ad instar romanorum exhibitum in theatro; alius sensit, duas habendas in genere demonstrativo, et duas in genere deliberativo ac iudiciali; alius duas primas in genere demonstrativo, tertiam et quartam in genere deliberativo, aut duas primas in genere deliberativo, tertiam et quartam in genere iudiciali. Alius demum putavit, primam debere [*Stud. 3*, f. 362v] esse in genere demonstrativo, reliquas tres in deliberativo et iudiciali. Ita ut illi, quae habetur in genere demonstrativo, adiungantur brevis oratio graece et poemata quaedam graece et latine; illis vero, quae in aliis duobus generibus fiunt, non adiungantur, nisi pauca quaedam carmina eaque gravia in principio et in fine. Ex duabus, quas professor humanitatis habere debet, prima sit in genere demonstrativo, secunda in deliberativo secundum quendam; secundum vero alium utraque sit in demonstrativo in laudem alicuius sancti, additis versibus graece et latine; vel ut alius sensit, prima sit in genere demonstrativo, secunda in deliberativo aut iudiciali.

(Pag. 257 a linea 5.a ad 13.am) Visum est in primis omnibus, alio aliquo in loco potius, quam in vestibulo refectorii affigendos a nostris esse huiusmodi versus; et ita philosophos atque theologos nostros hoc praestare debere, ut tamen interea non negligant graviora sua studia, ne illa impediuntur. Praeterea, linea ultima post illa verba «expositio brevissima» addendum esse «et chria», ne hoc genus exercitii a nostris negligatur aut etiam praetermittatur.

### Provincia Poloniae

Quod n. 3 pag. 252 sub finem, dum agitur de disputationibus menstruis, sola iis media hora tribuatur, nimis exile visum est; ut minimum igitur hora eis danda esset. [*Stud. 2*, f. 161r]

### Ioannes Balmesius S.I.

224 22<sup>o</sup> – Singuli in singulis decuriis unum habeant antagonistam. Sic singulis erunt multi de loco contententes superiore aut praemio.

<sup>8</sup> Vide *Const. P. IV* c. 6 § 13 et c. 16 § 3; *MP I* 247 249 et 309.

23<sup>o</sup> – Compositiones quotidianae in classe coram praeceptore (subinde rationem componendi aut vertendi docente), nunc huius nunc illius chartam inspiciente et monente aliquid, necessariae; Nizolium<sup>9</sup> vero adolescentes ut magistrum improprietatis fugiant. [*Stud.* 2, f. 183r]

Laurentius Faunteus S.I.

De adiumentis etc. c. 6 et ratione promovendi c. 7. Optime omnia. [*Stud.* 3, f. 178v]

## 25

### IUDICIA PATRUM IN PROVINCIIS S.I. DEPUTATORUM DE RATIONIS STUDIORUM (1586) TRACTATU: «RATIO PROMOVENDI PUEROS EX INFERIORI AD SUPERIOREM CLASSEM ET PROMOVENDORUM EXAMEN»<sup>1</sup>

ASSISTENTIA ITALIAE

Professores Collegii Romani

Quod dicitur §.o 1 ut ex classe, in qua flexiones discuntur, tertio quoque mense gradus fiat, non placet; sed sufficit bis in anno, ut in reliquis. Nam promotio illa tertio quoque mense, praeterquam quod superiorem classem admodum perturbat, cum discipulos recipiat, nullos dimittat, impares etiam reddit vires et diligentiam praeceptoris ad tam multos promovendos, quibus sua classis gravaretur. Neque vero discipuli proficerent. Qui enim gradum facerent, invenirent caeteros eo promotos, quo ipsi non possent ascendere. De classe humanitatis probamus, quod statuitur. De caeteris vero non item. Satius est enim, si in reliquis classibus, excepta prima grammaticae, fiat examen singulis sex mensibus. Quo tempore, qui idonei reperientur, ii tantum gradum faciant. In prima vero non debet fieri examen universale, nisi semel in anno. Post primum autem semestre non nisi paucissimi, et ii quidem maxime idonei: primo a praeceptore approbati, tum vero a praefecto examinati, quasi extra ordinem ad humanitatem promoveantur. Hoc autem quod dicimus, experientia compertum est in Collegio Romano, esse classibus maximo usui. Quinimo, cum a Visitatore constitutum esset, ut in prima classe grammaticae fieret examen sexto quoque mense<sup>2</sup>, tot tantaque incommoda existebant in dies, ut ea referri ad P. Generalem oportuerit; quibus ille cognitis, statuit quod nos paulo ante diximus. Id quod nunc in Collegio Romano omnium cum approbatione servatur.

§ 2.s – De promotionibus: Placet, quatenus tamen non pugnat cum [*Stud.* 3, f. 49r] iis, quae paulo ante diximus. Idcirco classis humanitatis sub finem Quadragesimae circiter ad altiora provehatur necesse est; cum eorum, qui sunt gradum facturi ex prima (quia vel paucissimi vel saepe nulli), nullam debeant habere rationem. Rhetorica igitur Cypriani<sup>3</sup> inchoetur a Paschate, ut nunc fit, et factum est in Collegio Romano.

<sup>9</sup> Marius NIZOLIUS, *Thesaurus Ciceronianus*; cf. MP II 462 et passim.

<sup>1</sup> Textum huius capituli videas in MP V 138-39.

<sup>2</sup> Anno 1578 a Sebastiano Morales S.I., visitatore Collegii Romani; vide MP IV 326.

<sup>3</sup> Cyprianus SOARES S.I., *De arte rhetorica*; cf. supra, mon. 10 adn. 211.

§ 3.s – De severo examine habendo: Probatur totus, excepta illa particula: «Sed promulgetur potius, qua de causa promoveantur»; quae videtur moderanda. Nam docuit experientia, esse valde molestum atque odiosum et discipulis et eorum patribus, si tanta cum ignominia filii promoveantur. P. Pererio placet totus ut iacet.

Circa § 4.a – De tempore examinis et de examinadoribus etc.: Nullum temporis spatium est examini praescribendum; quia pro diversitate locorum et pro varia discipulorum multitudine vel paucitate, plures etiam vel pauciores requiruntur dies. Caetera placent.

Circa § 5.m – De ratione examinis: Non placet, ut singuli discipuli seorsim examinentur. Nam ubi est magnus examinandorum numerus, id fieri non potest. In magnis certe collegiis ne mensis quidem ad hoc praestandum sufficit, nedum octo illi dies, quos patres praescripserant § praecedenti. Nullus igitur dierum numerus limitetur, sed ubique fiat prout melius expedire videbitur.

#### Provincia Neapolitana

§ 4 – Nulli placet, ex prima grammaticae gradum fieri ad humanitatem in Paschate, quia si praeceptor humanitatis discipulos exercere velit in scribendis exemplis singularum praeceptionum, quae ex compendio Cyprian<sup>3</sup> perleguntur, tantum abest, ut satis futuri sint duo menses ad illud percurrendum, ut vix etiam satis facturum sit totum tempus post Pascha. Quod si tunc incipiatur rhetorica, quod faciendum omnino videtur, qui promoveantur, non erunt ad eam audiendam idonei. Accedit, quod in prima grammaticae esset docenda ars metrica initio anni, quae tamen incipienda videtur eo ipso tempore, quo isti promovendi dicuntur. Denique in classe humanitatis initio anni scribendi sunt versus, ut infra dicitur; id quod praxi Collegii Romani confirmatur; in quo usu compertum est, huiusmodi promotionem male cedere. Quocirca omnino iam antiquata est. [*Stud* 3, f. 103r]

#### Provincia Sicula

Pag. 260 caput septimum totum probatur. Illud tamen de gradu primanorum ad humanitatem aliquam videtur habere difficultatem, quod non videantur primani humanistis pares esse posse. [*Stud*. 2, f. 37r]

#### Assistentia et provincia Lusitanae

Pag. 260 – «In Paschate» – Secunda promotio, de qua hoc loco agitur, fieri consuevit in hac provincia initio februarii; videturque id tempus magis opportunum; tum quia decursis iam a renovatione studiorum iis mensibus, quibus praeceptor quilibet scholae suae pensum absolvit, idonei iam sunt ad examen subeundum scholastici; tum quia in Lusitania post Pascha, fere inclinante iam anno, frigere studia incipiunt.

Pag. 261 – «Tres sint examinadores» – In examine tres esse examinadores non possunt, ubi tantus est discipulorum numerus quantus Conimbricae, Eborae, Olyssipone, Bracarum; alioqui sero tandem examinatio absolvetur. Quae res magnum rei literariae parit incommodum; siquidem dum examina peraguntur, turbata sunt omnia . . .

#### ASSISTENTIA HISPANIAE

##### Provincia Aragoniae

1. Ut planius intelligantur ea, de quibus hic dicitur, demus sex esse grammaticae praeceptores. Hoc igitur ita proposito, in duabus infimis classibus fieri possunt promotiones 3<sup>o</sup>



quoque mense; in classe humanitatis 6<sup>o</sup> quoque. Mediis vero classibus spatium quadrimestre sufficiet. Nam cum in inferioribus classibus, ut supra diximus, nulla graecae linguae rudimenta docenda sint, frequentiores esse oportet huiusmodi promotiones, ne diutius quam par sit, in eadem classe pueri cogantur haerere. Iam cum ad grammaticam accedant pueri post ipsam fere renovationem studiorum, si in duobus infimis classibus semiannum, in quatuor vero reliquis biennium versarentur, essent ad humanitatis classem promovendi ipso Paschatis tempore. Id quod repugnat iis, quae in libro de ratione studiorum decreta sunt Romae. Ibi enim dicitur, fieri oportere promotiones in classe humanitatis in ipsa studiorum renovatione. Praeter has vero promotiones generales, quae statis anni temporibus fient, fieri quoque possent (cum praefectus consulto praeceptore id expedire iudicaret) aliae privatae, ut et solertiorum consulerebatur ingenio, et tardiores, ut fit, minime detinerentur in eadem classe iusto diutius.

4. Studiorum praefectus deberet ex officii ratione ad rectorem referre de iis, quae ad examinatores pertinent, cum is omnium optime sciat quinam possint hoc munus obire cum laude. Oportet vero regulis praefecti studiorum adscribi: Neminem ad grammaticae scholas admitendum esse, quin accuratam quidem legendi, mediocrem vero scribendi rationem teneat.

5. Expediret etiam vel eos qui theologiae dant operam, orationem aliquam aut concionem latine scribere; [*Stud.* 2, f. 247r] scriptam vero publice in nostro triclinio ex memoria vel saltem ex scripto recitare, ne desuetudine ipsa linguam latinam dediscant.

#### ASSISTENTIA GERMANIAE

##### Provincia Germaniae Superioris

Num. 1 pag. 260 – Videtur nobis etiam, quod tertio quoque mense ex schola, qua nomen et verborum inflexiones discuntur, promotiones fieri possint. Illo tamen trimestri, quod instaurationem ludorum proxime antecedit, partim propter vacationes supersedendum videtur, partim propter tempus aestivum minus aptum studiis; et partim, ne secunda schola grammaticae variis ordinibus inter se disparibus nimium perturbetur. Ex grammatica ad syntaxin in Paschate non debet fieri solennis promotio, quia pueri remissiores fiunt spe sua frustrati, quam sibi proposuerant; nec tam diligenter litteris incumbunt, quam si sciant fore magnum delectum eorum, qui praeceptorum iudicio sunt promovendi. Gravaretur etiam schola syntaxeos nimium, quae alioquin satis plena est. Satius esset, ut in Paschate praefectus cum magistro illius scholae agat, an aliqui forte sint, qui cum incommodo in illa schola diutius haereant, et cum emolumento ad altiorem scholam essent transmittendi; eosque idoneos repertos extra ordinem promoveat. Quod etiam quocunque anni tempore observandum videtur.

Ex schola syntaxeos ad humanitatem nullo modo posse fieri putamus, ut bis in anno fiant promotiones. Primum, quia nulli fere nocet, diutius in syntaxi versari; cuius magnus in omni vita est usus. Deinde, praeceptor humanitatis aegre rudioribus et provectionibus suam docendi explicandique rationem accommodare poterit; et necesse erit veteranos eadem rursus audire propter novos, aut novos prorsus negligi. Quod quidem in hac schola absurdus est, quam in caeteris, propter rerum et auctorum diversitatem, quae in illa classe praelegi solet.

Ibidem – De humanitatis schola illud iudicamus: attollendam nimirum esse propter varietatem auctorum, qui in illa explicari solent; tum etiam quia non fit ex syntaxi ad eam ascensus; tum ne anno integro in iisdem authoribus cum fastidio et exiguo profectu discipuli haereant. Ex quo etiam licebit Cyprianum<sup>3</sup> post Pascha auspiciari.

Num. 3 p. 261 – Expedit autem examinari severe non tantum promovendos, sed omnes omnino, ut hac ratione [*Stud.* 3, f. 217v] pigri et desides hoc timore ad maiorem exci-

tentur diligentiam. Quod vero ibidem dicitur, dispensari posse cum iis, qui toto biennio in aliqua classe fuerunt, nec ad promotionem videntur idonei, modo si qua sit spes in schola superiore eos profecturos; monendi sunt hic studiorum praefecti, ut quam rarissime fiat; propterea quod vix videtur posse fieri, ut proficiat in superiore schola, qui tanto intervallo, in inferiore nihil profecit; aut ingenium habiturum, qui tamdiu stupidus apparuit; aut difficilia percepturum, qui faciliora assequi non potuit. Qui autem grammaticam v.g. nescit aut syntaxin, quid illi proderit humanitas, etiamsi credamus, ipsum aliquid in illa profecturum? Aut quis vellet sine grammatica se cuiusvis artis esse peritum? Si desperati plane fuerint, monendi tum sunt parentes, maecenates et tutores, cum rectoris consilio, ne filios aut alumnos suos tempus perdere sinant in literis, et sumptus inanes faciant, sed potius eos avocatos ad aliquod opificium applicent. Quod si illis hac ratione persuaderi nequit, ut eiusmodi a studiis avocent, dicatur, nullum a nobis habituros studiorum suorum testimonium.

Num. 4 p. 261 – In examine promovendorum sit etiam magister, qui promovendos est accepturus, ad evitandas magnas querelas, quae plerumque esse solent inter praefectum, examinatores et scholae, ad quam promoti sunt discipuli, magistrum. Sic queri non poterit, se ineptos accepisse, cum suo testimonio dignos censuerit; et is etiam melius intelligit, quae doctrina in illis requiratur, qui ad suam scholam ascensuri sunt.

Num. 5 p. 262 – Non solum iudicium examinis in binis aut ternis seorsim faciendum videtur, sed etiam si necessitas ferat, in pluribus.

### Provincia Rhenana

§ 3 – Iis, qui in altiores classes, non nostrorum iudicio, sed sua quadam importunitate, nostris tamen certis de causis conniventibus, invaserint, studiorum testimonium si deinde petant, nullum dandum videtur. Vel si detur, nulla superioris classis mentio iniicienda. Possunt enim huiusmodi testimonio nostrorum ad beneficiorum sacrorumque ordinum aucupationem, cum nostrarum scholarum dedecore, Ecclesiae aliqua etiam lae vel detrimento abuti. Qua et ipsi de re, cum sese intrudent, praemonendi erunt. Nam quod de logicae classis aditu ante notatum est, id omnibus in classibus utiliter observetur, ut superiorem nemo, nisi acri praeceptorum examine accedat, sed inferne, si velit, deideat. [*Stud. 3, f. 250r*]

Cum vero pro ascensu examen instituitur, non iis tantum, qui ascendere volunt, sed aliis etiam omnibus, qui classem occupant, id subeundum videbatur. Sic enim fieret, ut ad studia magis omnes exstimularentur, et omnium progressus studiorum praefecto exploratior esset. Adhiberetur etiam illi praeceptorum quorundam morbo remedium, quo, si ipsi maneant, certos secum discipulos manere, si ascendant, ascendere volunt; quorum tamen neutrum e re puerorum est. Examinandi autem forent, non in prophanis lectionibus tantum, sed catechismo etiam et scriptorum, quae in classe illa confecerint, ratio exigenda; libellorum scilicet, in quos vocabula, phrases, apophthegmata, sacras aut prophanas sententias, catechismi expositionem, et id genus alia retulerint. Qualibet autem classe sic examinata, significandum ilico videretur, quinam ex ea excessuri sint, ut necessarios libros tempestive comparent; nulla tamen ordinis, quem in ascensu tenebunt, mentio facienda. Hunc vero ordinem constituere, in examinerum et praefecti iudicio ponendum videretur; proprii tamen magistri sententia expensa, quam illum in chartam de discipulorum omnium, qui ascendent, ordine ex ipsorum scilicet moribus, diligentia, catechismi peritia descripto coniciere oporteret.

### Provincia Aquitaniae

Pag. 260 – Ex caeteris ... – Ergo a prima classe grammaticae inclusive usque ad penultimam inclusive debent fieri promotiones bis in anno. Quod sane fieri non posse videtur sine aperto damno in prima grammaticae. Nam qui ascenderunt, videbuntur aut debere aut posse promoveri ex classe humanitatis ad rhetoricam. Quod non fiet sine magno detrimento. Si vero iubeantur retineri in classe humanitatis, cur ergo ascenderunt ad eam? Adde, quod nisi optimum fundamentum iaciatur in hac classe, nunquam pueri proficient in superioribus classibus. – 3<sup>o</sup> Res est inaudita in Gallia, promoveri pueros in hac classe ante finem anni.

Pag. 260 – Hae vero binae promotiones etc. – Non satis hic exprimitur, an omnes auctores, qui prioribus sex mensibus explicati fuerunt, debeant iterum posterioribus mensibus explicari; aut ii demum tantum, qui pertinent ad praecepta. Quod si eadem praecepta iterum repeti debeant, periculum est, ne permolesta sint auditoribus iis, qui ea iam prioribus mensibus audiverunt. An praesertim pauci debeant ascendere, ut hic dicitur. Deinde dubitatum est, quinam prorsus debeant ascendere; magna enim omnino est eorum varietas. Alii enim praecepta ad unguem tenent, sed iudicio carent, vixque recte loqui, recte scribere norunt. Alii contra recte loquuntur scribuntque; at praecepta grammaticae non ita recte tenent.

Pag. 262 – Quod hic iubetur de superioris et inferioris praeceptoris exclusione, id multis rationibus omitti videtur. Quod autem dicitur examen committendum esse theologis et philosophis, in eo regula saepissime fallit. Nam aut ii nunquam docuerunt in iis classibus, et ideo de illis vix sciunt iudicare, et non nisi abstrusa quaedam et praeter rem interrogabant; aut si docuerunt aliquando, iam fortasse non meminerunt formulas grammaticaliū. Itaque, satius fortasse videretur, cum praefecto adiungere aliquos ex professoribus, qui actu docent; v.gr. ex inferioribus cum examinantur superiores classes; et ex superioribus, quando sunt examinandae inferiores. In summa, totum onus examinis videtur incumbere in praefectum, quem oportet esse optimum grammaticum, et formulis interrogandi grammaticalibus assuetum. Nam videntur aliquando pueros deterreri et omnino obstupescere, si alia formula interrogentur, quam in suis rudimentis audiverint [*Stud. 3, f. 384v*].

### Provincia Franciae

(Pag. 260 n. 1<sup>o</sup> et 2<sup>o</sup>) Quod dicitur de binis puerorum promotionibus quotannis in singulis classibus faciendis, ab infima classe ad classem rhetoricae, vix videtur posse ordinarie fieri; praesertim, in classe humanitatis, ubi tam multa postea praescribuntur legenda ob puerorum incapacitatem. Quare dubitari possit, an expediat huiusmodi binas promotiones quotannis esse ordinarias. Imo vero, quidam arbitratus est, nulla oportere esse certa tempora assignata pro huiusmodi promotionibus; ut scilicet ascendant 3<sup>o</sup> aut 6<sup>o</sup> quoque mense, ne pergant pueri urgere et molesti esse suis praeceptoribus aut praefecto; sed hoc relinquendum esse liberum praefecto, ut tunc eos ad superiorem classem promoveat, quando videbuntur temporis iacturam in inferiori facere, si in ea diutius morentur.

(Pag. 261 lin. 3.a, 4.a et 5.a n. 2<sup>o</sup> et pag. 293 lineis tribus antepenultimis) De Compendio Rhetoricae Ciprian<sup>3</sup> duobus mensibus absolvendo quod dicitur, vix videtur, posse tam brevi temporis spatio percurri, ut omnes iudicarunt; requirit namque, ut minimum, trimestre tempus.

(Pag. 262 lin. 18.a n. 5<sup>o</sup>) Visum est omnibus monendum, iudicium capacitatis puerorum in examine esse potius desumendum ex stylo et compositione, quam ex responsione ad interrogationes factas de praeceptis; quia saepe pueri, vel ex timore vel ex pudore non valent respondere ad interrogata, quamvis alioquin probe ea teneant et calleant, quae petuntur. [*Stud. 3, f. 362v*]

## Provincia Poloniae

N. 1<sup>o</sup> pag. 260 – Non videtur stricte inhibendum, et ne alio tempore, quam ad principium studiorum ex humanitate ad rhetoricam promoveri discipuli possint. Nam et nimium sic astringentur [*Stud.* 2, f. 161v] discipuli ad unam scholam, puta qui ex syntaxi in Paschate fuerint promoti, uno anno integro et medio ad humanitatem alligati erunt. Et in collegiis, ubi rhetorica summa classis est, nec habent altiora studia discipuli, quae expectent, facile contingeret, totam rhetoricam classem auditoribus destitui; in talibus enim collegiis fere simul ac rhetoricam attigere discipuli, de mutandis scholis universitatibusque petendis cogitare solent, disceduntque frequenter vix medio anno expectato, nedum integro in rhetorica. Id quod experientia ipsa docuit. Danda ergo facultas etiam in Paschate promovendi aptos et qui iam annum in humanitate egerint.

N. 4 – pag. 261 – Ab examine ascensurorum non videtur excludendus praeceptor, ad cuius classem ascensuri sunt, tum ne, si postea non proficiant promoti, causetur ineptos sibi obtrusos, tum ne gratia praeceptoris promoventis geri aliquid videatur.

Ioannes Balmesius S.I.

261 26 – Cum Suares<sup>3</sup> fere nihil omittat, quomodo isagoge est.

## 26

IUDICIA PATRUM IN PROVINCIIS S.I. DEPUTATORUM  
DE RATIONIS STUDIORUM (1586) TRACTATU  
QUI INSCRIBITUR: «DE LIBRIS»<sup>1</sup>

ASSISTENTIA ITALIAE

Professores Collegii Romani

§ p.s – De librorum selectione: Placet. Illud tamen: «ut ex recentiorum libris, praeter Manutii epistolas<sup>2</sup> et Perpiniani orationes<sup>3</sup>, vix aliud permittetur», non videtur restringendum ad unum aut alterum; quia et alii sunt scriptores insignes. Et vero recentiores in dies existunt. Satis est igitur cavere, ut magno cum delectu permittantur.

§ 2 – De copia librorum, et 3.s – De librorum expurgatione: Integri probantur omnibus, excepto P. Pererio, qui reliqua omnia quidem probat, tamen circa 3.m – De expurgatione librorum, nolit excludi vel prohiberi primam illam purgandi rationem, quae pro tur-

<sup>3</sup> Cypriani SOARES S.I. *Rhetorica*; v. MP V 138.

<sup>1</sup> Textum huius capituli vide in MP V 139-40.

<sup>2</sup> Paulus Manutius (1512-1574), italicus, humaniorum litterarum eximius cultor, typis exprimi curavit M. T. Ciceronis epistolas ad Atticum, et epistolas quoque familiares; cf. SCHWEIGER II/1 158 166.

<sup>3</sup> Petrus Ioannes Perpinyà S.I., hispanus, professor rhetorices Collegii Romani (vide MP II 637 et passim); de editionibus eius orationum cf. SOMMERVOGEL VI 548-52. — Haec quoque observatio demonstrat, professores Collegii Romani textum manuscriptum Rationis studiorum (1586) prae manibus habuisse; nam in libro typis expresso hic § iuxta illorum observationem correctus apparet.

prioribus verbis aut rebus honestiora subrogat, ubi tamen id commode et cum dignitate praestari potest. [*Stud.* 3, f. 49v]

#### Provincia Sicula

Pag. 263 caput octavum totum probatur. [*Stud.* 2, f. 37r]

#### Provincia Veneta

Pag. 263 § 2 – Ad conservationem augmentumque bibliothecae perutile est: primo, si bibliothecarius constituatur sacerdos eruditus aut certe auditor philosophiae aut theologiae, peritus librorum emendorum; – 2º si praefecto studiorum in regulis nonnulla cura committatur bibliothecae; ut verbi gratia videat, num bibliothecarius suas regulas observet. Visitet interdum bibliothecam. Renunciet rectori, si quid videat deesse. Cum enim bibliotheca propter studia comparata sit, par est, ut praefecti studiorum curis contineatur; praesertim, cum videamus a ministris, qui litterarum librorumque gustum non habent, negligi. [*Stud.* 3, f. 164r]

### ASSISTENTIA HISPANIAE

#### Provincia Aragoniae

1. Addendum videtur hoc loco: communioribus dumtaxat exceptis, quales sunt Calepinus<sup>4</sup>, Nizolius<sup>5</sup>, Thesaurus linguae latinae<sup>6</sup>, et alii id genus, quibus auditores nostri care nullo modo possunt.

2. Tantisper, dum annuus iste redditus comparatur, oportebit aliquam pecuniae summam eum in usum a provincialibus assignari.

3. Cum auctores in singulis grammaticae classibus explicandi non agant de rebus usus quotidiani, expediret maxime confici ab aliquo e nostris colloquiorum librum<sup>7</sup>, in quem transferrentur e Plauto, Terentio, caeterisque scriptoribus antiquis, qui nostris auditoribus interdicuntur, phrases eiusmodi puriores, quibus sine ullo vel impuri sermonis vel religionis periculo pueri uti possent tam in mutuis concertationibus, quam in quotidiano sermone rebusque ad pietatem pertinentibus. [*Stud.* 2, f. 247r]

#### Provinciae Sardiniae

Nihil est magis necessarium praeceptoribus, quam copia librorum; et de nulla re minus cogitant rectores, quam de coemendis libris necessariis, quoniam urgentur aliis necessitatibus, ut ipsis videtur, gravioribus. Et si conficitur illud opusculum, de quo sub fine huius capituli fit sermo, utile procul dubio futurum est. [*Stud.* 2, f. 266v]

#### Ioannes Legaz S.I. – Hieronymus de Burgos S.I.

In caput octavum – El modo de purgar los libros obscenos, e imprimirlos de la manera que se apunta en el número tres, parece sería de mucha importancia y que se hiziese luego en León o en otra parte; de donde se pudiesen proveer las escuelas de España. Porque aguardar que en ella se haga, no podrá tener effecto. [Madrid, Bibl. Acad.]

<sup>4</sup> De Mario Nizolio cf. supra, mon. 24 adn. 9.

<sup>5</sup> De Ambrosio Calepino cf. supra, mon. 21 adn. 4 et passim.

<sup>6</sup> De *Thesaurus linguae latinae* vide MP II 558 adn. 47.

<sup>7</sup> Anno 1588 Ingolstadii apparuit Iacobi Pontani S.I. primum volumen *Progymnasmata latinitatis, sive Dialogi*; cf. SOMMERVOGEL VI 1007.

## ASSISTENTIA GERMANIAE

## Provincia Austriae

Nº 4 – Utinam maturetur illud opus. [*Stud. 3*, f. 271v]

## Provincia Germaniae Superioris

Num. I – Nostris auditoribus putamus concedi debere, praeter eos libros, qui in schola sunt explicandi, alios quosdam; nempe, qui ad eorum studia proxime pertinent, idque ad arbitrium praeceptorum et praefectorum. Externis autem discipulis consilium de libris emendis, inconsulto praefecto, nemo ex praeceptoribus videtur dare debere. Cuperemus item nominari aliquot, quibus ferme et imprimis opus est studiosis humanitatis, ut sunt, Epitome Adagiorum, quam vellemus a nostris denuo confici; Apophthegmata Manutiana<sup>8</sup>, Epitheta Ciceronis, Officina Textoris, Epitheta eiusdem, Dictionarium Poeticum et Historicum<sup>9</sup>, Nizolius<sup>10</sup>, Lexicon<sup>11</sup>, Festus<sup>12</sup>, Nonius Marcellus<sup>13</sup>, Phrases Poeticae, et alii plures.

Num. II – Ad bibliothecas locupletandas praescribi fortasse rectoribus posset, ut de annuis collegiorum suorum censibus detractum aliquid in eam rem converterent; exempli causa de centum nummis aureis duos aut tres saltem.

Num. III – Si Horatius et Martialis purgati<sup>14</sup>, et duae, quae extant Plauti comoediae, ipsae quoque purgatae, in [*Stud. 3*, f. 218r] scholis explicabuntur, putamus tum non esse permittendum auditoribus, ut editionibus non purgatis in ludo utantur. Accedet bibliopolis nostris hoc commodi, ut tanto citius exemplaria purgata divendant.

Quod de scenis honestioribus Plauti et Terentii ad finem huius numeri dicitur, opinio nostra est, datum iri occasionem adolescentibus lectitandi utrumque comicum, et multo commodius doceri posse phrases amborum et sermonem illum tersissimum per dialogos, quorum faciliores magisque pueriles in duabus ultimis grammaticae scholis alternatim cum Ciceronis Epistolis explanarentur, graviores autem a reliquis humanitatis studiosis propter multas utilitates legerentur privatim. Sed de his mox pluribus<sup>15</sup>.

Num. IV – Admodum placet, quod hoc numero affertur; nos insuper aliquod alios libros conficiendos esse duximus, qui et Societatis nomen illustrent, et multas auditoribus nostris utilitates concilient.

*De lingua latina* – De sermone latino et phrasibus habemus Hadrianum Cardinalem<sup>16</sup> et alios, quos quidem de studiosis bene meritos esse non negamus. Tamen, cum alius ex alio locupletari possit, nimiumque multis auctorum testimoniis adducendis non satis vere, vel potius male explicent et in errorem legentes inducant, possintque e commentariis et annotationibus atque scholiis elegantium seculi nostri scriptorum, ut Mureti<sup>17</sup>, Manutii, Victorii<sup>18</sup> etc. decerpi observationes nonnullae haud vulgares et suis locis addi, visum nobis est,

<sup>8</sup> De Adagiis et Apophthegmatibus cf. supra, mon. 22 adn. 12.

<sup>9</sup> De Epithetis, Officina, Dictionarium politicum etc. Ioannis Ravisii Textoris; cf. *Ouvrag. pédag.* 548-53.

<sup>10</sup> Marius Nizolius; vide supra, adn. 4.

<sup>11</sup> De *Lexicon Ciceronianum* a Henrico Stephani concinnatum vide *Ouvr. pédag.* 267.

<sup>12</sup> Aelius Festus Aphthonius; vide supra, mon. 24 adn. 4.

<sup>13</sup> Nonius Marcellus (saec. III-IV a. Chr.), natione afer; cf. PERIN, *Onomasticon* II 349.

<sup>14</sup> De operibus veterum auctorum ab inhonestis purgandis cf. MP III 56-57.

<sup>15</sup> Vide inferius paragraphum: *De dialogis*.

<sup>16</sup> Hadrianus CASTELLES, card., *De sermone latino*; cf. MP I 479.

<sup>17</sup> De M. A. Mureto vide supra, mon. 21 adn. 18.

<sup>18</sup> Petrus VICTORIUS, *Variae lectiones*; vide MP II 558.

profuturum scholis, si huiusmodi ex compluribus liber conficiatur, quem auditores scholarum humanitatis privatim studiose legant, eoque aliorum omnium loco, quorum nonnulli ferrea pro aureis venditant, ad loquendum scribendumque utantur. Praeceptorum quoque labor minuetur, quem in seligendis dictandisque phrasibus coguntur suscipere in dies singulos.

*Epitome sordidorum verborum et lectionum* – Praeterea, quoniam iuventus nostra non tantum non loquitur bene latine, sed inquinate et barbaramente loquitur, nec potest per libros latinos, aut de latinitate scriptos hoc morbo commode liberari, quod hoc negotium diversam ac distinctam plane tractationem requirat, valde commodaremus studiosis, si ex libellis, quibus per ordines et indices verba portentosa et locutiones scabiosae emendantur latinis appositis, parvum volumen magna diligentia et cum quodam auctario colligeremus. Tales sunt, Scopae latinitatis, Farrago sordidorum verborum, index Verrepaei<sup>19</sup> et alius index adiectus ad calcem Nizoli<sup>20</sup>. In his reprehenduntur quaedam, fortassis non recte, et emendantur quaedam non multo melioribus, ut tanto iustiore nostram esse petitionem intelligatur.

*Nomenclator* – Vehementer item non pueri solum, verumetiam diutius in literis versati, immo annosi humanistae egestate verborum laborant in rebus appellandis, proprie inquam ac latine; quod ipsis per omnia rerum genera usu venit. Itaque, ad generales voces confugere, aut rem multis inepte circumscribere, aut improprie omnino compelluntur eloqui, ut cum toties dicant: illud instrumentum, quo hac aut illud facimus, cum possit unico verbo statim dici. Prodesset igitur Nomenclatorem cudere ex Hadriano Iunio<sup>21</sup>, praetermissis anglicis, flandricis, hispanicis, italicis, retentis tantum graecis et germanicis. [218v] Item, ex aliis, additis interdum explicationibus paulo copiosioribus, ut opus facto videretur. Hunc librum tanquam Calepinum aut thesaurum sive dictionarium volvere, et sibi familiarissimum usu reddere deberent nostri discipuli.

*De Copia* – De copia item ex Erasmo<sup>22</sup>, Frusio<sup>23</sup> et aliis, si qui extant, quid prohibet libellum componi, ex quo rebus et verbis discant esse copiosi? Viam commodiorem ad parandam copiam non videmus, et ad consensionem similitudinemque scholarum eorundem librorum usus plurimum valebit. Ne relinquatur hoc magistris, qui magnam partem ista ignorant, et ingentia volumina sine iudicio forsitan dictarent.

*Selectae epistolae* – Cum insuper de selectis epistolis dicatur in 3 et 2 grammatices, et a variis, a Sturmio<sup>24</sup>, Verrepaeo<sup>25</sup>, nostris coloniensibus etc. selectae ferantur, ne perturbentur pueri, cum selectas iubentur emere; atque ut certius constet apud omnes, quas tandem Societas selectas epistolas praelegat, rogamus, adhibito maiore quodam iudicio, epistolas tullianas ad usum duarum scholarum deligi, cum manutianis argumentis ex eiusdem commentario<sup>26</sup>.

*Martialis* – Martialis libri sunt multi, eorumque passim magna difficultas et obscuritas. Commentarius Calderini<sup>27</sup> minime sufficit; nemo alius in eum scripsit, quod scia-

<sup>19</sup> De Simone Verrepaeo cf. supra, mon. 21 adn. 24.

<sup>20</sup> Marius Nizolius; vide supra, mon. 24 adn. 9 et passim.

<sup>21</sup> Hadrianus JUNIUS, (ob. 1575), flander: *Nomenclator omnium rerum propria nomina variis linguis explicata indicans* (Antverpiae 1567); cf. *Ouvr. pédag.* 372.

<sup>22</sup> *De duplici copia verborum et rerum* D. Erasmi cf. MP I-V 99 et passim.

<sup>23</sup> *De Copia rerum et verborum* Andreae Frusii S.I. cf. *ib.* 529 adn. 24 et passim.

<sup>24</sup> Ioannes Sturm (1507-1581); de quo cf. MP I 632.

<sup>25</sup> Simon Verrepaeus (v. supra, mon. 21 adn. 24) edidit *Selectiores epistolae aliquot doctissimorum virorum in usum scholarum in libros IV congestae* (Dilingae 1573); vide *ouvr. pédag.* 663.

<sup>26</sup> De Paulo Manutio et eius editione epistolarum Ciceronis vide supra, adn. 2.

<sup>27</sup> Domitius CALDERINUS (1447-1478), *Martialis cum duobus commentis* (Venetiis 1503); cf. *Dizion. Encicl. Ital.* II (1955) 623-24.

mus<sup>28</sup>. Veniebat igitur nobis in mentem, proponere consilium de facilioribus et elegantioribus epigrammatis ex toto opere secernendis, et in 4 aut 5 libros conferendis. Sed, quo ad imitandum in promptu essent, iudicabamus in locos communes digerenda, ut scilicet essent alia ad laudem, alia ad reprehensionem, alia ad iocos et facetias, alia ad mores etc. pertinentia. Si hoc fieret, non cogerentur praeceptores, dum Martialem explicant, ita in facilioribus quaerendis vagari et, sublatis iam obscuris ac difficilibus, minus sese cruciarent in eruenda sententia.

*De componenda epistola* – Si de epigrammate, elegia, comaedia etc. liber aliquis edendus videtur, quia haec cum iactura nesciuntur, cur non de scribenda epistola, cuius usus in omni vita longe maior est, quam carminum? Certe in plurimis et bene constitutis scholis epistolarum praecepta praeleguntur, et complurium de faciendis epistolis libelli iam pridem extiterunt, alii aliis doctiores, nec potest uno aut duobus capitibus ars quaedam non parva per se comprehendere. An putamus, quenquam prudenter posse commendare, petere, hortari, accusare, expostulare, excusare, deprecari, consolari, gratulari etc., et vicissim ad huiusmodi epistolas recte respondere, qui non fuerit harum rerum praeceptionibus imbutus? Ubi docebuntur de imitatione in contexendis epistolis, de brevitate, de decoro, de perspicuitate, de materia, de caractere, de aliis? Praeterea illa leviora, de salutationibus, de valedictione, de epithetis personarum etc., in quibus peccari solet. Cum vero constet plura esse epistolarum genera, turpe est, cum iterum iterumque ac semper scribas epistolas, non posse te dicere, in quo genere sint tuae epistolae; aut si genus noveris, tamen nescire, quid in eo observandum sit; et cum possis cum artificio et ratione scribere, malle temere ac sine ullis legibus; et cum prudenter ac disposite et eleganter, malle quidquid impetus tulerit, confuse et parum egregie. Est denique ars epistolica pulcherrima et maxima praeparatio ad artem oratoriam, et praecoluit mirabiliter ingenium ad inventionem, dispositionem, elocutionem, praecipuas partes eloquentiae.

*De selectis recentiorum epigrammatis* – Ad excutiendos de manibus studiosorum impuros quosdam poetas recentiores, atque ad maiores in poesi progressus faciendos, hanc viam meditati sumus. Collegerunt flores epigrammatum Leodegarius a [219r] Quercu et Mattheus Toscanus; uterque tomis duobus, in quibus aliorum quoque generum poemata, ut heroica, lyrica, elegiaca. Scripserunt praeterea festiva et erudita epigrammata Sannazarius<sup>29</sup>, Hagiensis et alii. Verum et in istorum et in illis quos nominavi 4 tomis, maxime in Toscani, imprimis plurima sunt turpissima. Deinde collecta sunt illa poemata ab utroque sine ullo ordine et ex veteribus quaedam, ut Vergiliana appendice, Ausonio etc., quin et disticha Catonis, quae dicuntur, ibi sunt; ex recentibus bonis, malis, mediocribus. Ex unoquoque sumptum, quantum illi sumere voluerunt. Nos vellemus edi duos libros, in quorum primum colligerentur sacra poemata, quae illi cum profanis miscuerunt; et primo quidem loco ponerentur heroica, post elegiae, tum epigrammata, postremo odae. In alterum profana, eodem servato ordine; digerentur autem utrobique in locos communes, v.g. sacra in Deum, in sanctos, in virtutes etc., profana in claros viros, in improbos, in statuas, in aedificia, in civitates, in fontes, etc. Deinde ponerentur funebria, genethliaca, nuptialia, in quibus possint etiam valere loci communes. Hic modus ab illo, quem videmus secutos Leodegarium et Toscanum, est valde diversus, et ad imitationem fructumque percipiendum vehementer utilis. Si elegiam scribas, sine epigramma v.g. in fontem, in civitatem, poteris statim a sequente epigrammate vel elegia petere, quod in priore minus inveniebas, quoad artificium. Si non a sequente, a tertio, quarto, sexto, decimo.

<sup>28</sup> Vide A. FRUSIUS S.I., *M. Valerii Martialis Epigrammata* (Romae 1558); vide MP I 100 adn. 26.

<sup>29</sup> Iacobus Sannazzaro (1456-1530), italus neapolitanus, poeta; cf. *Encicl. Ital.* XXX (1936) 737-39.



*De tropis et figuris* – Et quia troporum ac figurarum cum ad poetas, quos audiunt, intelligendos, tum ad versiculos pangendos magnus est usus; haec autem doctrina in fine, absoluto iam paene Cypriano, absolutis poetis, tradatur, nec tam perfecte, sed molli potius brachio, et nimis indistincta, desideramus etiam aliquod troporum figurarumque compendium.

*De dialogis* – Si tantummodo spectandum esset, quam nobiles et latinos auctores pueris interpretaremur, facillime doctis omnibus nostram consuetudinem probaremus, cum in duabus ultimis scholis grammaticae M. Tullium latinitatis parentem ac principem explicamus ipsiusque epistolas multum et assidue in ludo terimus. Sed, quoniam simul considerandum est nobis, quam ad puerile ingenium erudiendum idoneus sit auctor, quem proponimus, et quam facile, quantumque ex eo proficere tenerior aetas queat, videmur aliqua culpa teneri, qui adversus inveteratum morem plurimarum scholarum in diversis regionibus, et contra literatorum non paucorum sententiam, nullum in nostris gymnasiis locum dialogis damus. Deligamus licet apertiores et familiariores epistolas, nihilominus fateri necessario debemus, res illas laboriosius capi a pueris, quam quae dialogis tractantur; quibus nihil planius, nihil notius. Et saepissime incidunt loci, quos ipsimet magistri rudiores (ut ferre sunt in his scholis) ex communibus praesertim commentariis, quibus solis utuntur, ut Assensio, Hubertino etc., intelligere non possunt, nec efficere, ut eosdem adolescentuli intelligant, quantumvis ipsi cum labore tandem a se intellectos declarent. Aegre autem discitur quod non cognoscitur. Certe, propemodum quotidie de rebus romanis audiendum est pueris, si epistolas duntaxat audiant. Nunc item de Dolabella aliquid, nunc de Cassio, de Pompeio etc. Hic cibus aliquanto solidior est, quam ut ab ipsis concoquatur. In dialogis de iis agitur, de quibus illi quotidie confabulantur, quaeque quotidie fieri aspiciunt et audiunt. In quibus tamen omnibus latine ac proprie exprimendis, etiam postquam decem annis varios Ciceronis libros audiverunt, pauperrimi reperiuntur.

Quare, si dialogi, quales oportet, conscribantur et in scholis explanentur, prima utilitate erit, quod minore negotio intelligentur. – Altera, quod propter personarum loquentium [219v] vicissitudines et argumentorum maximam varietatem, non mediocri voluptate perfundentur, propter quam cupidius etiam discent. Omitto delectationes, quas illis facitiae, proverbia, fabellae aspersae generabunt. – Tertia, non ciceronianis tantum, verum plautinis et terentianis quoque flosculis pascentur, quibus serendis nullum genus scripti commodius. Ita, cum illos comicos praelegere non sit concessum<sup>30</sup>, rationem opportunam inveniemus, qua eosdem cum iuventute quam fructuosissime communicemus, bona saltem ex parte. Ac si totus sermo fuerit purus, proprius, concinnus, elegans, copiosus, cum sit etiam familiaris, quis dubitet, ad loquendum et scribendum promptiores evasuros ex dialogis, quam ex solis epistolis? – Quarta, cum in dialogis partim de litteris et litterariis rebus, partim de moribus, partim de aliis argumentis, et quidem multiplicibus agendum videatur, sine controversia, ea afferentur in dialogis, unde ipsi absque sensu difficultatis doctiores, doctrina quadam liberali, non abstrusa et recondita et morum suavitate probitateque laudabiles fiant. Huc facient, quae interponentur historiologiae, similitudines, sententiae, apophtegmata etc. – Quinta, ad prudentiam et iudicium paulatim confirmandum ex decoro personarum aliisque rebus non parum proderunt, neque vero semper aut pueri loquentur, aut semper dicent puerilia. – Sexta, etiam parentes, magistri, paedagogi etc. habebunt, quod de suo officio ex his dialogis discant, et ipsi pueri olim parentes, magistri etc. fient, quos iam nunc optimum est cognoscere, quam honeste et christiane se aliquando pro statu suo sese

<sup>30</sup> De Martiali et Terentio in scholis S.I. legendis cf. MP V 131 et 149.

gerere debeant. Huiusmodi ergo dialogos suademus a Societate conscribendos; de quibus selecti enarrentur in duabus infimis alternatim cum epistolis, graviores in prima grammaticae. Immo vero, cum nullam appareat rationem tam expeditam esse ad discendam linguam, et sint aliae multae utilitates cum hac una copulatae, putamus omnes humanitatis studiosos ac discipulos habere oportere, quos legant dialogos.

### Provincia Rhenana

Cap. 8 – Totum octavum caput ad praxin quam studiosissime traduci, valde patres avebant. [*Stud.* 3, f. 250r]

### Provincia Aquitaniae

Pag. 264 – Ceterum ea purgandi ratio – Duo sunt impurorum auctorum genera. Alterum est pervicacioris ingenii eorum, qui expurgari non possunt, nisi aut totum poematis argumentum mutetur, [*Stud.* 3, f. 385r] aut maior pars abscindatur; quales videri possunt Tibullus et Terentius. Et in huiusmodi auctoribus cogimur fateri, non nisi selectiora quaedam et puriora membra scholis nostris esse digna. Alterum vero est eorum, qui paucis admodum mutatis aut etiam praecisis, aliam omnino vestem induunt; quales sunt Horatius, Martialis, Persius et plures alii. In quibus corrigendis ratio nobis ineunda videtur ea, quae hic minus probatur; – 1<sup>o</sup> quia paucis mutatis aut resectis, sensus non potest videri malus, nisi quis recurat ad fontes. – 2<sup>o</sup> si auctores ita mutili a nobis explicantur, non putabunt se auditores optimos auctores audivisse; quod et illis et illorum parentibus valde displicebit; quod secus accidit, si pauca et impura ex auctoribus praeciduntur. – 3<sup>o</sup> si optimorum auctorum selecta membra a nobis exponantur, typographi nihilominus ipsos integros auctores obscenos inprimunt; quod si pauca tantum reiiciantur, ipsos auctores a nobis correctos excedunt ipsi, et iis ipsis omnes contenti erunt, nec fontes impuros requirunt. – 4<sup>o</sup> praeclarum aliquod poematis membrum uno aut altero duntaxat verbo impuro conspurcatum, non videtur reiiciendum, sed ipsa potius sanies abluenda et detergenda videtur, ne perdere et deleere omnino optimos auctores videamur. Quo nomine conqueruntur iure multi, miserrime a nobis dilaceratum esse Horatium; in quo integrae aliquando odae eaeque quam plurimae et insignes levi de causa reiectae sunt, quae nullo negotio corrigi poterant. Aiunt enim, hoc non esse sanare aegrotum, sed occidere. Denique nobis videtur, a R.P. nostro Generali hanc curam demandandam esse omnibus provincialibus, ut in suis quique provinciis seligant praestantissimos quosque rhetoricos et humanistas, qui suscipiant obscaenos auctores repurgandos, quam diligentissime ab eis fieri poterit. Inde, ubi perfecerint, Romam labores omnium mittantur, ut de eis iudicium feratur, et optima quaeque eligantur ab eis, quos idem R. P. noster Generalis ad id destinaverit, eaque toti Societati deinceps concedantur. Sed simul esset quoque danda opera, commentariis optimis concinnandis, et ad illa opera correcta accomodandis; alioqui semper nostri cogentur recurrere ad impuros auctores, quia commentariis carere non possunt. Et certe, si optimi commentarii cum correctis hisce auctoribus ederentur in lucem, cogerentur externi nostram sequi correctionem; quod vix alioqui sunt facturi, et sic nunquam faedum istud Augiae stabulum purgabitur, quantumvis laboremus.

### Provincia Franciae

(Pag. 263 lin. 1.a n.1<sup>o</sup>) Post illa verba «auditoribus nostris», plerisque visum est, addendum «inferiorum classium», quia si de auditoribus superiorum etiam classium intelliga-

tur, quod hoc numero praescribitur, non videtur illis consultum; expedit enim, imo aliquando necesse est, ut auditores classis humanitatis et rhetoricae habeant plures libros, quam quos audiunt in schola iuxta catalogum, ut Aulum Gellium<sup>31</sup>, Macrobius<sup>32</sup>, Alexandrum ab Alexandro<sup>33</sup>, et alios, qui conducunt ad intelligentiam auctorum, qui in classe leguntur, iuxta iudicium praefecti vel praeceptoris aut superioris. Non defuerunt tamen, qui putarunt, recte praeceptum esse in libro, ut iis, quos audiunt, auctoribus diligentius vacent, ne auctorum multitudine obruantur.

(Pag. 263) Visum est omnibus, numerum secundum esse praetermittendum, quia non spectat ad rationem studiorum, sed potius ad gubernationem. Sed et plures senserunt, nulla ratione expedire, ut attribueretur aliquis certus redditus annuus ampliandae bibliothecae in nostris collegiis, ne hac ratione subintret redditus deputatus cuilibet officio, ut accidit in aliis religionibus, et paulatim ac sensim proprietates, et minuatur paupertas, sed emanant libri, qui collegiis necessarii sunt, quando opus est.

(Pag. 265 n. 4<sup>o</sup> quod dicitur lin. 14.a et sequentibus aliquot) De onere demandando peritissimo cuiusdam colligendi optima huius generis et in unum opusculum conferendi, tribus ex deputatis visum est optimum ac recte praeceptum. At duo alii deputati cum alio quodam ad consultationem vocato iudicarunt, id minime necessarium, quod tam multa sint passim eiusmodi de rebus iam scripta, ut proinde satius esse, ut haec relinquantur industriae praeceptorum, qui haec seligant ex optimis auctoribus. Non defuit tamen, qui putavit magnopere conducere, ut scribantur commentarii quidam eruditissimi in obscuriores quosdam locos Ciceronis et aliorum bonorum auctorum. Alius quoque existimavit e re nostrorum fore, si scriberetur lexicon graecum ex Demosthene ad instar Nizolii ex Cicero<sup>34</sup>, et in unum colligerentur ex optimis quibusque auctoribus graecis epitheta graeca, quemadmodum fecit Ioannes Ravisius Textor in latinis<sup>35</sup>. [*Stud.* 3, f. 362v]

#### Provincia Lugduniae

Pag. 265 n. 4 – Esset etiam utile componi comoedias aliquas et colloquia, honesti et lepidi alicuius argumenti a quopiam nostrorum, quae ad stylum Terentii quam maxime accederent. Is labor alicuius suscipietur, si R. Pater N. id sua auctoritate mandat iis, [*Stud.* 3, f. 397r] quos provincialium et bene iudicantium testimonio peritos scribendi esse cognoverit.

#### Provincia Poloniae

N. 4 pag. 265 – Consultissimum foret tum praeceptoribus ipsis instruendis, tum discipulis melius dirigendis, tum ad aestimationem Societatis, si paulatim viri aliqui selecti et quasi emeriti ex nostris, quique diu humaniora tractassent, in singulis provinciis designarentur a R. Patre N., qui commentarentur in auctores omnes humanitatis, qui praelegendi sunt in scholis, ut in Ciceronem, in Virgilium et similes, quique nostris ea hominibus accommodarent, inserendo hinc inde, ubi commode possint, pietatis semina; quod ut facile esset in tanta personarum Societatis multiplicitate, ita magnum fieret operae pretium augendae christianae pietati, et ethnicismo illo aliquantum [*Stud.* 2, f. 162r] sepeliendo aut

<sup>31</sup> De Aulo Gellio vide MP II 558.

<sup>32</sup> De Macrobio Ambrosio Theodosio cf. PERIN, *Onomasticon* II 171 (5<sup>o</sup>).

<sup>33</sup> De Alexandro ab Alexandro vide MP II 461 adn. 7.

<sup>34</sup> De M. Nizolii *Thesaurus Ciceronianus* vide MP II 462 et passim.

<sup>35</sup> De quo vide supra, adn. 9.

certe ita purgando, ut illorum scripta (sicuti in templis factum est) in christiana verterentur. Si-  
mile quid haeretici pro suis haeresibus fecere, magnumque sic scholis detrimentum fecere.

Ioannes Balmesius S.I.

264 27 – Appositi mali partem putridam audacter resecamus, sana utimur. Quid ergo  
[*Stud. 2, f. 183v*] cunctamur in gentiliū libris idem praestare, et quamprimum sana seor-  
sum in lucem edere? Artem enim christiani iam tenent. Imo, in ea ethnicis sunt superiores,  
et quaedam gentiliū plane sana.

Laurentius Faunteus S.I.

N. 3 suadet, poetas non expurgandos, sed ex eis particulas decerpendas. – Non suadeo –  
1<sup>o</sup> quia in particulis summa est obscuritas; – 2<sup>o</sup> pueri poetam nunquam imitari poterunt, vim  
affectuum, schemata, alia. Quare putarem, in poetis faciendum quod in Horatio et Martiali  
praestitum est. [*Stud. 2, f. 178v*]

## 27

### IUDICIA PATRUM IN PROVINCIIS S.I. DEPUTATORUM DE RATIONIS STUDIORUM (1586) TRACTATU: «DE VACATIONIBUS INFERIORUM CLASSIUM»<sup>1</sup>

ASSISTENTIA ITALIAE

Professores Collegii Romani

In § p.o – De vacationum usu etc. – Sentimus cum patribus.

Circa § 2.m – Non placet, ut rhetorica superiorum facultatum vacationes sequatur.  
Sed haec illi ratio vacationum videtur praescribenda: Primo, in vacationibus generalibus  
unus mensis satis illi esset. Deinde, intermissiones lectionum, quae ineunte iulio fiunt a  
prandio in superioribus scholis, non fiant in rhetorica, sed legatur mane et vesperi. In reli-  
quis vero omnibus sequatur classem humanitatis. In hoc ultimo non omnino consentiunt  
P. Rector [B. Sardi] et P. Augustinus [Giustiniani], qui velint singulis hebdomadis rhetori-  
co detur dies integer vacationis. Humanista enim vacat tantum a prandio. Quae sequuntur  
de classibus inferioribus, pro Italia placent, pro more romano. Reliquis provinciis videren-  
tur a R.P. Generali praescribendae propriae vacationes, iuxta regionum consuetudinem, ut  
supra diximus de vacationibus classium superiorum<sup>2</sup>.

§ 3 – De ratione feriandi intra annum: Placet.

§ 4 – De spectandis suppliciis: Nihil ea de re praescribendum videtur. [*Stud. 3, f. 49v*]

Provincia Neapolitana

§ 2 – Patrum definitio probatur omni ex parte Patri Maiorio et Patri Iustiniano, nisi  
quod una cum caeteris omnibus aestivis tantum vacationibus remitti vellent inferioribus

<sup>1</sup> Textum huius capituli vide in MP V 141.

<sup>2</sup> Vide supra, mon. 12 (Prov. Rom.).

classibus semihoram, quam ne tunc quidem detrahendam censent a scholis matutinis; imo, Pater Iacobus [Abbas] et Caretonius ne id quidem pomeridianis concedunt. In schola vero rhetoricae, ubi unus tantum est magister, Pater Rector [Spinelli], P. Iacobus Abbas et Caretonius integrum ei mensem vacandum putant, altero a prandio tantum, matutinis vero temporibus docendum.

§ 3 – Si initium legendi fiat post festum Omnium Sanctorum, non videntur commode posse inchoari lectiones nisi 3<sup>o</sup> die novembris. Pater Rector, P. Iacobus Abbas et Caretonius vellent explicari, ut in Rogationibus, cum supplicationes habentur, litaniae recitentur in classibus; praeterea optarent idem fieri diebus sabbati in classibus inferioribus, in quibus videntur recitandae litaniae Beatae Virginis, praesentibus omnibus auditoribus, exceptis iis, qui in congregationibus interesse debent. [*Stud.* 3, f. 103r]

### Provincia Sicula

Pag. 266, caput nonum totum probatur. Moderandae tamen videntur rhetoricae vacationes etiam ubi unus docet magister, nisi si cum tanta pompa doceretur, quanta Romae. [*Stud.* 2, f. 37r]

### Assistentia et provincia Lusitaniae

Pag. 266 et 142 – «Caeterae binis horis» – In hac provincia dum superiora gymnasia anniversa-[*Stud.* 2, f. 306r]riis duorum mensium feriis vacant, inferiora, a tertio inclusive, priori mense sesquihoram unam matutinam, alteram vespertinam in opere adhuc versantur. Neque est, cur haec consuetudo immutanda videatur; cum eo tempore praeceptores tum ob aestivos calores, tum propter scholasticorum paucitatem quaternas horas singulis diebus in gymnasio esse non debeant.

«Neque ad publicas processiones, nisi iubileo praescribantur» – Vel concursu totius urbis celebrantur; tunc enim absque offenculo detineri scholastici non possunt.

## ASSISTENTIA HISPANIAE

### Provincia Aragoniae

1. Ubi nunquam intermittuntur studia, eadem (nisi quae gravior obstiterit causa) videtur introducenda consuetudo, tum propter intermissionum necessitatem, tum propter communem Societatis morem. Iure autem videntur adiecta verba illa: Quod facile mutari non possit. Sunt enim academiae permultae, quibuscum etiam si nullum sit cum scholis Societatis commercium, multi tamen e nostris contendunt, nobis in ea re vel cum incommodo nostro parendum esse illarum consuetudini.

2. Ubi maxime viget aestus mensibus iulio et augusto, commodum videtur esse ac prope necessarium ita studiorum temperare rationem, ut grammaticae et humanitatis praeceptores mane sesquihoram et a prandio horam tantum, rhetores vero matutino tempore integram horam, pomeridiano vero dimidium vel unam summum horam in legendo consumant.

4. Ne parvuli quidem ipsi videntur excipiendi, tum ne tempus frustra conterant, tum ne a spectatorum multitudine proterantur. Caeterum, ubi offensio aliqua timeretur (quod accideret in Hispania cum publice supplicationes pro rebus gravioribus indicuntur), neutros abesse conveniet. Neque id erit perdifficile factu, si detur signum pro initio lectionum solito citius. [*Stud.* 2, f. 247r]

### Provincia Sardiniae

Curandum est in Sardinia, ut iisdem temporibus et eadem ratione et tantundem temporis vacetur in omnibus collegiis. Nam tardius vacatur in collegio calaritano, quam in sassaritano, et citius renovantur studia in calaritano, cum aequalis sit labor utriusque collegii praeceptorum. Nec minus quam sesquimenssem vacare deberet lector philosophiae, ut et tempus habeat animum relaxandi et praeparandi lectiones et exercendi defensuros conclusiones; quibus omnibus occupationibus non videtur sufficere mensis unus vacationum.

Utile etiam esset, renovari feriarum, quibus quoquo loco magistris cessandum esset, catalogum stabilem ac firmum, ne privatis cuiusque devotionis affectibus (ut saepe fit) quotannis immutentur, et semper maneamus incerti. Calari quidem in anniversario defunctorum et feria 4.a Cinerum saepius a [*Stud. 2, f. 267r*] prandio indictae sunt lectiones, sed effici non potuit. Quare necessario vacandum est. Posset tamen anniversarium defunctorum, in quemcunque diem incideret, ea hebdomada pro die recreationis numerari.

### Ioannes Mariana S.I.

Pag. 266 – Haec vacationum ratio, nescio an omnibus nationibus convenire possit. Multa enim in singulis sunt considerata. Provinciis constituendum relinquerem. [*Gall. 62, f. 20v*]

### Ioannes Legaz S.I. – Hieronymus de Burgos S.I.

In caput nonum – Las vacaciones en España parece vendrían más a propósito y más conforme con lo que está introducido por toda ella, que fuessen por el tiempo de los caniculares, por los excessivos calores que en ella haze. [Madrid, Bibl. Univ.]

## ASSISTENTIA GERMANIAE

### Provincia Austriae

Nº 2 – Quod hic dicitur de mense septembri, Viennae et Graecii intelligendum est de octobri, cum propter causam annotatam, tum propter vindemias, quae in hunc mensem incidunt.

Nº 4 – Quod de processionibus publicis dicitur, ne ad illas adolescentes dimittantur, dubium videri potest, an expediat illos retineri in scholis: – 1º Videmur abstrahere illos a communibus Ecclesiae ceremoniis; quod in his locis videtur valde cavendum, cum idipsum haeretici praecipue moliantur. Qua de causa cum aliquando Viennae mos esset, retinere illos in scholis prima hora matutina, quia tamen illa hora initium erat processionis, etiam illa data est, ne processioni derogaretur. – 2º Hoc ipsum expetere videntur parentes, quorum plurimi suos filios ad easdem processiones abducunt, ut tenera aetas ad ceremonias assuefiat.

Si vero dimittantur adolescentes, non minor est difficultas. Cum enim non dimittantur more parochialium scholarum, comitati suis magistris, et sint pars una processionis, fieri vix potest, ut petulantes non sint, non ludant, non rixentur, non interdum pugnent; ita pro exemplo, quod sperabamus et aedificatione, scandalo erunt catholicis. Et haec, tametsi per syndicos notari possunt et pro meritis puniri, tamen scandalum datum erit, priusquam illa puniantur.

In eodem capite visum est petendum, ut liceat grammaticis in canicularibus tota die hebdomadaria recreatione vacare, ubi id usu receptum est. [*Stud. 3, f. 272v*]

### Provincia Germaniae Superioris

Num. II – Mensis september, quia propter caeli temperationem studiis favet, putavimus octo tantum dies remissioni concedendos, ante instaurationem studiorum nimirum. Remissionem autem illam longiorem in caniculares transferimus, quo tempore aestus magnitudo multum libris incumbere auditores non sinit, et potest, cui necesse est, in patriam ad res necessarias comparandas proficisci. Servamus porro hanc rationem, ut mane doceatur una hora, post meridiem similiter una, et duo dies integri in hebdomade conceduntur ad vacandum, quo praeceptores respirare tanto magis possint. Quem morem his locis, ut commodiorem retinendum ducimus.

Num III – Existimamus eadem hoc loco dicenda, quae superius cap. 9, ad num. 2 de vacationibus maiorum studiorum dicta fuerunt<sup>3</sup>.

Num. IV – Iudicamus haec servanda esse. Quando autem et ubi non possint servari, id provincialis iudicio permittendum. [*Stud. 3, f. 219v*]

### Provincia Rhenana

Cap. 9 § 1 – Ubi feriae vindeminales erunt, eae sufficere possent; ubi non sunt, vacationum dies 15 dari. Ea tamen cautione quae in philosophorum vacationibus posita est, ut occupationem aliquam habeant, qui in patriam non abeunt; aliquam scilicet repetitiunculam, cuius modus tempus et ratio tota ex praefecti iudicio pendeant. Videbatur tamen quibusdam, dies octo satis fore, sed omnis scholasticae occupationis prorsus immunes.

§ 3 – Quinquagesimae feria 2.a et 3.a hinc vacari solet. Ut sacrum tamen iuvenes audiant, monentur.

§ 4 – Ad eorum supplicia, si qui aliquando eant, connivendum his in partibus videtur. – 1<sup>o</sup> Quia ea hinc rara sunt. – 2<sup>o</sup> Quia sunt coercendae iuventuti exempla percommoda. – 3<sup>o</sup> Quia ea parentum ipsorum aliquando voluntas est. Clericis tamen dissuadendum videretur.

Sacris processionibus iuventutem nostram interesse, docuit experientia in plerisque Germaniae locis perutile esse; ad illorum enim frequentiam alii sese paulatim adiungunt; cum antea vix unus et alter, praeter clerum, videretur. [*Stud. 3, f. 250r*]

### Provincia Aquitaniae

Pag. 267 – In sua classe etc. – Satius videtur aedificationis gratia, ut omnes scholastici ad pulsum campanae vocentur in sacellum ad litanias recitandas, ut et externi resciant nos huic sancto muneri non deesse. [*Stud. 3, f. 385r*]

### Provincia Franciae

(Pag. 266 lin. 1.a et 2.a) Visum est omnibus, vacationes aliquas, nimirum Societatis ordinarias, ubique introducendas, sicubi non sunt, et longiores sicubi sunt, contrahendas, ut supra dictum est, quando de vacationibus theologorum actum est<sup>4</sup>. Ibidem lin. 7.a 8.a et sequentibus n. 2<sup>o</sup>, ubi de vacationibus classis rhetoricae agitur, visum est duobus classem rhetoricae, sive unus duntaxat in ea sit praeceptor sive duo, non debere vacare ante renovationem studiorum, nisi ad tres hebdomadas. Alteri placuit, si unus duntaxat sit, concedi

<sup>3</sup> Vide *ib.* (Prov. Germ. Sup.).

<sup>4</sup> Vide *ib.* (Prov. Franciae).

tres hebdomadas; sin duo sint, quindecim duntaxat dies. At tres existimarunt mensem integrum classi rhetoricae concedendum esse, sive unum duntaxat habeat praeceptorem sive duos. Classi vero humanitatis, quinque duas hebdomadas concedendas iudicarunt, quatuor autem tres hebdomadas; caeteris denique classibus, omnes quindecim dies duntaxat concedendos arbitrati sunt ante instaurationem studiorum. At singulis praeterea classibus unum diem integrum in hebdomada recreationis a festo Divi Ioannis Baptistae usque ad finem anni concedendum omnes censuerunt.

(Pag. 267 lin. 14.a n. 4<sup>o</sup>) Ubi dicitur «in sua classe», visum est omnibus, in templo potius aut sacello ab omnibus pariter, si capax sit, recitandas esse litanias, quam a singulis in suis classibus. [*Stud.* 3, f. 362v]

#### Provincia Poloniae

§ 2 – Etiam ubi non sunt annuae vacationes, introducendae viderentur cum moderatione provincialis, ne nimium frangantur praeceptores.

§ 3 – Vigilia Nativitatis integra vacationi relinquenda esset.

§ 3 – Ad vitandum scandalum in septentrione videtur expedire, ut ne arceantur studiosi nostri a consuetis iam certis anni temporibus, processionibus, propter antiquam patriae consuetudinem. [*Stud.* 2, f. 162r]

#### Nicolaus Clerus S.I.

(Pag. 267 § 4<sup>o</sup>) De non adeundis processionibus. – Ultimum Pontificis diploma facit hic rectori potestatem instituendi processiones bis terve quotannis<sup>5</sup>. [*Stud.* 3, f. 367v]

#### Laurentius Faunteus S.I.

Cap. 9 – Optime. [*Stud.* 2, f. 179r]

## 28

### IUDICIA PATRUM IN PROVINCIIS S.I. DEPUTATORUM DE RATIONIS STUDIORUM (1586) TRACTATU: «DE TUENDA PUERORUM DISCIPLINA AC PIETATE»<sup>1</sup>

#### ASSISTENTIA ITALIAE

#### Professores Collegii Romani

§ p.s – De ostendendis regulis; 2.s item – De praecepto aliquo ex lectione eliciendo; et 3.s – De communione: Placet, nisi quod de communione discipulorum, loco illius particularae: «obligandi» – satius est, si reponatur: hortandi; adolescentes enim non sunt ad hoc sacramentum sumendum cogendi, ut sacrilegia vitentur etc.

<sup>5</sup> Diploma Gregorii papae XIII «Quaecumque sacrarum religionum ...» (16 iul. 1576) concessit Societati exemptionem a publicis supplicationibus; vide *Institutum S.I.* I 61-63; sed P. Generalis habet facultatem dispensandi, ubi id expedire videt; cf. decr. congr. gen. III n. 35; *Institutum S.I.* II 226.

<sup>1</sup> Textum huius capituli vide in MP V 141-43.



§ 6.s – De missa audienda ante scholas: Nullo modo probatur; quia nunquam omnes, immo paucissimi interessent; quod experimur nunc persaepe, cum initio scholarum quam plurimi desiderentur, hyeme praesertim. Quare servandus videtur mos romanus<sup>2</sup>. [*Stud. 3, f. 50r*]

§ 7 – De doctrina christiana: Placet. Nihil est quod certus aliquis catechismus praescribatur. Sufficit illud cavere, ut optimus quique deligatur.

§ 8.s – De censoribus, De odiis, De armis, De poenis etc.: Probatur omnibus.

Circa § 9.m – De congregatione: Deleatur clausula illa: «Et est Societatis seminarium maxime ferax». Licet enim id verum sit, non est tamen in publico studiorum ordine ponendum. In eo vero maxime consentimus, ut in academiam, qua patres censent alliciendos esse adolescentes ad congregationem, nullo modo admittantur ii, qui non sunt ex congregatione; quamvis unus, P. Parra contrarium sentiat. Hoc enim est antiquissimum privilegium congregationis; idque in Collegio Romano servatum est semper religiosissime. Deinde, si alii in academiam admittantur, vel ipsa congregatio dissipabitur, vel certe magna ex parte diminuetur. Iuvenes enim severiorem quandam vivendi rationem refugiant quam maxime, nisi oblectamento aliquo ad illam alliciantur. Quod si demas academiam, quid quaeso in hoc genere reliquum est? Et sane constat experientia, plurimos hac una spe congregationem petere, ut in academiam postea adscribi possint. Si vero alium aditum ad academiam aperias, illorum omnium iacturam faciat congregatio.

Illud quod dicitur, ne congregationis et academiae exercitationes fiant eo tempore, quo conciones sacraeve lectiones habentur in templo, licet probent alii, tamen P. Rector [B. Sardi] nullo modo probat. Ac primum quidem, quod ad pietatem pertinet, nonnisi pietatis exercitationibus vacant in congregatione. Deinde, concionum fructu non privantur; habent enim singulis hebdomadis et saepius etiam de divinis rebus cohortationem. Tum vero, si servare omnia debent, quae illis praescribuntur, ad id obligare adolescentes, est onus illis imponere satis grave. Porro, diebus festis aliqua animi relaxatio adolescentibus concedenda est; si vero concionibus etiam interesse cogantur, omnino multo laboriosior et molestior erit illis dies festus, quam feriatus. Siquidem nullus dabitur illis respirandi locus aut tempus; hyemis praesertim tempore, quo [50v] dies sunt breviores. Nam tempus antemeridianum solitis congregationis exercitationibus et sacro missae audiendo consumitur totum. A prandio vero interesse debent academiae; vel igitur ante concionem vel post. Ante nullum plane tempus relinquitur; Romae praesertim, ubi hora vigesima vix pransi sunt<sup>3</sup> aut ne vix quidem; immediatum deinde iter a mensa ad academiam est intolerabile.

### Provincia Neapolitana

§ 3 – Iis exceptis, qui sunt ex congregatione Beatae Virginis, placet omnibus discipulis unum assignari confessarium. Integrum tamen videtur omnibus relinquendum, ut possint uni vel alteri item designato confessario, si qui forte velint, confiteri.

§ 5 – Pater Maiorius, P. Iacobus [Abbas], Pater Iustinianus et Carretonius iudicant, Constitutiones<sup>4</sup> vix posse in hac parte ubique servari. Quomodo enim diebus festis ac dominicis infra annum convenient discipuli ad audiendam concionem, cum alii alio a parentibus ac pedagogis ducantur? Quod si non conveniunt, qua ratione observari a censoribus poterunt, utrum intersint concioni an non? Itaque satis esse [*Stud. 3, f. 103v*] iudicarent, si tempore Quadragesimae uno vel altero hebdomadae die concionem in nostro templo audi-

<sup>2</sup> «Tutti li scolari sentono messa ogni di al fin delle scuole»; ex «*Istruzioni ...*» pro magistris Coll. Rom. (1589); *Stud. 1/b, f. 368v*.

<sup>3</sup> De temporis computatione in Italia saeculis praeteritis vide MP I 76 et 167.

<sup>4</sup> Vide *Const. P. IV c. 16 § 1*; MP I 307 309.

re cogere. Pater Rector [Spinelli] et Pater Blasius [Mucantius] probant definitiones patrum propter Constitutiones.

§ 6 – De hora audiendi sacri secessio facta est; patribus enim Rectori et Blasio placet, exceptis diebus, quibus vigent maximi calores, missam audiri post scholas; quod experientia in multis Italiae locis compertum sit, id tempus esse multo commodius, ut omnes intersint. Patribus Maiorio, Iustiniano et Caretonio videtur sacrum praeponendum scholis in Italia statim post Pascha. Patri Iacobo probatur ut iacet.

Excepto Patre Blasio, reliqui omnes censent, nulla ratione posse congregationes pro dignitate et cum fructu retineri, si cogantur ante concionem et lectionem vespertinam suas exercitationes absolvere. Vix enim tempus matutinum sufficit, ut possint omnes confiteri, missam audire et reliqua congregationis exercitia peragere. Adde, quod bene sunt occupati in rebus spiritualibus, quae concionibus aequipollent, et ipsis scholasticis procul dubio sunt utiles.

### Provincia Sicula

Pag. 268 caput decimum totum probatur. [*Stud. 2, f. 37r*]

### Provincia Veneta

Pag. 269 § 5 – Magnam discipulis allatura videtur utilitatem singulis quibusque diebus Veneris, si ab uno ex nostris patribus habeatur exhortatio, qua vel praecepta decalogi vel quidpiam tale interpretaretur. Nam, etsi id sit praeceptoribus demandatum, ut quisque suos eo die pia aliqua ratione ad pietatem hortetur, tamen videtur praestantius, si pater aliquis, qui auctoritate, vitae sanctitate et doctrinae existimatione apud discipulos valeat, id praestaret. Maiorem enim procul dubio illi fidem haberent, atque eius verbis ad pietatem magis et virtutem exciterentur. Hoc enim olim factitatum est, nec sine ingenti omnium fructu. Ad eam vero exhortationem publicam inferiorum tantum classium discipuli cogendi essent.

Pag. 269 § 6 et 7 – In hoc 7 § dicatur ut in quinto § dictum est. [*Stud. 3, f. 164r*]

## ASSISTENTIA HISPANIAE

### Provincia Aragoniae

3. Quamvis optime videatur res successura, si unum habeant scholastici omnes confessarium eumque perpetuum, nulli tamen convenit aditum praeccludere ad alium quemcumque deligendum. Aiunt autem nonnulli, se externis sacerdotibus confiteri iam aut velle deinceps. Quorum eadem videtur habenda ratio atque eorum, qui nullo modo adduci possunt, ut singulis mensibus mentem expient, ut vel sic Constitutionibus satisfiat, quae cum eiusmodi scholasticis prudenter agendum esse praecipiunt<sup>5</sup>. Curandum tamen erit, ut sui quisque confessarii chyrographum afferat, quod fidem faciat confessionis.

4. Solent alicubi praeceptores nostri suis instare discipulis, ut diebus aliquot celebrioribus ad sacram mensam accedant omnes. Id quod multis sacrilegiorum materiam praebere solet. Eaque maxime de causa tollenda videtur huiusmodi consuetudo, nec ferendum ullo modo, ut praeceptores, quibus satis est ad [*Stud. 3, f. 247v*] eam rem suos auditores cohortari, velint etiam acerba quadam inquisitione explorare, utrum illi obeant Eucharistiae sacramentum nec ne. Id enim confessarii prudentiae relinquendum est.

<sup>5</sup> Vide *Const. P. IV c. 16 litt. A*; *MP I 309*.

6. Mensibus, quibus nimium mane propter diei contractiones inchoari solent praelectiones, praestaret haud dubie post datum receptui signum sacram rem audire, quam ante solis exortum. Praesertim, cum nullus per eos dies timendum sit actus. Hic enim experimur quotidie, nullos per id tempus aut sane paucissimos ad sacrum audiendum convenire sole-re. Necesse autem esse putamus, ut unus e nostris praeceptoribus eiusmodi sacro semper intersit, ne pueri, absente praeceptore, minus in ea re modeste se gerant.

2. Iuverit etiam non parum scholasticorum in virtute progressum exhortatio aliqua vulgari sermone. Quae ut Hispaniae fert usus, haberi posset ad omnes 1<sup>o</sup> quoque die, quo tempore doctrinae christianae rudimenta pueris explicari solent. Idque cum alias, tum vel maxime cum minus frequentes haberentur in templo nostro conciones. Nam privatae praeceptorum exhortationes parum habent virium ad excitandos puerorum animos ad pietatem, quin etiam praeceptores ipsi (praesertim ii, qui ad eas parandas minus apti sunt) aegre plerumque ferre solent onus eiusmodi.

#### Provincia Sardiniae

Recte omnia constituta sunt, servantur. Non etiam abs re esset, si libellus aliquis de civitate aut componendis moribus, qui christianum puerum deceant, ab aliquo nostrorum conscriberetur stylo facili, quem pueri saltem inferiorum classium haberent prae manibus. [*Stud. 2, f. 267r*]

#### Ioannes Legas S.I. – Hieronymus de Burgos S.I.

In caput decimum – Véase bien si por razón de no acudir los estudiantes, si no en tienpo de las lecciones, se podrá dar bastante recado a todos, principalmente quando ay muchos, que pareze por esta vía, se quedarán cada mes buen número dellos por confessar.

#### ASSISTENTIA GERMANIAE

##### Provincia Austriae

Nº 7 – Visum est, nimis esse breve tempus catechisticae lectioni praescriptum. Petitur ergo, ut hora integra ordinaria praescribatur, praesertim ultramontanis. [*Stud. 3, f. 272r*]

##### Provincia Germaniae Superioris

Num. III – Hic modus confessionis obeundae non caret incommodis. Creat enim cum praeceptoribus tum confessariis magnas sollicitudines. Illi non satis scient, ecquid omnes isto modo servato confessi sint, et isti ignorare diu cogentur, an suo labore tandem perfuncti sint, et quantum restet. Existent etiam [*Stud. 3, f. 220r*] perturbationes, distractiones in schola quotidiana. Menstruae autem confessiones, quantum fieri potest, ad vicinos dies festos, aut certe ad primas mensium dominicas videntur instituendae. Et, si necesse sit, duo aut tres dies, non intermissis lectionibus, huic negotio tribuendi. Quod si non sufficiat, praestat, ut in pervigilio festi pomeridianis horis nihil doceatur, aut etiam totus ille dies sit vacuus, quam ut toto fere mense tanti discipulorum discursus fiant. Sic maior erit confitentium pietas, ad quam invitare solet dierum sanctitas, plures et libentius etiam sacram Eucharistiam accipient, et simul res tota transigetur. Inter confessarios vero duos, qui vel omnibus vel certis scholis audiendis videntur praeficiendi, semper cuique soluta esse debet eligendi voluntas.

Num. VII – Placet semihoram tribui catechismo explicando. Ubi tamen humanistae cum rhetoribus, aut hi cum philosophis coniungerentur, putaremus, horam integram consumi posse, quo plenius et accuratius traderetur; id quod etiam in libello dicitur.

Per omnes scholas censemus catechismum latinum docendum, et hoc quidem modo. – 1. Quaestionis et responsionis argumentum breviter indicetur, accommodate ad captum puerorum. – 2. Sensus reddatur lingua vernacula in scholis inferioribus. – 3. Addatur copiosior explicatio, quae aequae et intelligentiam instruat et affectum excitet. Habeatur autem ingeniorum ratio, et nullo modo grammaticum ex catechismo examen instituat.

Evangelium apud transalpinos saltem in praefesto arbitramur exponendum; in gymnasio, in quo graeca grammatica perfecte traditur, graece, in inferioribus latine, in superioribus neutro modo. Themata in graecis investigentur, documenta moralia inter explicandum eliciantur, sicut in aliis auctoribus faciendum praecipit numerus 2. Ne sint autem conacionatorum aut exhortatorum similes in ea re magistri.

Num. VIII – Praeceptores non nisi consulto praefecto faciant, quod hic dicitur, de mittendis discipulis ad domos absentium. In inferioribus sint animadversores, qui absentium nomina scribant. In superioribus, si id commode fieri non potest, praefectus et praceptor modum aliquem inveniant.

### Provincia Rhenana

Cap. 10 § 3 – De confessionibus haec videbantur: – 1<sup>o</sup> Ut confessarii plures adhiberentur; et ex iis, quem quisque vellet, deligendi potestas esset. Hoc enim ad maiorem confessionis religionem facere compertum est. Confidentius enim et liberius uni alicui, quem elegerunt, pueri confitentur, quam alii cuilibet. – 2<sup>o</sup> Lectio nunquam intermitteretur. – 3<sup>o</sup> In hebdomade media confiteri non urgerentur, sed ad dominicum vel festum diem propius accedere liceret. Alioqui parum ad confessionem bene comparati accedunt; et, si communicaturi sint, iis iterare confessionem, molestum. Solent hic chartulae a pueris confessario dari, quibus factam ab iis confessionem praefectori constet.

*Catechismus* § 7 – Unus Societate tota catechismus, sicuti una grammatica, una dialectica etc. Is autem P. Canisii esse potest. Nam, praeter eas rationes, quas libellus significat, accedit imperatoris Ferdinandi et Hispaniarum Regis auctoritas<sup>6</sup>; qua effectum, ut in Germaniae totius monasteriis et scholis omnibus trivialibus praelegatur, ediscatur. Eius autem explicationi, repetitioni, recitationi, sesquihora istis in partibus hactenus tributa fuit, neque deinceps minustribuendum videtur; faciendumque, ut in superioribus scholis unus sit magister communis, qui paullo accuratius religionis catholicae firmamenta explicet, haereticorum captiones dissolvat. Omnia enim omnino loca disputationibus et fidei contentionibus personant: disputandum domi, disputandum foris, cum viatoribus contubernalibus, amicis, cognatis, fratribus, parentibus, in viis, rhedis, navibus, cauponis. Et haereticorum quasi alphabetarii ita perdit magistorum suorum catechismos et tendiculas ediscunt, ut ludae vigilantia Christi discipulos expergefaceret merito debeat. Turpe siquidem fuerit, illos audacter nugas nescio quas deblaterare, nostros vero auditores iis neque respondere, neque de catholicae fidei veritate quidquam mutire posse. Quam etiam ob rem superiorum classium discipuli, adeoque philosophi, more hactenus recepto, catechismum recitare iubendi videntur, maxime cum in sacris ordinum examinibus, pleraeque omnes e catechesi quaestiones ponantur. Sunt autem nonnunquam etiam philosophi a catechismo rudiores,

<sup>6</sup> Vide Petrus CANISIUS S.I., *Parvus catechismus catholicorum, nunc primum integritati suae restitutus, et singulari auctoritate Sac. Caes. Maiestatis editus* (Antverpiae 1562); SOMMERVOGEL II 635.

quod vel ex aliis scholis, aliquando etiam haereticis, ad philosophandum accedant, vel ex inferioribus egressi, eam insuperhabeant, ideoque facile obliviscantur. [*Stud. 3, f. 250v*]

*Castigatio* § 8 – Incidit inter patres vetus et saepe agitata quaestio, num ea puerorum delicta, quae domi quidem admittuntur, sed ad nostros per ipsorum parentes, heros aut domesticos alios deferuntur, plecti a nobis debeant. Nam, si plectantur, magnam et plagosam nimium provinciam suscipiamus. Mallent enim fere plerique pueros a nobis quam a se castigari; pueros vero accusatos et sese excusantes contra domesticos accusantes audire oportebit, et quoddam veluti iudicium exercere. Fit enim interdum, ut falsa in pueros ab iratis domesticis delicta conferantur, et tunc innocentes si caedimus, eorum a nobis animos abiungimus. Si non caedimus, ipsis accusatoribus remissi videbimur, eorundem offensio- nem vix effugiemus. Habet interim plurium scholarum mos, ut quocunque indicio comper- ta puerorum flagitia flagris aliove modo vindicentur.

### Provincia Aquitaniae

Pag. 269 – Sacrum omnia praecedere aequum est, ubi sunt in collegiis nostris convic- tores. Alias vix unquam cogemus auditores nostros ad nostrum sacrum venire, nisi post lectiones fiat; praesertim cum longissime a nobis aliqui habitent.

Pag. 270 – Alliciendi academia ... – Ut res calumniis non exponatur, cooptandi etiam viderentur ad academiam aliqui, licet pauci et maturiores, etiamsi congregationi nomen non darent. [*Stud. 3, f. 385r*]

### Provincia Franciae

(Pag. 268 n. 2<sup>o</sup>) Visum est tribus, scholasticis designandos esse dies festos et domini- cas, ut confiteantur, ne lectiones suas omittere cogantur; nec unum duntaxat aliquem deli- gendum esse, cui confiteantur, sed tres pluresve. Alicui tamen [*Stud. 3, f. 363r*] placuit, ser- vandam esse consuetudinem antiquam, qua confiteantur diebus, quibus legitur, atque aliis etiam, si opus est, utque duos tresve habeant sibi designatos confessarios, quibus liberum sit illis confiteri, eligendo quovis tempore quemcumque volent ex illis; licet expediret maxi- me ad illorum profectum spirituale, et optandum esset maxime, ut unum certum sibi deli- gerent confessarium, quem semper retinerent, ei totam suam conscientiam aperiendo, ni- hilque celando. Alii quatuor iudicarunt, praxi et pro locorum consuetudine relinquendum esse liberum, quo die confiteri debeant, festo aut intermissionis a studiis, an die quo legitur; quia difficulter adduci poterunt, ut confiteantur die festo aut dominico, vel quo studia in- termittuntur; sed facilius confitebuntur diebus, quibus legitur; quod tamen ita perficien- dum est, ut lectiones non omittant suas. Nec defuit qui arbitraretur, liberum eis relinquen- dum esse, ut confiteantur, cui volunt; quia confessio libera esse debet, ne aliquid consulto reticeant, si uni confessario alligentur, aut ex timore aut ex pudore; ita tamen, ut confitean- tur die quo legitur, nec lectionem praetermittant. Unus nihilominus putavit unum aut ad summum duos oportere esse pro omnibus designatos confessarios, sed graves et idoneos valde atque expertos, qui eos iuvare possunt.

(Pag. 169 lin. 14.a n. 5<sup>o</sup>) Fit mentio Constitutionum, nec citatur locus, nec verba pro- feruntur; quae videntur ad longum ponenda citato loco Constitutionum, parte scilicet et capite, in quo Constitutiones iubent pueros audire conciones<sup>7</sup>. Ibidem quaesitum fuit, qui-

<sup>7</sup> Vide *Const. P. IV c. 16 § 1*; MP I 307 309.

busnam diebus deberent pueri audire conciones, quae habentur in nostro templo aut alibi; et an semper et omni tempore, aut quoties habentur? Quidam putarunt, dominicis tantum diebus et festis illos ad id adigendos, non etiam in Adventu aut Quadragesima, aliisve diebus, quibus vacant exercitiis literariis, ne illorum studia impediuntur. At duobus visum est, eos excipiendos esse a concionibus, quae in Adventu habentur, quod huiusmodi generales non sint, nec ubique habeantur; at vero in Quadragesima debere vel quotidie vel saltem ter in hebdomada concionem audire, scilicet feria 2.a 4.a et 6.a. Aliis duobus placuit hoc relinqui liberum pro more et consuetudine loci; et alteri praecipendum ut conciones audiant diebus festis et dominicis, et in Quadragesima praeter diem dominicam, etiam feria 4.a et 6.a.

(Pag. 269 lin. 20.a et 21.a n. 6<sup>o</sup>) Ubi dicitur «praesentibus magistris vel decurionibus», aliqui iudicarunt, saltem magistros suis quemque discipulis adesse oportere. Alii, ne graventur magistri, quibus forte hoc onus grave erit et incommodum, maluerunt hoc relinqui liberum, ut adsit vel praefectus studiorum inferiorum classium, aut magister aliquis, quilibet suas vices subeundo, aut decuriones prout expedire videbitur. Non enim magistri erit id semper commodum. Occasione huius ibidem quaesitum est, an pueri cogendi sint, ut intersint etiam vespertinis praecibus, quando illae cantantur diebus festis et dominicis in nostris templis aut collegiis, atque etiam antiphonae Beatae Virginis, quae in quibusdam locis atque collegiis canitur omnibus feriis post scholas vespere? Et quidem omnibus visum est, nusquam introducendas esse vespas in nostris collegiis aut ecclesiis, ubi iam non sunt; sed illas tamen audiant pueri in aliis ecclesiis, ubi illae habentur. Quando tamen habentur illae in nostris templis et collegiis, ut in locis illis, in quibus iam introductae sunt, eas ibidem pueri audiant. Antiphonam autem Beatae Virginis, quae quotidie post classes in quibusdam locis atque collegiis canitur, abrogandam et tollendam omnes iudicarunt, nisi ubi ex fundatione collegii ad eam obligamur, ut alicubi fit, aut absque gravi scandalo tolli nequit. At nusquam posthac introducatur, et ubi cantatur, eam scholastici audire teneantur.

(Pag. 269 lin. 26.a et sequentibus aliquot n. 7<sup>o</sup>) Ubi de doctrina christiana praescribitur, omnes iudicarunt, horam eidem recitandae integramtribuendam, et non tantum semihoram, quae vix sufficit. Eandem quoque in omnibus classibus, exceptis tribus classibus philosophiae, docendam et memoriter reddendam tres ex deputatis censuerunt; licet duo ex deputatis et alius quidam ad consultationem vocatus, ne philosophos quidem ipsos ab ea reddenda memoriter eximi voluerunt magis quam rhetores, sed omnes ex aequo ad hoc pensum reddendum astringendos censuerunt.

(Pag. 270 lin. 6.a 7.a et 8.a) Odiosa nimis visa est cuipiam illa comparatio, qua catechismus P. Canisii ceteris omnibus tanto intervallo antefertur, et plus aequo immoderata eiusdem commendatio, quae temperanda videtur, ne nostra nimium magnificare, aliena vero deterere videamur.

(Pagina eadem, linea penultima) Quod dicitur de academia illa congregationis cum hîc, tum pag. 271 lin. 3.a et 6.a, non est ulli probatum, quia huiusmodi privata academia solet esse seges et fomentum invidiae, simultatis atque aemulationis inter auditores nostros, dum quidam gloriantur se ex academia esse, alios vero non, et illi hos saepe contemnant; et parum convenit communi Societatis nostrae charitati, quae omnium commodis ex aequo studere debet. Quare iudicarunt omnes huiusmodi academias non esse ordinarie instituendas, sed relinquendum hoc iudicio, prudentiae et ordinationibus superiorum, ut quod videbitur expedire in Domino, id faciant.

### Provincia Poloniae

Quod n. 7 praescribitur de lectione catechismi in singulis classibus, si ad superiores etiam extendatur, videbitur iis contrarium, quae supra cap. de controversiis pag. 271 ordinata sunt de lectione Catechismi Roman<sup>8</sup>. [*Stud.* 2, f. 162r]

### Ioannes Balmesius S.I.

28. R. P. Canisii catechismus in quibusdam superfluous, in multis mancus quoad illa, quae vita christianae necessaria sunt. Habemus etiam in Gallia catechismos canisianos parvos, mediocres et magnos diversis verbis; sic, ut actum agere cogantur discipuli, qui parvum didicere in infima classe, dum mediocre in superiore et magnum in superioribus addiscendo eadem aliis verbis discunt; imo dediscunt ob confusio-

nem.  
270 29<sup>o</sup> – Cum contumacibus discipulis magistri nostri contendendo auctoritatem amittunt. Rem ergo ad superiorem primum deferant, re infecta.

271 30<sup>o</sup> – Non decet congregationis exercitationes praeferri Ecclesiae universalis exercitiis. [*Stud.* 2, f. 183v]

### Nicolaus Clerus S.I.

(Pag. 269 § 6<sup>o</sup>) – Ut intersint sacro ante scholas – Id si hic fiet, non fiet sine iactura temporis et multi elabentur.

(Pag. 270 § 7<sup>o</sup>) Vult retineri Canisii catechismum breviorum. Quid, si alius melior? [*Stud.* 3, f. 367v]

## 29

### IUDICIA PATRUM IN PROVINCIIS S.I. DEPUTATORUM DE RATIONIS STUDIORUM (1586) TRACTATU: «FINES ATQUE EXERCITATIONES SCHOLARUM GRAMMATICAE ET HUMANITATIS»<sup>1</sup>

### ASSISTENTIA ITALIAE

### Professores Collegii Romani

De fine et exercitatione scholarum grammaticae et humanitatis probamus, quod patres ipsi praecipunt. Existimamus enim ea esse prudenter, sapienterque constituta. Quod si quid immutandum videretur, illud vero demandandum esset hominibus, qui in hisce rebus diu multumque versati sunt. Ipsa etiam optima rerum magistra docebit experientia, quo modo res bene cedere possit.

<sup>8</sup> Vide MP V 87 § 8.

<sup>1</sup> Textum huius capituli videas in MP V 143-56.

### Provincia Neapolitana

Primo, placet omnibus temporis distributio in thematibus emendandis; quia tamen, ut supra dictum est<sup>2</sup>, debent magistri committere decurionibus, ut audiant discipulos recitantes, possent ipsi interea, dum recitatur, tam mane quam vesperi, multa themata sigillatim emendare modo fere supra explicato; – 2<sup>o</sup> ut certi libri, tum Ciceronis tum aliorum authorum, pro singulis classibus designentur, ne interdum, occupatis gravioribus, sint in superiori classe praelegendi leviores; – 3<sup>o</sup> ut praeceptores themata non subito, sed meditato et scripto dicent; – 4<sup>o</sup> In pagina 288, quod spectat ad classem humanitatis, probatur magis posterior modus, ad quem videntur accommodanda omnia quae infra dicuntur; – 5<sup>o</sup> Pag. 291 Plinii epistolae videntur omnibus a scholis reiiciendae; – 6<sup>o</sup> Pag. 292, non videntur onerandi praeceptores binis lectionibus antemeridianis, cum praesertim satius videatur historica omitti omnino quam ita ieiune tractari, ut significant patres; – 7<sup>o</sup> Pag. 293, prosodia potius deberet praelegi in prima grammaticae post Pascha, et plenius initio statim anni in classe humanitatis, ut fit in Collegio Romano, et hoc nostro; – 8<sup>o</sup> In eadem pag. 293, compendium rhetoricae videtur inchoandum statim post Pascha, quia alioqui non explicabitur cum fructu. Denique, Caretonius vellet statui certum numerum discipulorum cuique classi accommodatum; constat enim experientia, magistros centenis et multo pluribus discipulis oneratos, praesertim in inferioribus classibus, nihil proficere. [*Stud.* 3, f. 103v]

### Provincia Sicula

Pag. 272 – De finibus et exercitationibus scholarum, si scholae sex grammaticae omnino sunt vel instituendae vel retinendae, placet haec divisio. Sed tamen videtur magis expedire, ut in omnibus collegiis quatuor tantum classes instituerentur, neque admitterentur discipuli, qui activa et passiva non nossent; tum quia hoc ordine inferiores discipuli, ut experientia constat, nullum fructum solent facere in nostris classibus, tum quia Constitutiones non videntur hoc dicere, sed solum concedere, ut ob multitudinem discipulorum scholae geminari possint<sup>3</sup>. Illud autem in divisione horarum communiter non probatur, quod nulla neque grammaticae neque praeteritae Ciceronis lectionis repetitio assignatur; deinde, quod mane duae lectiones grammaticae et Ciceronis habentur, vesperi nulla; postremo, quia parum temporis compositionibus corrigendis attribuitur.

Pag. 276 – In tertiae classis ordine superiore videndum est, num trimestre spacium superfluum sit, et an ex inferiore secundae aliquid detrahendum, quod huic addetur.

Pag. 278 – In ordine inferiore secundae classis, cum iubentur discipuli verbum aut nomen aliquod difficilius cum Cicerone recitare, dubitari potest, unde nomina et verba difficiliora peti debeant, cum in grammatica descripta non sint.

Pag. 282 – In ordine inferiore primae classis videatur, an Eglogae Virgilii superent caput ipsorum discipulorum. Cum vero in ea classe duobus extremis mensibus alternatim graeca vel prosodiae praecepta exponi iubentur, dubitari posset, quid acturi sint reliquarum classium discipuli, qui ad hanc classem graecarum literarum causa venire iubentur.

Pag. 283 – In primae classis ordine superiore considerandi sunt libri, qui huic ordini assignantur; nam Caesar et Martialis magis proprii videntur humanitatis. [*Stud.* 2, f. 37v] Iustinus videtur mutandus; Laelius et Cato etiam humanitati tribuuntur; deinde, forte nimis lectionibus discipuli onerantur.

<sup>2</sup> Vide supra, mon. 23 (Prov. Neap.).

<sup>3</sup> Vide *Constit.* P. IV c. 13 litt. B; MP I 289.



Pag. 285 – Circa distributionem quinque scholarum magis probaretur, ut reiiceretur quinta. Quod si quinque omnino retinendae sunt, haec divisio probatur.

Pag. eadem – Circa divisionem quatuor scholarum magis probatur, ut tota tertia omittatur neque rudimenta tradantur.

Ubi autem tres sunt classes, videntur quatuor ordines modo explicati in tres classes dividendi, ut rudimenta nullo modo doceantur.

Ubi vero sunt duae classes, coalescant quatuor ordines in has duas; et sic tertius magister potest docere humanitatem. Quod si omnino tradenda sunt rudimenta, etiam tertius magister videtur onerandus grammatica, et sex ordines dividendi in tres classes, ut singuli binos sortiantur.

Ubi autem duae sunt classes tantum, videntur omnino excludi debere rudimenta, quia alioqui nimis onerarentur magistri septem classibus (si humanitas etiam docenda est) in duas coeuntibus.

Pag. 288 – De modo constituendi classem humanitatis et rhetoricae, poetices et historiae absolutio et perfectio tradenda videtur in rhetorica; ita tamen, ut earum rerum fundamenta in humanitate iaciantur.

Pag. 293 – Sciendum est in Fastis Ovidii multa inesse turpia, et emendatione libros illos indigere.

Pag. eadem – Quod duo tantum menses explicandae Rhetoricae Ciprianus assignantur, id quidem videtur expedire, ubi est classis altera rhetoricae separata; ubi vero nulla est rhetoricae huiusmodi classis, satius forte esset, statim post Pascha aut certe Pentecosten rhetoricam docere.

Pag. 294 § 2 – Ubi rhetorica eo apparatu, quo Romae traditur, duo videntur esse necessarii magistri; in aliis locis unus satis esse posset.

#### Provincia Veneta

Pag. 295 § 3 – Consuetudo introducta in quasdam provincias, ut magister rhetoricae moreretur in gymnasio quinque horas, retinenda est; praesertim in collegiis, ubi sunt tantum tres scholae, quarum suprema humanitati primariorum collegiorum respondet fere. Immo, est introducenda, ubi non est, ne unius magistri provinciae querantur, se deterioris esse conditionis, quam alterius, et caelum mutare cupiant. In primariis vero, ubi plures sunt scholae, posset rhetorica habere hoc privilegium, ut quatuor horas aperta sit, quo caeteri rhetores extimulabuntur ad sui perfectionem, ut aliquam tandem primam cathedram cum privilegio obtineant. Posset etiam hac in re haberi ratio magistri, qui nostrorum seminarium docet.

Pag. 297 § 5 – Si dictandi mos alicunde eiiciendus est, e rhetorica maxime extrudendus. Fugiendi longi tractatus, nec ulla schola praetereunda est, sine auctoris explanatione, ne alatur illa opinio de nostro gymnasio rhetoricae, quaestiones fieri, et non auctorem legi. [*Stud.* 3, f. 164v]

#### Didacus Tapia S.I.

In nonnullis collegiis est in usu, non admittere in scholasticos, nisi activa et passiva sciant; et aliqui volunt ut ubique id observetur. Hoc videtur inconveniens: primo, nam bona ex parte tollitur finis studiorum Societatis, scilicet iuventutis institutio bona. Si autem nos non doceamus illa principia, discent illa fortasse a praeceptoribus non bonis, cum quibus forte bibent malorum initia morum. Et hoc nocumentum maximum esset praecipue in terris haeresi infectis. Deinde, in multis locis non sunt magistri ad illa discenda principia, nec homines sunt adeo ubique divites, ut pro filiis possint habere pedagogos. Quam ob rem

<sup>4</sup> Cyprianus SOARES S.I., *De arte rhetorica*; cf. supra, mon. 10 adn. 211 et passim.

propter defectum principiorum multi remanebunt perpetuo idiotae, quia alias studia persequerentur. [*Stud. 2, f. 54v*]

### Assistentia et provincia Lusitaniae

Pag. 293 – «Duobus extremis» – Duobus extremis anni mensibus ita languent studia in hac provincia, tum propter aestivos calores, tum simul ob auditorum in pa- [*Stud. 2, f. 305v*]trias abeuntium paucitatem, ut incommodum atque inutile omnino sit eo tempore rhetoricae praecepta discipulis tradere; ideoque compendium rhetoricae ex Cypriano<sup>5</sup> in classibus humanitatis a principio martii explicari solet. Nec vero id anno ineunte inchoari debuit, ne exercitationibus, quae ad humanitatis studia pertinent, tempus subtraheretur.

Pag. 294 – Classis rhetoricae, quae in conimbricensi et eborensi collegio primum et secundum gymnasium complectitur, haud dubie aliam poscit doctrinae et explicandorum librorum rationem, quam quae hoc loco proponitur. Neque enim qui ad eam mittuntur, adeo magnum in humanitatis studio progressum fecere, ut non eis adhuc enarrari debeant libri aliquot Virgilii, Livii, Tusculanarum quaestionum, alique eiusmodi, qui ad comparandam in hoc genere eruditionem et ad stylum in latina oratione conformandum explicari solent. Itaque ea rhetoricae classis, quae hic describitur, auditores requirit unum iam aut alterum annum in primo secundove gymnasio conimbricensi versatos; qui tamen peracto anno ad dialecticam vel iuris prudentiam confestim dilabuntur. [*Stud. 2, f. 305v*]

Pag. 299 et 274 – Horarum divisio, quae singulis classibus praescribitur, locum habere non potest in hac provincia; tum quia in omnibus tam humaniorum literarum, quam philosophiae gymnasiis duas horas et dimidiam mane, ac totidem vesperi scholastici demorantur; tum quia extrema hora matutina in dictando et componendo themate consumitur. Quem morem utiliorem videri, quam si domi componant, superius retulimus<sup>6</sup>. Dum vero in compositionem incumbitur, consuevere nostrates praeceptores superioris diei themata, vocatis ad se privatim discipulis, in suggesto emendare. Cum neque omnia vespertino tempore cunctis audientibus legi possint, neque omnia, quae supersunt, discipulis corrigenda tradere expediat.

### ASSISTENTIA HISPANIAE

#### Provincia Aragoniae

1. Quantum ex romana horarum divisione perspicere potest, semihora dumtaxat tribuitur lectioni et repetitioni praeceptorum. Quae tametsi inferioribus classibus videtur suffectura, superioribus tamen, ubi praecepta maioris sunt momenti, non sufficient. Semihora namque danda videtur explicationi praeceptorum, et eorumdem repetitioni atque exercitationi altera semihora. Alioqui pueri nunquam omnino discent, quae ad perfectam grammaticae cognitionem requiruntur.

2. Accurata auctorum explanatio, ut quaeque classis superior fuerit, plus efflagitat temporis, quam quod hoc loco, superioribus praesertim ordinibus, assignatur.

3. Hic summopere necessarium iudicamus praelectionis hesternae repetitionem cum brevi quadam eorum exercitatione, quae in ea fuerint observata, non quidem omnium, sed eorum duntaxat, quae scitu digniora videantur. Idque antequam nova inchoetur praelec-

<sup>5</sup> Vide adn. praecedentem.

<sup>6</sup> Vide supra, mon. 23 (Prov. Lusitaniae).

tio. Nam, praeterquam quod utilis est crebra eorum, quae audiuntur a praeceptore, repetitio, hoc etiam inde consequitur, ut pueri diligentiores se praebeant in percipiendis et retinendis iis, quorum certo sciunt se reddituros postridie rationem. Quod fieri etiam expediret in praeceptis, si id temporis ratio pateretur.

4. Oportet tempus praestitui praeceptoribus, quo suos quotidie auditores exercent; tum in iis, quae in inferioribus classibus audierunt, tum in mutuis concertationibus, quas oportet esse quotidianas tam in inferioribus classibus, quam in superioribus; quod aequae necessariae videantur in utrisque. Explicandum etiam videtur, quantum temporis consumendum sit in repetendis iis, quae in inferioribus classibus pueri didicerunt.

5. Quemadmodum hoc loco dividuntur horae octo praeceptoribus, ita videtur oportere dividi quoque cum sunt 7 6 5 4 3 aut 2; eoque magis, quo difficilius esse constat, pari tempore tam multis operam dare, ut ne ad scalpendas quidem aures sit otium. Expediret etiam apponi horarum divisionem servandam vacationum tempore, ut sciant praeceptores, quid tunc omittendum, quidque mutandum sit. [*Stud. 2, f. 248r*]

6. Cum in diem sabbati haec omnia simul incidunt, primo, repetitiones omnium hebdomadae praelectionum ex cap. 5; 2<sup>o</sup> concertationes, de quibus cap. 6, vel aliae privatae, si id expedire videatur; postremo, declamatio ex eodem cap. 6<sup>7</sup>; necesse erit peculiarem addere eius diei divisionem, quae omnes huiusmodi exercitationes complectatur. Quod si quid praeterea fuerit explicandum, hora etiam adscribatur.

7. Cum, sublata graeca lingua, supersit in omnibus grammaticae classibus (praeterquam in superiore primae classis ordine) semihora, posset ea tribui pluribus thematis corrigendis, quod haec exercitatio maxime necessaria videatur.

Quoniam patris Emanuelis<sup>8</sup> grammatica minus apte videtur hoc loco in singulas classes ordinesque distribui, coacti sumus tumultuariam hanc, quae proxime sequitur, horarum et exercitationum adhibere divisionem, quae superiori nostrae grammaticae partitioni conveniret. Nam in hispanis editionibus nulla est varietas appendicum 1 2 et 3 generis; quae rem obscuriorem reddunt. Iam in hispaniensi more legendi nullus esse solet veluti transcursus ad ea, quae longius absunt, sed praeceptorum ordo servatur et suo quaeque loco docentur. In distributione vero romana omnia fere praecepta permiscuntur, cum syntaxis doceatur ante nominum genera, et partes orationis tradantur ante nominum et verborum inflexiones. Quare si quid placuerit, transferatur hinc alio, et uberius atque subtilius explicetur.

### Tertiae classis inferior ordo

Ad hunc ordinem pertinent omnes nominum atque verborum inflexiones usque ad anomala, adhibitis omnibus vulgaribus interpretationibus. Satius enim fuerit eas simul hic disci, quam alio differri, cum non sint ita perceptu aut retentu difficiles, ut pueris in Hispania aliquid negotii facessant. Huius etiam classis est proprium, orationes activas passive reddere et contra.

#### *Horarum divisio in hoc ordine*

Prima sesquihora antemeridiana – Dimidia reddentur memoriter declinationes nominum coniugationesque verborum.

Quae sequitur hora, consumetur tota in nominibus verbisque flectendis tam servato casuum personarumque ordine, quam inverso et interrupto, addito etiam uno aut altero nominibus fixis appposito.

<sup>7</sup> Capita 5 et 6, de repetitionibus et concertationibus, vide in MP V 128-38.

<sup>8</sup> Emanuel ÁLVARES S.I., *De institutione grammaticae*; de qua cf. supra, mon. 21 adn. 2 et passim.

Ultima hora ante meridiana – Dimidia prior emendatae scriptioni et pronuntiationi, posterior vero mutuis concertationibus tribuetur.

Scholis pomeridianis – Eadem exercitationes et eodem modo repetentur a prandio, nisi quod semihora videtur inde sumenda ad sententias ex agentis voce in patientem et contra vertendas.

### Tertiae classis superior ordo

Huc spectant primum rudimenta illa breviora et faciliora, de quibus supra cap. 3 dictum est<sup>9</sup>; deinde anomala, tum genera nominum, postremo faciliores Ciceronis epistolae.

#### *Horarum divisio in hoc ordine*

Prima sesquihora antemeridiana – Dimidia recitetur memoriter Tullius cum aliquo nomine seu verbo anomalo. Primam horae sequentis partem hesternae praelectionis exercitatio pro captu discipulorum, duas vero sequentes futura praelectio et eiusdem repetitio, ultimam thema dictandum occupabit.

Ultima hora antemeridiana – Dimidia flectentur nomina ac verba anomala, altera vero dimidia danda videtur puerorum conflictui.

Prima pomeridiana – Dimidia reddentur memoriter concordantiae cum generibus nominum, quae fuerint explicata; altera vero [248v] dimidia corrigentur themata.

Secunda pomeridiana – Sequens hora ita dividetur, ut priore semihora explicentur concordantiae cum generibus nominum, posteriore vero exerceantur pueri in utrisque.

Ultima semihora pomeridiana – Inflectentur nomina aut verba, aut disputabitur. Primo vero mense repetentur, quae superioris sunt ordinis.

### Secundae classis inferior ordo

In hoc ordine explicanda videntur haec quatuor: declinationes nominum, praeterita cum supinis, rudimenta nominis et verbi longiora et epistolae Ciceronis.

#### *Horarum divisio in hoc ordine*

Prima sesquihora antemeridiana – Dimidia reddetur memoriter Tullii praelectio, sequens vero hora tribuetur iisdem exercitationibus, quibus superiore proximo ordine diximus tribui posse.

Ultima hora antemeridiana – Priore dimidia inflectantur nomina verbaque difficiliora, aut componatur ex tempore; posteriore vero disputetur.

Prima sesquihora pomeridiana – Dimidia recitentur memoriter praecepta huius ordinis propria, sequenti vero hora themata corrigantur. Primo autem mense petantur semihorae spatia, quae ad superiorem ordinem pertinent.

Secunda hora pomeridiana – Dimidia vacabitur explicationi praeceptorum, ad hunc ordinem pertinentium; altera vero dimidia eorum exercitationi. Quod si quid reliquum fuerit temporis, concertationibus impendetur.

<sup>9</sup> Vide supra, mon. 23 (Prov. Aragon.).

### Secundae classis superior ordo

Huc pertinent reliqua rudimenta partium orationis, compendium syntaxis et auctores, de quibus in libro de ratione studiorum<sup>10</sup>.

#### *Horarum divisio in hoc ordine*

Horis antemeridianis – Dimidia reddetur memoriter praelectio Tullii. Prima sequentis horae pars dabitur praxi praelectionis hesternae; quod reliquum fuerit horae, lectioni et repetitioni sequentis praelectionis. Dictabitur statim thema. Quidquid superfuerit temporis, thematis extemporalibus et concertationibus (alternis diebus) tribuetur. Flecti etiam aliquando poterunt nomina verbaque difficiliora.

Prima sesquihora pomeridiana – Dimidia recitentur memoriter praecepta grammaticae.

Hora sequenti emendentur themata. Primo vero mense, quo ultima semihora repetenda sunt superioris ordinis praecepta, dimidia dumtaxat consumetur in thematis corrigendis.

Secunda hora pomeridiana – Dimidia exponantur praecepta, eademque sequenti dimidia traducantur ad usum et exercitationem.

### Primae classis inferior ordo

Hic exponetur tota syntaxis propria usque ad figuratam, et epistolae Ciceronis.

#### *Horarum divisio in hoc ordine*

Prima sesquihora antemeridiana – Dimidia recitetur memoriter Cicero, per quadrantem repetantur hesternae praelectionis observationes et reliqua, quae repetitione digniora videbuntur. Deinde explanetur auctor et repetatur.

Ultima hora antemeridiana – Dictetur thema, et vacetur vel repetendis iis, quae in inferioribus classibus didicerunt pueri, vel mutuis concertationibus vel thematis extemporalibus, ut et auditorum utilitati consulatur et tempori.

Prima sesquihora pomeridiana – Dimidia reddantur memoriter praecepta grammaticae. Sequentem horam sibi vindicabit correctio thematum. [249r]

Secunda pomeridiana hora – Dimidia exponentur praecepta syntaxis. Altera vero dimidia repetentur et exercitatione confirmabuntur. Ultima vero semihora repeti possent primo mense superioris ordinis praecepta. Quo tempore semihora dumtaxat tribuenda esset thematis corrigendis.

### Primae classis superior ordo

Omnis syllabarum ratio simul cum syntaxi figurata videtur huius ordinis propria. Qui tamen, si nimium onerari videretur, levare posset hoc modo: Inferior ordo complectatur omnia praecepta syntaxis, ut a nobis fuere supra digesta usque ad pronomen. Reliqua vero cum octo prosodiae praeceptis et incremento nominis et verbi pertineant ad hunc ordinem. Quae supersunt de syllaba communi, de pedibus, carminibus etc., non incommode possunt differri in classem humanitatis, cuius est propria carminum conficiendorum ratio.

<sup>10</sup> Vide MP V 146-47.

*Horarum divisio in hoc ordine*

Prima sesquihora antemeridiana – Dimidia reddetur memoriter M. Tullius et poëta, iisque vel simul vel alternis vel ad tempus, ut utriusque orationis, solutae videlicet et numeris vinctae, habeatur ratio.

Per quadrantem repetantur, quae pertinent ad praelectionem hesternam. Quod reliquum fuerit horae, tribuatur praelectioni Ciceronis et eiusdem repetitioni.

Ultima hora antemeridiana – Dictabitur primum thema, deinde explicabitur syntaxis figurata vel prosodia, adhibita exercitatione pro temporis brevitate. Cum vero nihil fuerit exponendum ex grammatica, exerceantur pueri in iis, quae audierunt, aut disputent.

Prima hora pomeridiana – Dimidia recitentur memoriter praecepta prosodiae; quibus addi possent aliquot poëtae carmina, ut matutina praelectio minus esset onerosa. Quod facile factu videtur, cum ea, quae ad prosodiam pertinent, facillima sint. Dimidia vero altera, si graeca legentur, themata corrigantur; sin minus, hora integra dabitur thematis emendandis.

Secunda hora pomeridiana – Explicatur poëta dimidia, dimidia item altera repetatur cum exercitatione prosodiae.

Repetentur quae superiorum sunt ordinum, ut in superioribus classibus dictum est, aut disputabitur. Anno vero vertente inchoabitur graeca lingua. Hic enim possunt auditores sine iactura latinae grammaticae ad graecam incumbere. In hac igitur classe explicanda videntur prima graecae linguae rudimenta, et in superioribus, humanitatis videlicet atque rhetoricae, quae supersunt ex graecis.

Pagina 274 – Non videntur excludendi pueri, ubicumque instituantur, ex peculiari concessione ante septennium. Multi enim id aetatis in Hispania satis expedite legunt ac scribunt, et interdum etiam grammaticae praeceptionibus imbuuntur. Posset igitur res hoc fere modo temperari, ut nemo ante quinquennium admittatur.

Pagina 281 ver. 18 – Addi posset hoc loco: Utile etiam esse, eandem postea conversionem vulgarem, clauso Cicerone, latine reddere, ut, quantum quisque meminerit, ad Ciceronem accedat. Praemium etiam aliquod dandum videtur iis, qui utrunque praestiterint maiore cum laude. Quod exercitationis genus antiquissimum esse oportet reliquis etiam classibus. Posset etiam nonnunquam praeceptor loco thematis dictare pueris fragmentum aliquod Ciceronis in vulgarem sermonem a se ante conversum, quod deinde pueri ipsi, rei prorsus ignari, latinitate donarent, ut proposito mox ob oculos Ciceronis exemplari, intelligeret unusquisque, quam longe discessisset ab eo. Is vero, qui proxime omnium ad Ciceronem accederet, praemiolo aliquo decorandus videtur. [249v]

Pagina 285 § Illud tandem ... – Hic necessario videtur addendum tempus, quo repetenda sunt ea, quae in inferiori classe pueri didicerunt. Quo loco non erit ab re, superiores hortari et monere praeceptores, ut inferiorum auctoritati et existimationi consulant.

§ Tam si etc. – Si duo fuerint grammaticae professores et unus humanitatis, necesse erit omnia prosodiae praecepta ab eo explicari, qui humaniores literas profitetur. Quod est usu receptum in hac provincia.

Pagina 286 § Praeterea ... – Si superiorem nostram grammaticae divisionem amplectimur, praeceptorum alter progredietur ab initio grammaticae usque ad epitomen syntaxis, aut etiam ulterius, si videtur; alter vero persequetur reliqua praecepta grammaticae. Uterque tamen rediget suam classem in duos ordines.

§ Primae hoc est etc. – Hinc colligi quidem potest, quamdiu debeant auditores in unaquaque morari classe; obscurius tamen, ut veluti subductis calculis. Posset igitur hoc ipsum

explicari magis ut, quemadmodum supra dictum est de numero praeceptorum et classium, ita diceretur hoc loco sigillatim de tempore, quod cuique classi pro rerum in ea docendarum ratione dandum videtur. Porro, ubi duo fuerint praeceptores, ad ea, quae inferioris sunt classis, absolvenda satis videtur esse sesquiannus. Examinandi tamen essent pueri sexto quoque mense, ne tardiores detineantur iusto diutius in hac classe.

Pagina 287 § At vero ... – Hoc loco nulla fit mentio Rudimentorum, quae affert P. Emanuel<sup>11</sup>, tametsi supra reiecta fuerint in superiorem ordinem tertiae classis. Nobis tamen (ut quae nimis obscura sunt, praesertim tironibus) explicanda videntur in utroque ordine secundae classis, ut ex superiori divisione constat. De 14 vero praeceptis et syntaxis epitome diximus supra cap. 2<sup>o</sup><sup>12</sup>.

### De classe humanitatis

Posterior modus constituendi hanc classem nobis magis probatur.

Secunda hora antemeridiana (pag. 291) – Explicandi ratio, quae congruit huic classi, integram circiter horam exigit. Quis enim fieri potest, ut tam multa semihorae spacio percurrat praeceptor? Praeterea, tradenda videtur hoc loco brevis aliqua ac facilis ratio imitandi Ciceronem, Caesarem ac Virgilium. Multorum enim in hac re studium ac diligentia requiritur.

Hora prima pomeridiana (pag. 293) – Nulla videntur huic classi relictæ esse Prosodiae praecepta, quae memoriae mandare debeant pueri, nisi paucula quaedam ad figuras pertinentia. Quare non erit ab re, paulo fusius indicare, quatenus illa sint.

Hora 2.a pomeridiana in graecis etc. [250r] – Cum haec omnia eodem, ut apparet, die fieri nequeant, possent alternis ita distribui, ut pridie exponeretur auctor et thema dictaretur, postridie vero explicarentur praecepta et themata corrigerentur.

Ibidem: Duobus extremis etc. – Absolutis Prosodiae praeceptis, necesse fuerit explicare Progymnasmata<sup>13</sup>, ut possint pueri (quod supra praecipitur) diebus festis ad has exercitationes incumbere.

### De classe rhetoricae

Num. 2 – Si quando contingeret, ut aliquis e rhetoricae professoribus diurno legendi labore nimium defatigaretur, non esset incommodum, ut in poeta latino et graeca lingua sumeretur ab alio, quin potius saepe conveniret, aliquem ei collegam aut socium adiungere. Huius enim classis onus gravissimum est, ei praesertim, qui diutius in hac classe versatur. Neque, nisi levaretur eo modo, quo diximus, illud ferre posset. Tot enim praelectiones tam graves tamque dissimiles inter se sine summo labore explicari non possunt. Est enim longe dispar ratio rhetoricae et philosophiae. In hac enim docentur res inter se maxime devinctae et quasi perpetuae, in illa vero longe diversae atque dissimiles.

Quoniam supra pag. 68 dicitur, patribus romanae congregationis propositum imprimis fuisse, coniicere in hunc librum quaecumque ad rationem studiorum pertinerent, ut postquam recognita fuerint singulis in provinciis, dissecetur hoc tanquam corpus univsum in sua quaedam membra; hoc est in varias ac multiplices regulas studiorum, professorum, rectorum etc.<sup>14</sup>, visum nobis est, hoc etiam inter alia ad Patrem nostrum Generalem

<sup>11</sup> E. ÁLVARES S.I., vide supra, adn. 8.

<sup>12</sup> Vide supra, mon. 23 (Prov. Aragon. § 5).

<sup>13</sup> *Progymnasmata* Aphthonii; cf. MP V 152 adn. 13.

<sup>14</sup> Vide MP V 41.

referre, multa videlicet in hoc libro praetermitti ex iis, quae tam de studiorum theologiae, philosophiae et humanitatis, quam officiorum, de quibus hic agitur, ratione praescribuntur in Constitutionibus. Et vero, quamvis initio nonnulla Constitutionum loca notare et observare ceperimus, tamen, cum deinde tam multa passim occurrerent, rem prorsus omitendam duximus, ut nunc sub finem operis de ea in universum diceremus.

Nobis enim persuasimus, iccirco fuisse relictas, quod nemini viderentur obscura, neque nostrum de illis iudicium exquirendum esset. Nam quemadmodum in reliquorum officiorum regulis, domus probationis ordine, formula congregationis scribendique adhibita fuerunt omnia, quae de illis praecipiant Constitutiones, ita etiam fore putavimus, ut omnia, quae ad horum officiorum studiorumque rationem pertinent, in eundem librum postea conferantur.

Quavis praecipiat in ratione studiorum, ut ea non indicetur externis, incidet tamen aliquando in alienum, aut quod revera intercidat, aut alio quovis, ut fieri solet, eventu; ac proinde convenit penitus tollere quidquid possit externos offendere aut Societatis nomen aliquo modo obscurare. Cuius generis, tametsi nonnulla superius a nobis observata sunt, tamen quia plura alia et apertiora sese passim obtulerunt, quae libuit praetermittere, hoc in universum referre visum est.

### Provincia Sardiniae

Si additur in his collegiis Sardiniae tertia classis grammaticae, maiori cum fructu exercebuntur scholastici.

Conducere vero maxime videretur, ut abecedarii, qui Calari ad scholas admittuntur et primis elementis a nostris instituuntur, a prima aetate literarum sonos ac germanum cuiusque idiomatis tam latini quam hispanici (cuius hic praecipuus usus est) ab aliquo eius rei gnaro docerentur proferre, ut plane et diserte, quatenus ea aetas patitur, iam tum legere inciperent. Cum enim in hac puerorum schola seminarium omnium aliarum classium constitutum sit, et plurimum faciat ad insequentem institutionem, quomodo didicerint prima elementa et syllabas pronunciare, aliqua opera in hoc non inutiliter poneretur, ne postea praeceptores laboris multum et temporis consumere cogantur in dedocendis linguae vitiis, quibus a teneris male assueverunt. [*Stud. 2, f. 267r*]

### Ioannes Legaz S.I. – Hieronymus de Burgos

De inferiori ordine tertiae classis – Parece sería de mucho más provecho y facilidad para componer y hablar, poner en las conjugaciones primero las romances; verbi gratia: yo amo, amo; tu amas, aquel ama, amat etc.

In illa verba: Si fuerint duo tantum praeceptores grammaticae (fol. 286) – adviértase que en España cassi todos los collegios son de dos praeceptores de grammática, porque el tercero es de humanidad; y así es necesario, por quitar repartos de maestros y preffecto en dexas o tomar, que el orden de las dos classes de lo que en casa una se a de leer, venga muy distinto por sus horas.

También parece era necesario señalar en todas las classes algún tiempo para disputas, pues son tan útiles y necessarias; y no parece se da tiempo para ellas en todas las classes.

Vengan con el libro de ratione studiorum las reglas del officio del praeffecto dellas, y las de los maestros y estudiantes; pues que no vinieron impresas en el cuerpo de las reglas.



## ASSISTENTIA GERMANIAE

## Provincia Austriae

Magistrorum omnium iudicio videntur illae tam multiplices horarum divisiones et tam minutae lectionum sectiones, nimis difficiles futurae. [*Stud.* 3, f. 272r]

## Provincia Germaniae Superioris

Tota haec descriptio ac distributio complures ob causas nobis non probatur. – 1. Res plena minutarum subdivisionum est, id quod tam praeceptores, quam discipulos perturbat. – 2. Non satis perspicue et aperte possunt cognosci fines et scopi singularum scholarum, quousque videlicet, sive ad quam perfectionem perducendi sint discipuli; nam in quolibet ordine res tantummodo variae, eaeque sine ullo ordine proponuntur. – 3. Etymologiae et syntaxeos tractatio in omnibus paene scholis ita permiscetur, ut ipsae difficulter intellecturae sint, quando vel in hac vel in illa parte pensum ac munus suum absolverint. Adde, quod de etymologia ita carptim hic disseritur, ut in nulla schola praecipuae illius partes esse videantur, cum tamen hoc rectae rationi magnopere adversetur. – 4. Perpetuas istas et tam multas semihoras, neque auctorum aequalitas (cum nimirum alius alio doctior ac difficilior, et in quibusdam plura quam in aliis explananda sint); neque exercendorum multitudo patitur. – 5. Universa haec [*Stud.* 3, f. 220v] praescriptio nititur Alvaro<sup>15</sup>, sic digesto et commutato, ut est in cap. 3<sup>16</sup>, cum speremus, et nos manifeste docuisse, illum modum nequaquam futurum e re discipulorum, et non omnibus nostris placiturum. Quocirca convenit inter nos, rem aliter, et ita quidem instituendam ac ordinandam, ut neque a Constitutionibus, neque ab iis, quae in cap. 3 annotavimus, recedamus, et tum magistris omnia expeditiora, tum discentibus utiliora faciamus.

Principio, maneat quod in Constitutionibus de quinque scholis humaniorum litterarum dicitur; de tribus videlicet grammaticis, quarta humanitate, quinta rhetorica. Harum infimae, sive tertiae grammaticae, finis sit perfecta eruditio pueri in rudimentis, cum 14 praeceptionibus syntaxis, de quibus supra. Secundae, perfecta eruditio in etymologia, cum epitome quadam syntaxeos, id est regulis generalibus syntaxeos Emmanuelis<sup>17</sup>, sine appendicibus. Primae meta et finis sit perfecta syntaxis, cum tumultuaria, seu minus accurata quadam tractatione prosodiae. Humanitas, quae sequitur, in duos ordines, superiorem et inferiorem dispertienda videtur. Inferior proprius sit usus magnus et assidua exercitatio syntaxeos cum absoluta prosodia. Quae nos ad hunc ordinem vehementer expetendum movent, haec sunt:

<sup>10</sup> Si a prima grammaticae ad perfectam humanitatem recta procedatur, fieri non potest, ut unquam absolutos atque perfectos grammaticos habeamus. Etsi enim totam syntaxin audierint, et probe etiam intellexerint, nihilominus illa perceptio, velut litterae in molliorem materiam impressae, facile delebitur, ac peribit, nisi multa scriptione, repetitione, errorum admonitione, usu denique frequenti et diuturno stabilita fuerit et confirmata. Nam quod affertur in libello pag. 290, vitia syntaxeos in humanitate corrigenda, id parum profecto consentit cum iis, quae antea pag. 288 sub finem et initio sequentis tam magnifice de schola humanitatis exposita fuerunt. Quae, si comparata est ad tam multa, tam varia, difficilia, gravia, illustria, uno verbo, ad eximiam eruditionem, quo tandem pacto non erit absurdum, et ab eius dignitate alienum, ad syntatticarum praeceptionum repetitiunculas,

<sup>15</sup> Emanuel ÁLVARES S.I., *De institutione grammaticae*, Romae de retractata, vide supra, mon. 21 adn. 2.

<sup>16</sup> Vide supra, mon. 21 (Prov. Germ. Sup.).

<sup>17</sup> Em. ÁLVARES S.I., *Institutiones grammaticae*; vide supra, adn. 8 et passim.

atque ad solaecismos corrigendos descendere, et cum iis quasi certamen quotidianum suscipere eos, qui in poetis, historicis, Cicerone, morali philosophia cognoscendis assidue versantur? Quod, obsecro, tempus huic tam humili rei tribuetur, ut non magno cum detrimento aliis et authoribus et discipulis, qui ista medicina non indigeant, adimatur? Nimis multorum annorum experientia docti sumus, neminem studio et labore supplevisse et acquisivisse postea in scholis superioribus, quod ex grammaticis et syntaxi potissimum imperfectum ac mutilum attulisset; sed tanquam insanabili morbo permultos deinde magistros et doctores etiam laborasse et laborare emendate loquendi et scribendi inscitia. Aliam huius rei causam invenire nullam possumus, nisi quia syntaxeos confirmatam et velut senescentem cognitionem non habuerunt; quae certe longiore usu paritur, quem ipsi unico anno adipisci nequiverunt.

<sup>29</sup> Exercitium carminis est, et esse debet, magis proprium perfectae humanitatis, cum et libellus dicat, poesin a P. Ignatio humanitati destinatam. Atqui non exercebuntur satis, si in praecedente schola perfectam prosodiam non didicerint. Ad haec, quomodo rhetorica in utroque stylo rudes perficiet? Erunt autem rudes, si in perfecta humanitate primum discant prosodiam.

<sup>30</sup> Nisi hic ordo inferioris humanitatis instituatur, maxima parte anni in perfecta humanitate tradenda adhuc erunt argumenta lingua vernacula; quandoquidem sic in prima grammaticae dari solent, et regulis duntaxat accommodata, neque ita varia ac libera. At ipsi iam propria inventione componere, et epistolam pro artificio scribere, secundum praecepta inquam debent. Hoc non poterunt in humanitate; quod si non poterunt in epistolis invenire, dispone[re] etc., quomodo paulo post in rhetorica? An ibi primum ex se aliquid parere discent?

<sup>40</sup> Si hoc ordo non sit, non arbitramur perfecte disci posse grammaticam graecam, impediatur enim a syntaxi, aut ipsa syntaxis impediatur, quae sola satis toto anno occupabit discipulum. Consequetur ergo, ut demum in humanitate integram ac perfectam grammaticam perfecte discant. Rursus ibidem illa graecae syntaxis erit impedimento, et ascendent discipuli in rhetoricam male periti syntaxeos. Sic unum malum generabit alia mala; nam et rhetor laborem capessere debet in syntaxi vel in integro docenda, vel non parum saepe et multum repetenda, cum ipsum suos non iam in praeceptis, sed in scriptione graeca exercere oporteret, et minime omnium assequemur, de quibus cap. 4 docte ac vere disputat<sup>18</sup>. Occurreretur hisce incommodis, si dum in inferiore humanitatis ordine praeceptorum syntaxeos memoriam et intelligentiam usu, exercitationeque confirmant, simul perfectam grammaticam graecam incipiant, in superiore humanitate syntaxis, in rhetorica prosodiam.

<sup>50</sup> Cum apertae sint utilitates huius ordinis, illud nullum pondus habet, quod hac ratione plures anni in humanioribus ponendi erunt; siquidem et secundum libellum, servatis sex ordinibus id futurum est, et quibus in regionibus haec studia praecipue florent, in iis sane plures consumuntur; neque alia fere causa est, cur tam pauci e nostris scholis insignes prodeant, quam paucitas annorum. Pergamus nunc de finibus loqui.

Finis humanitatis superioris, sive perfectae praecipuus est in stylo, non illo quidem oratorio, sed latino tamen, et versu auditorem excoli; rhetoricae, utriusque orationis facultate eundem perpoliri et quasi colophonem imponi.

Quod si propter vel multitudinem, vel inaequalitatem discentium infima etiam schola in duos ordines distribuenda videretur, posset inferior discere simplices tantum declinatio-

<sup>18</sup> Caput quartum vide in MP V 125-28.

nes et coniugationes, quas cap. 3 diximus initio rudimentorum collocandas<sup>19</sup>; superior autem reliqua deinceps rudimenta, ut ibidem est disputatum. Secundam, etymologiae inquam, non putamus facile dividendam, quia materia non potest commode per partes tradi seorsim; et nimis multae divisiones fugiendae sunt, ut supra docuimus, nisi necessitas aliud flagitet.

Quo loco tot scholae non possunt institui, quot nos censuimus, ibi praestat institui inferiores, omissis superioribus, quam vel duas in unam coalescere, ut habet pag. 285 ad finem, vel mediam aliquam praetermittere, quo ad superiorem citius perveniatur. Alioqui necessario carebunt eo fructu, quem potuissent non coalescendo, sive per mediam illam classem percipere. Omnino maiore cura et sollicitudine incumbendum est, ut auditores nostri evadant perfecti grammatici, quam boni poetae et rhetores; tametsi revera nec rhetores, nec poetae evadent, qui grammaticam veluti alio properantes, et in transitu discunt, quodque proverbio dicitur, ut Canes e Nilo bibunt.

### Infima seu tertia grammaticae

Discant declinationes et coniugationes, rudimenta octo partium, ut digessimus ea in cap. 3<sup>19</sup>. Item, regulas constructionum, de quibus ibidem. Alternatim cum epistolis selectis M. Tullii, vel distichis Catonis audiant dialogos faciliores, de quibus egimus in cap. 8<sup>20</sup>; ubi praeterea dictum est de seligendis epistolis. Doceantur legere et pingere litterae graecae.

### Horarum distributio

Ante omnia, permagni referre arbitramur, non alligari praeceptores ad minuta tempora, quadrantes [221v] et semihoras, ut vel clepsydrum cogantur secum portare in ludum, vel toties interrogare de horae partibus, et non possint producere exercitia, in quibus tam pueri utiliter versari videntur. Verum ampliore termino illis defixo, libertas quaedam relinquenda est celerius, tardius imponendi finis, prout res postulabit. Idipsum hortatur ingeniorum diversitas, etiam in eadem natione.

Ante meridiem sesquihora prior impendatur recitandae repetendae lectioni rudimentorum praecedentis diei, novae praelegendae, et exercitio declinationum, coniugationum, disputationum. Singulis horum tribuatur tantum temporis, quantum praeceptor tribuendum iudicaverit, modo in praelegendo quartam horae partem vix unquam excedat. Hora reliqua, alternis diebus recitentur, repetantur, explicentur epistolae, dialogi vel disticha, et exerceantur in phrasibus ex tempore.

Post meridiem prima sesquihora transigatur ut mane, proxima dimidia ponatur in locutionibus praescribendis et domo allatis corrigendis, aut etiam ex tempore in schola componendis. Postrema dimidia detur graecis. Particulares quosdam modos exercendi adolescentes tum in hac tum in sequentibus grammaticae gymnasiis, in libello propositos, non improbamus.

### Secunda grammaticae

Etymologia perfecta, cum epitome syntaxis, epistolae selectae et dialogi alternatim. In graecis discant faciliora ex rudimentis, de quibus egimus cum de Clenardo<sup>21</sup> loqueremur in cap. 4<sup>22</sup>. Quare scenas omittamus, rationem attulimus cap. 8.

<sup>19</sup> Vide supra, mon. 21 (Prov. Germ. Sup.).

<sup>20</sup> Vide supra, mon. 26 (Prov. Germ. Sup.).

<sup>21</sup> N. CLENARDUS, *Institutiones linguae graecae*; cf. supra, mon. 22 adn. 7 et passim.

<sup>22</sup> Vide supra, mon. 22 (Prov. Germ. Sup.).

*Horarum distributio*

Ante meridiem prima sesquihora consumetur in recitandis, repetendis, praelegendis, praeceptis de generibus, et declinationibus nominum, et iisdem, atque etiam iis, quae in praecedente schola audiverunt, exercendis vel repetitione vel disputatione. Epitome syntaxis aut vicissim cum his praeceptis explicetur, aut post bonam partem absolutam interpolatur. Posterior hora in recitandis, repetendis, praelegendis epistolis vel dialogis, exercensque pueris in locutionibus ex iis formandis.

Pomeridiana prima recitentur, repetantur, explicentur praecepta de verbis, maxime de praeteritis et supinis, et repetantur, quae in inferiore audiverunt. Altera hora tota sit thematum, scriptionum, quas domo attulerunt, et compositionis extemporaneae. Tardi enim sunt in scribendo, plurimisque abundant erratis, ut media hora huic non sufficiat. Postremam mediam graeca vindicabunt.

## Prima Grammaticae

Perfecta syntaxis cum principiis prosodiae, epistolae ad famil., cum dialogis gravioribus vicissim. Ovidius de Tristibus vel Ponto, Martialis purgatus. In graecis plena rudimenta, quibus etiam circumflexa et verba in  $\mu\iota$  contineantur, quoad exempla tantum, et regulae quaedam pingui Minerva traditae, cum appendice precationis Dominicae, salutationis angelicae, ut supra in cap. 4<sup>23</sup>. Epistolis ad Atticum nihil difficilius et obscurius, et sunt plenae graecis. Epistolae Heroidum, praeter 3, summum 4, omnes turpes, nec possunt purgari.

*Horarum distributio*

Ante meridiem sesquihora recitabitur, repetetur praecedens lectio syntaxis, pergetur in explicat[i]one, addetur exercitium ac disputatio aliquando, tum syntaxeos tum grammaticae. Ultima hora danda erit epistolis et dialogis alternatim.

Post meridiem una hora in syntaxi ponatur ut supra, altera in thematis et scriptionibus. Postrema semihora in graecis et rudi tractatione prosodiae, primo semestri; posteriore in graecis et poeta latino, et aliquo exercitio scribendorum versuum.

## Inferior humanitas

Quamvis haec schola possit annumerari vel syntaxi, tanquam perfectior, vel humanitati tanquam vestibulum illius, malleus tamen inferiorem humanitatem quam superiorem syntaxin appellare; ne, si syntaxeos nomen habeat, et alii et discipuli existiment, se adhuc in syntaxi versari, quod non ita est; non enim docetur hic amplius syntaxis, neque caeterae lectiones humiliores locum habent, ut Epistolae ad famil., Martialis, Ovidius etc. Sed (quod initio ostendimus, esse necessarium) praeceptorum memoria usu frequenti et exercitio corroborantur, et via ad perfectam humanitatem munitur, in qua qui fuerint, ut se in altiore gradu consistere, sic etiam non immerito maius quiddam a se expectari intelligent.

Libellus de conscribendis epistolis, Officia Ciceronis, epistolae ad Quintum Fratrem, Paradoxa, de Senectute, de Amicitia, prosodia absoluta, Fasti Ovidii, Claudianus,

<sup>23</sup> Caput quartum vide in MP V 125-28.

Stattus, Georgica Virgili, perfecta grammatica graeca, Sententiae Theognidis, Phocylidae, Pythagorae versus, Hesiodi primus Operum et dierum, Fabellae Aesopi, Epictetus, Plutarchus de educandis liberis, Basilii et Chrysostomi selectae homiliae, faciliora praecepta graecae syntaxeos. In hac schola sententias latinas verbo et scripto convertent in graecum.

#### *Horarum distributio*

Prima ante meridiem explanetur liber de componenda epistola et prosodia alternis. Secunda Officia, vel alius liber Ciceronis; ultima semihora ex instituto repetatur et exercentur syntaxis quotidie. Post meridiem prima hora recitetur et explicetur poeta. Media sequenti poterunt emendari solutae vel ligatae scriptiones. Et aliquando tota ista sesquihora, partim ultima sesquihora matutina, vel pars illarum, omissa aut abbreviata lectione, tribuetur extemporaneis scriptionibus et thematis dictandis, vel etiam disputationibus. Themata dictentur adhuc materna lingua, sintque accurata, et ad epistolicas praeceptiones accommodata.

#### Superior humanitas

Rhetorica Cypriani<sup>24</sup>, Tusculanae quaest., Caesar, Sallustius, Iustinus, Valer. Maximus, Curtius, Virgilius, de cuius 4. Aeneid. cupimus certum aliquid constitui. Horatius purgatus, faciliores orationes Ciceronis, pro Archia, pro Marcello, pro Deiotaro; pro Philipp. 7 ponendas putamus 4 9 et 14, quae sunt planiores, et ad usum nostrum, laudandi videlicet, magis aptae. Syntaxis graeca, Isocrates, Luciani selecti dialogi, epigrammata graeca, aliqui libelli morales Plutarchi, ut de Virtute et vitio, Consolatio ad Apollonium etc. Libros de Divinatione, et de Finibus censemus difficiliore et graviores esse, quam ut [222v] huic scholae convenient, et interpretes, quod sciamus, nulli extant. Brutus etiam plenus est digressuunculis ad eloquentiam pertinentibus, et de iis ibi sententiam fert Cicero, quae humanitatis auditores, velut infantes, solidum cibum non caperent. Aristophanes et Theocritus purgantur prius, sunt enim obsceni subinde, aut indicetur, quae eclogae quaeve comediae sint nobis sumendae ad interpretandum; quanquam Theocritus perdifficilis erit humanitati, et Aristophanes cum sit inter Atticos Atticissimus, et acer valde et non ita facilis, aptior esset rhetorum captui; non enim hoc tantum spectari debet, comicum esse, non tragicum.

#### *Horarum distributio*

Prima hora exponatur Cicero; secunda cum dimidia, priore quidem semestri, historia, posteriore Cyprianus; corrigantur solutae scriptiones, quarum themata oporteret latine, et paucis verbis tradere; aliquando nativa lingua, experiundi nimirum gratia, quid in latinitatis proprietate profecerint. Placet praeterea, quod pag. 299 dicitur de exordiorum, narrationum argumentis proponendis. Post meridiem sesquihora in poeta et exercitationibus poeticis collocetur. Ultima tractentur graeca; quo tempore etiam interdum graece component aliquid.

#### Rhetorica

Primum, logicae compendium prorsus ab hac schola excludendum opinamur, sicut dictum est supra cap. de studiis philosophicis pag. 173 initio<sup>25</sup>. Libri hi sunt: Orator perfec-

<sup>24</sup> Cyprianus SOARES S.I., *De arte rhetorica*; vide supra, mon. 10 adn. 211 et passim.

<sup>25</sup> Vide supra, mon. 16 (Prov. Germ. Sup.).

tus, in quem se ait M. Tullius quicquid iudicii de dicendo habuerit, contulisse, nec recusare, quin, quantum de eo libro, tantum de iudicii sui fama detrahatur. Quare immerito videtur praetermissus. Si dicat quis: non habet praecepta, respondemus, id non esse necessarium; omnes videlicet libros ad aliquam facultatem pertinentes constare praeceptis, modo utilem et necessariam doctrinam afferant. Deinde, quae praecepta tandem habet Aristotelis Rhetorica? Et tamen proponitur nobis. De inventionem non possumus assentiri romanis, cum ipsemet Cicero eum librum ut immaturum et a se adolescente scriptum haberi postulet. Sed reliquos auctores nominemus. Aristoteles, libri de Oratore, Partitiones, de Claris oratoribus, Orationes M. Tullii, Livius et Tacitus, qui accommodatiores omnino sunt rhetoribus, Aemilius Probus, prosodia graeca, Demosthenes, Xenophon, Herodianus pro Thucydide, quem etsi saepius laudet Cicero, nihilominus eius obscuritatem in concionibus tantam esse dicit, vix ut intelligatur. Praescribendi sunt quidem nobiles auctores scholis superioribus, sed videndum insuper, quam ad captum et auditorum fructum sint idonei.

Decet porro rhetoricam historia aequae vel magis etiam quam humanitatem. Et idcirco praeter Xenophontem et Thucydidem, qui linguae causa potius erant positi, latinos aliquot inseruimus. Nec absurdum est in duobus gymnasiis diversos exponi historicos; nec verendum, ne nostri discipuli nimis multum hystoriarum doceantur. Argumentatio, qua romani pag. 289 probare conantur, historiam soli humanitati relinquendam, nullam vim habet. Atque ut aliquam haberet, non tamen sequeretur, solius humanitatis propriam esse debere historiam, nec id in mentem venisse P. Ignatio credimus, qui in illis collegiis instituendis haec et alia multa eorum iudicio permisit, quos a se dimisit. Collegiis etiam, in quibus iste mos fuerit, opponi possunt alia, atque ipsum quoque Romanum, [223r] in quo ille alter quoque fuerit, ut rhetoribus historia praelegeretur. Quod de stylo additur, non leguntur historiae propter styllum, sed cognitionem antiquitatis. Qualem vero styllum habet Iustinus? Quid, quod ad graviores historias, v.g. ad Livianas, ubi tam multa de Repub. Romana explicanda incidunt, non sunt apti humanistae? Praeterea, Cicero saepius oratori commendat historiam, et eloquentiae studiosi maxime utuntur historiis. Satis etiam frigide iubetur exponi historia in humanitate, minus scilicet, quam semihora pag. 292; quae cum afferat quamplurimas commoditates, cur illi hora negetur?

Graeci poetae huius scholae erunt Homerus, Sophocles, Euripides, Pindarus, Aeschylus. Latinum nullum ponimus, quod latini praecedentibus tribus praelegentur, et auditores per se iam legere poterunt poetas, et tempus ad explicandum deest.

#### *Horarum distributio*

Prima matutina explicabuntur praecepta dicendi, secunda graecus auctor. Pomeridiana prima orationes, secunda historia, alternis diebus emendabuntur scriptiones, et interdum ex tempore scribentur.

Probatur nobis, quod pag. 299 ad finem dicitur de scriptionibus octavo minimum die afferendis; modo ne intelligatur de integra oratione, aut absoluto et integro poemate. Nam haec duas hebdomadas requirunt.

Multa particularia consulto praetermisimus, quandoquidem iudicamus, non esse in hisce rebus tam anxie procedendum, sed prudentiae praeceptorum ac praefectorum nonnulla relinquenda, quo alacrius suo munere fungantur.

Quod est in pag. 294 de uno magistro in rhetorica, de eo nos ita sentimus: – 1<sup>o</sup> Sit sane unus, si per doctrinam et vires corporis tantam provinciam administrare unus potest. – 2<sup>o</sup> Si hoc fieri nequit, unus habeat omnia latina, alius adiutor eius graeca curet. – 3<sup>o</sup> Potest

etiam unus profiteri latina praeter historiam, quam alius cum graecis alternatim explicet. –  
 4<sup>o</sup> Saltem in praeceptis tradendis et scriptionibus emendandis sit unus solus.

Pag. 296 – De libris seu commentariis edendis placet consilium. Tamen cum epigrammata graeca, Pindarus, Euripides, Sophocles, Caesar explicandi quoque sint, et minime faciles sint, valde operam navaret studiosis et magistris, qui breves commentarios aut scholia in ipsos conficeret. Nam praeter graecos scholiastas, pauca omnino latina adiumenta habemus.

Quod ad dictata attinet, de quibus pag. 297 in extrema, optandum est magnopere, conscribi volumen aliquod in praecepta M. Tullii, quo communiter praeceptores et discipuli utantur. Interea dictari potest in praecepta breviter. In orationes autem, quae ad argumentum, genus causae, constitutionem et partes pertinent, et in locos difficiliore atque illustriores; eiusmodi demum, quae non facile cuiusvis obvia sint. In historiam nihil est dictandum. In graecis servari potest, quod de orationibus dicebamus.

### Provincia Rhenana

Fol. 274 – His in partibus etiam quinquennes pueruli litterarum ludos adire occipiunt; ideoque annalis illa lex, quae ante septennium eos admittere vetat, ferenda non videretur.

Fol. 275 – Quomodo imi grammatici scribere docendi sunt? Magnum id onus videbatur. Nam, qui bene scribant nostri, rari sunt, et quae imitentur exemplaria, domo afferre pueri vix possunt.

Ut vero singulis vel alternis diebus aliqua catechismo semihorula, prout hactenus data fuit, daretur, omnes expetebant. Nam sic ad nos pueruli adducuntur, ut quidvis potius iam, quam catechismum didicerint. Si vero in hebdomade semel tantum iis proponatur, perparum in eo sane profecerint.

### De tota docendae grammatices ratione

Cum a patribus varie certatum esset, tria tandem haec notanda visa sunt:

Primum, ut grammaticae praecepta paullo crebrius in schola praelegantur, et a pueris recitentur. Sic enim passim omnibus in scholis fieri videmus, et in nostris hactenus, uberri-  
 mo cum fructu, factum est. Nam accurata praeceptorum intelligentia et memoria, fons et principium est latine, citra ullam offensionem et soloecismum loquendi et expedite scribendi. Quod si vero latini sermonis rationem praeceptionibus constitutam in promptu non habeant, ubique fere titubant, haerent, offendunt. Neque vero ab omnibus Calepinus<sup>26</sup> habetur vel ubique et semper consuli potest. Magno enim hoc vitio daretur.

Alterum, ut horis antemeridianis praeceptorum grammatices et Ciceronis explicatio non continenter haberetur, sed aliqua vel repetitio vel puerorum concertatio interponeretur. Nam neque ea ingeniorum puerilium quies et contentio, ut duarum simul variarum lectionum fructus capiant; praeterquam quod praeceptoribus ipsis molestiae aliquid pareretur.

Tertium, diligenter ut advigiletur, ne discipuli ad classes minus idonei admittantur, et ne ad docendum praeceptores non bene docti. Alioqui neque praescriptarum lectionum onus sustinere, neque ullam discipulis utilitatem afferre poterunt.

Fol. 288 – *Humanitas* – Humanitatis docendae modus posterior placet. Rhetoribus vero toto scholarum tempore, sicuti et humanistis, in schola manendum. – 1<sup>o</sup> Quia ita nostra consuetudo habet; et quidem sine ulla difficultate, incommodo, querela. – 2<sup>o</sup> Nimii pulsus

<sup>26</sup> Ambrosius Calepinus, lexicographus; vide supra, mon. 21 adn. 4 et passim.

ad scholas, iuvenum discursus, et introeuntium exeuntiumque strepitus, caeteris interea in schola iam versantibus, [fastidio] forent. – 3<sup>o</sup> Domesticam horarum duarum scriptionem vix vel ferunt vel adhibent adolescentes. – 4<sup>o</sup> Ob rationes pag. 295. – 5<sup>o</sup> Quia his saltem in partibus, ut ad sacrum cum caeteris veniant, cogendi videntur. Nam, et eo quam caeteri non minus indigent, ex vix sine imperio venirent, nimiosque sibi spiritus sumerent.

Fol. 290 – Si horae coniunctae sint, manere posset hora 1.a antemeridiana recitatio et scriptionum emendatio; sin dividantur, docendum potius videretur; et quidem ex prosodiae praeceptionibus aliquid. Nam, quod in grammaticae classibus ante notatum est, videntur praeceptiones tam graecae quam latinae omnibus in classibus diligenter inculcandae, et a pueris memoriter recitandae. Diebus vero sabbathi disputationi hora integra utilis impenderetur. Vix enim pauci aliquid una semihorula proposuerint.

Fol. 289 – Iam de styli exercitatione, quae proficiendi caput est, duo haec patribus adiungere visum est: 1.um Ut non vernacula tantum lingua latine aliquid convertant, sed etiam contra; ut boni alicuius authoris partem aliquam, epistolam, historiam etc. vernacule. Sic enim latinae linguae proprietates, et eius cum vernacula similitudo et dissimilitudo ab adolescentulis observabitur. Et magistri tot vernaculorum thematum dictatione liberabuntur, quae nunquam, nisi domi meditata proferenda essent.

Fol. 290 – Alterum est, ad verba illa «aliquando etiam pridie etc.» nimium parum stylo domestico tribui videtur. Solent enim hic non pridie festorum tantum, sed hebdomade tota praescriptum aliquid habere, quod vineta vel soluta oratione, exeunte hebdomada, praeceptori offerant.

### De historia

Fol. 291 – Cum historiae summa sit et iam pridem testata utilitas et necessitas, non tam obiter, neque tam exiguo tempore tractanda videbatur. Quaerebant etiam patres, an in humanitatis et rhetorices classibus non posset historiarum quaedam ab initio mundi series pertexti, et quidam quasi cursus breviter explicari, quo sacrarum prophanarumque rerum historiae praecipuae tangerentur, monarchiae ostenderentur, res a Moyse, Judae, aliarumque gentium regibus, ante et post Christum Salvatorem gestae declararentur. Hinc enim admirabilis rerum cognitio [*Stud. 3, f. 251r*] virtutum ac vitiorum omnium copia, in christianorum temporibus lux et oblectatio iucundissima existeret. Hinc ad theologiam, conciones, ad omnem denique studiorum partem adiumenta plurima ducerentur. Possent enim iam a mundi primordiis tempora omnia certas in epochas distribui, et hae in annorum centurias, vel aliter, et suae singulis temporibus sacrae vel prophanae historiae attexti. Atque hic historiam docendi modus patribus valde placebat; maxime cum ex uno saepe historico, qui nunc temporis legitur, vix praeter unum vel Alexandrum, vel Caesarem, vel unum aliquem populum aliud quidquam habeatur, et summa rerum ecclesiasticarum ignoratio sit. Nam historicam phrasin historiae doctor domi legendo facile condisceret, in schola vero dicendo exprimeret.

Fol. 292 – Poëta videretur quotidie legendus, cum ista classis poesi maxime dicata sit. Sed sane unus idemque praeceptor omnia haec in humanitatis classe praestare vix potest, poetica, historica, graeca, oratoria.

*Rhetorica* – Ars et author, in quo artis usus, ab eodem sine dubio explicari debent, et hoc quidem nostra in provincia, in rhetorica et poetica factum est, in inferioribus vero non item. Factum tamen est, quia lectore medio usi sumus, qui in grammaticae 1.a et 2.a classe Ciceronis epistolas doceret. Qui vero medius in rhetorica et poetica fuit, is graeca tantum,



vel graeca et historiam docuit; quod tollendum non videtur propter caussam paullo ante indicatam, ad fol. 292.

Fol. 296. § 3 – Poëtarum lectio vix in rhetorica admittenda putabatur, vel certe rarior; bis videlicet, ad summum, in hebdomade. Nam poësis intra humanitatis fines continenda videbatur. Historia vero, e qua plenum antiquitatis et humanitatis cornu, diligentius et diutius pertractanda.

§ 4 – Biennalis rhetoricae cursus abs re non fuerit; sed invitus nullus detinendus videtur, qui ob humanitatis inscientiam, ingenii stuporem, iudicive imbecillitatem logica non indignus esset. Licet enim praepropero quorundam ad logicen cursui acre praeceptorum examen quemdam veluti obicem obiciendum ante dixerimus<sup>27</sup>, sunt tamen aliquando nonnulli eruditione vel aetate tam proveci, ut citra ullum ipsorum aut scholae detrimentum admissione digni sint. Evenit etiam aliquando, ut biennalem in rhetorica moram eorum parentes ac maecenates aequo animo vix ferant. Taceo, quod in logicam novas semper e rhetoricis colonias, novaque supplementa deduci oporteat; cum anni prioris logici, qui quidem assidui fuerint, bacca omnes laurentur.

Rhetoricae praecepta sunt, sicuti et artium inferiorum, memoria, easdem ob causas, comprehendenda. Cumque ex Cicerone ea fere omnia petantur, ex iis haud multo minus, quam ex orationibus latini sermonis usus, copia et ornatus haberi potest. Quam etiam ob rem matutinis ea horis explicanda forent.

Fol. 298 – Primae vero horae antemeridianae dimidio priori nimium multa proponuntur; nisi forte illa thematis dictatio unius tantum vel alterius versus intelligenda sit.

Carmen hebdomatim nullum exigendum videtur; sed qui essent ad poësin aptiores, iis, mensibus singulis, carminis conscribendi potestas, orationis loco, semel fieri posset. At graece aliquid scribere singulis hebdomadibus eos oporteret; sic enim et summa eorum utilitas suadet, et vetus nostra consuetudo; et hoc quidem tanto magis, quanto citius graecis iam consuefient.

### Provincia Aquitaniae

Pag. 272 – Tres istae grammaticae classes vix collegiis Galliae, quae sunt Societatis, sex partes sortiuntur. Nam maiora collegia habent tantum quatuor aut quinque classes grammaticae. In collegiis externorum non modo sex partes, sed octo etiam et novem aliquando sortitae sunt, ut Lutetiae in collegio navarraeo. Itaque multi dicunt, melius doceri grammaticam ab aliis quam a nobis, quod in singula gymnasia nostra propter tantum numerum puerorum nimis multa ordinum varietas coniicitur, indeque perturbatio oritur et nimium onus uni praeceptorum ferendum, [*Stud.* 3, f. 385v] qui in inferiori aliquo gymnasio cogitur docere genera nominum, declinationes, verborum coniugationes, orationum partes, constructionem intransitivam; et praeterea aliquid ex Cicerone, ut fit in 5.a classe Tolosae et in 6.a Burdigalae, quae sunt omnium infimae classes. Itaque vehementer placet, quod hic praecipitur de sex grammaticae classibus constituendis, rogandusque nobis videatur R.P. noster Generalis, ut in maioribus saltem collegiis iubeat non pauciores esse.

Pag. 276 – Quo vero die nihil occurrit ex grammatica ... – Haec clausula saepius repetitur in hac classium constitutione. At quaero, quando nihil occurrit ex grammatica explicandum? Nonne singulis diebus debent doceri grammaticae praecepta? Alibi iubetur, ut tribus mensibus absolvantur omnes autores in classibus grammaticae; quod vix fieri poterit, etiamsi singulis diebus diligenter explicentur.

<sup>27</sup> Vide supra, mon. 16 (Prov. Rhen.).

Pag. 280 – Nusquam in his classibus ponitur poeta aliquis facilis, qualis Ovidius De tristibus, ut pueri versibus assuescant saltem in 2.a classe grammaticae, ut minimum post Pascha. Tardius enim hoc videtur praestari in prima. Accedit, quod lectione poetarum vehementer delectantur Galli; et hactenus in omnibus fere grammaticae classibus versus aliqui explicati sunt.

Pag. 282 – Memoriter praecepta grammaticae ... – Solent et in nostris scholis memoriter recitare textum auctoris superiore die explicati.

Pag. 282 – In hac classe, sicut nec in aliis, non praescribitur, an possint cum regulis grammaticae exponi duo alii auctores, ut epistolae Ciceronis et poeta aliquis; unus mane et alter pomeridianis horis; quod hactenus factum est.

Pag. 283 – Prosodiae praecepta ... – Hactenus in prima nostra classe grammaticae omnia prosodiae praecepta explicata sunt, nunquamque praetermissa ea, quae pertinent ad incrementa verborum. Nam prodest plurimum pueris, regulas saltem memoriae mandasse et pingui Minerva intellexisse, dum tota prosodia accuratius explicetur in classe humanitatis, ut iubetur pag. 292.

Pag. 284 – Vulgari sermone ... – Cicero non exponitur vulgari sermone in prima classe grammaticae in maioribus collegiis; nec id forte expedit; satis esse videtur, si vernacula lingua themata dicentur.

Pag. 290 – In rhetorica circiter quatuor ... – At in Galliis quinque horae hactenus tributae sunt rhetoribus singulis diebus.

Pag. 292 – Nimis onerosa ... – Huic scholae tamen videntur plura tribui, ceteris paribus, quam classi rhetoricae, cum videlicet rudiores sint discipuli et plura magisque varia sint explicanda.

Pag. 292 – Leniter attingantur ... – Duo sunt historia et geographia, quibus scholae nostrae omnino carere non possunt; et quae tamen, si pro dignitate exponantur, vix apud nos reperiunt locum, nisi earum professor aliquis statuatur ordinarius. Nam earum usus et explicatio cum latissime pateat, vix ac ne vix quidem impetrari potest a praeceptoribus nostris, [386v] ut eas leviter (ut hic dicitur) attingant; nolunt enim in eo munere ab hominibus externis superari. Quod dum faciunt, qui humanitatem et rhetoricam docent, ut fere factum est hactenus, magno aliorum studiorum damno et iactura faciunt. Efficitur enim plane, ut tota oratoria facultas et poetica, tota linguae graecae exercitatio concidat et iaceat. Itaque hic ratio diligenter reddenda est, ne leviter attingenda historia, et ut ipsis professoribus et discipulis etiam, cum opus fuerit, satisfiat. De geographia et chronographia nulla fit hic mentio, nisi obiter pag. 199, ubi agitur de mathematicis. At mathematici non putant ad se pertinere auctores, qui geographiam tradunt, ut Pomponium Melam<sup>28</sup>, Dionysium Alexandrinum<sup>29</sup>, Solinum<sup>30</sup>, sine quibus tamen auctoribus geographia non intelligitur.

Pag. 293 – Recitetur alternatim etc. – Ergo tertio quoque die duae lectiones erunt repetendae, aut altera omittenda, cum legendum sit quotidie. At quorsum unius lectionis fiet iactura?

Pag. 293 – Alternis diebus aliquid graece ... – Utrum haec compositio et tradi et componi et reddi loco quotidianae compositioni debet? Nam si id tribus ultimis pomeridianae

<sup>28</sup> Pomponius Mela (I saec. p. Chr.), in Hispania natus, composuit: *De situ Orbis seu De Chorographia*; cf. PERIN, *Onomasticon* II 517.

<sup>29</sup> Dionysius Alexandrus, cognomento Perihegetes, custos bibliothecae imperatorum a Nerone ad Trajanum, geographus; auctor operis *Descriptio Orbis*; cf. PERIN, *Onomasticon* I 487-88.

<sup>30</sup> Caius Julius Solinus (saec. III), scriptor romanus, auctor operis: *Collectanea rerum mirabilium*; cf. *Enciclop. Univ. Ilustr.* LVII 166.

lectionis quadrantibus faciendum sit, lectioni auctoris plurimum detrahatur, cum rudes vix minore spatio, quam semihorae possint componere; nec minus sit emendationi graeci thematis tribuendum, quam quarta horae pars. Hoc pacto fiet, ut alternis diebus totum illud tempus compositioni tribuendum videatur, et sic alternis legendum.

Pag. 293: Rhetoricae compendium ... – Perpetuum est ac solemne in Galliae maioribus collegiis, ut id statim a Paschate fiat. Quanquam fortasse videatur utilius Aphthonii<sup>31</sup> aut Theonis<sup>32</sup> Progymnasmata, loco rhetoricae legi. Ceterum nihil dicitur nec praescribitur hinc de figurarum accuratiore explicatione, quae videtur tamen huic classi magis necessaria, quam prosodiae accuratior disputatio, quae superiore pagina praescribitur. Quanquam, ut verum fateamur, plus quam par sit onerari hoc gymnasium nobis videatur. Itaque ex tanta copia et varietate rerum, quae in hunc ordinem incurrunt, ea demum reiicienda viderentur, quae minus necessaria viderentur, aut certe optimo ordine prioribus sex mensibus et posterioribus item sex suo singula et proprio loco tribuenda.

Pag. 294 – Compendium logicae ... – Hoc quidem fieri solet in celebrioribus Galliae academiis, ac prava quadam consuetudine introductum videtur. Nam re vera ea lectio tota comparata videtur ad boni temporis iacturam faciendam. Nam, simul ac incipit explicari illud compendium, toti in illud incumbunt scholastici; at aliqui eorum nondum sunt apti ad philosophiam audiendam; et si qui certe sint apti, minus apti redduntur, aut certe non multo aptiores, cum illud compendium ab alio praeceptore et fere a rhetore explicetur. Satiuse igitur est initio triennii philosophici exponi logicae compendium, quae summula dicitur, ut est notatum pag. 173<sup>33</sup>.

Pag. 294 – Ut rhetoricam duo professores doceant etc. – Ut unus tantum constituatur in prima classe praeceptor, plane necessarium est; atque ita necessarium, ut nisi id fiat, futurum haud dubie sit, ut infinita incommoda sequantur. Rationes tamen duae, quae hic redduntur, parvi sunt momenti ac fere quidem nullius. Nam sic distribui possunt duobus praeceptoribus onera primae classis, ut unus rhetoricae praecepta atque etiam Ciceronis orationem explicet, emendetque compositiones solutas, alter vero poetam et graecum auctorem carminaque emendet et compositiones graecas. Sed multae sunt rationes aliae, quas quia sunt omnibus, qui hanc praxim norunt, perspicuae, non describemus. [386v]

Pag. 296 – Prope quotidiana poetae ... – Tollendum videtur illud (prope). In istis certe Galliis, nisi quotidiana sit in primo gymnasio poetae lectio, magna absurditas admitteri videtur.

Pag. 296 – Totum rhetoricae cursum ... – De scholasticis Societatis et convictoribus nostris dubium nullum est, quin eos retinere debeamus biennium in rhetoricis. De externis etiam, qui sunt futuri dociles et ingenui, quique nostris monitis facile obtemperabunt, idem fere statui posse videtur. At reliqua auditorum pars, quae plurima solet esse, vix biennium retineri poterit in rhetorica. Nam, si id cogatur a nobis, aut diffugiet, aliudque collegium quaeret, aut avolabit ad iurisprudentiam. Porro statuendum aliquid nobis videtur de hoc rhetoricae curriculo, ut iis consulatur, qui quotannis ex humanistis ascendent, et iis, qui iam ab anno ascenderint. Aut enim partienda est rhetorica sic, ut uno anno tribuantur ea, quae pertinent ad rhetoricam in universum, et praeterea tota inventio; altero vero anno dispositio, eloquutio et pronuntiatio assignetur; atque ista perpetua vicissitudine exponan-

<sup>31</sup> De Aphthonii *Progymnasmata* vide supra, adn. 13.

<sup>32</sup> Theon, sophista alexandrinus, qui tempore imperatoris Hadriani scripsit *Progymnasmata*; vide PERIN, *Onomasticon* II 694.

<sup>33</sup> Vide MP V 96.

tur; aut alia ratio ineunda potius videtur huius rhetorici curriculi partiendi, ut uno anno exponatur aliquod opus Ciceronis de rhetorica, ut *Partitiones*; altero anno aliud, ut libri de *Oratore*. Nam ars rhetorica angustioribus finibus continetur, quam ut ad absolutam explicationem biennium requirat; nisi fortasse quod secundum priorem rationem facilius ad duos annos discipuli retinerentur.

Pag. 297 – *Magnam doctrinae varietatem ...* – Quae in poeta explicando non minus requiritur, quam dum Ciceronis oratio exponitur; at Ciceroni una hora tribuitur integra, poetae vero sequenti pag. semihora.

Pag. 298 – *Thema breviter ...* – At discipuli huius ordinis iubentur pag. 299 reddere singulis hebdomadis orationem integram et praeterea poema. Quomodo tot et tanta poterunt praestare, cum quotidianarum etiam lectionum onus sustineant?

Pag. 299 – *Toto vero anno ...* – Oportebit egregios esse adolescentes, qui ista praestent, saltem pro dignitate. Certe satius est, pauciora et elaborata praeceptori reddere, quam properanter componendo, ineptiis puerilibus assuescere. Itaque etiam atque etiam considerandum est, num sat sit eos, qui in rhetoricis primo tantum anno versantur, decimoquinto quoque die orationem reddere, et poema singulis hebdomadis; hos vero, qui secundo iam anno, servare hanc regulam.

Pag. 300 – *Alternatim semihora ...* – Minimum certe tribuitur graecae repetitioni; deinde cur additur «alternatim»? Nonne si quotidie graeca legenda sunt, quotidie etiam sunt repetenda? Pag. etiam 285<sup>34</sup> minus tribui videtur exercitationi graecae in prima classe grammaticae, quam par esse videatur, cum et grammatica sit accurate tradenda, et auctor aliquis exponendus. Certe videtur plusculum temporistribuendum, quam inferioribus classibus.

### Provincia Franciae

Omnes iudicarunt, totum hunc ordinem studiorum et exercitationum classium, qui hic describitur, esse valde obscurum, et perturbatum tam in designatione horarum, lectionum et repetitionum, librorum, quam auctorum praelegendorum atque rerum, nimisque confusum.

(Pag. 272 lin. 1.a) Dicitur «*Constitutiones*», cum non sint nisi *Declarationes Constitutionum* eo in loco qui citatur; hoc ergo mutetur. Ibidem visum est tribus, non ponendum neque praescribendum primo loco esse, quod habetur ibidem de distributione singularum classium grammaticae in duos ordines; cum hoc non sit ordinarium in *Societate nostra* aut consuetum, neque praeceptum in *Constitutionibus*, sed valde extraordinarium et rarum, ac potius permissum ob necessitatem, et concessum, quam iussum; quia paucissima sunt collegia, aut forte nulla, in quibus classes illae sic in varios ordines divisae sunt. Cum igitur ea, quae sunt ordinaria in *Societate* et praescripta in *Constitutionibus*, primo loco ponenda sint, non ultimo; contra vero, quae extraordinaria et concessa, ultimo loco potius quam primo collocanda sint, iudicarunt praefati, prius collocandam esse dispositionem ordinariam classium *Societatis*, de qua infra pag. 285 et 286, et postea collocandam esse hanc classium distributionem, quae extraordinaria est. At tribus aliis visum est, tolerari posse eum ordinem, qui est in libro, quia alioquin appendix esset prolixior principali. Omnes tamen convenerunt, nusquam quoad fieri potest, introducendam esse hanc classium varietatem ac multiplicitatem.

<sup>34</sup> Vide MP 149.

(Pag. 273 lin. 4.a) Licet duobus probatus sit ordo ille horarum et lectionum assignatus inferiori ordini tertiae classis, tres nihilominus censuerunt, primo explicandum, quid sit nomen, deinde tradendas esse nominum declinationes; tum pronomen, verbum, et consequenter alias partes orationis, adiunctis his, quae cuique parti sunt propria; ita tamen, ut matutino tempore doceantur [*Stud.* 3, f. 363v] rudimenta, pomeridiano vero declinationes et coniugationes nominum, pronominum atque verborum. Caeterum in rudimentis tradendis ita fiat distributio horarum et lectionum in hoc ordine et classe, ut tota haec horarum et lectionum distributio accommodetur Despauterio (qui, ut dictum est, videtur utrobique introducendus)<sup>35</sup> sicut accommodatus est Emmanueli<sup>36</sup>.

Ibidem, linea 21.a, quod dicitur de verbo substantivo coniugando ante coniugationes tamquam omnium fundamentum, quibusdam probatum est, duobus scilicet, tum quod ita habet Despauterius, tum quod subserviat verbis passivis, deponentibus et communibus coniugandis; at quatuor ob difficultatem, quam habet singularem, ratione ordinis doctrinae coniugandum post quatuor coniugationes.

(Pag. 273 tribus postremis lineis) Visum est omnibus, concordantias non esse desumendas ex syntaxi Emmanuelis<sup>36</sup>, ut insinuat, quia est nimis difficilis pro pueris, sed ex rudimentis et ex 14 praeceptis, quae sunt in rudimentis Emmanuelis, aut ex concordantiis vulgaribus. Quae tamen omnia non videntur posse perfici trimestri spatio, ut habetur ibidem linea ultima, ut duobus visum est, qui putarunt, cum minimum quadrimestre tempus hisce omnibus tribuendum, aut etiam amplius, ut quidam existimavit; qui iudicavit, non esse necesse, ut pueri ex hoc ordine tertio quoque mense ascendant, sed sexto tantum; nec praeciendum esse, ut certo aliquo anni tempore ascendant tertio aut sexto quoque mense, ut desinant molesti esse praefecto et praeceptoribus, petendo et urgendo, ut ascendant, si certum tempus aliquod assignatur, quo ascendant; sed hoc relinquendum esse iudicio praefecti, qui tunc illos promovebit ad altiorē classem aut ordinem, quando videbuntur tempus perdere, si in inferiori maneant. Tres nihilominus iudicarunt, recte praescriptum esse in libro.

(Pag. 274 lin. 2.a) Dicuntur, Constitutiones separare abecedarios a tribus classibus grammaticae, et consequenter ab hac; cum tamen Constitutiones nullam prorsus faciant mentionem abecedariorum, nec citatur locus, quia nullus prorsus est<sup>37</sup>. Ibidem in horarum distributione, non est ulli visa recte facta distributio earum rerum, quae praelegendae sunt; nam non gravantur modo pueri, sed opprimuntur etiam tanta rerum multitudine et varietate, quae quavis hora praelegendae eisque tradendae praescribuntur. Quocirca omnibus placuit, magis matutino tempore illis rudimenta tradi, et declinationes atque coniugationes nominum atque verborum; pomeridiano vero tempore concordantias, seu constructionem intransitivam cum eisdem nominum declinationibus et verborum coniugationibus; hac enim rerum vicissitudine et ordine facilius addiscent, quae oportet.

(Pag. 275 lin. 19.a 20.a et 21.a) Omnes censuerunt, expungenda illa omnia esse, quae dicuntur de puerorum scriptione et exemplaribus elegantibus et emendatis, vel in schola traditis, vel domo allatis, quia nulli omnino ad nostras scholas admittendi videntur, qui non sciant legere et scribere.

(Pag. 276 lin. 29.a) In divisione horarum superioris ordinis tertiae classis visum est omnibus praescribendum, ut repetatur lectio praecedentis diei; et in ordine ac distributione

<sup>35</sup> Vide supra, mon. 21 (Prov. Franciae).

<sup>36</sup> Emmanuel ÁLVARES S.I., *Institutiones grammaticae*; vide supra, mon. 21 adn. 2 et passim.

<sup>37</sup> De abecedariis agit declaratio C cap. 12 *Constitutionum*; vide MP I 285.

horarum singularum classium addendum atque praescribendum esse, ut fiat repetitio lectionis praecedentis, antequam alia lectio tradatur aut explicetur. Nam declarationes Constitutionum non uno duntaxat in loco, sed pluribus meminerunt repetitionum, earundemque mentionem faciunt, ut quarta parte cap. 6<sup>o</sup> litt. H, et cap. 13 D<sup>38</sup>. Quin etiam satis iudicant duas oportere esse in singulis classibus repetitiones; unam statim a lectione explicata, alteram die subsequenti, antequam alia lectio explicetur; de quibus duabus repetitionibus aperte praeciendum videtur, tum supra cap. 5<sup>o</sup> pag. 246 lin. 19.a n. 5<sup>39</sup>, tum in ordine et distributione horarum singularum classium, designato illis certo tempore, quo fiant.

(Pag. 276 linea ultima et 277 lin. 1.a) Non satis capere potuimus, quid sibi velint illa verba «quo vero die nihil occurrit ex grammatica exponendum, hesternae praelectionis fiet repetitio» Quid? An non quotidie aliquid ex grammatica exponendum praelegendumque? An non quotidie faciendae repetitiones, et quidem binae, ut monent Constitutiones? Hoc ergo apertius dicatur. Neque enim usquam alibi aliter dicitur, quod hic adeo obscure traditur; non enim dicitur, quibus diebus non sit legendum aliquid ex grammatica, nec quibus non repetendum, sed potius contra praescribitur, quotidie aliquid exponendum ex grammatica. An ergo [364r] hoc relinquendum videtur arbitrio praeceptorum, et non verendum magis, ne si hoc illis permittatur, saepe praetermittant aliquid ex grammatica exponere? Idem sit de secundae classis inferiori ordine infra pag. 279 lin. 1.a 2.a et 3.a; et pag. 289 in superiori ordine secundae classis prima hora antemeridiana in horarum divisione; et pag. 282 in divisione horarum inferioris ordinis primae classis; et pag. 284 in divisione horarum superioris ordinis primae classis; hora prima antemeridiana in 4.a 5.a et 6.a; et pag. 293 in hora prima pomeridiana classis humanitatis lin. 1.a et 2.a.

(Pag. 277 lin. 26.a et sequentibus, atque pag. 278) Usque ad secundae classis inferiorum ordinem nulla designatur praelectio faciendae toto tempore pomeridiano in distributione horarum superioris ordinis tertiae classis. Quod omnibus visum est valde incongruum et absurdum.

(Pag. 278 lin. 6.a et 7.a) Omnibus videtur monendum, quousque progrediendum sit in graecis in hoc ordine, et praescribendos esse certos fines, quos praetergredi non liceat, ne praeceptores excedant.

(Pag. 280 lin. 9.a) Monendum omnes senserunt, in Gallia passim in omnibus classibus etiam inferioribus consuetudinem esse, ut poeta aliquis praelegatur, ut Disticha Catonis, Verin<sup>40</sup>, Ovidii de Nuce, aut alius aliquis facilis. Itaque etiam pro hisce classibus videtur poeta aliquis deligendus et designandus, saltem in Gallia, ne offendantur externi. Quin et omnibus etiam classibus superioribus suus poeta designandus videtur.

(Pag. 282 lin. 6.a) Designandi videntur certi libri Epistolarum Ciceronis, qui praelegantur in hac classe, sicut factum est in superioribus classibus, aliqua saltem ex parte, et in sequentibus etiam faciendum videtur. Pagina eadem, linea ultima, omnibus visum est praeciendum, ut repetitio et expositio semper antecedant thematum emendationem, quia alioquin pueri non venient tam cito ad classem, si intelligant prius emendanda esse themata, sed declinabunt thematum emendationem; et praeterea, ne toties interturbetur ordo scholarum. Idem fiat in superiori ordine primae classis hora prima pomeridiana infra pagina 285 linea 1.a 2.a 3.a et 4.a, et in classe humanitatis hora prima pomeridiana pagina 293 linea 2.a et 3.a infra.

<sup>38</sup> Vide MP I 241 291.

<sup>39</sup> Vide MP V 131 n. 5.

<sup>40</sup> Michael VERINUS, *De puerorum moribus disticha*; vide MP II 90 et passim.

(Pag. 283 lin. 3.a) Nimis parum temporis Eglogis Virgilii et Epistolis Ovidii praelegendis tribuitur, et aliis quoque auctoribus in tota hac horarum distributione. Ita praeterea truncantur et circumciduntur horae singulae exercitationum literariorum cuiusque ordinis et classis, ut valde angustum tempus exercitiis sit relictum, quod corrigendum videtur, maxime infra pagina 290 et 291 in classe humanitatis.

(Pag. 288 linea antepenultima) Omnes deputati ex duobus modis constituendi classem humanitatis approbarunt magis posteriorem, quem omnino ubique, quoad fieri poterit, servandum iudicarunt. Uni nihilominus, alteri ad consultationem vocato magis probatus est prior modus, qui Parisiis servari dicitur, ne classis humanitatis appareat longe inferior classi rhetoricae.

(Pag. 289 lin. 6.a) Dicuntur, Constitutiones favere posteriori modo, cum non sint nisi Declarationes<sup>41</sup>, ut ibidem postea dicitur; hoc igitur emendetur.

Pag. 290 – In distributione horarum in classe humanitatis hora 1.a antemeridiana lin. 9 a fine paginae, quod dicitur: «Et ferme vulgari lingua in latinam vertendum», omnibus visum est, non dandum esse thema vulgari lingua in hac classe, quando legitur compendium rhetoricae.

(Pag. 291 lin. 3.a et 4.a) Proponuntur Laelius de Amicitia et Cato de Senectute praelegendi in classe humanitatis, qui supra pag. 284 lin. 4.a propositi fuerunt in superiori ordine primae classis grammaticae<sup>42</sup>. Id quod quatuor ex deputatis visum est incommodum, cum auctores, qui in diversis classibus praelegendi sunt, debeant esse distincti, quemadmodum et ipsae classes diversae sunt; nec iidem praelegendi sunt in diversis classibus. Duobus nihilominus non est visum incommodum, eosdem auctores propositos esse diversis classibus, quod longe aliter praelegendi sint in superiore classe quam in inferiori.

Quaesitum hoc loco fuit: An esset describendus catalogus auctorum praelegendorum quotannis in singulis classibus generalis pro tota Societate, ita ut iidem auctores passim et ubique eodem anno in iisdem classibus praelegantur? Et re ultro citroque ventilata, visum est omnibus id supervacaneum esse, nec commodum futurum. Universi nihilominus censuerunt, designandos esse libros idoneos et proprios pro singulis classibus et maiori numero quam designantur. Et proinde, augendum, amplificandum esse numerum auctorum praelegendorum in quavis classe. Praeterea, pag. 292 lin. 23.a, 24.a et 25.a convenerunt omnes, tertiae classi seu superiori ordini primae classis grammaticae, et classi humanitatis atque classi rhetoricae designandum esse singulis suum poetam et historicum, qui in quavis legatur. Et tertiae quidem classi seu superiori ordini primae classis grammaticae Caesarem et Iustinum; humanitatis vero classi Salustium et Quintum Curtium; rhetoricae classi Titum Livium, Cornelium Tacitum, Florum et Eutropium assignari posse censuerunt, quia in hac classe non tam leguntur huiusmodi auctores ad comparandum stylum, ut in classe humanitatis, quam ad comparandum variarum rerum cognitionem et copiam.

(Pag. 293) In 2.a hora pomeridiana classis humanitatis visum omnibus est, nimis exiguum tempus concedi graecis literis; horam integram ut minimumtribuendam omnes putarunt.

Ibidem ex auctoribus graecis designatis classi humanitatis iudicarunt omnes, Theocritum classi rhetoricae potius assignandum, quod difficilior; humanitatis vero classi, praeter alios in libro designatos, tribui posse Theognidem, Phocylidem, aureas Pythagorae sententias, Hesiodum.

<sup>41</sup> Vide MP V 151.

<sup>42</sup> Vide MP V 149.

Ibidem linea 5.a a fine paginae nimis angustum tempus tribuitur compendio rhetoricae Cyprian<sup>43</sup> secundum omnes; requirit cum minimum trimestre tempus ut exponatur, ut supra dictum est Cap. 7<sup>o</sup> pag. 261 linea 3.a et 4.a

Ibidem linea penultima, ad orationes ex Cicerone designatas has addendas omnes censuerunt: Pro Roscio Amerino, Pro Q. Ligario, Catilinaras.

(Pag. 294 n. 2<sup>o</sup> lin. 1.a et 2.a) Mirifice universis probatum est, ut non nisi unus tantum sit praeceptor rhetoricae. Tum ob rationes, quae subiectae sunt in libro; tum etiam quia vix unquam inter se convenient, si duo fuerint, ut experientia docuit. Nam quod [364v] unus aedificat, alter destruit, et magnam adfert classis perturbationem, atque superioribus et praefecto molestiam; et discipuli nimium afficiuntur ad eum, qui magis illis placet, alterum contemnunt; et nascitur aemulatio quaedam inter ipsos. Si tamen unus duntaxat sit, ut esse maxime expedit, non videtur gravandus onere docendi quotidie omnes auctores, sed satis est, ut alternatim aliquos doceat; nec habeat repetitiones, quo facilius hoc onus diu tolerare possit. Sic enim fere omnes senserunt.

(Pag. 295 lin. 20.a) Non citatur locus Constitutionum; et locus ille qui insinuat, non est Constitutionum, sed Declarationum earundem 4 p. cap. 7 C<sup>44</sup>. Hoc ergo corrigatur, et ponantur verba integra Declarationum. Ita omnes senserunt.

(Pag. 296 lin. 6.a n. 4<sup>o</sup>) Tollantur ex catalogo librorum praelegendorum in classe rhetoricae liber De inventione, et eius loco collocetur Orator ad Brutum; et addatur Quintilianus secundum omnes, non modo in 7<sup>o</sup> libro legendus, verum etiam et in aliis designatis praecipuis eiusdem auctoris libris et huic classi magis accommodatis.

(Pag. 296 lin. 18.a, 19.a et sequentibus aliquot, n. 4<sup>o</sup>) Quod dicitur de rhetoricae cursu biennio quoque absolvendo, nulli probatum est, sed ab omnibus reprobatur. Ne tandiu maneant auditores, antequam totam artem audiant, cum non possint se exercere in compositionibus iuxta artis praecepta, nisi ipsa prius tota percepta. Quare omnes iudicarunt, totam rhetoricam quotannis explicandam esse ex ipso Cicerone, et reiiciendos esse omnes tractatus huiusmodi et variarum rerum farraginem et coacervationem in rhetorica perinde atque in philosophia et theologia.

(Pag. 297 n<sup>o</sup> 5<sup>o</sup>) Disputatum fuit occasione accepta ex varietate rerum, quae dicuntur ibidem spectare ad classem rhetoricae, an aliquid philosophicum ex libris philosophicis Ciceronis praelegendum esset in classe rhetoricae? Et quidem tres ex deputatis existimarunt, nihil plane philosophicum praelegendum esse in hac classe, ut magis vacent iis, quae huius classis sunt propria. Duobus nihilominus aliis ex deputatis et uni alteri in consultationem vocato visum est, aliquem librum philosophicum ex Cicerone etiam in hac classe alternis annis praelegi posse.

Ibidem quaesitum fuit: Num professori rhetoricae permittendum sit, ut geographiam suis auditoribus praelegat? Et quidem duo ex deputatis id minime ei permittendum iudicarunt, cum hoc spectet potius ad mathematicum, quam ad rhetorem. Quatuor nihilominus id illi permittendum iudicarunt; sed ita tamen, ut secundum tres non nisi breviter admodum eam tradat; tertio quoque anno aut biennio quoque, ut uni ad consultationem vocato placuit. At vero *Somnium Scipionis*<sup>45</sup> nulli permittendum esse, omnes censuerunt, ne incipiant philosophari, aut potius astrologiam docere, allatis in classem instrumentis, ut quibusdam accidit.

<sup>43</sup> Cyprianus SOARES S.I., *De arte rhetoricae*, vide supra, mon. 10 adn. 211 et passim.

<sup>44</sup> Vide MP I 267.

<sup>45</sup> *Somnium Scipionis* partem constituit operis *De republica* M.T. Ciceronis.



(Pag. 298) Prima hora antemeridiana iubetur, ut memoriter recitetur oratio M. Tullii mane, quae tamen prima hora pomeridiana praelegenda praescribitur, id quod videtur plane pugnare cum eo, quod supra dictum est caput 5<sup>o</sup> pag. 246 n. 5<sup>o</sup>, lin. 19.a et 20.a, ubi sic habetur: «Initio scholarum matutinam mane, vespertinam vespere, lectionem pueri memoriter reddant decurionibus»<sup>46</sup>.

Ibidem, quae praecipuntur agenda secunda hora antemeridiana, commodius commutantur cum his, quae fieri iubentur prima hora pomeridiana. Et haec vicissim cum illis ex communi omnium sententia.

(Pag. 299 lin. 1.a) Si commutentur exercitia primae horae pomeridianae cum exercitiis secundae horae antemeridianae, aut etiam, si non fiat haec commutatio, visum est omnibus alternatim legendum esse historicum aliquem cum poeta. Historici autem huic classi convenientes iam supra designati sunt; et assignandum est certum tempus, in quo historicus praelegendus sit.

Ibidem secunda hora pomeridiana, lin. 1.a 2.a et 3.a auctoribus graecis huic classi designatis addatur Theocritus, qui paulo ante classi humanitatis ereptus est.

(Pagina eadem lin. 10.a a fine) Quatuor visum est, satis esse, ut semel quoque mense cum soluta oratione tum carmine scribatur a singulis tam graece quam latine. Duobus nihilominus placuit orationem solutam latine 15 quoque die scribendam esse, graece vero tertia quaque hebdomada, poema vero graecum et latinum quarta quaque hebdomada.

(Pag. 301 lin. 3.a) Citantur Constitutiones, cum non sint nisi Declarationes; hoc igitur corrigatur. Idem quoque infra linea 12.a ibidem repetitur.

#### Provincia Lugduniae

Pag. 297 n. 4 – Idem<sup>47</sup> pro aliqua rhetorica conficienda esse faciendum videtur.

Pag. 312 – Hae distributiones horarum non possunt servari in quibusdam; quare videntur relinquendae iudicio provincialium. [*Stud.* 3, f. 397r]

#### Provincia Poloniae

Pag. 276 – Pro 3.ae classis superiori ordine expediret pro singulis provinciis vel tota Societate seligi certas epistolas Ciceronis, quae classi huic servire possent.

Pag. 290 – In classe humanitatis videtur nimis parum temporis dari ad stylum poeticum exercendum; soli scilicet dies sabbati et vacationum. Consultius esset, hic aequale tempus utrique compositioni tribui et alternis septimanis nunc hunc nunc alium stylum exerceri. Quod si qui sint ad poesin inhabiles, ii soli orationi solutae vacare possent. Quod vero ibidem dicitur de argumento ex vulgari lingua in latinam vertendo, minus decens visum est pro classe humanitatis, maxime ubi academiae sunt. Itaque talia non nisi raro hic essent proponenda.

In eadem classe (pag. 291) initio videntur communiter tres quadrantes necessarii ad lectionem explicandam auctoris.

Quae pag. 294 et 295 disseruntur de uno solo praeceptore in rhetorica ponenda, consultum id quidem lectionibus rhetoricis et latinis. At a lectione graeca idem praeceptor omnino liberandus esset.

Pag. 298 – Quae de carmine et soluta oratione alternis diebus in rhetorica componendis, satius videbatur fore, tertiam quamque septimanam [*Stud.* 2, f. 163r] totam carminibus

<sup>46</sup> Vide MP V 131.

<sup>47</sup> Vide supra, mon. 26 (Prov. Aquit. – Pag. 265 n. 4).

tribui; duas autem orationi solutae, ut aliquid solidi utrinque, non intrusivum quid, componere possint.

**Ioannes Balmesius S.I.**

273 31: De grammatica dixi superius. Profecto, definitiones principio pueris traditae inutiles; declinatio per pronomina confundit linguam latinam.

32: Dictionarium, continens dictiones frequentiores solas cum propria significatione et ethymologia et sintaxi in anomalibus, minueret infinitatem regularum grammaticalium.

290 33: Edatur rhetoricae opus absolutum ex scopis dissolutis Ciceronis et aliorum; item poeticae et historiae etc. Cur non etiam leguntur in christianis scholis graeca christianorum opera, non minoris eloquentiae quam ethnicorum: Nazianzeni, Chrysostomi, Basilii, Synesii etc.?

295 34: Tempus quod detrahitur rhetori, scio, a discipulis consumi in ludicra cum condiscipulorum scandalo; ergo exeat cum aliis.

296 35: Novi rhetores, qui non semel annum consumpserint in locis tractandis messem logicorum metentes; atqui usum suorum profitentur, non metaphysicum aut logicum. [*Stud. 2, f. 183v*]

**Nicolaus Clerus S.I.**

(Pag. 299 lin. 15.a) Videtur ad classem etiam rhetoricae pertinere Aristophanes et Theocritus; non ad classem humanitatis, ut supra 293 lin. 18.a. Pro quibus ibi quadrarent aurea carmina Pythagorae, Phocylides, Anacreon repurgatus, sententiosi poëtae, fortasse Hesiodus aut Megarensis ille. [*Stud. 3, f. 367v*]

**Laurentius Faunteus S.I.**

Quae traduntur de classium ordinibus et horis singulis, exercitationibus etc., arbitrator, haud severe exigenda ab iis provinciis, in quibus alia ratio hactenus bene successit. [*Stud. 2, f. 179r*]

**30**

**IUDICIA PATRUM IN PROVINCIIIS S.I. DEPUTATORUM  
DE RATIONIS STUDIORUM (1586) TRACTATU:  
«GENERALIS DISTRIBUTIO HORARUM TOTO ANNO»<sup>1</sup>**

**ASSISTENTIA ITALIAE**

**Professores Collegii Romani**

De horarum distributione, quod ad Italiam spectat (de aliis enim provinciis nihil dicimus), de hora surgendi, de inchoandis lectionibus, de hora prandendi, caenandi et cubandi: Placet quod statuunt; nisi quod in singulis mutationibus addenda esset particula: circiter, vel quid simile. Hoc enim exigit varietas locorum et temporum. Excipiuntur P. Parra et

<sup>1</sup> Textum huius tractatus videsis in MP V 156-58.

P. Pererius, qui hanc horarum distributionem singulis provinciis liberam relinqui velint, prout cuique commodum fuerit. In provincia vero romana, pro qua probant patrum divisionem, mutationem, quae fieri praescribitur mense maio, nollent incipere idibus maii, sed initio mensis, quo tempore surgendum videretur hora octava<sup>2</sup>.

Quod ad pomeridianas lectiones attinet: Primo, statuendum est, ut nostrum horologium pro more Italiae sequatur non solis occasum vel ortum, sed crepusculum vespertinum; ita ut hora 24.a incidat in horam circiter mediam post solis occasum. Tum quia haec [*Stud.* 3, f. 51r] est universalis totius Italiae consuetudo; nos vero esse soli minime possumus. Tum quia alioquin exorirentur in nos querelae propemodum infinitae, sicut anno superiore experti sumus, cum hanc horologii rationem inire tentavimus. Hoc igitur posito, nulla ratione probatur, ut pomeridianae scholae incipiant hora vigesima prima. Nam praeterquam quod nunquam ita factitatum est, sequuntur etiam inde maxima incommoda. Primo enim, congregationum solitis exercitationibus, quae singulis diebus fieri solent post lectiones, nullum tempus relinquitur. Deinde, diebus sabbathis non possent (quod tamen fieri solitum est) letaniae et Salve publice in templis nostris recitari. Postremo, esset hoc pueris, qui loca a collegiis distantia incolunt, plane non ferendum. Quare inchoandae essent scholae ante horam vigesimam primam, ut semper factum est in Collegio Romano.

De repetitionibus, quod in scholio G dicitur, ut in Collegio Romano: die Veneris habeatur cohortatio, non placet. Primo, quia die Veneris a prandio quatuor vel quinque fere horas distinerentur fratres in continuis exercitationibus mentis. Deinde valde incommodum esset praeceptoribus, quibus duas continuas horas cohortationis et repetitionum occupatis, non suppeteret tempus ad parandas in posterum diem lectiones. Accedit quod cohortatio die sabbathi cum confessionibus et communione maxime convenit.

Quod demum spectat ad horam repetitionum, non probatur, ut a novembri fieri incipiant hora 24. Tum quia nullum tempus discipulis reliquum esset, quo se ad repetendum pararent. Tum quia temporis studio maxime accommodati, quale est vespertinum, homines iam repetitionibus defatigati, maximam iacturam facerent. De tempore pomeridiano repetitionibus assignato, placet quod praescribitur. Reliqua placent.

### Provincia Neapolitana

Primo, visum fuit admonere horam surgendi accommodandam esse cum iis, quae consequuntur; quod tamen desiderari videtur in ea praeceptione, qua surgendum praecipitur in Italia hora octava calendis maii, cum tamen prandium, ei correspondens hora quarta decima, assignetur idibus maii; utrumque enim videtur idibus vel calendis inchoandum, et forte est error typographi. – 2<sup>o</sup>, in littera D nulli videntur hibernae lectiones inchoandae hora 21.a et absolvendae [*Stud.* 3, f. 104r] hora vigesima tertia cum dimidia; videtur enim id valde incommodum tum ipsis auditoribus, hiberno praesertim tempore; tum vero maxime congregationibus, quae a scholis haberi solent; neque propterea ratio italici horologii in nostris collegiis immutanda videtur, ne soli sapere videamur, cum reliqua omnia horologia, ad quae se moderantur scholastici, sequantur crepusculum vespertinum et non occasum solis. – 3<sup>o</sup>, videtur omnibus superioris iudicio relinquendum, malitne die Veneris, an die sabbati habere exhortationem; et nonnullis commodior videtur dies sabbati, tum quia eo die nullae habentur repetitiones, tum propter publicos tabellarios, qui fere diebus Veneris expediri solent, praesertim in praecipuis Italiae urbibus; tum etiam propter coniunctio-

<sup>2</sup> De temporis computatione in Italia saeculis praeteritis vide MP I 76 et 167.

nem confessionis et exhortationis, quae mutuo sese iuvant; neque disputationes, quae haberi solent die sabbati in scholis, impedimentum afferunt, quia pauci tantum disputant, reliqui audiunt. – 4<sup>o</sup>, placet omnibus retineri pristinam consuetudinem, ut repetitiones ultima hora ante cenam habeantur; primum, quia si fierent hora 24.a, ut praescribunt patres, non haberent discipuli commodum tempus comparandi sese tum ad repetendum tum ad argumentandum; deinde, quia si semihora tantum intercedat, ut volunt patres, a fine lectionum ad repetitiones, non videtur esse satis temporis ad exercitium faciendum; quod tamen Constitutiones praescribunt<sup>3</sup>; ipsa quoque litterariae exercitationis continuatio nihil fere interrupta magnam molestiam affert, et obest plurimum valetudini, quae magnopere levatur animi quadam relaxatione et quiete; ut praetermittamus divini officii et rosarii recitationem eo tempore sane quam opportune fieri solitam, antequam ad nocturnum studium sese nostri ad cubacula recipiant.

### Provincia Veneta

Pag. 307 Lit. G «Haec intermittitur». Dubitari potest, utrum repetitio domestica intermittere debeat propter confessiones in vigiliis sanctorum. Non videtur omittenda, quia non sunt illae confessiones ordinariae; contra vero sunt confessiones tales, quales sabbatinae. Quare posset constitui, ut repetitio transferatur in diem sequentem festum, nisi dies sequens sit dies vacationis. Alioqui multae nimis repetitiones intermittuntur. Atque hoc declaratur, ne singulis annis inter superiores et doctores disputetur.

Pag. eadem Lit. G «Nam exhortatio». Si fiat feria VI, tandem aliquando stabilietur observatio regulae 55.ae rectoris<sup>4</sup> de semihora recreationis post collationem, quae ubique fere hucusque fluctuavit. Exhortatori etiam haec temporis definitio brevitatem indicet.

Pag. 307 Lit. I – Si repetitiones fiant sub occasum solis, haec existent incommoda: Primo, sicuti nunc repetitores nec pulsu ad coenam, nec ipsa manuum lotionem queunt a disputatione avelli, ita tunc sese aegerrime recipient in cubacula et ante ianuas producent disputationes. – 2<sup>o</sup> ante repetitiones sunt omnibus recognoscendae lectiones, ut parati sint ad respondendum, ut praecipitur supra pag. 122 123. Imo, memoriter debent repetere, ut ibidem consulitur. At repetitiones praecedet exercitatio, quae omitti non potest; hanc scholae. Quando ergo memoriae lectionem mandabunt? Res est maiori digna consideratione.

Pag. 308 «Caenetur hora secunda 1/2 a novembri». Tam cito caena videtur praescribi, ut qui in secunda mensa caenant, habeant integram recreationis horam. Id in Romano Collegio, ubi non possunt omnes, etiam si velint, propter multitudinem caenare in prima, bene succedit, et ubi non valde friget. At in collegiis reliquis, (si pauca maxima excipias), ubi omnes ad primam accedunt, praeter lectorem et ministrum mensae, cur propter duos reliquis incommodetur, cur recepta et inveterata consuetudo tollatur? Incommoda sunt haec: primo, semihora nocturni temporis omnibus eripietur studio accommodatissima. – 2<sup>o</sup> quo tempore fit secunda nocturna recreatio, primi quid facient? Aegre abstrahentur a camino, unde vix pulsu examinis avocantur, studium grave tam exiguo tempore suscipere gravabuntur; frigeant interim, et frigefacti lectum ingredientur, vel optabunt ad ignem redire. Quod incommodum nec lusitani, romani, sicutique temperatius caelum habentes viderunt nec germani, caeterique transalpini viventes in hypocaustis. – 3<sup>o</sup> magistri et praeceptores

<sup>3</sup> De exercitiis corporalibus faciendis vide *Constit. P. III c. 2 § 4*; in *MI Const. III 95*. Cf. etiam *MP III 172 § 11*.

<sup>4</sup> Quam regulam videsis in *Regulae S.I. (Romae 1582) p. 86 n. 55*; et in *Institutum S.I. III 113*.

non poterunt adduci, ut ad primam veniant. Atque ita plures erunt in secunda, quam in prima. Quare videretur parendum consuetudini ac necessitati hac in re, ubi multi necessario expectant secundam. Tum tunc prima mensa sit 2.a 1/2. At ubi omnes possunt et cupiunt caenare [*Stud.* 3, f. 165r] in prima, 3.a.

Pag. 308 «22 1/2 Idibus maii». Id omnino fiat, ad tollendum abusum quiescendi a caena per sesquihoram qui expresse est contra regulam rectoris.

Ab hac horarum distributione excipi debent ea collegia, quae docent, ubi sunt universitates, cum quibus non possunt concurrere per duas horas ex bulla Gregorii XIII 1578<sup>5</sup>.

Catalogus librorum prohibitorum nostris, qui quondam a P. Everardo bonae memoriae editus est<sup>6</sup>, reficiatur et una cum studiorum ratione imprimatur.

In regulis nostrorum scholasticorum necessario cavendum videtur, ne sine facultate praeceptoris ac praefecti exscribant carmina, orationes, conciones, tractatus philosophicos ac theologicos. Ea enim res quot et quanta incommoda ferat, notissimum est. Perdunt tempus, pigrescunt in speculationibus, laedunt pectus et totam valetudinem labefactant, discunt vivere ex rapto etc. Praeceptor autem et praefectus dabunt facultatem describendi rem quampiam, quae lectissima sit, apta studiis illorum, dignissima scitu et scriptu. Adolescentes enim, utpote ignari multarum rerum, quaecunque nesciunt, optima lectissimaque putant, licet sint ineptissima.

#### Didacus Tapia S.I.

Circa folium 307 – Repetitiones, placet magis, ut fiant post recreationis finem postmeridie. Nam sic dabitur plus temporis quieto noctis studio; saltem ubi esset in usu ita facere, talis usus deberet conservari.

Circa fol. 308 – Circa horas consuetudines provinciarum laudabiles non essent mutandae, quamvis in aliis provinciis non admitterentur. Quocirca, ubi cenatur octava hora post meridiem tempore hiemis, continuari deberet. Sic enim studium nostrorum prolongatur. [*Stud.* 2, f. 54v]

#### Assistentia et provincia Lusitaniae

De generali distributione horarum toto anno — Pag. 302 – In hac provincia incommoda erit, mense octobri surgere hora quarta, prandere decima. Imprimis enim externi scholastici tempestive nimium ad sacrum audiendum vocabuntur, utpote uno quadrante post sextam. Deinde publicae conciones, quae in nostro templo habentur, vel inchoandae tunc erunt paulo ante nonam, vel paulo ante decimam. Si ante nonam, praeterquam quod id communi huius regionis consuetudini repugnat, perpauca habebimus in templo auditores. Si ante decimam, non igitur tunc prandendum erit hora decima. Quare praestat ab initio octobris in hac provincia, ut mos est, quinta hora surgere.

Neque item expedit a principio Quadragesimae, sed a 20 circiter martii surgere quarta hora in hac provincia: Primum, quia interdum finita oratione, expectanda lux erit ut sacrum, cui fratres post orationem continenter interesse solent, inchoetur. Atque ita per quadrantes et semihorulas intercidendum erit tempus non sine aliquo studiorum et rerum domesticarum incommodo. – 2<sup>o</sup> quia non parum nocet in hac regione, nonnullis praesertim collegiis, matutini caeli inclementia.

<sup>5</sup> Bulla «*Quanta in vinea*» (7 maii 1578); vide in *Institutum S.I.* I 74-78.

<sup>6</sup> *Instructio de usu librorum prohibitorum* (21 martii 1575); vide in MP IV 575-78.

Pag. 304 – Non est etiam, cur in vigiliis et quatuor temporibus caenae tempus ad dimidiam ante duodecimam prorogetur. Quin et id non parum molestum erit praeceptoribus qui, si eo tempore caenandum sit, a quiete ad gymnasium interdum ire cogentur.

Pag. 306 – Quotidianae theologorum disputationes non habentur in hac provin-*[Stud. 2, f. 307r]*cia, nec vero commode haberi possunt eadem hora qua caeterae, sed aliquanto citius. Primo, quia alioqui non possent theologi casuum disputationibus interesse. Deinde, quia eorum nonnulli philosophorum concertationibus praeesse solent.

## ASSISTENTIA HISPANIAE

### Provincia Aragoniae

Communis huius provinciae consuetudo suscepit, ut quatuor fiant quotannis mutationes. Tanta enim mutatio brumalis temporis in aestivum et contra, si subito fiat, valetudines tentat. Neque enim annus aestate solum constat et hieme, sed autumnus etiam et vere. Unde fit ut ineunte septembri, et aliquanto deinceps temporis spatio, surgatur quarta cum dimidia; inchoentur vero praelectiones matutinae septima cum dimidia. Temporis autem hiemalis initio surgitur hora quinta. Idemque deinceps in reliquis servatur ordo, qui in hac horarum distributione praescribitur. Rursus idibus martii surgitur dimidia ante quintam. Neque videtur incommodum dari signum *[Stud. 2, f. 250v]* hora dimidia. Nullis enim artibus mederi possumus huic malo, quod ne in ordine quidem romano praecavetur. Illud etiam, quod hoc loco praescribitur, ut toto septembri et octobri iam inde ab ipso Quadragesimae principio surgatur hora quarta, maxime videtur incommodum propter nimiam frigoris vim, quae in aliquot huius provinciae locis ferri non posset, cum alias, tum maxime cum Quadragesima propius accederet ad Christi Natalem.

Pag. 304 – Persuasum nobis est non mediocriter offensum iri externos si Quadragesimae tempore detur in iis locis prandii signum hora 11. Nam, cum doctores diebus ieiuniorum prandere nos iubeant circiter meridiem, nulla videtur causa subesse, quamobrem eo tempore prandium una ante meridiem hora debeat anteverti, tametsi aestivis diebus non patiatur vis summa caloris, ut serius prandeatur. Quare praestabit sine dubio prandere toto Quadragesimae tempore dimidia ante meridiem, inchoare vero praelectiones pomeridianas hora 2.a cum dimidia, ut hucusque huius provinciae usus obtinuit.

Ibidem – Consuetudo prandendi aestivo tempore dimidia ante undecimam, quae in hac provincia precrebuit, omnino videtur retinenda, quod in plerisque collegiis munera Societatis magna ex parte incident in praelectionum tempus. Nam ut de aliis taceamus, honestissimi quique plerumque veniunt ad nos confessionis causa intra decimam et 11. Unde fieret ut pauci e nostris patribus primo loco pranderent, quin potius complures cogerentur accedere longo post auditum secundum prandii signum intervallo.

Pag. 305 – Aestivo tempore nullo modo inchoari possunt praelectiones hora 2 pom. Caderet enim auditorum adventus intra primam et secundam pom. Quod tempus propter maximos aestatis calores minus solet esse salubre tam discipulis quam praeceptoribus. Atque ita vetus huius provinciae consuetudo exigit, ut fiat scholarum pom. initium hora 3.

Pag. 306 – Domesticae fratrum nostrorum repetitiones fieri non possunt hora 12, nisi perincommode. Satis igitur erit, si prima pom. fiant. Quare tollenda videtur coniunctio illa disiungens, vel ut prima remaneat.

Pag. 307 – In Const. 4 P. c. 6 § 11<sup>7</sup> praescribitur ut quotidie aliquod tempus designetur, quo praesidente aliquo disputetur in collegiis. Quare cum Const. eas quotidie fieri iubeant, non videntur intermittendae in sabbato. Praeterea studia literarum multum damni factura videntur, nisi quotidianae praelectiones quotidie repetantur et inculcentur, cum praesertim duae simul praelectiones eodem die commode repeti nequeant. Neque confessiones videntur obstare, quominus eo die id fieri possit, cum vernis aestivisque diebus id fiat prima pom., hybernis vero 5.a. Deinde vero satis longum tempus superest ad caenam. Quod si in Romano Collegio propter confitentium multitudinem id fieri nullo potest, non videtur idcirco eadem consuetudo servanda, ubi nulla subest eiusmodi causa. Neque enim par est, ut quae in Romanum Collegium inexit necessitas, eadem quoque praescribantur in caeteris collegiis; praesertim cum (si unum aut alterum excipiamus) nullum sit in tota Societate collegium aequae numerosum atque romanum, etiam si caetera non infrequentia videri possint. [251r]

Pag. 308 – In Hispania caenatum est adhuc hyemali tempore hora 8 pom. Nam si caenetur dimidia ante octavam, fiet magna iactura studii nocturni, quod cadit in illud semihorae spacium commodissimum maximeque tranquillum. Praeterea cum repetitiones absolvantur hora 6.a, dum accenditur lucerna et se ad studium quisque comparat, satis magna temporis pars interfluit. Huc adde litanias, quae cum fere recitentur apud nos, quadrantem ut minimum studiis praeripiunt. Ex quo fit, ut perexiguo temporis spacio vacare studiis nostri possint, saltem continenter. Quod non solum detrimento illis esset, sed etiam loci nonnihil dare videretur externis secus de rebus nostris existimandi; praesertim academiis, ubi collegae caenare solent octava aut eo tardius. Duas autem, ut apparet, ob causas decretum est Romae, ut caenetur hora 7.a et dimidia. Primum ut omnes vel qui 2<sup>o</sup> loco caenarint, horam integram recreentur a caena. Quod haud ita necessarium videtur hiemali tempore; tum quia post caenam gravior plerumque somnus obrepit, cui sine ullo valetudinis detrimento potest quisque indulgere; tum quia paucissimi sunt, qui 2<sup>o</sup> loco caenent, exceptis dumtaxat collegiis numerosis atque frequentibus, quae constat esse perpauca; in quibus tamen perraro scholastici nostri 2<sup>o</sup> loco caenant. Quorum ut consulatur paucitati, non videtur tanta caeterorum facienda iactura. Nam, qui primi caenarint etsi, post illam relaxationem animi, in studia literarum incumbant, parum tamen aut nihil proficient, tam propter summas temporis angustias, quam propter studii intermissionem. Quare, praeterquam quod plerique passim dormitabunt, intempestiva illa studia plurimum oberunt eorum valetudini. Quod si quis dicat, ex Const. praescripto necessario cuilibet concedendam esse horam integram ad animum relaxandum, respondemus, haec esse dumtaxat verba Const. 3 P. c. 2 D<sup>8</sup>: «A prandio praesertim in aestate per unius vel duarum horarum spacium permitti non debent, quoad eius fieri poterit, corporis aut mentis graviora exercitia». Quamobrem, cum Const. nihil caenae meminerint, nomine graviorum exercitiorum nullus unquam intelliget unum tantum examinis [conscientiae] nocturni quadrantem. Porro reg. 55 rectoris<sup>9</sup> id solum praescribit: A prandio et caena hora una recreationi religiosae impendatur. Cum igitur in collegiis minus frequentibus paucissimi reperiantur, qui hyemali tempore 2<sup>o</sup> loco caenent, non fit nobis verisimile, hunc fuisse scopum eius, qui legem illam tulit, ut omnes (quibus potius quam paucis quibusdam consulendum videtur) vellet ea vel cum valetudinis studiive detrimento teneri; quin etiam hispani diutissime caruerunt ea recreatione, quae modo 2<sup>o</sup> loco caenantibus ubique conceditur. Quo etiam tempore vel summa hieme, cum examinis conscientiae signum dimidia ante 10, cubitus vero quadrante post dari consuevit, caenabatur hora 8, omnesque promiscue discedebant a recreatione nocturna dimidia ante 10.

<sup>7</sup> Vide MP I 245.

<sup>8</sup> Vide MI *Const.* III 95-96.

<sup>9</sup> De regula 55 rectoris vide supra, adn. 4.

Deinde vero (ut ad 2.am causam veniamus), eo consilio videtur id esse constitutum, ut septem horae integrae, quae praescribuntur in Const., cuilibet ad dormiendum relinquuntur. Atqui in Const. 3 P. c. 2 litt. E<sup>10</sup> non praescribitur 7 horarum spacium ad somnum capiendum, sed adhibentur haec verba: In genere loquendo, videtur debere esse inter 6 aut 7 horarum spacium. Quapropter, ut Const. satisfiat, satis erit, si 6 horae cum tribus quadrantibus nocturno somno tribuantur; praesertim cum spacium hoc propius ad praefixum in Const. tempus accedat. Est etiam Hispania sicca magis et arida, quam aliae regiones. Atque ita non indiget tam diuturno somno. His adde morem capiendi somnum a prandio, quod multi faciunt, aestivo praesertim tempore. Quod si unus tantum addatur quadrans, isque valetudinariorum causa, hoc tantulo tempore qui poterunt esse contenti? Quare auferri oporteret quadrantem eiusmodi, cum neque valetudinariis satis sit, neque valentibus necessarius esse videatur.

Ibidem – Nullo modo videtur expedire ut dominicis Quadragesimae caenetur 6.a cum dimidia. Primum quia, ut su-[251v]pra dictum est, eo tempore itur cubitum hora 10 vel 9 cum dimidia. Unde magna temporis iactura sequeretur. Deinde, quia per eos dies nimis sero prandetur, eo quod in collegiis, ubi fit sacrum solemne et habetur concio, fieri aliter non potest. Ubi vero nulla eiusmodi ministeria nostri exercent, itur in domos professas ad sacrum solemne decantandum. Atque ita cantores huiusmodi, qui pauci non sunt, tardius prandere coguntur. Quam ob causam tunc caenari non potest 6.a cum dimidia, sine gravi iactura valetudinis. Atque ita in hac provincia caenatur hora 7.a aut dimidia post 7.am. Et quamvis hoc loco nullus praescribitur ordo professorum domibus observandus, sed collegiis dumtaxat, expediret tamen non parum eum ordinem praescribi (quod ad prandium, caenam, cubitum et alia id genus pertinet), quem domus etiam professae, quoad liceret, sequerentur; praesertim cum, ut saepe iam diximus, permulta sint ubique collegia, quae non solum liberales disciplinas profitentur, sed munera etiam domorum professorum exercent.

### Provincia Sardiniae

Inchoentur (inquit) lectiones pomeridianae in Hispania hora secunda usque ad quartam et dimidiam, et postea fiant repetitiones. Hyeme in Hispania hora quinta. Non videtur esse tempus praeparandi se ad repetitionem, quoniam inter finem scholarum et initium repetitionum non intercedit nisi dimidiata hora, quae consumitur in exercitio corporali. [*Stud. 2, f. 267r*]

### Ioannes Mariana S.I.

Pag. 308 – De hora prandii, caenae, cubitus, lectionum etiam nihil in hac provincia mutandum videtur, quae magno iudicio et labore sunt constituta. [*Stud. 2, f. 21r*]

### ASSISTENTIA GERMANIAE

#### Provincia Austriae

Fol. 304 – Praescribitur, ut in Germania sacrum fiat ante lectiones. Quod nobis incommodum valde est. P<sup>o</sup>, quia theologi, philosophi, rhetores, cum tardius reliquis inchoent lectiones, non facile cogentur tam mane venire, et rursum inter finem sacri et suae lectionis initium reverti domum, vel tempus illud minore fructu impendere. – 2<sup>o</sup> Nec grammatici facile adduci poterunt, praesertim hyeme, tam densis tenebris et summo matutino

<sup>10</sup> Vide MI *Const.* III 96.



frigore. – 3<sup>o</sup> Si proprio pulsu ad scholas sacri causa cogendi sunt pueri, et inde in templum deducendi, quod indicat libellus, quando iubet praeceptores adesse suis quemque discipulis, nimis multiplicabuntur pulsus; si vero in templum per se ipsi convenient, nihil agetur. – 4<sup>o</sup> Praeceptoribus praeripitur accommodatissimum studendi tempus, scilicet matutinum, ut fere nihil relinquatur; nam media sexta debebunt esse expediti ad scholas, id est, quadrante post orationem matutinam. – 5<sup>o</sup> Hactenus experti sumus, rem nobis faeliciter cessisse, cum post lectiones sacrum audiverunt; neque male convenit, ut pro gratiarum actione post studia eamus ad sacrum.

Eademque ratio videtur unius semper horae servandae hyeme et aestate ut hora 4 surgatur, 7 initium fiat lectionum; quae ad 9 cum dimidia finiantur; inde ad usque 10 sacrum habeatur. Quae temporum distributio [*Stud. 3, f. 272v*] praeceptoribus praesertim commodissime accidit, et magna externorum satisfactione servata est.

Fol. 306 – Quae repetitio praescribitur in Germania hora 12, incommodissima est; illa enim hora minus collecti sunt ad disputandum sensus. Deinde tres horas cum dimidia in scholis continuo manere, quod ex illa distributione sequitur, difficile est.

### Provincia Germaniae Superioris

Pagina 303 in fine et 305 in principio. – Non placet, quod ibi dicitur, ut aestate finis scholarum sit hora nona, et prandeatur hora decima. Nam primo, certe sacerdotes non possent absolvere sacra ad horam sextam cum dimidia, cum saepe multi sacerdotes prima hora scholarum docere debeant. – Secundo, ante scholam vix haberent praeceptores quicquam temporis ad se comparandos, cum tamen tempus illud matutinum sit optimum. – Tertio, tempus inter nonam et decimam (excepto quadrante examinis) perderetur, cum praeceptores, tum, quia fessi de scholis, non possent statim studere, tum, quia valde parum et interrupti temporis haberent. Quare omnino videtur eadem ratio eundi ad scholam et prandendi toto anno servanda, ut finis scholarum mane toto anno sit hora decima.

Pagina 304 in principio – Non placet, ut sacrum statim ante scholas dicatur; sed ante pro commodo loci. Primo, quia in hyeme nimis durum est propter frigus continuare sacrum cum scholis. – Secundo, quia nobiliores adolescentes vix duas horas cum dimidia continuas ferre possunt iudicio parentum et curatorum; multo vero minus ferrent tres amplius horas; atque adeo pauciores ad sacrum venirent. – Tertio, convictores (quae magna et praecipua pars est nostrorum in septentrione auditorum) commodissime post suam orationem statim habent sacrum, ut deinde totum tempus usque ad scholas libere studeant. Quod idem plerisque aliis commodissime cadit. – Quarto, si primum ante scholas statim pulsetur ad sacrum, tunc permulti ad id usque tempus dormient, hyeme praesertim, nec quidquam ante scholas studebunt.

Pagina 305 litera F. – Magis placeret, ut finis scholarum recte caderet in horam quartam. Primo, ut professores paulo plus temporis ad se comparandos haberent. – Secundo, ut scholae paulo tardius finirentur, quod eadem pagina litera D desideratur. – Tertio, ut posteriores et graviore scholae philosophorum ac theologorum cum ipsis horis inciperent et finirent; quod honestius et commodius est tum praeceptoribus tum auditoribus. In Quadragesima vero et ieiuniis finis sit ordinarie hora quinta, exceptis paucissimis diebus, qui in summam hyemem incidunt.

Ad haec, de horis scholarum addendum occurrit, videri satis in sabbathis et praefestis diebus scholas pomeridianas esse tantum duarum horarum, quae finiantur hora tertia; in

ieiuniis vero hora quarta. Hoc apud nos ex ordinatione R.P. Oliverii visitatoris receptum est<sup>11</sup>. – Primo, quia tunc multi cum suis parentibus eunt ad vespas. – Secundo, multi contententur. – Tertio, dici solent post scholas litaniae a sociis B. Virginis. – Quarto, multis ad artifices vel ad balnea eundum est. – Postremo, usus aliorum praeceptorum et scholarum talis est.

Pagina 306 circa medium. – Magis placet, ut repetitio tam hyeme quam aestate sit hora duodecima vel prima, tum propter uniformitatem, tum quia calores tanti non sunt, ut ferri id non possit, tum quia tempus vespertinum aptissimum ad privatim studendum est.

Pagina 308 circa medium – Placet quidem, ut caena sit hora sexta cum dimidia, si non sint litaniae. Si autem post recreationem dicendae sunt litaniae (quae res propemodum in legem transiit) tunc caenandum esset uno quadrante post sextam, ut hactenus apud nos receptum est. [*Stud. 3*, f. 223v]

### Provincia Germaniae Inferioris

5. In distributione horarum, quae Gallis nostris ratio assignata est, ea magis huic quoque provinciae convenit, quam alia, propter tenebras, quae classes occupant adhuc fere hora octava mane et quarta vespere in hieme; nisi quod inchoatio lectionum a prandio dimidio horae antevertendae videretur hieme, ut finiantur hora quarta ob eandem tenebrarum rationem; ac tum, interposita dimidiata hora (quo tempore corporis intercedit exercitatio, sicut et aestate a medio quintae), demum instituantur repetitiones. [*Stud. 2*, f. 116r]

### Provincia Rhenana

*De horarum coniunctione* – De horarum, quibus docendum est, coniunctione diu multumque a patribus disceptatum. Voluntas omnium tandem fuit, ut quae in illa emergebant difficultates, R. Patri N. proponerentur.

1. Ea scholarum immutatio, quae ab universa civitate omnibusque ordinibus facile notatur, et quae aliquam etiam privatis singulorum aedibus immutationem affert, sine gravibus et admodum probatis causis, instituenda non videtur. Coniunctio vero horarum nostra in provincia eiusmodi est. Nam qui filios, convictores, famulos nostris in scholis habent, aliam iis quotidiani victus suppeditandi rationem inire debent. Et propter alias quasdam mutationes, minime tamen ita generales, inconstantiae a plerisque et levitatis notamur. Quid in isto fiet? Quod si vero accideret, ut, quod timemus, propter aliqua incommoda, haec coniunctio iam suscepta mutanda esset, nullo eandem levitatis notam modo declinare possemus. Sunt autem collegia quaedam, in quibus olim coniunctis horis doceri coeptum erat, paullo post tamen desitum. Accedit, inveterata iam in omnibus Germaniae academiis et scholis, etiam trivialibus, pene omnibus horarum disiunctio; quam male hactenus cessisse, nullus deprehendit.

2. Multis in locis sunt ecclesiae collegiatae et coenobia, e quibus nostras in scholas canonici aliqui iuniores, vicarii, monachi ventitant; et medio tamen inter 7.a dimidium et horam nonam tempore templorum suorum sacris intersunt; a prandio inter 2 et 3 vespas. Hisce omnibus scholarum nostrarum ianua occluderetur; quorum tamen magna hic ratio habenda.

<sup>11</sup> Haec ordinatio data est a P. O. Manaraeo S.I., Germaniae visitatore anno 1583 in dilingano; v. *Germ. 127*, f. 18v § 21.

3. Habet eadem coniunctio incommoda tum corporis tum animi pleraque. Etsi enim in philosophicis et theologicis scholis dictatio nulla sit, auditoribus tamen scribendum erit, et multo quidem quam hactenus celerius et contentius. Hoc vero quam valetudini noxium, facile est intelligere. In puerilibus vero classibus, ne quae excerni debent, contra valetudinis rationem retineantur, erit tenuioribus pueris exeundi saepius facienda potestas. Neque vero foricae collegiis annexae, neque sine magno incommodo annecti possunt. Ex tanta etiam puero- rum, quorum diversissima sane nutritio, vestitus et mundities, confusiones graves in tanta lectionum assiduitate, foetores et halitus excitabuntur, non magistris tantum, sed pueris etiam perniciosi. Hyemali vero tempore ea frigoris saepe vis et rigor est, ut in calamis atramentum subito concreascit; mora paullo longiore manus et pedes congelent, membrorum stupores, rheumata, tusses, perniones, aliaque refrigerationum mala oriantur. Neque enim ubique hypocausta. Et quamvis alicubi carbonum foculos in scholam pueri afferant, id tamen eo tempore foetorem maiorem diffilare solet. Atque haec in corpore incommoda.

In animo vero ista notantur. – 1<sup>o</sup> Fastidium et defatigatio post lectionis [*Stud.* 3, f. 251v] unius auditionem. Itaque in posterioribus vel lectionibus vel exercitationibus iam saturi nauseabunt, et pueri maxime a fabulis, corporum iactationibus, picturis et strepitu vix continebuntur, uti experientia nobis indicat. – 2<sup>o</sup> Obrui etiam ingenia continuatione illa videntur; v. g. in prima classe grammaticae ordine primo explicatur primo syntaxis, deinde Tullius, tertio syllabarum dimensio, quarto thema ordini utrique accommodatum dictandum, f. 284 et 287. Quam vero difficulter ad tot lectiones et themata uno eodemque tempore se magistri comparabunt, et ubi compararint, omnia continenter effundent? Cum vero ante notatum sit, in praeceptionibus operae plus ponendum, ut crebrius scilicet explicentur, et a pueris recitentur, difficile fuerit, lectiones duas, antequam ludum ineant, edidicisse. Ideoque vel posteriores ignorabunt, vel eas lectionum priorum tempore, ediscent.

4. Iis ante lectiones matutinas diutius stertendi ansa dabitur, post lectiones vero pomeridianas, vagandi et otiandi.

Modus ergo, quo pro vetere nostra consuetudine divisio horis, quae praescribuntur, doceri possent, hic quem subiungimus, videbatur. In quo breviter tantum quid hora qualibet agendum sit, ostenditur, circumstantiis aliis omnibus intellectis, quas circa lectionem vel exercitationem quamlibet, libellus proponit; nisi quod in omnibus humanitatis classibus ante praeceptoris in scholam ingressum, soleant praescriptarum lectionum pensum pueri decurionibus memoriter recitasse. Hos vero omnes, vel eorum certe aliquos, prout necessarium videtur, audit in schola praeceptor, et aliorum etiam aliquos ab ipsis auditos, ad fidem illorum certius explorandum. Et quia hoc in scholis omnibus perpetuum est, deinceps non repetetur.

### Tertia classis grammaticae seu infima

6 1/2 Partes orationis.

1/2 In declinando et coniugando exercitatio.

1/2 Graece legere discant.

9 1/2 Alternis diebus Tullius et catechismi compendiolum, v. c. oratio dominica, angelica salutatio, symbolum, decalogus, sacramenta etc. Ecclesiae praecepta.

1/2 Variis nominibus et verbis inclinandis vacetur.

1 Ut sexta.

3 Ut sexta et prima; sed sub anni totius vel medii finem constructio intransitiva, sine appendicibus.

1/2 Themata vel colloquiola.

### Secunda classis

Sunt in hac classe praecepta generum nominum, declinationum et praeteritorum ac supinorum explicanda.

6 1/2 Genera et declinationes.

1/2 Repetitio et in declinando coniugandoque exercitatio.

1/2 Thema extemporale.

1/2 Tullius.

9 Repetitio cum exercitatione; sub horae finem thema breviculum, quod hora prima reddant.

1 1/2 Thema horae 9. ae corrigitur.

1/2 Praeterita et supina.

3 1/2 Ut sexta; sub anni medii finem syntaxis intransitiva cum appendicibus.

1/2 Graeca.

### Prima classis

6 Tota hora syntaxis explicatur, repetitur.

1/2 Ex praelectionibus iam praelectis et repetitis thema breviculum; quod hora 1. a reddatur.

9 Graeca.

1 Thema matutinum corrigitur; et versuum scansio seu prosodiae quasi principia explicanda, et poeta quispiam facilior. Sub horae finem latinis se sententiis lacessant.

3 1/2 Tullius cum phrasibus a lectione decerptis.

1/2 Exercitatio in declinando, coniugando etc.

1/2 Scriptio extemporalis ex Tullianae lectionis, tum praesentis tum superiorum, phrasibus.

### Humanitatis classis

6 Poeta explicetur et repetatur.

1/2 Thema poeticum extemporale alternis scribatur et corrigatur.

9 Primis duobus mensibus prosodia. Reliquo anni tempore historia.

1 Graeca.

3 Tullius; et sub anni finem Soarius [*De arte rhetorica*] cum aliqua faciliiori oratione.

1/2 Extemporalis scriptio.

### Rhetorica

6 Rhetorica.

1/2 Themata corrigantur.

9 Graeca.

1 Historia, diebus tamen Mercurii et Iovis poeta.

3 Tullii oratio.

1/2 Extemporalis scriptio e Cicerone, raro e poeta.

Ubi philosophicus cursus non est, ultimis tribus mensibus hora 1. a legi potest dialectica.

### Philosophicae classes

6 Aristoteles.

- 1/2 Repetitio.
- 9 Ethica et mathematica alternis diebus.
- 1 Repetitio.
- 3 Ut sexta.

### Theologica

- 6 Scholasticae theologiae.
- 9 Similiter.
- 1 Controversiae et casus.
- 2 Scriptura.
- 1/2 post secundam hebraea.

Tolluntur hic quadrantes scholasticae theologiae et casuum repetitioni a libro tributi, quia hic hactenus non usitati cum aliqua molestia susciperentur, neque magno cum fructu. Ubi tamen quarta lectio non est controversiarum et casuum, servari possent hi quadrantes. Horae pomeridianae coniunguntur, quia iis lectionibus non omnes interesse tenentur, neque iidem sunt aut praeceptores aut discipuli semper ... [262r]

### Quare coniunctis horis docendum, quemadmodum liber praescribit<sup>12</sup>

1. Quoniam praeceptores frequenti discursu multum perdunt temporis, maxime ubi remotae sunt scholae a collegio, ut Coloniae, Treviris, Moguntiae.
2. Vix habent praeceptores unam horam liberam, ut se parent ad lectiones.
3. Matutina meditationis et orationis hora rectius servabitur, quando tardius ibunt ad scholam.
4. Tempus etiam examinis ante prandium rectius servabitur, quod iam in reditu ex scholis fere absumitur a magistris et discipulis saltem multis.
5. Discipuli et magistri ad scholas eunt cum periculo corporis, animae et amissionis vestium hyberno tempore per tenebras ante sextam, in magnis civitatibus. Exempla sunt periculorum et peccatorum, quae a mulieribus mane et vespere in tenebris obiecta.
6. Assuefiunt ad labores nostri et exequi possunt sine ientaculo, quod nostri concionatores hora 6 habere volunt iuvenes per unam horam concionaturi.
7. Eaedem difficultates quae hic, etiam in Gallia et Italia et Hispania, ubi nostri coniunctis horis docent.
8. Commodior et suavior ratio vivendi in collegiis, nec opus erit surgere media hora ante 4.am propter integram meditationis horam.
9. Molestum est discipulis per nives, imbres discurrere, et aliquando sub tectis aut in aedibus aliorum haerere, dum itur ad scholam aut inde reditur. Idem est de praeceptoribus, ubi scholae divisae.
10. Praeceptores intermediis horis frequenter interpellantur a discipulis in collegiis propter venias, compositiones etc.; quod haec coniunctio prohibet.
11. Non perdetur tantum temporis in excipiendis tarde venientibus.
12. Officia nostra diurna debent esse, at nunc dum alii in officinis suis laborare incipiunt, nostri discipuli vagari per plateas incipiunt, hybernis temporibus et ludere atque vacare.

<sup>12</sup> In margine sup. f. 262v alia manu: «Collegium Moguntinum Provinciae Rhenanae»; et tertia manu: «1590». Fol. 263v: «Rhenana – Rationes in utramque partem de coniunctione et divisione horarum in praelegendo – Moguntiae». Et aliquantum inferius m. Patris Jiménez, secr. S.I.: «Die 16 octobris 1590 resolutum, ut curent omnes, ne fiat ista horarum divisio in lectionibus».

13. Meditatio si mane integre non servatur, fient nostri sine spiritu religiosi; si servatur, imperiti semper erunt praeceptores, quia deerit studendi tempus, nisi furentur tempus meditationis.

14. Pueri, qui habitant in suburbiis, pagis et extra portas, hyeme privantur fere lectione prima et ultima diei.

15. Pueri etiam discursu suo multo plus temporis perdunt, quam praeceptores, quia vix habent interdum unam horam studii, postquam semel caeperunt ire ad scholas. Nam ab 8.a ad 9.am et a 2 usque ad 3.am vix possunt domum ire et redire, nedum aliquid discere. [*Stud. 3, f. 262v*]

16. Domi vix erit tempus repetendi nostris, nisi coniunctio horarum suscipiatur, nisi a recreatione ad repetitiones, a repetitionibus ad scholas eant, nulla interposita mora. Ubi tempus exercitii corporalis, horas legendi etc.?

17. Coniunctio horarum subtrahit occasiones distractionum, petulantiarum, otii, malorum multorum, fabularum.

18. Mane ante 6.am multae nequitiae solent in tenebris committi a pueris in scholis, item a calefactoribus scholarum; quae vitabuntur. Imo, quia debent patere scholae externis tempore tenebrarum, etiam nostris periculum creari posset; maxime quando schola et collegia non habent unum ianitorem; quod frequens hic est.

19. A mediis lectionibus scilicet graecis solent se subducere nonnulli discipuli; quod non poterunt, si lectiones horis continuis seu coniunctis habeantur.

20. In tenebris se subducunt subinde discipuli, postquam se praesentes semel declararunt. Quod fieri nequibit, quando docebunt interdiu. Et si clara luce (quod fiet per praescriptarum horarum coniunctionem) doceatur, non poterunt horae esse divisae, saltem ante prandium.

21. Parentes et hospites interdiu liberantur molestia iuvenum et puerorum, quando frequenter ab illis impediuntur in suis negotiis et officiis.

22. Qui remotiora habent domicilia a scholis, intermediis horis ludunt, garriunt in scholis, compitis etc.; utilius tum excercerentur in scholis.

23. Tollentur querelae ob foetores candelarum ceracearum, quae in scholis nostris oriuntur, si interdiu more in libro praescripto doceatur.

24. Tempore ieiunii ecclesiastici difficillimum est nostris statim vel a mensa, vel a recreatione ire ad scholam. At si coniunctis horis doceatur, poterit tempore ieiunii ab hora 2 usque ad mediam 5 doceri; atque postea fierent repetitiones, quia collatio sumitur hora 7.a in Quadagesima et vigiliis.

25. Convictoribus et alumnis subtrahitur occasio frequenter agendi cum externis, et subtrahendi se disciplinae. Deflectunt subinde alio in hoc frequenti discursu.

26. Minuitur labor ianitorum, nec erit opus patere scholas toto diei tempore, ut fit; satis enim erit lectionum tempore. Sciendum, quod hic multorum scholae habent aliud ostium quam collegium.

27. In universitatibus imitabuntur nos ad evitandum hos discursus, et in multis scholis parvulorum hic 4 horis ante prandium, et 4 post prandium continenter detinentur pueri in scholis.

28. Turpe esset hanc provinciam ab aliis discordare, maxime quod, qui ex aliis regionibus studiorum causa huc migrant, possent offendi, qui etiam nollent discursibus his tempus perdere. [263r]

29. In primario collegio, ubi 4 lectiones theologicae, vel repetitiones intermittendae etiam domesticae, vel horae coniungendae, nisi abbrevietur recreatio, et lectio horarum canonicarum.

30. Modus docendi praescriptus non videtur posse servari, nisi et horarum coniunctio probetur, et conformetur haec provincia aliis, si tamen confirmetur et praescribatur horarum coniunctio.

### Argumenta contraria

1. Multi religiosi et clerici non possent adesse lectionibus propter officia divina; qui non videntur negligendi. – Responsio: Cum non fiant eodem tempore divina officia in omnibus ecclesiis, nunquam potest Societas omnibus se accommodare. – 2<sup>o</sup> Solent liberari ab oneribus chori studiosi. – 3<sup>o</sup> Potius deberent se accommodare nobis qui docendi; maxime monachi, quorum officia hic non habent praescriptas horas, sed quando placet superioribus. Et si non omnibus horis, saltem aliquibus adesse possunt, et lectiones theologicas etc. audire.

2. Praeceptores non possunt tam diuturnum perferre laborem. – R<sup>o</sup>: Hoc poterunt hic, quod alibi ferunt et quod externi. Ubi fuerit praescriptum et in usu, leve onus videbitur, quia lectiones ita praescribuntur, ut non videantur futurae onerosae.

3. Puerorum ingenia obruuntur multitudine praelectionum. – R<sup>o</sup>: Varietas delectat, et quod alibi, etiam hic a germanis praestari potest, quando assuescant; praxis difficultatem tollet.

4. Non habebunt tempus mandandi memoriae lectiones. – R<sup>o</sup>: Domi plus habebunt temporis studendi, quam alias. Item non multa ediscenda praescribuntur, sed exerceri perpetuo.

5. Frigora tanta aliquando sunt, ut nequeant scribere propter concretum atramentum. – R<sup>o</sup>: Alibi tolerantur calores. – 2<sup>o</sup> Asperiora fere sunt frigora a 6 usque ad 8.am, quando tamen visitatur, ubi sunt divisae horae. – 3<sup>o</sup> Diebus dominicis fere tribus horis continenter in templo fuerunt. Item a prandio die sabbathi etiam duobus horis in disputationibus.

6. Intolerabilis foetor in scholis, quare molestum est tanto tempore esse in eis. – R<sup>o</sup>: Maior esset ex candelis, si hora 6 doceretur usque ad 8.am, etsi non diuturnior; quem propter Christum nostri hactenus et alii propter temporale emolumentum tolerant. Haec eadem sunt in aliis provinciis germanicis.

7. Scandalum esset et notaremur inconstantes, si postea iterum immutandae horae. – R<sup>o</sup>: Nullus prudens scandalizabitur, nec mutabitur facile, quod in tota Societate servandum a P. Generali praescribetur.

8. Offenduntur fundatores, et amici propter mutationem hanc. – R<sup>o</sup>: Nemo offendetur ex eo, quod intelligit ordinari in commodum iuventutis et praeceptorum.

9. Cives non parabunt offam hora 7, sed servabunt horam 8.am consuetam. – R<sup>o</sup>: Libenter dabunt, ut liberentur ab iis, qui domi solent esse molesti et in plateis petulantes.

10. Mane datur pueris stertendi occasio, a prandio vagandi. – R<sup>o</sup>: Malis, sed bonis et diligentibus occasio datur plus proficiendi; et praeceptores tam multa iis iniungere et in scholis exigere ab eis possunt, ut potius conquerantur de inopia temporis, quam lubeat stertere et vagari; et in aestate hora 2 a meridie, si visitatur, non habent tantum temporis vagandi. [263v]

11. Aliae academiae divisim horis docent. – R<sup>o</sup>: Forte nos sequentur, ut in aliis multis, quando fructum coniunctionis sentient; et nos non sequimur in omnibus universitatum consuetudines.

12. Nostri semel mutarunt et non bene successit. – R<sup>o</sup>: Privata quorundam autoritate ad tempus servatum et a superioribus propter conformitatem abrogatum. [264r]

**Rationes pro coniunctione horarum  
quae praescribitur in libro de institutione studiorum<sup>13</sup>**

*Ex parte praeceptorum*

1. Praeceptores plurimum temporis amittunt, dum quater quotidie ad scholas eunt, et toties redeunt. Unde fit quod minus accurate doceant, nec tantos progressus faciant; quoniam vix aliquando habent vel unam integram horam, qua studiis vacent tota die, ut res modo habet.

2. Si horae coniungerentur, prout liber habet, commodius servarent praeceptores matutinam meditationem per integram horam, iuxta Societatis morem, eo quod tardius ad scholas eundum esset.

3. Melius etiam vacarent examinationi conscientiae ante prandium, in iis maxime collegiis, ubi scholae separatae sunt (ut Moguntiae, Treviri, Coloniae) et prandetur duo quadrante post decimam. Nam tempore examinis redeunt domum; quare aut omittendum est examen, aut a recreatione faciendum, quando se praeparare deberent ad lectionem horae primae.

4. Nec cum tanto periculo suo et Societatis mane ante sextam horam in tenebris discurrerent tempore hyberno per plateas a collegiis ad scholas. Observatum est enim in quodam collegio, quendam ex nostris a puella observatum, et fere in discrimen adductum.

5. Praeterea, si in istis classibus inferioribus praeceptores assuescerent longioribus scholis et laboribus, non essent tam difficiles postea in subeundis maioribus. Sunt enim aliqui, qui nisi prius sumant ientaculum mane ante horam sextam, vix volunt concionari ad unam horam, asserentes se (tametsi iuvenes sint et robusti) non posse unius horae continuatum ferre sermonem.

6. Nec video, cur nostrae provinciae hominibus gravius foret hos labores tolerare, quam gallis, italīs aut hispanis; imo, quam aliis germanis.

7. Molestissimum est praeceptoribus in summo frigore, pluvia et nivibus toties quotidie discurrere; plusque detrimenti accipiunt inde, quam si continuo in scholis sub tecto manerent.

8. Conqueruntur etiam praeceptores frequenter, sibi tempus deesse, quo themata domi parent, compositionesque discipulorum legant et corrigant; quia in horis illis intermediis ab octava ad nonam, et a secunda ad tertiam, vix possunt aliquid praestare, propter discipulorum interpellationes et alia, quae domi sunt peragenda.

9. Nec erit opus singulis horis non parum temporis negligere excipiando nomina eorum, vel corrigendo eos, qui tarde accedunt.

10. Nostri hyberno tempore, inverso quasi ordine, mane docent, dum alii domi ob tenebras delitescunt, et postea in luce discurrunt quasi ludibundi, dum alii in officinis laborant. [*Stud. 3, f. 264v*]

11. Ad haec, nostri mane, si incipiunt docere hora sexta, vel non habebunt tempus parandi se ad lectiones, cum meditatio finiatur uno quadrante post quintam (si duret per tres

<sup>13</sup> Fol. 264r in marg. sup. sinistro alia manu: «Provincia Rhenana». Ibidem inferius m. P. Tucci: «Idem Polonia». Fol. 265v m. P. Jiménez, secr. S.I.: «1586 – Provinciae Rhēni iudicium De ratione studiorum»; sequuntur alia manu: «Humanitatis; et potissimum circa illud dubium: An in nostris scholis debeant docere continuatis 2 1/2, ut fit in Italia, an vero citius interruptis, ut fit in toto Septentrione». Inferius iterum m. Jiménez: «Resolutum die 16 octobris 1590, ne horarum ista divisio in scholis fiat».



quadrantes), vel ad medium sextae (si per horam duret); nam unus duntaxat restat quadrans, quo et se parent, lectum et cubiculum componant et reliqua necessaria peragant, quoniam altero quadrante ad scholas est accedendum. Vel certe sub meditatione student, aut ita meditantur, ut mens frequenter in lectione habenda magis sit occupata, quam in materia proposita. Ex quo sequuntur duo magna incommoda: alterum, quod nostri perdant spiritum; alterum, quod parum proficiant in studiis, etiamsi in eadem classe per aliquot annos doceant.

12. Praeterea, si horae scholarum coniunguntur, poterit integra hora impendi in meditationem matutinam, et adhuc tempus supererit, quo se parent praeceptores. At si dividuntur, meditatio debet etiam necessario dividi, et unus quadrans in sextam horam vespertinam reici; qui quam inutiliter a plurimis impendatur, notum est et superioribus et confessoribus. Ut omittam, ex hac divisione meditationis eo iam ventum esse, ut nostri homines vix possint per integram horam meditari sive hîc, sive alibi, ubi viget consuetudo romana.

13. Difficillimum est praeceptoribus in Quadragesima et aliis ieiuniis aestivis statim a recreatione ad scholas sine ulla interposita mora transire. Id tamen faciendum est necessario, si divisio horis legatur. At si ratio libri servatur, commode poterunt lectiones pomeridianae hora secunda inchoari. Unde unam horam intermediam haberent magistri.

14. Repetitiones, quae solent in scholis post lectiones fieri, debent omitti, aut difficulter admodum fieri in seminario theologorum, ubi quatuor habentur lectiones quotidie. Domesticae vero repetitiones theologorum sunt omittendae, nisi lectiones pomeridianae coniungantur. Nulla enim ratio alia potest ab illis excogitari, qui cupiunt horas esse divisas. Nam ad medium quintae absolvuntur lectiones; deinde sequitur exercitium corporale; post, horae sunt dicendae a sacerdotibus; postremo sequitur meditatio per quadrantem; quibus si additur tempus, quo ex scholis reditur, nihil supererit, quo fiat repetitio.

15. Nisi horae coniungantur, necessario alius modus docendi, quam in libro praescribitur, est usurpandus hîc, ut patet ex iis, quae hinc Romam sunt missa.

#### *Ex parte discipulorum*

16. Si horae non coniunguntur, pueri qui habitant extra portas civitatum, in pagis vicinis, aut in suburbanis locis, privantur lectionibus matutinis et vespertinis tota hyeme. Nam civitate ingredi non possunt ante horam septimam mane, et vesperi coguntur exire circa quartam, vel ante.

17. Multum temporis amittunt eundo et redeundo, ut dictum est de praeceptoribus § 1, nisi horae scholarum coniungantur; atque ita minus proficiunt in litteris.

18. Discipuli (qui magna ex parte sunt pueri parvi et tenelli) non discurrerent per plateas mane et vesperi in tenebris, cum periculo perdendi libros, pallia et pileos, ac laedendi se; quod facile fit in glacie et frigore. Praeterea parentes inviti dimittunt filios suos tam mane, maxime in hyeme, tum propter frigus et inclementiam coeli, tum etiam quia maiori indigent somno; ac proinde frequenter petunt pro illis veniam, ut tardius possint ad scholas accedere. [265r]

19. Constat, in multis scholis Germaniae observari modum praescriptum in libro quoad horarum coniunctionem.

20. Dum discurrunt pueri ab hora 8 usque ad 9 et a 2 ad 3, vix possunt quicquam memoriae mandare, aut domi studere; tum quia hospites non statim habent ientaculum et merendam parata, quam primum discipuli ingrediuntur domum; tum etiam, quia plurimi habitant in locis remotissimis a scholis. At si eo tempore manerent in scholis, aliquid boni facerent.

21. Subtraheretur occasio plurium distractionum, petulantiarum et aliorum malorum, quae frequenti discursioni frequenter coniuncta sunt.

22. Evitarentur etiam multa mala, aut certe occasiones malorum, quae ante diem fiunt aut fieri possent in scholis; dum alii frangunt scamna et fenestras, alia sedem praeceptoris defaudent, aliis alia faciunt. Possent etiam inimici nostri aut haeretici hac occasione non parum nocere, si vellent. Omitto hic parum decere has intempestivas cursiones intra septa religiosorum tam mane in tenebris.

23. Subtraheretur studiosis, maxime superiorum classium, occasio, subducendi se a mediis lectionibus; id est, a mathematicis et graecis, quae solent haberi hora nona. Qua de re frequentes audiuntur doctorum querelae.

24. Vitarentur multae tarditates veniendi ad scholas, maxime in hyeme, quando pueri non possunt se facile expedire, propter nives, pluviam, glaciem etc.

25. Tempore hyemali, non solum sub lectione catechistica, sed etiam sub aliis profanis, quae hora 6 habentur, multi dormiunt in tenebrosis locis, alii se clam subducunt, praeceptoresque egregie fallunt.

26. Gratius esset hospitibus et parentibus pueros suos in scholis contineri hora 8 et 9, quam domi haerere, propter molestias, quae domi solent exhibere suis tunc temporis.

27. Multi, qui paulo remotius habitant, solent illis horis intermediis manere in scholis suis, vel in area, alii plateas obambulant, aut hospitia visitant.

28. Nec erit tanta difficultas in candelis curandis pro discipulis et praeceptoribus.

29. Quae dicta sunt de praeceptoribus 6, 7, 8, 10, 13, huc etiam spectant, paucis mutatis.

30. Convictoribus nostris subtraheretur occasio frequentius agendi cum externis aut etiam alio deflectendi; quod per frequentem accessum et recessum accidit in tenebris.

31. Minueretur onus et labor ianitorum, qui nec tam saepe pulsare campanam, nec portas scholarum aperire aut claudere cogentur.

32. Nec erit opus scholas patere alio tempore, quam quo in scholis erunt discipuli; cum alioquin modo toto tempore matutino et pomeridiano pateant non sine incommodo.

33. Valde probabile est, externos ludimagistros nostram etiam rationem imituros in hac re; cum nemini placeant tam frequentes iuvenum discursiones.

34. Huc accedit, quod coniunctio horarum sit futura nobis multo commodior, propter coniunctionem nostram cum Gallis, qui cum ad nos veniunt studiorum causa, si vere studiosi sunt, conqueruntur, se vix posse aliquid boni facere propter frequentes scholarum interruptiones; e contra germani, qui hinc in Galliam profisciscuntur, conqueruntur de longa mora in schola, et labore continuo, cui non assueverunt in Germania.

35. De repetitionibus quae dixi § 14, habent etiam locum suum in domibus convictorum.

#### Obiectiones aliorum contra coniunctionem horarum solvuntur

1. Multi religiosi et ecclesiastici privarentur fructu lectionumstrarum.

2. Praeceptores et discipuli non possunt ferre continuos illos labores mentis et corporis.

3. Nec possunt ferre frigora, nec foetores, qui in scholis forent.

4. Haec coniunctio offenderet fundatores, et pareret scandalum, si non succederet ex animi sententia.

5. Difficultas oriretur circa victum eorum, qui sunt apud cives.

6. Daretur pueris maior occasio dormiendi mane, et vesperi studendi.

7. Semel fuit hic introducta, sed iterum mutata.

8. Aliae academiae servant divisionem horarum. [265v]

Ad 1.am R<sup>o</sup> – Hi facile poterunt se iuvare, si studiosi sunt, ut si non omnes, saltem aliquas lectiones audiant. – [2.] Praeterea religiosi, qui visitant scholas, communiter sunt liberi a choro. – 3. In philosophia non erit difficultas magna, nec etiam in theologia. – 4. Puto, spirituales fructus nostrorum et commodum aliorum multorum non postponendum utilitati paucorum religiosorum, de quibus § 1 2 3 4 5 8 11 12 13 et 16.

Ad 2 – Germanorum corpora et ingenia non minus posse ferre labores, quam alias nationes, si usu corroborentur et confirmentur. Praeterea, hos ferunt labores in Gallia et Italia, ergo et in Germania etc.

Ad 3 – Experientia docet, eos frequentissime ista ferre in scholis et templis nostris amplius quam per duas horas aut tres. Praeterea, in Gallia ferunt et in superiori provincia Germaniae.

Ad 4 – Non video, cur hoc deberet offendere fundatores aut alios bonos viros, qui probe intelligunt Societatem istos labores subire ob utilitatem suorum filiorum atque nepotum. Praeterea, nobiles germani servant ordinem libri in Gallia et alibi sine difficultate; nec offenduntur quidquam.

Ad 5.m R<sup>o</sup> – Solam difficultatem fore in ientaculo et merenda, non in prandio et coena. Nec in illis erit difficultas, quia discipuli sumerent ientaculum semper circa horam septimam (ut postea dicetur), qua hora solent cives in Germania suis domesticis cibum praebere; in aestate quidem, quia mane surgunt ad labores, ante horam quartam, in hyeme vero, ut parcant luminari, et continent labores circa illud tempus inchoandos; merendam porro sumerent hora secunda, priusquam scholas adeunt, quemadmodum sumunt modo, statim post secundam.

Ad 6.m R<sup>o</sup> – Si mali habent plus temporis ad ludendum, boni contra idem habent ad studendum. Praeterea, si lectiones pomeridianae inchoentur hora 2, non habebunt plus temporis quam modo habent.

Ad 7.m R<sup>o</sup> – Hanc rationem fuisse in duobus tantum collegiis observatam, privata tantum superiorum auctoritate; et postea mutatam, quia non placuit quibusdam, aliis se opponentibus.

Ad 8.m – Forte aliae academiae sequentur nostrum modum in hoc, ut in aliis. Praeterea non puto magnopere curandum, quid faciant aliae academiae, sed quid maxime conveniat scholis et discipulis nostris, ac totius reipublicae bono.

### Generalis distributio horarum convenit fere cum libro

Nam surgitur hora quarta.

Lectiones deberent inchoari ad medium octavae statim a sacro, quod hora septima celebraretur tam in aestate, quam in hyeme, ut pueri sumant ientaculum, antequam ad sacrum veniant; alioquin molestum esset illo quadrante, interposito in libro, a sacro ire domum et redire, maxime si remotos habent hospites.

Pranderetur hora 10 cum dimidio tam in hyeme quam in aestate.

Pomeridianae lectiones inchoarentur hora prima a festo Omnium Sanctorum usque ad Cineres; a Cineribus vero usque ad festum Omnium Sanctorum hora secunda propter causam datam § 13, tum etiam quia calores aestivales tunc remittunt sese nonnihil. Et ante secundam possunt scholares sumere merendam suam, quemadmodum modo paulo post secundam. In hyeme vero poterunt sumere ad medium quintae, qui volunt; nam duae ad-

huc horae supersunt usque ad coenam. Nec erit magnum periculum laedendi valetudinem ex uno haustu cerevisiae vel vini et particula panis. Nam haec est merenda. Repetitiones instituerentur eo modo, quo in libro; et reliqua sequentia. Nam coena sumeretur ad medium sextae, et cubitum iretur quadrante ante nonam.

### Provincia Aquitaniae

Pag. 303 – Licet id tempestive nimium ... – Quomodo tempestive nimium videtur surgere hora quarta, cum cubitum eatur quadrante ante novem, ut est pag. 309? Plus alioqui tribuitur somno, quam in Constitutionibus 3 P. c. 2 litera E tribuatur<sup>14</sup>.

Pag. 303 – Inchoentur lectiones in Gallia ... – Satius videbitur fortasse, omni tempore inchoare lectiones hora septima cum dimidio; [*Stud. 3, f. 387r*] praesertim ubi non potest audiri sacrum ante praelectiones; deinde, ut citius prandeatur, cum praesertim non bene cohaereant tempora prandii et caenae, ut infra dicetur pag. 308.

Pag. 305 – Experimur enim ... – At hora pomeridianarum lectionum una eademque semper hic statuitur. Prandii vero per integram horam variatur tempus pag. 304. Sequi videtur ex hoc loco tamen, ut quo tardius prandetur, tardius eatur ad scholas.

Pag. 306 – Nullibi fiunt repetitiones in Aquitania, nisi intra privatos parietes propter fratres nostros. – Primo, quia omnes fere externi habent suos pedagogos, apud quos domi repetant. – 2<sup>o</sup> quia permulti longissime absunt a collegio, ut illis ad eundum et redeundum hora fere requiratur; in quo multum temporis perderent; quidam etiam non possent domum redire ante lectiones. – 3<sup>o</sup> sunt permulti qui nolint ad repetitiones venire, nisi sint convictores et cogantur. Itaque in externis collegiis, qui olim instituerant istas repetitiones, coacti sunt alicubi mutare eas in lectiones. Quod autem attinet ad domesticas fratrum repetitiones, videntur potius faciendae ea hora, quae proxime antecedit caenam, ut si quid sit post domesticam exercitationem corporis, id totum tribuatur meditationi et praeparationi; alioqui quod erit reliquum a repetitionibus ad caenam usque facilius perdetur; deinde si fiant hora duodecima cum dimidia, vix habebunt satis temporis ad praeparandum se.

Pag. 307 – Intermittitur ... – Si repetitiones non intermittantur diebus Quadragesimae et ieiuniorum, quibus prandetur hora undecima et undecima cum dimidia, quanam hora fieri poterunt, si sit ingrediendum in classem hora secunda? Nam prandium durabit per tres quadrantes; post quos sequitur recreatio unius horae. Quam recreationem si sequatur repetitio unius horae, remanet unus tantum quadrans ante secundam; quod erit intolerandum et scholasticis et praefectis repetitionum.

Pag. 308 – Si prandeatur in Gallia hora 10 et 11, et caenatur semper 6 cum dimidia, non servabitur regula rectoris 50<sup>15</sup> nunc defectu dimidia horae, nunc vero excessu eiusdem. Deinde quaeritur, cur non mutetur hora caenae, sicut prandii, cum regula iubeat inter prandium et caenam, ut minimum, interesse octo horas.

### Provincia Franciae

(Pag. 303 lin. 8.a fine) Tres senserunt, lectiones matutinas in Gallia inchoandas esse hora septima et dimidiata mane omni tempore anni, ut locus sit sacro et examini post scholas. Alii tres id approbarunt in hieme tantum, sed in aestate hora septima inchoandas senserunt lectiones.

<sup>14</sup> Vide supra, adn. 10.

<sup>15</sup> Regulam 50 rectoris vide in *Institutum S.I.* III 112.

(Pag. 304 lin. 2.a a fine) Visum est omnibus, in Gallia prandendum esse hora decima cum dimidia aut tertio quadrante post decimam, ut pro examine domestico inveniatur locus vel ultimo quadrante sacri, quod fit hora decima cum dimidiata, vel uno quadrante post absolutum missae sacrificium, cui interesse debent scholastici. In Quadragesima autem, vigiliis et quatuor temporibus non prandeatur ante horam 12.am. Aut ex dispensatione uno tantum quadrante ante 12.am, quia id non posset fieri absque gravi scandalo propter consuetudinem regionis; licet non defuerint qui putarunt, prandium etiam hisce diebus hora 11.a cum dimidiata sumi posse.

(Pag. 305) Quod dicitur de pomeridiana lectione habenda in Gallia ab hora secunda usque ad quartam et mediam, placuit omnibus, ita faciendum esse in hieme tantum, ne cogantur noctu docere, et lumine candelarum uti, ut hactenus. At in aestate, hoc est, ab initio Quadragesimae usque ad finem anni seu vacationes, ab hora tertia ad quintam et mediam, ut plus temporis sit praeceptoribus praeparandi se a prandio; et ut vitent aestivos calores, ut omnibus [*Stud. 3, f. 365r*] visum est; nisi quod unus etiam voluit mensem octobris comprehendere hac lege, quod incommodissimum sit praeceptoribus tam cito a prandio sumpto docere, cum vix habeant tempus se praeparandi; qui tamen cum minimum videntur gravandi, et omnibus potius modis sublevandi.

(Pag. 306 et 307 lit. H) Quod dicitur de repetitionibus faciendis in Gallia in hieme hora 12.a, in aestate eadem etiam aut 1.a a prandio, propter externos auditores ad illas convenientes, visum est omnibus, huiusmodi repetitiones pomeridianas communes nostris cum externis e medio prorsus tollendas esse, ut supra dictum est in theologia cap. 5<sup>o</sup> de repetitionibus, et cap. etiam 6<sup>o</sup> de disputationibus; nisi ubi habemus integras academias sub nostra cura, ut auditores praeparentur ad gradus suscipiendos.

(Pag. 307 lin. 18.a, 19.a et 20.a) Quod dicitur de repetitione seu disputatione, quae fieri solet die dominica, id locum habere non potest in Gallia, ut iam supra in theologia cap. 6 signatum est<sup>16</sup>, propter concionem, quae tunc haberi solet, et alias occupationes.

(Pagina eadem lin. 9.a et 10.a) Ubi dicitur «si lentae proluxaeque expectationi modus adhibeatur» praetermittantur haec verba, quae videntur attingere reprehensionem Societatis aut nostrorum. Item illa, quae habentur lin. 28.a et 29.a, ubi dicitur «tum quia id citius nostros ad officium revocabit ab evagatione, quae per id temporis cernitur interdum», quae etiam nostrorum reprehensionem attingere videntur.

(Pag. 309 linea ultima) Citetur locus Constitutionum 4.a parte cap. 4<sup>o</sup> § 1<sup>o</sup>, et in Declarationibus 3.a parte cap. 2<sup>o</sup> E, et aliis in locis.

### Provincia Poloniae

Quae de distributione horarum in fine dicuntur pag. 302, ea provincialium dispositioni relinquenda videntur. Poloniae quidem, quae hic posita est, non est commoda nec quoad surgendi horam, nec quoad caetera. Surgendi enim hora quarta nimis tarda est; unde necesse erit tempus meditationis turbare, cum propter communem patriae et ecclesiarum consuetudinem hora quinta matutina iam oporteat inchoari sacra tam hyeme quam aestate; praeterquam quod aestate tota prope hora ante quartam iam sol oriatur; unde turpe esset ventantibus iam ad collegium et templum hominibus, invenire omnia clausa et nostros alto in sole adhuc dormientes; vel omnino saltem meditatio turbaretur. Sic et matutina illa et pomeridiana continuatio tot horarum in scholis plene hic incommoda esset, maxime

<sup>16</sup> Vide supra, p. 204-06.

hyeme propter hypocausta, quando partim ex ipsis hypocaustis, partim ex multitudine 200 aliquando puerorum in iis congregatorum et exhalatione varia, facile morbi contraherentur, nisi respiratio aliqua interponeretur. [*Stud* 2, 163v] Ac etsi respiratio unius quadrantis post horam primam concedatur a prandio, et missa mane interseratur inter lectiones, tamen et infirmantur magistri, et nonnulli iam mortui sunt in infimis scholis ob illum factorem. Sed et mane, si sacrum lectionibus omnibus praeponendum foret, vel magna pars discipulorum abesset, praesertim hyeme in tenebris tribus horis ante solem; vel si catalogus etiam ante sacrum legendum esset ad cognoscendum, qui absint, nimium extraheretur temporis, vel in ipso sacro pueri potius lectionibus iam iam recitandis vacarent ediscendis, quam pietati. Itaque, mane post primam horam lectionis sacrum audiant pueri, ut hactenus. Inde unus quadrans ientaculo detur. Inde facile inveniatur hora una cum media pro reliquis lectionibus; praesertim si, quod libellus praescribit, media hora ante lectionem sacrum praemittendum, idem in anticipatione lectionum observetur.

A prandio similiter, post primam horam lectionum (quae secunda hora post meridiem finitur), unus quadrans respirationi dandus. Inde una hora et media nihilominus supererit usque ad tertium quadrantem post tertiam, qua hora in toto hoc septentrione per totum annum scholae dimittuntur.

#### Ioannes Balmesius S.I.

302 36<sup>p</sup> – Nemo potest horas commode praescribere, nisi provincialis suae quisque provinciae. Idem faciet de 4 et 5 capite manuscripto, consulto Generali. [*Stud.* 2, f. 183v]

#### Ioannes Leopoltanus S.I.

Horarum distributio non convenit nostrae provinciae, hoc est Poloniae, nec pro fratribus domi, nec pro studiosis externis. Etenim apud nos in aestate surgitur mane hora tertia medii horol. Si surgatur tardius, etiam hora media, sol altus inveniet fratres in lectis, et ab externis poterimus deprehendi. Addo, quia in templis, in maioribus praesertim solemnitatibus, surgitur a media nocte ad officia divina; et aliquando externi vocant nostros ad confessiones, dum sunt adhuc in lecto, nedum ut absolverint meditationem. Magisque est consuetum in his regionibus religiosis, sacerdotibus bonis et studiosis, ut pridie citius eant cubitum et maturius surgant postridie, quam contra. Dicitur enim aurora musis amica, apta studiis et meditationibus.

Idem iudicium est de mutatione horarum hyberna tam pro scholis, quam pro collegiis. Nimis diu sederemus vesperi ante caenam cum lumine usque ad fastidium. Et mane vix esset tempus pro meditatione et studiis; cum praesertim non desint semper debiles et valetudinarii, qui surgunt ad secundam orationem. Aptior ergo videtur ordo iam usitatus in nostris provinciis tam pro scholis quam collegiis: In aestate mane hora 3.<sup>a</sup> surgendi, in hyeme 3 1/2; unde postea pendet aliarum horarum distributio. Est et haec ratio pro consueto ordine, quia hinc datur media hora ante meditationem fratribus ut se vestiant, lectos componant etc. Estque id necessarium. In scholis etiam mane inter duas lectiones interponitur una hora semper, quia studiosi audiunt sacrum et sumunt ientaculum. Et ita oportet ad initium lectionum pulsari in aestate hora sexta, in hyeme hora septima directe. Et iste ordo tam collegii, quam scholarum approbatus a visitoribus, bene hactenus successit; nec videtur quidquam in eo immutandum in hac provincia. [*Stud.* 3, f. 296r]

RESPONSA PATRUM IN PROVINCIIS S.I. DEPUTATORUM  
CIRCA «SEX CAPITA QUAE EXTRA VOLUMEN  
DE RATIONE STUDIORUM (1586) AD PROVINCIAS MISSA SUNT»<sup>1</sup>

ASSISTENTIA ITALIAE

Provincia Neapolitana

Primo, omnibus placet poni paradigmata et exempla, quae facienda videntur a versatissimis, eruditissimis, politissimisque magistris.

2<sup>o</sup> Modus quotidianarum disputationum tam in inferioribus quam in superioribus classibus copiose suis locis in hoc libro videtur traditus. Modus autem parandi copiam verborum vel rerum est etiam a patribus eodem in libro non obscure indicatus. Paratur enim utraque copia assidua lectione, observatione, scripture et exercitatione. Iam de modo repetendi studia, finitis cursibus philosophiae et theologiae, nihil praescribendum occurrit; nam Pater Rector [Spinelli] et Pater Iustinianus intelligunt hanc repetitionem de recognitione privata suarum lectionum, quam praescribunt Constitutiones, quo tempore deberent se comparare ad actus faciendos. Videretur igitur optandum, ut haberent quem considerent et a quo dirigerentur. Addit P. Maiorius et P. Blasius [Mucante], debere omnino huiusmodi repetitores habere aliquem, cui reddant rationem suorum studiorum; id quod fieri posset vel communi aliqua repetitione ipsorum propria, vel privatim a singulis.

3<sup>o</sup> De ceremonia et modo renovationis studiorum placet omnibus praemitteri celebriorem aliquem actum totius philosophiae vel theologiae vel utriusque; et praeterea orationem aliquam, quae haberi solet pridie instaurationis studiorum. Caetera permittenda laudabili locorum consuetudini; modo tollantur abusus, si qui forte sint. Modus autem distributionis praemiorum petendus videtur ex consuetudine Collegii Romani, quae accommodanda esset aliorum locorum consuetudini, ne iure posset a quopiam improbari.

4<sup>o</sup> Licentiae gradus in Italia fere non est in usu, nec videtur introducendus; ubi vero est, placet servari consuetudinem regionis [*Stud.* 3, f. 104v] cum moderatione religiosa; quod si alicubi videretur introducendus, satis esset post actus publice dari hunc gradum, ut dictum est de doctoratu, omisso pileo, annulo, lectione et oratione adhortatoria.

5<sup>o</sup> Insignia rectoratus in Italia nulla esse deberent. Alibi servetur usus regionis cum moderatione religiosa. Matricula sit catalogus penes praefectum studiorum. Officium cancellarii sit idem cum officio praefecti studiorum iuxta Constitutiones<sup>2</sup>. Bidelli cum insigni-

<sup>1</sup> Textum horum sex capitum, utilitatis gratia, hic exscribere visum est:

I – Ponere pro singulis scholis humanitatis paradigmata et exempla singulis scholis proportionata de modo explicandi praecepta et auctores ex captu discipulorum.

II – De modo quotidianarum disputationum, parandi copiam verborum et rerum, repetendi studia finitis cursibus philosophiae et theologiae.

III – De caeremonia et modo renovationis studiorum, distributionis praemiorum.

IV – De ritu et modo promovendi ad licentiam.

V – De insignibus rectoralibus in universitate, immatriculatione, officio cancellarii, bidellorum, ministris iustitiae, gubernatore, carcere, multis, correctione, iuramentis.

VI – Praescribere leges communes scholae, et forte etiam particulares ex singulis facultatibus, de moribus praesertim.

<sup>2</sup> Vide *Const.* P. IV c. 17 § 2 et adn. 15; MP I 316 317.

bus et reliqua officia non videntur introducenda in nostris academiis; et multo minus carcer aut mulctae pecuniariae et iuramenta; nam pueros quidem satis est castigari per correptorem; maiores vero, ubi saepius fuerint moniti, si aliis offendiculo sint, e scholis eiiciantur. Quod si alicubi aliquod eiusmodi ex legibus academiae institutum esset, iuditio P. Generalis constituatur quam accommodatissime ad quietem et modestiam religiosam.

¶ Scholasticorum leges, quod attinet ad mores, universales constituendae videntur, vel ad summum duplici ordine distributae, ut pro superioribus et pro inferioribus, pro nostris et pro externis; ad singulas autem facultates descendere, cum nimis laboriosum est, tum non videtur opere praecium.

### Provincia Sicula

Circa primum et secundum nihil occurrit praeter id quod habetur in libro.

Circa tertium visum est, praeter orationem convenire, ut quandoque tragaedia exhibetur, aliquando dialogus, interdum cum dialogo praemiorum distributio, nonnumquam celebris disputatio.

Circa quartum et quintum nihil occurrit, quoniam harum rerum hic nullus est usus.

Circa sextum praeter ea, quae in libro et in antiquis regulis continentur<sup>3</sup>, nihil occurrit. [*Stud.* 2, f. 36r]

## ASSISTENTIA HISPANIAE

### Provincia Aragoniae

De primo, hoc est de modo explicandi praecepta et auctores etc. Etsi verborum paradigmata videntur exigere, ut in singulis grammaticae scholis singulae praelectiones, tam praeceptorum quam auctorum, adhibeantur, tamen quoniam eiusmodi paradigmata satis aperte colligi possunt ex iis, quae capitibus de studiis humanioribus et in singulis deinceps classibus dicta sunt, satis habuimus, paulo fusius explicare modum explanandi auctores atque praecepta in singulis classibus. Ut igitur ordiamur a praeceptis, quae in tribus hisce classibus explicantur, legenda ea prima videntur clara et contenta voce. Quem etiam morem in auctorum lectione servari oportere existimamus. Deinde totidem verbis vulgaribus interpretanda; sensim tamen, ut instillantur potius, quam infundantur in puerorum animos. Erunt autem plura aut pauciora, pro ratione cuiusque classis et puerorum ingenio. Tum sententia totius praecepti summatim perstringetur eadem lingua, adhibito uno aut altero exemplo; quod variari non debeat, ne exemplorum tum multitudine tum varietate (ea enim praxi reservanda videtur) puerorum mentes obruantur. Postremo eadem saepius pro tyronum ruditate repetantur. In suprema vero classe explicari posset sententia latinis verbis, ut iam tunc assuescant pueri aliis atque aliis verbis uniuscuiusque praecepti vim sensumque declarare; ut si quando auctoris verba non meminerint, sententiae saltem recordentur.

Auctoris vero lectio quatuor versiculis in infima classe, 6 in media, in suprema vero 8 aut summum 10 tota continebitur. Explicabit vero praeceptor primo sententiam auctoris tam latino quam vulgari sermone; et superiora iis, quae sequuntur, annectet. – 2<sup>o</sup> Totidem verbis vulgaribus, iisque maxime propriis in infima; in aliis vero ut c. 5 praecipitur<sup>4</sup>, lectionem interpretabitur. – 3<sup>o</sup> Praecepta grammaticae quae uniuscuiusque classis propria erunt, indicabit. Postremo, eandem interpretationem toties repetet, quoties necesse fuerit. [*Stud.* 2, f. 252r]

<sup>3</sup> Vide «Regulae iis omnibus observandae, qui Societatis nostrae scholas frequentant»; in *Rat. stud. Borgiana*; MP II 229-32.

<sup>4</sup> Quintum capitulum *Rat. stud.* (1586) vide in MP V 128-32.



*In classe humanitatis*

Ut de Prosodiae praeceptis ad supremum gramm. classem pertinentibus taceamus, *Progymnasmata*<sup>5</sup> sic erunt explicanda. Praecepta primum brevi et eleganti oratione explicanda videntur. Deinde afferendum exemplum illustre, quod auditoribus proponetur aut etiam dictabitur ad imitandum. Quae ratio videtur servanda in explicandis praeceptis de conscribendis epistolis et compositionibus rhetoricis.

M. Tullius longe aliter videtur explanandus atque auctores reliqui. Primum enim, ut iam supra dictum est, legenda est praeceptorum tota praelectio, deinde explicanda sententia non ita ieiune, ut totidem verbis referatur, sed liberiore quadam, quasi paraphrasi, ducto praefationis exordio a sententia, apophtegmate, fabula, loco, tempore, personis aut ab aliis adiunctis, quae accomodatiora videantur. Tum semel interpretanda lingua materna; praesertim cum phrases quaedam obscuriores incident. Postremo, servantur ea quae pag. 291 de ratione studiorum praecipuntur in hac classe de modo explicandi Ciceronem<sup>6</sup>.

Historici explicandi ratio, quae huic convenit classi, satis accurate praescribitur ibidem pag. 292. Neque enim temporis exiguitas accuratiorem explanationem patitur. Poterit tamen praeceptor sub finem praelectionis aut inter legendum subindicare rationem, qua possint auditores stylum historicum utiliter imitari. In explanando vero poetae longe diversa tenenda est ratio. Nam post explicationem sententiae, quam oportet latinam esse puram et emendatam, vulgaris sequetur. Quae hoc loco eo magis necessaria iudicatur quod, ut inquit ille, poetae quasi alia lingua loquantur. Praeterea fabulae omnes, quibus poemata referta sunt, non oscitanter exponendae. Ad haec, artificium poeticum cum phrasibus et figuris, quae poetarum propriae fuerint, demonstrandum; obiterque tradenda ratio imitandi poetam, quae in humanitatis classem maxime videtur convenire.

*In classe rhetoricae*

Quoniam huius classis praecepta maioris solent esse momenti, quam reliquarum omnium, fusius erunt et uberius explicanda. Primum enim amplificari et illustrari debent quamplurimis quamque lectissimis Ciceronis ac bonorum auctorum exemplis. Deinde revocanda ad certa quaedam capita ut, quae prius fuse dicta fuere, deinde memoriae causa cogantur et quasi sub unum ponantur aspectum.

Orationes tullianae hoc modo videntur explanandae: Legetur primo, ut saepe iam diximus, fragmentum orationis; idque vel totum vel magna ex parte, ut si qui abfuerunt superiore praelectione, intelligant, quonam ventum sit. – 2<sup>o</sup> Sententia proponetur uberius cum amplificatione atque paraphrasi. – 3<sup>o</sup> Sequetur apparatus ille atque doctrinae varietas, de qua pag. 297. Eodem etiam accedent opportuna digressiones et excursiones in alios auctores aut in laudem virtutum atque vitiorum, quorum in praelectione fit mentio. Collationes etiam locorum illustrium Ciceronis plurimum adferre solent non splendoris tantum ac dignitatis, sed etiam emolumenti, dum interim puer animadvertit, hanc sententiam ita familiarem esse Ciceronis, ut eam saepe iisdem ferme verbis usurpare non dubitet. Caeterum, cum primum inchoatur oratio aliqua, explicandum est illius argumentum: genus, causae,

<sup>5</sup> Quod ad Aphthonii *Progymnasmata* vide MP V 152.

<sup>6</sup> Vide MP V 152.

<sup>7</sup> Vide MP V 155.

ideae seu dicendi genera, status, partes orationis, figurae crebriores. Et in singulis deinceps praelectionibus indicandi sunt loci, unde Cicero sumit argumenta et praecepta, quae ad rationem exordiendi, narrandi, proponendi, confirmandi, refutandi et perorandi pertinent, cum ad imitationem permagnum afferant pondus. Quae omnia, et si quae sunt alia, ita videntur explicanda, ut multa tamen ex auctore praelegantur.

### De modo quotidianarum disputationum et parandi copiam verborum et rerum [252v]

In classibus humanitatis et rhetoricae aut ubi humanitatis seminaria fuerint separata<sup>8</sup>, possent nostri alternis diebus disputare inter se de iis, quae in scholis audierunt. Affigi autem oporteret in celebri loco duas tresve schemas ex praeceptis rhetoricis aut aliunde desumptas, quas unus e nostris auditoribus tertio post die oratorio more defenderet. Quem etiam in disputando morem teneri oportet, ne ieiunae atque exili philosophorum ac theologorum orationi iam tunc assuefiant.

De utraque vero copia, verborum videlicet atque rerum praecepere nonnulli, inter quos Erasmus<sup>9</sup>. Quare non esset inutile tam ex eo, quam ex aliis optima quaeque decerpere, ut iis nostri uterentur. Phrases vero Manutii<sup>10</sup> satis magnam verborum copiam suppeditarent, si locupletiores essent, et in commodiorem redigerentur ordinem. Omnibus tamen huius generis praeceptis adiungenda est assidua Ciceronis et aliorum auctorum lectio, lectioni vero scriptio, quae omnium superat praecepta magistrorum.

Rerum copia ex philosophiae et aliarum artium cognitione petenda est. Quare teneantur primum accurate loci omnes oratorii, et frequenti usu familiares cuique reddantur. Deinde Progymnasmatum usus utilissimus fuerit. Huc adde hypotyposes ac descriptiones tempestatum, pugnarum, expugnationum urbium, virtutum, vitiorum et aliorum huiusmodi, quae tam ex poëtis quam ex oratoribus sumi possunt, cum ad amplificandam orationem plurimum valeant. Praeterea, colligantur exempla illustriora, similitudines aptiores, insignioresque sententiae ex gravissimis quibusque scriptoribus, eaque omnia habeantur in promptu.

### De modo renovationis studiorum et praemiorum distributione

Humanitatis studia renovari possunt vel oratione publica vel aliquot declamationibus vel comaedia vel tragaedia vel dialogo vel scholis rhetoricae.

#### Provincia Sardiniae

Valde etiam probantur ea, quae a tergo libri de ratione studiorum adiecta sunt sex illis capitibus manu scriptis. Ut scilicet pro singulis humanitatis scholis proponantur paradigma atque exempla, quibusque scholis accommodata [*Stud.* 2, f. 267v] de explicandis praeceptis et authoribus enarrandis, pro discipulorum captu, ne sibi licere quisque putet quod libet. Formulae etiam quotidianarum disputationum, comparandae copiae verborum et

<sup>8</sup> Vide capitulum: «Separandane sint humaniorum et superiorum facultatum seminaria»; MP V 114-15.

<sup>9</sup> De hoc Erasmi opusculo vide MP I-IV 99 et passim.

<sup>10</sup> A. MANUTIUS, *Elegantiae seu phrases latinae linguae*; vide *Ouvr. péd.* 21.

rerum, repetendi studia cursibus philosophiae ac theologiae absolutis; quae ceremoniae et modus renovandis studiis distribuendisque praemiis adhibendus. Praescribantur communes leges et particulares; decernatur item de ritu et modo promovendorum licentiatorum, de insignibus rectoralibus etc., quae ibi commemorantur, quorum omnium necessario mentio fieri debet in ordine studiorum, ac certa ratio de iis, quoad fieri poterit, constitui. Quamvis enim omnia omnibus non convenient, inde tamen sibi quodque collegium eas leges sumet, quas suis scholis iudicabit opportunas.

#### Hieronymus de Burgos S.I. et Ioannes Legaz S.I.

Sobre el capítulo primero que viene añadido del exemplo que se pide de cómo se leerán los preceptos y el author, los preceptos se debían leer en romance a las tres classes de grammatica, declarándoles una regla o dos al sumo; y antes de pasar adelante, se haga luego ejercicio sobre ellas con muchos exemplos, para que así las entiendan más fácilmente. Y dos parece bastaria para los tercianos; entendidas aquellas, pase el maestro a explicar otras dos haziendo el mesmo ejercicio sobre ellas con los estudiantes; y tres o quatro bastarian para los secundanos; y los primanos podrían añadir otras dos por el mismo orden y modo; y si algo sobrare del tiempo, señalado para aquel ejercicio, podrían tornar sobre la lección preguntando sin orden exemplos ya de una regla [Madrid, Bibl. Acad. Hist., f. 2v] ya de otra para ver si an sabido con la inteligencia dellas. La classe de humanidad y rhetórica lea estos preceptos en latin y continuadamente el maestro, dando ellos exemplos y acabada la lección, los discípulos la repasen por el modo que él la leyó. Y si sobrare tiempo, le gaste en exercitarlos en ella, haziendo que en la classe de rhetórica alguna vez los discípulos digan algún exemplo tocante a lo que se a leydo ex tempore.

Como se aya de leer el author, parece que están bien explicado en el capítulo quinto<sup>11</sup>. Solo se añade que para los tercianos y secundanos se diga brevemente en lengua vulgar al principio el sentido del autor; y para los primanos en latin un poco más estendido con las observaciones que allí se ponen en lo restante. En la classe de humanidad a de aver más uso de la lengua latina, y así se devría de proponer al principio brevemente el argumento de toda la lección declarando las partes que tiene y después yr en cada parte diciendo la sentencia della con claridad y propiedad. Luego yra la interpretación della. Concluyda esta parte, se pasará a la segunda y hará lo mesmo; y después a la tercera etc. si la ubiere. Tras esto se deve advertir si ay algo de historia o erudición o de phrasis recóndita en la lección y ditarlo con algunas maneras de hablar señaladas que algún verbo della tubiere. Este mesmo mas copiosamente haga el que lee la eloquencia con mayor variedad de erudición. Y también conbiene que se dé orden cómo en esta classe los praeceptores della, quando leyeren orationes de Cicerón, vayan de cláusula en cláusula, declarando todo el artificio oratorio, donde los discípulos vean claramente exercitados los preceptos que an oydo; notando primero la invención, luego la disposición y tras ella la eloqución, descendiendo no sólo a los tropos y figuras, pero aun a la concinnidad, notando los rithmos oratorios y números con que se comienzan, continúan y acaban las cláusulas.

Sobre la parte del capítulo segundo que tracta de las disputas, en ellas parece se debe tener quenta como se conserbe lo pasado y se arraygue lo que en cada classe de presente se tracta, mirando todo lo que en ella se enseña, para que por orden se bayan haziendo sus

<sup>11</sup> Vide supra, adn. 4.

preguntas, advirtiéndole el maestro que no dexe proponer a los estudiantes si no cosas propias y selectas, de donde se pueda sacar fruto.

En lo que toca a la copia rerum y verborum, es de mucha importancia que los preceptores de la humanidad y retórica hagan curiosos a sus discípulos, señalándoles las fuentes de los buenos auctores así de la oratoria, como poesía y historia, para que no contentándose con lo que oyen de los maestros, se hagan copiosos en el cognoscimiento de otras muchas cosas, haciéndoles comprar libros a propósito desto.

En lo que toca a la renovación de los studios, parecería bien la variedad, y sería con menos fastidio renovándolos una vez con alguna oración latina, otras veces con certámenes literarias, otras con declinaciones, otras con alguna buena representación, y todos estos ejercicios fuesen acompañados siempre con compositiones de los estudiantes así en prosa como en verso de aenigmas, emblemas, epigrammas y otros poemas de todo género de versos.

## ASSISTENTIA GERMANIAE

### Provincia Austriae

#### *Paradigma auctoris explicandi in tertia classe grammaticae*

Ex libro 14 Epistolarum Familiarium: Epistola 369.

«In maximis meis doloribus excruciat me valetudo Tulliae nostrae . . .»

1º Ubi omnia, quae explicaturus est, legerit, eadem ab aliquo puerorum legi curet.

2º Tum dicat, quis cui scribat; tandem exponat: In maximis meis doloribus; reddat germanice in Germania ad verbum, postea latine hoc modo: Inter summos meos dolores excruciat me valetudo Tulliae nostrae; iterum germanice ad verbum; iubeat repeti, quod dictum est, ab uno; tum latine hoc modo: Me acerbe molestat aegritudo Tulliae filiae nostrae.

3º In maximis meis doloribus: In, est praepositio et servit híc ablativo: maximis doloribus meis. Haec tria: maximis, meis, doloribus sunt ablativi casus. Maximis meis doloribus, pertinet ad praeceptum primum: substantivum nomen concordat. Dicat totum, dein ostendat. V. g. Maximis meis doloribus – doloribus est nomen substantivum; maximis est nomen adiectivum; meis est pronomen. Doloribus est generis masculini; maximis et meis sunt etiam generis masculini. Idem demonstra de numero et casu iuxta regulam.

4º In maximis meis doloribus: Doloribus a nominativo singulari dolor; dolor gen. masc. Dolor, id est cruciatus, maeror, reddatur germanice. Scribite phrasim: In maximo dolore sum: germanice dicatur, nec scribatur; in maximis doloribus capitis, oculorum, manuum, pedum etc. scripsi, lusi.

5º Postremo iteranda est explicatio.

#### *Paradigma explicandi praecepta in secunda classe*

«Quae maribus solum tribuuntur, mascula sunt».

Legat clare et distincte; tum iubeat unum aliquem aptiorem vel plures idem facere; postea dictet explicationem (si quidem ab omni explicatione nudus est Emmanuel)<sup>12</sup>. *Quae maribus solum tribuuntur*, hoc est, nomina, quae conveniunt solis viris, mascula sunt: Sunt

<sup>12</sup> Emmanuel ÁLVARES S.I., *Institutiones grammaticae* . . .; vide supra, mon. 29 adn. 36 et passim.

generis masculini, ut Petrus, Cicero, consul, pater, frater, iudex, praetor. Iubeat hîc libros claudi et sibi audientiam fieri; explicetque lingua latina et [273v] vulgari. Quae maribus solum tribuuntur: Mas, maris significat hominem, qui non est mulier. V. g. etiam tu et iste et ille mares estis, quia non estis mulieres; in plurali habet: mares, marium, maribus. Porro regula est; Nomina, quae solis viris dantur, sunt masculini generis, ut Petrus, quia convenit solis viris, non autem convenit faeminis; nam nulla faemina vocatur Petrus. Roget, num intellexerint, curetque, ut repetant; proponat ipse exempla plurima, et significationes dicat, praesertim quando sunt nomina officiorum.

Themata – Praeceptor est custos disciplinae et praeses. – Hodie praetor renunciatus est pater meus. – Aedilis morte extinctus est. – Similia multa afferat et studiose curet, ut hinc pueri vocum significationes discant, ut quid aedilis, quid praetor. Ad hoc conferet lectio nomenclaturae Junii<sup>13</sup>.

*Paradigma auctoris explicandi in secunda grammaticae*

Ex libro 13 Epistolarum Familiarium: Epistola 344.

«Multos tibi commendem, necesse est; quando omnibus nota nostra necessitudo est, tuaque in me benevolentia».

1. Quae legerit, priusquam explicet, a discipulis legi curet. Tum dicat lingua vulgari.

2. Hic Cicero dicit, quod multos debeat commendare Servilio, quoniam Servilius ipse summus est amicus. *Multos tibi commendem*: hoc est, ut multos homines tibi laudem et committam. Necesse est: necessarium est. *Quando omnibus nota nostra necessitudo est*: quia me et te amicos esse sciunt et norunt omnes. *Tuaque in me benevolentia*: et bona tua erga me voluntas.

3. *Multos tibi commendem necesse est*: Commendem a verbo commendo, regit accusat. cum dat.; pertinet ad tertium ordinem activorum, quia commendo regit accusat. cum dat.; tibi est dat.; multos est accusat. *Quando omnibus nota est nostra necessitudo*: Nostra necessitudo, quia facilis est constructio, quaeratur ex puero ad quam regulam pertineat, et caetera.

4. Post haec vocum significationes perpendantur. *Multos tibi commendem necesse est*: Commendo, id est, committo, concredo. Scribite phrasim: Die perendina pater me praeceptori commendabit. Quando omnibus nota nostra necessitudo est: Necessitudo faem. gen. est familiarior quaedam amicitia. Scribite phrasim: Mihi nota tua necessitudo est, quam cum Ardelionibus habes. – Mihi notum est, cum quo necessitudinem coniunxeris. – Omnibus nota est diligentia tua.

5. Postremo, quemadmodum initio, auctoris verba explicentur. [274r]

*Paradigma explicandi auctoris in prima grammaticae*

Epistola quinta libri 10 Epistolarum Familiarium

Argumentum: Praesentem epistolam Cicero scripsit Planco Galliam provinciam obtinenti. Qua quidem epistola primum significat, epistolas se duas accepisse eadem de re a Planco missas; et istud principio statim. Deinde ostendit fructum, quem accepit ex literis Plancii et laetitiam. Postremo hortatur Plancum, ut ad iuvandam rempublicam totus incumbat. Haec summa. Nunc epistolae primam partem explicemus.

<sup>13</sup> De H. Junii *Nomenclatore* vide supra, mon. 26 adn. 21.

1. «*Binas a te accepi literas eodem exemplo; quod mihi argumento fuit diligentiae tuae. Intellexi enim te laborare, ut ad me tuae expectatissimae literae perferrentur*». – Haec, ubi ita clare et distincte legerit magister, eorum sententiam perstringat sic fere: Hisce verbis M. Tullius significat, se duas epistolas accepisse a Planco, quae in eandem sententiam erant scriptae. Unde cognoverit, quam diligens esset Plancus in literis transmittendis. Sed verba interpretemur.

2. *Binas a te accepi literas eodem exemplo*: Hoc est, duas recepi epistolas tuas, eadem ratione et de materia eadem scriptas. Dicat idipsum germanice. *Quod mihi argumento fuit diligentiae tuae*: quae res mihi fuit indicio, et me docuit, te diligentem esse, germanice dicat.

Explicatione ad discipulorum calamos data, redeat magister ad praelectionis initium, periodum dissoluturus, et vocum syntaxin difficiliorem ostensurus, sic fere:

3. *Binas a te accepi literas*: Accepi, praeteritum est verbi accipio; quod verbum praeter accusativum, etiam ablativum cum praepositione a vel ab postulat, et pertinet ad 6 ordinem verborum activorum. Ad eum modum structura obscurior est omnino evolvenda. Tum voces quae in praelectione sunt potiores, diligenter expendat, ita forte:

4. *Binas a te accepi literas*: Littera numero singulari elementum, quod dicimus, significat, ut A B C. Phrasin excipite: Discedenti quidem a te mihi receperas frequenter scribere, sed ecce, ex quo hîc sum, sum autem 6 menses, ne literam ad me misisti. Litera etiam eadem significatione est numeri pluralis, ut: praeformare literas infanti. Porro literae numero multitudinis tantum, illa vox ponitur pro epistola, nonnunquam etiam pro studiis. Scribite phrasin: Binas a fratre accepi literas; unas humanitatis sale sparsas, alteras vero aculeatas prorsus et minaces; atque eas mihi reddidit vir vestium multiplici colore magis tinctus et politus, quam literis. – Hîc notandum studiose, quod latine dicatur: Binas accepi, scripsi, dedi literas, hoc est, duas epistolas. Non tamen dicitur, duas accepi litteras, eadem significatione. Immo, duas accepi litteras, idem est ac si dicas, duo elementa, scilicet A et B, vel certe id genus notas duas accepi. Porro hoc vocabulum: Bini, ae, a [274v] numeri pluralis est tantum, quo eleganter utimur de distributione loquentes: ut, Augustus Caesar in binos milites dedit singulos denarios – hoc est, quod barbare diceretur: duobus et duobus dedit unum.

*Binas a te accepi literas eodem exemplo*: Exemplum et exemplar idem significant, sicut honor et honos, arbor et arbos. Est autem exemplum et exemplar res, quae nobis vel imitanda vel vitanda proponitur. Ut v. gr. Divus Paulus pietate et fortitudine egregie praeditus, exemplum nobis est, quo ad res acerbiores fortiter perferendas vocamur. Imago item, ad cuius similitudinem pictor aliam effingit, est exemplar. Scribite phrasin: Illi sinceræ pietatis exemplum relinquunt posteris, qui exemplo atque instituto maiorum suorum ab Ecclesia non desciscunt.

Exemplum proponere, capere, dare: ad exemplum vivere.

Exemplum ponitur etiam pro eo, quod nonnulli barbare dicunt copiam, ut hoc loco: Binas a te accepi literas, eodem exemplo, hoc est eodem modo, iisdem verbis, eadem sententia scriptas – barbarus dixisset: eadem copia et tenore. Exemplum transferre, describere.

Exemplum denique, ut finem demus huic voci, est quasi paena, quae alicui imponitur, et quae aliis exemplo esse possit; ut: Praeceptor in iis, qui corruptis sunt moribus, iure ac merito statuit exemplum. Exemplum edere, statuere in aliquo. Una lectione tot voces explicuisse fuerit satis.

5. Tandem repetatur tota lectio; et demum explicetur, quae explicatio non calamo, sed auribus tantum a discipulis excipiat.

*Paradigma explicandi praecepta in eadem classe*

Regula prima Syntaxeos de convenientia nominis cum verbo

«*Verbum finiti modi postulat ante se nominativum aperte vel occulte, eiusdem numeri et personae*».

Haec regula facile ut intelligatur, scire oportet primum, quid nominativus, deinde quid sit verbum finiti modi. Atque quid sit nominativus, sive vocabulum nominativi casus, omnes norunt; quid vero verbum finiti modi, forte non omnes. Verbum finiti modi est id, quod finitam sive certam habet personam; et quod est numeri vel singularis vel pluralis. Huiusmodi est verbum indicativi modi, imperativi, optativi, coniunctivi; item verbum modi potentialis et permissivi. Exempli gratia: *Valeo* est verbum finiti modi; quare? quia est certae et finitae personae, scilicet primae; et est numeri certi, nimirum singularis.

Porro hic est sensus regulae: Verbum finiti modi, hoc est, verbum modi indicativi vel imperativi, optativi, coniunctivi vel etiam potentialis et permissivi modi verbum, habet ante se casum nominativum. Clarius dicam: Vocabulum nominativi casus ponitur ante verbum finiti modi. Ponitur, inquam, nominativus aperte vel occulte: hoc est, expresse ponitur, ut audiatur, vel certe intelligitur. Exemplo res fiet clarior. Ergo attendite. Si vales, bene est, ego valeo. Istud est exemplum regulae: Ego valeo: *Ego* est nominativi casus, et *valeo* est verbum. Ego valeo: nominativus *ego* ponitur ante verbum finitum *valeo*; [275r] et hoc fit aperte, nam exprimitur *ego*, et omnes vel legunt vel audiunt. Alterum exemplum est: Si vales; in quo etiam nominativus casus ponitur ante verbum: *vales*, sed occulte; nempe nominativus casus *Tu*, qui intelligitur.

Hic, priusquam longius abeat, exquirendum est: An discipuli intellexerint; iubendusque unus vel alter aptior, ut intellecta explicet. Si quis minime assecutus erit, rogetur, num sciat, quid sit nominativus casus vel quid verbum finiti modi; vel si nescit, doceatur; quae duo postquam habebit perspecta, praeceptio iterum explicetur; tum eatur longius in regula. Ita forte:

Haec est regula: *Verbum finiti modi ante se requirit nominativum*. Porro unum est necessarium ad istam concordantiam verbi et nominativi, ut nominativus sit eiusdem numeri et personae, cuius est verbum; ut si verbum est primae personae et singularis numeri, sit etiam nominativus personae primae et singularis numeri. Et istud est quod in fine regulae habetur, dum dicitur: *eiusdem numeri et personae*. V. g. Quis hic loquitur? – Quis est nominativus, ante verbum loquitur; et est eiusdem numeri et personae, scilicet numeri singularis et personae tertiae. Denique repetenda regula est, exempla quoque omnia legenda, pluraque adicienda.

Themata huic regulae apta, et ex tempore in vulgarem linguam traicienda: Virtuti fortuna cedit. – Labor improbus omnia vincit. – Dediscit animus sero, quod didicit olim. – Copia fastidium parit. – Domat omnia virtus. – Tum denique omnes nostra intelligimus bona, quum quae in potestate habuimus, ea amisimus.

*Paradigma explicandi poetam in humanitate*

Ex 2 Aeneidos

Quemadmodum hic liber secundus nectatur cum primo, ubi ostenderit magister, et argumentum dilucide explicaverit, descendat ad versus enucleandos, forte hoc modo:

«*Conticuere omnes, intentique ora tenebant. Inde toro Pater Aeneas sic orsus ab alto*».

1. Hisce versibus poeta docet, siluisse omnes et ad audiendum fuisse paratos, qui apud Didonem erant, discumbentemque Aeneam exorsum esse troiani excidii narrationem.

2. *Conticuere omnes*: hoc est, universi, qui erant in caenaculo, siluerunt. *Intentique ora tenebant*: et surrigebant vultus, ad audiendum parati. Inde: cum illi tacerent: *Toro pater Aeneas sic orsus ab alto*: Aeneas prudens et providus loqui caepit, et enarrare excidium Troiae. [275v]

3. Redeatur ad principium versuum, et in iis quae poeticae sunt propria, enodentur; sic fere – *Conticuere omnes*: conticeo verbum compositum est, quo utitur Virgilius, ut ostendat simul et una silentium fuisse omnibus. Quod verbum secundam habet brevem per appendicem praecepti 10 de compositione; nimirum, conticeo a con et taceo, mutatur a brevis vocalis in i brevem. At vero primus hic versus duas habet elisiones; idque rei ipsi congruenter est factum; scilicet ut notaret poëta precisum fuisse quodammodo sermonem convivis per silentium. In illa voce *ora* est synecdoche, pars vultus pro vultu toto; qui tropus etiam oratoribus est usitatus. Cicero in Verrem: Ora iudicum aspicere, et os suum populo ostendere; hoc est, totum vultum. Quae poëseos propria sunt, ubi fuerint enodata, adeatur ad voces, phrases, mores, antiquitatem.

4. *Conticuere omnes intentique ora tenebant*. – Hic, adolescentes, observate poëtam dicere cunctos tacuisse et ora intentos tenuisse; atque istud pertinet ad habitudinem corporis declarandam, quod dicat, eos tenuisse vultus sive sustulisse; quo habitu, qui compositum est, erecta inquam facie atque modesta, ipse sibi maiestatem conciliat; praesertim, dum alius loquitur, caput pendulum minime abiicias in terram; immo os narrantis contuearis moderate, omni alio gestu remisso, neque facilis intervenias sermonibus. Istud est, quod poëta suggerit, Aeneae auditores praestitisse, cum ait: ora intentos tenuisse. – Scribite phrasin: Ora tenere, premere, hoc est, tacere. Intentum os tenere: attendere et vultum surrigere. Intentus teneas ora modesta, puer.

*Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto*. – Torus quid sit, scribit Varro lib. 1 De Vita Pop. Rom., autore Nonio Marcello<sup>14</sup>. Est aut funis e contorta herba vel e loris; qui funis lecto subtendebatur. Unde thoros synecdochice pro lecto ponitur; item pro iure connubii. Hinc locutio apud poetas: Inire torum, violare torum etc. Atque dum ab alto toro dicitur orsus loqui pater, hoc est, providus utilitatis sociorum suorum Aeneas, licet colligere antiquum morem in accumbendo; qui mos ex Hieronymo Mercuriali<sup>15</sup> et Dionysio Lambino<sup>16</sup> petendus est, et iuventuti exponendus. Ex alto toro exorsus est Aeneas, quia ad caput lectuli decumbebat; qui locus erat honoratissimus, nam primus; quo loco, qui accumbebat, summus dicebatur.

5. Repetantur versus, iterumque perpaucis explicentur, et ad usum trahantur; quod non minimum arbitror.

#### *Paradigma explicandi auctorem in rhetorica*

##### *Ex Quinctiana*

«Non fuit causa, cur postulet. Quî hoc intelligi potest? Quia Sex. Naevio neque ex societatis ratione, neque privatim quidquam debuit Quinctius».

<sup>14</sup> De M. Nonio vide supra, mon. 26 adn. 13.

<sup>15</sup> H. Mercuriale (1530-1606), medicus italicus; vide *Dizion. Encicl. Ital.* VII (1957) 621.

<sup>16</sup> D. Lambinus (1516c-1572), gallus; cf. *Ouvr. péd.* 380-81.



Lectione praecedenti, ut lucem afferret iudici et memoriae suae commendaret Tullius, ea qua tota oratione Quinctiana fuerat acturus, tripartito divisit. Et quidem primum pollicitus est, se ostensurum, nullam causam fuisse, cur Naevius possidenda Quinctii bona postulare; deinde nequaquam possidere potuisse; postremo, non possedissee. [276r]

Ad primam partem monstrandam nunc se comparat; hoc est, docet, non fuisse causam, cur Naevius bona Quinctii a praetore postulare; docet, inquam, argumento e loco antecedentium prompto et per enthymema concluso in hunc modum: Quinctius Naevio nihil debuit. Nulla igitur erat causa postulandi eius bona possidenda. Antecedens post conclusionem positum confirmat testimonio ipsius adversarii. Sed oratoris verba expendamus: Non fuit causa, cur postulare – Nihil, inquit, erat quare Naevius bona Quinctii peteret a praetore; nulla erat ratio. Quia hoc intelligi potest? Quia Sex. Naevio neque ex societatis ratione neque etc, Non potuit postulare bona Quinctii Naevius, quoniam huic nihil ille debuit. Nam si debuisset, aut ratione societatis et communis commercii, quod iniverant, aut certe quod Quinctius Naevio privato aliquo nomine fuisset obaeratus. Horum nihil dici possit. Neque enim eorum, quae societatis erant communia, quicquam in suam utilitatem converterat; neque aes ullum alienum abs illo contraxerat Quinctius. Istud vero probat adversarii testimonio, quod sequentibus verbis continetur. Quae priusquam dispiciamus, revertamur ad initium istius argumenti, ut quae dispositionis sunt elocutionis, disquiramus. Non fuit causa cur postulare. Perspicuitatis causa orator conclusionem praemittit, ut quod erat sequendum, ob oculos haberet auditor. Hoc imitandum est, praesertim ad confirmationis principium; quippe tum qui audit, prorsus cernere debet id, quod venit probandum vel improbandum. Quia hoc intelligi potest? Rationem daturus illam ipse quaerit amplificationis gratia et ornatus. Hac vel simili formula utatur, quisque in oratione rationem alicuius dicti reddere debet. Ipse se interroget: Quia hoc intelligi potest? Quia neque ex societatis ratione, neque privatim quicquam debuit Quinctius. Haec periodus nomine proprio eleganter clauditur; quod Ciceroni familiare est, si nomen vel dactylum vel creticum conficere queat. De societate, quae in narratione dicenda fuerant, breviter repetantur hoc loco. Neque his pauculis verbis diutius immorandum; esset tamen, si quam antiquitatis notam haberent, adnotandum.

#### *Paradigma explicandi praecepta in rhetorica*

##### Cap. 3 Soarii<sup>17</sup>

«*Artis materia est, in qua omnis ars et ea facultas, quae ex arte conficitur, versatur*»<sup>18</sup>. Autor ut perspicue tradat artis rhetoricae materiam, explicat generatim, quid sit artis materia. Nam communia, quae sunt et generalia, si cognoscantur, saepe viam dant expeditam ad intelligendas species eius generis et partes. Ut si quis docturus, quid sit rhetoricae discipulus, enucleate id faciet, si prius dicat, quid sit discipulus. Quam explicandi methodum ingreditur hic Cyprianus, Ciceronem verbatim imitatus, qui primo de Inventionem materiam artis prius exponit, quam artis rhetoricae. Atque haec est illius definitio: *Artis materia est, in qua omnis ars versatur*. De claris orator, et 1<sup>o</sup> ad Heren, scribit, artem certas rationes dare et praecepta aliquid peragendi; v. g. ars caementaria proponit viam et modum lapides et calcem tractandi. Illud vero ipsum, circa quod versantur artis praeceptiones, sive id, in quo

<sup>17</sup> Cyprianus SOARES S.I., *De arte rhetorica*; cf. supra, mon. 29 adn. 4 et passim.

<sup>18</sup> Vide Soares o. c. p. 8.

tractando occupatur [276v] artifex, ipsum illud materia artis appellatur. Exemplo res inno-tescet. Caementa et calx, quibus aedificia consurgunt, materia artis caementariae dici pos-sunt; etenim circa ea caementarius occupatur. Item morbi et vulnera sunt materia medici-nae, scilicet, quia in iis tractandis tota versatur medicina. Idcirco materia artis cuiusque est, ut docet auctor, ea res, in qua pertractanda ars ipsa distinctetur. Tantum sufficiat de priore membro definitionis; ad alterum transeamus.

*Caput secundum* – De modo quotidianarum disputationum, parandi copiam verbo-rum et rerum, repetendi studia, finitis cursibus philosophiae et theologiae

De philosophicis et theologicis disputationibus si sit sermo, referimus nos ad ordinem libelli<sup>19</sup>. Sin de inferioribus scholis agitur, nihil est illis attributum temporis pro disputatio-ne. Quando ergo disputabunt? Si intelligatur de vespertinis disputationibus, illae quidem servabantur olim Viennae, sed certis causis (quae fere ad nostrorum paucitatem referri possunt, quod non satis commode praeesse illis quisquam posset) annis iam aliquot abro-gatae sunt. Quae si restituendae erunt, is modus videtur idoneus futurus, ut examinando disputent, et ordine singuli singulos examinent; atque hoc de omnibus eius diei tam latinis quam graecis lectionibus.

Ratio comparandi copiam non una esse potest: 1.a ex diligenti et assidua lectione auc-torum, qui et rerum omnium vocabula propria et haec elegantia ministrant; quales sunt Ni-zolius<sup>20</sup>, Manutius<sup>21</sup>; et in his omnibus confirmare memoriam discendo. – 2.a, magistri munus sit, verba semper lecta et elegantes sententias proponere atque inculcare. – 3.a, idem magister inter explicandum variet saepe eandem sententiam et verbis et sententiis. – 4.a, di-scipuli proposita aliquando sententia probati auctoris, interrogati sive a praeceptore, sive a condiscipulis, iubeantur eandem commutare, ne unam eandemque phrasin in una compo-sitione saepius usurpent. – 5.a, quin etiam cum afferunt compositionem, iubeantur ali-quando idem argumentum postridie vel alio die aliis sententiis reddere.

*Repetendi philosophiae et theologiae studia varius est modus*: 1.us peti potest ex 4 P. Const c. 6 n° 16<sup>22</sup>; 2.us est: praeesse disputationibus et repetitionibus philosophorum et theologorum; et hac ratione liberare proprios magistros; – 3.us, frequenter ad sabbathinas utrorumque disputationes accedere; – 4.us, quando plures sunt qui repetent, certis tempo-ribus convenient, et proposito uno tractatu, v. gr. de angelis, inter se conferent, dubitent, disputent; sic tamen, ut singulis occasio detur tractatum totum diligenter repetendi; eadem ratio cum philosophis. [277r]

*Caput tertium* – De ceremonia et modo renovationis studiorum, distributionis prae-miorum

Primo, disputationes, si habendae sunt, praemittantur. – 2° Ipso renovationis die ha-beatur oratio et carmen; idque mane, ut libellus indicat<sup>23</sup>. A prandio brevi aliquo dialogo proposito distribuuntur praemia, hoc pacto: Primos singulos et quotquot accepturi sunt praemia, duo pueri ad hoc delecti et instructi, deducant ad locum aliquem eminentiorem et ornatum, eisque uno disticho gratulentur. Sed reliquorum ascendentium nomina non tunc videntur legenda. – 3° Postridie sacrum cantetur; deinde singuli ad suas abeant classes. Praefectus sequatur et per singulas classes legat ascendentium nomina; quae ad hoc usque

<sup>19</sup> Vide MP V 71-77: cap. VI – De disputationibus.

<sup>20</sup> Marius NIZOLIUS, *Thesaurus Ciceronianus*; vide supra, mon. 24 adn. 9 et passim.

<sup>21</sup> De A. Manutii hoc opusculo cf. supra, adn. 10 et passim.

<sup>22</sup> Vide MP I 255.

<sup>23</sup> Vide MP V 137.

tempus secreta sint. Idem deducat ascendentes et commendet magistris. Magistri breviter alloquantur novos discipulos. Quibus peractis, domum illo die dimittantur, ut libros comparent. Die sequenti regulae scholasticorum explicentur, vel in singulis classibus a suis magistris, vel etiam duabus tribusve simul ab uno. – 4<sup>o</sup> In praemiis, si libri sint, scribi potest, librum donatum esse in praemium studiorum ei, qui inter condiscipulos primus est iudicatus. Deinde inscribi potest et carmen, quod ad primum recitatum est a puero, qui praemium obtulit.

*Caput quartum – De ritu et modo promovendi ad licentiam*

Is modus nobis probatur, qui in dilingana academia<sup>24</sup> usurpatur. Cuius haec summa est: Primum omnium constitui debet praesentator, ut vocant, qui philosophiae vel theologiae licentiatius sit vel doctor, pro ratione actus philosophici vel theologici, qui habendus est. Hic praesentator ex superiore cathedra initio orationem habet de argumento aliquo non alieno per mediam circiter horam; sub cuius finem in commendationem candidati descendens, eum cancellario offert, petitque, ut illi tanquam bene merito eoque gradu, facultatis sive philosophicae sive theologiae iudicio, non indigno, magisterii sive doctoratus licentiam velit concedere. Candidatus autem, qui dum habetur oratio, sedere vel in inferiori cathedra, vel alio loco certo, debuit, incipiente de se loqui praesentatore, assurgit, donec ille commendationem absolvat. Tum notarius ad candidatum accedens, ei clara voce dicet, faciendam esse professionem fidei, quo licentiam consequatur, librumque in manus dabit. Professione facta vel a stante in eodem loco, vel in medio ad id parato, flectente candidato, cum ad formulam iuramenti ventum est, medius inter bidellum et notarium, ad cancellarium deducitur, qui suo loco considet, apud quem iuramentum facit, positus genibus, tactisque evangeliis. Tum etiam promittit se eum gradum in nulla alia universitate vel petiturum vel accepturum; nec ad magisterium vel doctoratum alibi progressurum, nisi de istius academiae facultate; ac rursus illam de obedientia [277v] rectori praestanda ac academiae honore commodoque tuendo ac promovendo pollicitationem renovat. Inter iurandum autem placet illa consuetudo, ut assurgant omnes apertis capitibus ob divini nominis reverentiam; quod in aliis quoque gradibus fieri oporteret. Posthaec cancellarius, stans aperto capite, licentiam candidato confert petendi suscipiendique doctoratum, iuxta formam dilinganam. In qua tamen examinandum est, quam apposite dicatur in hoc gradu dari licentiam ubique legendi docendique, cum hoc doctoratus videatur proprium; ac ita nulla potestas ipsi doctoratui propria reservetur. Nam quod praeter haec in doctoratu insignia dantur, haec non nova potestas, sed potestatis acceptae sunt notae; quaeque et Bononiae et Viennae in licentia danda his, quas diximus, vocibus utuntur; ut vix essentia hos gradus differre putent, sed tantum accidenti. Postremo, gratiae breviter cancellario et auditoribus aguntur a praesentatore, vel ab ipso, quod melius videtur, licentiatu. Si postridie eidem doctoratus conferendus esset, possent tunc simul invitari, qui adsunt ad illum actum. Solet, cum licentia datur philosophis, epomis illis tunc primum in humeros imponi; quod videtur retinendum.

*Caput quintum – De insignibus rectoralibus in universitate; immatriculatione; officio cancellarii, bidellorum, ministris iustitiae, gubernatore, carcere, mulctis, correctione, iuramenti*

Epomis ab aliis distincta et sceptrum insignia sunt rectoris necessaria. Sed tum haec tum caeteri promotionum ritus aliis universitatibus vicinioribus non debent esse dissimiles. Nam si eos adhibeamus, qui in nulla approbata universitate usurpantur, licet optimi sint, probari non poterunt. Et haec ipsa novitas apud homines, qui fere nostra gymnasia insecantur, cum plausu quodam arguetur, et nostras scholas negabunt esse academias. Nec ex illis studiosi ad collegia canonicorum facile admittentur, ubi requiritur, ut in aliqua acade-

<sup>24</sup> De statutis universitatis dilingensis cf. MP III 104, et SPECHT. *Geschichte* . . . 17-31 et 615-20.

mia studuerint. Quare, quantum per Constit.es ullo modo licet<sup>25</sup>, omnino curandum videtur, ut caeteris academiis simus conformes, praesertim vicinioribus.

Circa immatriculationem iudicamus haec necessaria: Primum, liber elegantior et qui duret. Deinde, nemo inscribatur, nisi a classe humanitatis inclusive; nisi forte ex grammaticis aliqui nobiles ex gratia, quibus id non potest honeste negari; et pauci alii melioris indolis et spei, in praemium pietatis et diligentiae, ac ad aliorum incitamentum. Qui inscribendi sunt, eos deponi oportebit<sup>26</sup>. Nam etsi depositio, propter abusus, male audit, et nostris est onerosa; tamen, omnibus perpensis, necessaria videtur ad academiarum nostrarum existimationem tuendam. Nam nostri discipuli, cum ad alias academias veniunt, cum dedecore nostro deponuntur; et in Germania est ita res haec usitata, ut pro beanis<sup>27</sup> tractentur et [278r] intoleraliter divexentur nostri semper. Accusamur saepe, immo passim ridemur, quod nostrae non sint verae academiae; quo magis id iactabunt, si receptos hos mores, in quibus ipsi plurimum ponunt, negligamus. Ac licet antiquae academiae, quae sibi iam nomen pepererunt, minus his adiumentis ad academiae nomen retinendum indigeant, certe novae ac praesertim nostrae, quae cum aliarum invidia eriguntur, et tam multis patent calumniis, prorsus his opus habent; eoque magis cum externas habeant propinquas, et ad quas fit nostrorum discipulorum commigratio, quae deponere consueverunt. Ac licet nostri alicubi se hoc onere exuerint, id tamen fecerunt optima et publica occasione, cum enorme aliquid accidisset; quo pacto se ab omni calumnia tueri potuerunt. Et certe sicut omnibus hoc praescribere esset perniciosum, quia alicubi carere sine damno possunt depositione; ita omnibus prohibere non minus foret difficile. Moderatio autem est necessaria et adhiberi potest, praescriptis certis legibus depositioni, vigilantiaque nostrorum, quorum aliqui vel adesse actui vel prope abesse debent, ne quid gravius committatur; paenis quoque animadvertendum in eos, qui modum excedunt. Denique, ne publice deponantur. Praeterea nemo inscribetur, quin prius fidem catholicam se tenere ac retenturum profiteatur, absque tamen iuramento et enumeratione haeresum, quae in formula communi ponitur, sed tamen conceptis verbis. Cuius rei formulam quamdam habent dilingan<sup>28</sup>. Atque hoc visum est commodius, cum non possit hoc communiter servari, ut omnes professionem fidei ex Pii IV formula faciant<sup>29</sup>; idque propter aetatem et alia. Caeterum haec visa sunt inscribenda: Nomen, cognomen, patria, diaecesis, nobilitas, status (v. g. sacerdos, canonicus etc.), gradus literarius (nempe utrum baccalaureus etc.), facultas, cuius auditor est; denique inscriptionis dies. Quod brevius fiet et expeditius, si initio cuiusque anni inscribatur, quotus ille sit; tum mensis in medio subiiciatur, et sub quolibet mense nomina scribantur accedentium; dies vero ad marginem notetur.

Iuxta Constitutiones matricula debet esse penes secretarium<sup>30</sup>, qui de Societate erit; isque inscribet singulos, accepta prius promissione de obedientia rectori praestanda et observatione legum academiae; de quibus postea dicitur. Haec autem nullo sunt confirmanda iuramento; quod minus videatur necessarium et Constitutionibus prohibeatur<sup>31</sup>.

Interdicitur in iisdem, ne quid solvere cogantur discipuli pro inscriptione<sup>32</sup>; sed aliqua explicatione res indiget. Nam alicubi, v. g. Dilingae partim camerae academicae, partim

<sup>25</sup> Vide *Const. P. IV c. 17 § 8* et litt. M; MP I 323 325.

<sup>26</sup> De usu et forma depositionis cf. SPECHT, *Geschichte* . . . 177-79.

<sup>27</sup> De sorte filiorum Bean cf. I Mach. 5 4.

<sup>28</sup> Quam formulam videsis ap. SPECHT, *Geschichte* . . . 648.

<sup>29</sup> Vide bullam «In sacrosancta beati Petri principis apostolorum cathedra . . . » Pii papae IV, Romae die 13 nov. 1564 promulgatam, in *Bullarium Romanum* (ed. Taurin.) VII 323-27; cf. de eadem etiam BRAUNSBERGER IV 654.

<sup>30</sup> Vide *Const. P. IV c. 17 § 3*; MP I 317.

<sup>31</sup> Vide *Const. P. IV c. 17 lit. D*; MP I 317.

<sup>32</sup> De ministeriorum apostolicorum gratuitate in S.I. cf. *Const. P. IV c. 15 § 4* et c. 17 § 3; MP I 305 307 et 317.

notario, partim bidello dare aliquid deberet, qui inscribitur. Ac notario quidem opus non est, cum discipulos inscribere officium sit secretarii, qui de Societate est; nec vero in utilitatem camerae, hoc est, ipsius Societatis, cedere quicquam Constitutiones permittunt. Sed quo minus aliquid referat bidellus, non videtur prohiberi, cum alibi dicatur, posse bidello aliquid attribui, quod [278v] ab ipsis discipulis solvatur<sup>33</sup>, ubi aliud ei stipendium non est assignatum. Nusquam autem fere assignatur; nec id commodius potest decerni et suppleri, quam si ex inscriptionibus et promotionibus aliquid accipiat.

Ad cancellarii officium nihil pertinere videtur praeter ea, quae expresse Constitutiones habent<sup>34</sup>; quum proprie illius nihil videtur esse aliud, nisi ut licentiam conferat. Sed ex Constitutionibus plura ei incumbunt, ita ut praefecti studiorum officium coniunctum habere videatur; adeoque leges praefecti illum concernunt.

De decanis nihil quaesitum est. Expediret tamen eorum quoque officium in singulis facultatibus ex Constitutionibus<sup>35</sup> colligere. Illud decano fere tribuitur, ut suae facultatis magistros ad concilium cogat, cum de aliquo ad examen admittendo, aut de alio quopiam eius facultatis negotio agendum est.

Bidelli officium sequitur: Intelligat, se esse iuratum ministrum universitatis; ideo facta fidei professione, spondeat ac iuret, quae secreta sunt universitatis, quaeque rector, praefectus, caeterique professores secreta esse volent, nulla se ratione publicaturum. Promittat fidelitatem et diligentiam in officio rectori, praefecto, professoribus, gubernatori seu conservatori in licitis et honestis obedientiam et honorem quem decet. Promotiones, disputationes, omnesque actus academicos, ubi quando fieri debeant, denuntiabit. Ut minimum semel quotidie rectorem vel praefectum adeat, si forte eius operam requirant. Rectorem et alios suis temporibus cum sceptro praecedat; et in actibus publicis obviam procedens venientibus magistris vel honorationibus viris, ad suum quemque locum ordinemque deducat. Ne diem quidem a civitate sine rectoris aut praefecti permissu absit; absensque aliquem eorumdem iudicio aptum substituat, qui absentis vices suppleat. Signo ad lectiones dato mature in universitate adsit. Sine rectoris vel praefecti consensu deponat<sup>36</sup> neminem; in depositione id tantum faciet, quod iidem praescripserint. Observabit attente, qui ex studiosis molestiam civibus aliisve exhibeant; qui tabernas vel suspecta loca adeunt, pecunias profundunt, ludis, poculis etc. vacant, noctu per urbem vagantur, aestate in aquis deprehenduntur; et hos ad rectorem vel praefectum omni metu motuque posito deferat. Praecipue illum indicet, quem religioni vel negotio publico sua consuetudine obesse compererit. Quod sibi constitutum est, a studiosis accipiat, praeterea nihil. Si cui testimonium dandum, prius diligenter exquirat, qualis is extra universitatem fuerit, nominatim vero, num creditoribus satisfecerit, intelligat. Quos rector vel praefectus carcere mulctandos censuerint, ad locum destinatum deducet; nec aliud quam quod iubebitur, per se vel per alios praebere sinat. Quae omnibus studiosis, sibi quoque prohibita putet; re et verbis [279r] modestiae ac pietatis exemplum se praebens, ut minimum quater in anno confitebitur et communicabit. Demum promittet quod, quae dicta sunt, diligenter exequetur, et pro erroribus excessibusque suis carcerum vel alias paenas meritas, a rectore vel praefecto impositas, prompte subiturum; si emendari nolit aut universitas ineptum iudicaverit, officio privabitur.

Ministros iustitiae eos intelligimus, qui discipulos, cum opus est, ad carcerem trahant. Sed res est odiosa. Cumque in carcerem coniiciendi sunt, vel moniti sponte ibunt, aut a bi-

<sup>33</sup> Vide *Const. P. IV* c. 17 lit. F et G; MP I 319.

<sup>34</sup> Vide *Const. P. IV* c. 17 § 2; MP I 317.

<sup>35</sup> Vide *Const. P. IV* c. 17 § 5; MP I 321.

<sup>36</sup> De huiusmodi «depositione» vide supra, adn. 26.

dello deducuntur sine vi; aut cum haec non sufficiunt, resque non videtur dissimulanda, auxilio publici magistratus advocato, perficietur. Quam ignominiam ne subeant discipuli, ipsi se potius tradent.

Gubernatoris munus est, quando Societas iudicium exercere suo Instituto prohibetur, discipulos et qui academiae membra sunt, ipse tanquam ordinarius iudex illorum, in officio contineat. Nam ut academici civitatis publico foro et tribunali subdantur, indecorum ac praeter omnium universitatum morem; quodque illi non ignari huius consueti et solennis privilegii, nullo modo ferrent. Hic gubernator a principe potestatem debet accipere quidem, sed ita ut rectoris auctoritas in omnibus apud eum plurimum valeat; quod ipsae Constitutiones requirunt<sup>37</sup>. Sed hoc multo facilius impetrabitur, si penes rectorem sit ius praesentandi illum, qui in gubernatorem eligatur; alioqui saepe fiet, ut nobis parum commodus praeficiatur. Quod ius dilingani habent. Gubernatoris autem nomen non placet; quod in totam academiam iurisdictionem praeseferat, etiam in eius magistratum; neque officio respondet hoc nomen, quod tantum est iudicis. Ergo conservator appellari posset, quemadmodum alibi consuevit.

Carcer certe publicus civitatis esse non debet, cum iudex sit diversus, et magno id duceretur academiae et omnibus studiosis dedecori. Igitur vel in domo conservatoris, aut ubi commodius erit, carcer ponatur; ad quem etiam rector amandabit, quos coercere hoc pacto voluerit.

Mulctae quaedam sunt graviores, nec nisi iudiciaria conservatoris potestate imponendae. Aliae autem leviores pro iis delictis, quae in caeteris puniri solent, communiter virgis. Iam vero cum nec virgis nec alia paena corporis huiusmodi peccata in quibusdam vindicari possint, nec expediat esse impunita, illud consilium probatur, ut pecunia mulctentur. Nec mos ille dilinganus abs re est, ut certo die cuiusque hebdomadae praefectus humaniores classes omnes obeat [279v] mulctasque exigat simul omnium, quae ea hebdomada quisque admisit. Nam singula scripto notata esse oportebit. Cedet autem omnis pecunia in usum pauperum studiosorum, qui in Germania frequentes esse solent inter discipulos. Eodem pertinet ut, si cum armis inveniantur secundo in scholis, iis priventur vel pecunia arma redimere in usum pauperum cogantur. Haec enim et similia illud alterum tribunal non requirunt. Quemadmodum etiam in rectoris potestate esse debet, ut cum opus est, etiam inconsulto conservatore aliquem mittat ad carcerem, vel per bidellum duci curet, ac eum etiam inedia affligat; quia in ordinaria discipulorum correctione, quae rectori relinquitur, hoc videtur esse ponendum.

Etsi vero iuramentum obedientiae praestandae rectori, in Constitutionibus prohibetur<sup>38</sup>, nullus tamen aliud; quare illud exigendum videtur, quod in promotionibus ubique exigi consuevit, nusquam se acceptum iam gradum repetituros. Nam ut sunt externi parum amantes nostri, quo nostris academiis detrahant, non difficile continget, ut nostros auditores iam promotos ad aliquem gradum, si ulterius progredi velint, ad prioris repetitionem adigant.

*Caput sextum* – Praescribere leges communes scholae, et forte etiam particulares ex singulis facultatibus, de moribus praesertim

Regulae communes omnibus qui Societatis scholas frequentant, maneat eadem quae antea<sup>39</sup>, nisi quod quaedam illis addenda videantur. V. g. Ut abstineant a lectione

<sup>37</sup> Vide *Const. P. IV* c. 11 § 2 et lit. A; *MP I* 275 277.

<sup>38</sup> Vide *Const. P. IV* c. 17 lit. D; *MP I* 317.

<sup>39</sup> Vide supra, adn. 3.

turpium librorum, supersticiosorum et omnium prohibitorum in Indice Tridentino<sup>40</sup>. Item, ne clamores excitentur ante lectionem in scholis aut in area collegii. Neve tempus lectionum multum antevertant; et hac occasione vel deambulationibus et otiosis colloquiis ante collegium, vel in collegio frustra tempus terant; atque e scholis domum redeuntibus a clamoribus et petulantibus abstineant. Praeterea in regula de confessione videtur etiam communionis aliqua facienda mentio; sicut in Ratione studiorum pag. 269<sup>41</sup>. Item, ut locis sacris, imaginibus et crucibus in via publica erectis, etiam honoratis personis debitum honorem exhibere discant cum obvii fiunt. Item, ne tantum suae classis praeceptoribus, sed etiam aliis professoribus reverentiam praestent. Item, omnes quidem, sed praecipue humaniorum literarum [280r] studiosi latine loquantur communiter. Idem de graecae linguae studiosis intelligendum.

### Leges seu regulae membris universitatis propriae

Praeter ea quae communibus regulis sunt praescripta<sup>42</sup>, haec etiam ab academicis observanda videntur:

1<sup>o</sup> ut cum primum ad academiam venerint, sua nomina dent rectori in matriculam universitatis et facultatis suae inscribenda.

2<sup>o</sup> Ut diligenter abstineant ab offensione et laesione civium; neque cum ipsis mechanicis lites aut rixas vel ulla certamina suscipiant; sed omnes potius occasiones talium contentionum devitent.

3<sup>o</sup> Nocte ne vagentur per plateas, neque poculis aut epulis vel ludis prohibitis vacent. Vitent tabernas publicas, loca suspecta, personas suspectas, omniaque consortia faeminarum, alearum ac larvarum usum, choreas omnemque morum dissolutionem.

4<sup>o</sup> Pugiones et arma ne gement; nisi cum peregre abeundum est. Ruri quoque ne rusticis damnum ullum inferant. Gladiatorum ac pugilum dimicationibus ac praestigatorum vel circumforaneorum spectaculis aut exercitiis ne se misceant.

5<sup>o</sup> Ab omnibus factionibus, seditionibus, conspiracyonibus sive contra magistratum et ministros iustitiae vel universitatis officiales, sive contra superiores, sive contra alienam a sua nationem, sive contra cives aut mechanicos vel quascumque alias personas diligenter abstineant; talesque conspiracyones, ut quam primum rectori patefiant, curabunt.

6<sup>o</sup> Artes magicas et supersticiosas nemo addiscat; multo vero minus alios docere, aut per se ullo modo exercere audeat.

7<sup>o</sup> Habitu utantur non militari aut nimis exquisite ornato, sed decenti ac modesto et studiosis convenienti, iuxta cuiusque statum ac conditionem; theologi praesertim ac omnes ecclesiastici.

8<sup>o</sup> Academicas lectiones, disputationes, actus, solennitates quascunque diligenter singuli frequentent; iisque cum modestia, sine strepitu ad finem usque intersint; suumque locum ac munus, si quod iniunctum fuerit, sedulo tueantur. Et qui ad gradus aliquos promoti sunt, quae designata fuerint, insignia secum deferre suo tempore ne negligent.

9<sup>o</sup> Nemo academiam relicturus, insalutato hospite, apud quem commoratus est, discedat, quin ei prius quocumque modo satisfecerit.

<sup>40</sup> De Indice Tridentino librorum prohibitorum vide MP IV 576.

<sup>41</sup> Vide MP V 142 § 4.

<sup>42</sup> Vide supra, adn. 39.

### Pro linguarum facultate

1. Qui linguarum studio vacant, meminerint, ita illis esse incumbendum, ut aliis studiis gravioribus et praecipuis nihil decedat; nec propterea a solitis exercitiis absint. [280v]

2. Scopum huius studii esse sciant, ut maiori cum fructu et gustu Scripturam Sacram variis linguis editam et conversam, autoresque alios tam sacros quam prophanos peregrina lingua scriptos expedite legere et intelligere queant; eaque cognitione cum ad alia multa tum vel maxime ad hostium Ecclesiae confutationem et catholicorum dogmatum ac versionis ab Ecclesia approbatae defensionem commodius uti valeant.

3. Videant graecae, hebraicae, chaldaicae aut syriacae linguae studiosi, ne lexicis, quae a rabinis vel plus nimio illis deditis, aut ab haereticis in lucem prodierunt, in vocabulorum hodie controversorum significationibus plus aequo tribuant; sed potius eorum usum et significationem ex variis autorum et Scripturae locis metiri discant.

4. Orationibus aut carminibus quae graeca aut aliqua peregrina lingua declamabuntur, assidue intersint; et suis temporibus, cum opus erit, versus aut sententias vel emblemata aut orationes a se compositas, cum professori videbitur, publice pronuntiare aut affigere ne detrectent, cum vel solennis studiorum renovatio instituitur vel promotiones aut aliae academiae solennitates id requirent.

### Pro studiosis humaniorum literarum

1<sup>o</sup> Studiosi literarum humaniorum familiarem sermonem latine et emendate communiter loquendo, et stylum scribendo, et pronuntiationem composita bene pronuntiando, expolire studeant; et exercitia alia scholastica, prout ea a magistro praescripta fuerint, subeant diligenter (Ex 4 P c. 13 n<sup>o</sup> 3)<sup>43</sup>.

2<sup>o</sup> Quam optimis characteribus libros, quos audituri sunt, ubi magistro videbitur, describant; et quod a praeceptore interpretandum est, attente praelegant ac praevideant; et magistrum praelegentem attente audiant, a fabulis etiam mentisque evagationibus abstineant (Ex Rat. stud. p. 240)<sup>44</sup>.

3<sup>o</sup> Libros habeant exceptorios, in quos ea, quae in Cicerone vel alio auctore, qui praelegitur, observata fuerint, transcribant; phrases elegantiores, dum a magistro dictantur, excipiant, easque scribendo, componendo, loquendo usurpent (Ibidem pag. 243).

4<sup>o</sup> In scholis dum a praeceptore interrogantur, clare et enucleate respondeant, barbarismos et solaecismos evitent, et lente pronuntiare assuescant (Ibidem pag. 244).

5<sup>o</sup> Domi lectiones alias ne audiant, sed repetant duntaxat auditas in scholis; quas dum repetunt, servant prorsus in repetendo, quae ipse praeceptor servaverit praelegendo (Pag. 243). [281r]

6<sup>o</sup> In scribendis thematis seu compositione diligenter et quotidie se exercent; perspicuitatis in scribendo rationem habeant quam maximam; et nihil mandent literis, quod vel Ciceronis vel aliorum classicorum autoritate, sed praesertim Ciceronis, statim probare non possint (Pag. 245).

7<sup>o</sup> Qui nondum ad stylum idonei sunt, ii exercebuntur facilioribus locutionibus commode ex vulgari idiomate in latinum transferendis (Ibidem).

<sup>43</sup> Vide MP I 287.

<sup>44</sup> Vide MP V 128.



8<sup>o</sup> Dum magister alicuius thema corrigit, audiant interea caeteri; suaque prout audiunt, emendent; et si quando adversariorum themata acceperint corrigenda, ne colludant aut praevaricentur (Pag. 246).

9<sup>o</sup> Initio scholarum matutinam mane, vespertinam a prandio lectionem pueri reddant memoriter decurionibus. Et qui superiores classes tenent, meminerint, ea etiam repetere, quae in inferioribus didicerunt (Ibidem).

10. In scholis, praesertim provectionum, non nisi latine inter se loquantur; alioqui notula onerandi; cuius rationem exigit praeceptor ad finem lectionis (Ibidem).

11. In disputationibus abstinence a nimis clamoribus, a nimia linguae celeritate, a convitiis et similitudinibus omnibus; neque multi exclament aut loquantur simul.

12<sup>o</sup> Non quoscumque libros temere legant; sed eos duntaxat, qui in schola legi solent; et qui a praeceptore permittentur (Pag. 263).

13<sup>o</sup> Maius studium ponant in stylo exercendo et crebris compositionibus et usu latini sermonis, quam in ediscendis grammaticae et rhetoricae praeceptis; quamvis haec minime sint negligenda.

### Pro theologis et philosophis

1<sup>o</sup> Non tantum professorum lectiones, sed etiam nec minus diligenter disputationes, tam publicas et solennes, quam privatas, quae habebuntur, frequentent; et iuxta ordinem praescriptum defendere, argumentari, ac repetere lectiones auditas ne detrectent, nisi si quem praefectus gravi causa eximendum iudicaret.

2<sup>o</sup> Qui ad gradus promoveri desiderant, ii dent operam, ut diligenter praestent, quae ad hos consequendos requiruntur. [281v]

3<sup>o</sup> In disputationibus privatis et publicis alacriter quidem, sed cum debita modestia agant, suaeque eruditionis et ingenii specimen praebeant; formam argumentandi et respondendi diligenter ubique observantes, et a nimis clamoribus, dictariis, aliisque iracundiae motibus ac signis abstinentes; cum a praefecto aut praeside admoniti fuerint cessare, statim acquiescant.

4<sup>o</sup> Sedulo caveant, ne quid asserant aut defendant, quod catholicae fidei aut pietati ac bonis moribus quoquo modo repugnet, aut scandalum auditoribus generet, ne disputationis quidem gratia; seque ad retractandum compulsus iri sciant.

5. Conclusiones, quas quis in classe defensurus est, postquam a magistro recognitae fuerint, ostendantur etiam praefecto; ipsarum artem et quis modus in iis servandus sit, ab eodem intelligat.

6. Horis privato studio attributis servent hunc studendi modum: Praevideant ante scholas textum legendum; post scholas domi relegant scripta, curent intelligere; intellecta sic examinent, ut ipsi sibi obiiciant, et quae obiecerint, solvant; quae nequeunt, annotent, interroganda postmodum vel disputanda<sup>45</sup>. Praescriptam tandem a praefecto temporis distributionem, servent diligenter. An et quo commentario uti possint ac debeant, ex magistro vel praefecto intelligant. Philosophorum nullus omnino ipso textu Aristotelis, neque theologorum quisquam Bibliis Sacris, Summa D. Thomae et Tridentino Concilio careat.

<sup>45</sup> Vide *Const. P. IV c. 6 § 8*; *MP I 239*.

## Provincia Germaniae Inferioris

6. Ex capitibus illis sex, quae extra volumen mittebantur, quid sit, quod primo capite petitur, haud satis assequi visi sumus. Mittimus tamen lectionum praecipuae classis veluti parastasi, ut vel ex ea de reliquis proportionem iudicetur, ne frustra diffusae isthuc paginas tanto itinere destinemus [*Stud.* 2, f. 116v] perferendas; vel certe, ut R.P.N. iudicet, eiusdem rationis aut cuiusmodi paradigmata et exempla quaerantur. Sic et de modo quotidianarum disputationum, quae opportuna videbantur, ut fere hic a nostris observantur. Item de studiorum philosophici ac theologici repetitione; ac de ceremonia et modo renovationis studiorum. De ritu autem promotionum, ac de reliquo academico apparatu, nihil hic, ut ante monui<sup>46</sup>, aut statuere possumus aut mutare.

7. Ad eas vero leges, quae morum disciplinam in nostris auditoribus concernunt, aliquid addendum videretur de his quoque rebus: de matutina oratione atque vespertino conscientiae examine, precibusque in ecclesia solemnibus frequentandis. Ut aestate natatio, hieme per glaciem cursus, sicubi sunt in usu, prohibeantur. Ne sphaeristeria seu palmariae palestrae, minus gladiatoriae saltatoriaeque adeantur. Sic de omni armorum usu, de popinis potorumque tabernis et his peioribus devitandis; de vestium moderatione ac decencia; de frequentiori lustralis aquae ac similium religionis caeremoniarum usurpatione.

*[Paradigmata seu modus docendi in schola rhetorices]*

In praeceptis rhetorices – 1<sup>o</sup> Demonstrat doctor quid praesenti lectione agatur. – 2<sup>o</sup> Legatur auctor distincte. – 3<sup>o</sup> Obscuriora verba et phrases intricatiores explicantur. – 4<sup>o</sup> Paucissimis sed perspicue res universa iteretur. – 5<sup>o</sup> Quomodo illa praecepta cum superioribus deinde ostendantur. – 6<sup>o</sup> Exempla, sed potissimum ex enarrato auctore deprimantur et accommodentur. – 7<sup>o</sup> Quae eodem faciant, breviter adiungenda. – 8<sup>o</sup> Finis seu scopus, quorsum nimirum ea praecepta spectent. – 9<sup>o</sup> Postremo dictetur, si quid erit opus, succincte, docte, perspicue.

In oratione explicanda – 1<sup>o</sup> Quid agat auctor, paucis perstringatur. – 2<sup>o</sup> Lectio a puero clare legatur. – 3<sup>o</sup> Post, praeceptor eandem distinctius legat. Distinctio est instar commentarii. – 4<sup>o</sup> Construat voces, phrasesque difficiliores pure breviterque explanet, subinde per synonymiam, subinde totam sententiam reddat.

De corpore lectionis – 1<sup>o</sup> Corpus lectionis dividatur; partes: exordium, narratio etc. ostendantur. – 2<sup>o</sup> Quomodo ibidem servantur praecepta rhetorum in illis partibus. [117v] – 3<sup>o</sup> In quo genere causae, exornationis, deliberationis etc. – 4<sup>o</sup> In quo genere dicendi, summo an infimo etc. – 5<sup>o</sup> Loci rhetorici si qui sint, ostendantur. – 6<sup>o</sup> Amplificationes. – 7<sup>o</sup> Status. – 8<sup>o</sup> Schemata sive exornationes. – 9<sup>o</sup> Quae sit iunctura et concinnitas. – 10<sup>o</sup> Quis ibi numerus oratorius initio periodi et in fine etc. – 11<sup>o</sup> Interpunctio seu distinctio interdum demonstretur. – 12<sup>o</sup> Aliquando desumatur pathetica quaedam ex illa lectione sententia; in eaque et gestus et tonus doceantur; ut quis cuique orationis parti tonus actioque respondeat, intelligatur.

De membris – 1. Phrases elegantiores, subductis lineis notentur. – 2. Variatio earundem loquutionum ex eodem auctore adferatur. – 3. Vocum obscuriorum energia et etymologia. – 4. Earundem usus et proprietas: sic oratores, ita historici; sic vulgo, ut emendantur

<sup>46</sup> Vide supra, mon. 12 (Prov. Germ. Infer.).

idiotismi. – 5. Si quis archaismus, si quid novi dictum, si quid adagium. – 6. Si qua constructio difficilior, velut per transennam indicanda. – 7. Connexio particularum, ut adverbiorum, coniunctionum etc. – 8. Synonyma, epitheta significantia, adversa seu antitheta, diminutiva, comparativa etc. [118r]

Postremo – Si qua sit allegorica interpretatio aut moralis. – Imitatio: quomodo praesens lectio alio apte traduci possit. – Si quid sit moralis philosophiae. – Si quod apophthegma. – Si qua comparatio. – Si qua praeclara.

Ibidem captetur occasio attingendae virtutis. Si quid ethnice dictum sit, ut dii immortales, mecastor, mediusfidius etc., vel praeter honestatem vel nimis invective, moneantur, id imitandum non esse, et obelisco seu veruculo huiusmodi configantur.

Denique, in quopiam velut lectionum variarum libello excipiant pueri, si quid est operosius et fusius indicandum, quam ut margine librorum contineri possit. Huiusmodi fere erunt, quae ex alio quopiam auctore graeco aut latino, poeta aut historico apposito et ad praesentem locum depromi possint; si leges, ritus, sacra, res romana attingi debeat.

### Ciceronis Philippica 2.a; eiusdem explicatio

«Quonam meo fato, P. C., fieri dicam, ut nemo his annis viginti reipublicae hostis fuerit, qui non bellum eodem tempore mihi quoque indixerit? Nec vero necesse est a me quenquam nominari. Nobiscum ipsi recordemini, mihi paenarum illi plus quam optarem dederunt. Te miror, Antoni, quorum facta imitere, eorundem exitum non perhorrescere». Plura in sequentibus menda scribae videntur. [118v]

Praesuppositis iis, quae vivam doctoris vocem postulant, haec dici videntur posse.

Cur inprimis Philippicae dicantur? Scilicet ad imitationem Demosthenis etc.

Item, hoc grave esse et canescere etc. – 1. Argumentum orationis: Laconice perscribantur; invectivum esse in Antonium etc. – 2. Genus causae: Versari hanc orationem in genere demonstrativo, quia vituperatur Antonius; vituperari vero fere a maculis animi; quae vere dedecorant hominem etc. Quaedam tamen ex genere iudiciali intercurrere: quia respondetur criminibus etc. – 3. Statum orationis esse statum qualitatis; quaestio namque est, sitne talis Antonius, qualem eum hic depingit Cicero. Addatur breviter, fuisse has orationes Ciceroni fatales ob dictionis acerbiteratem etc. – 4. Formam dicendi hic esse plerumque summam, ad efferendum motum crebro schemate illuminari; ad delectandum: argumentis locorum abundare; ad docendum etc. – 5. Partes orationis huius esse: principium, confirmationem, epilogum etc.

Haec de tota oratione; iam de corpore primae lectionis. [119r]

Constructio et difficiliorum explicatio. *Quonam meo fato fieri dicam*: In hoc vel in ea conditione videor natus. – *P. C. Patres Conscripti*: Viri senatores. – *His annis viginti*: A conspiratione scilicet Catilinae. – *Indixerit*: Denunciarit. – *Illi*: Catilina et Clodius, Gabinius et Piso. – *Plus paenarum dederunt*: Illi scilicet caesi, hi condemnati. – *Facta*: Crimen coniurationis. – *Exitum*: Funestum interitum.

Artificium rhetoricum totius corporis. Partes: *Quonam meo fato* principium est, quo benevolentiam colligit a sua persona; se purgat et adversarium criminatur. – *Scema*: Orditur a querela, ut favorem conciliet. Utitur interrogatione, ut indignationem coloret. *Nec vero*: occupatio, quae vitat renarrandi molestiam. – *Iunctura*: *Te miror Antoni*, et quae sequuntur; apta est iunctura; nam literis r s x stridentibus consonantibus eleganter indignantem orationem asperat. [119v] – *Numeri*: A numeris proceris cum dignitate orsus est:

spondeo etc.; et epitrito primo: *Quonam meo fato*. Periodum finit dochmio pede stabili et severo: *perhorrescere*. – Interpunctio: Dicit hic Cicero non circumscripse, ut fere alibi ordiendo, sed membratim, ut prae vehementia affectus in singulis membris velut intersciret. – Actio: Hic *Te miror Antoni*, cum sit valde patheticum, gestuum et pronuntiationis acrimonia ostendi potest.

De membris huius lectionis. Phrasis notanda: Bellum alicui indicere. – Variatio eiusdem: Bellum alicui intendere, facere, movere, inferre, comparare etc., aliquem bello invadere, prosequi etc. – Alia phrasis: Paenas dare. – Variatio: Luere, plecti, mulctari. – Notandum: P. C. Hae litterae significant Patres conscripti. – Significatio: Patres conscripti dicuntur quod ex equestri ordine conscribebantur ad etc. – Fatum: numen uniuscuiusque moderans curriculum vitae. Sumitur hic pro necessitate vel decreto deorum vel conditione vitae. [120r] – Differentia: Hostis est, cum quo publice nobis est bellum; inimicus, in quo privatum odium etc. – Etymologia: Deducitur ab obsoleto verbo: hostio, is, scilicet vicem reddo, coerceo etc. – Idiotismus: Bellum, barbaris guerra. – Differentia: Differt bellum a praelio etc. – Etymologia: Deducitur bellum a belluis, quod belluinum sit vel etc. quia minime bellum, ἀντιφραστικῶς; aut ut Cicero per contradictionem; dicebant enim veteres duellum, bellum duis, bis, duellum bellum etc. – Antitheta: Bellum–Pax. – Orthographia: Poena per oe non per ae scribi oportere; est enim graece ποινή. – Connexio: Notanda connexio, Nec vero etc. – Morale: Nota bonos a malis semper allatrari, ut accidit Ciceroni ab Antonio. – Ethnicismus: Iusurandum vel voce hac *fatum* prudenter utantur ne etc.; nam quod latini fatum, theologi praedestinationem seu providentiam divinam vocant. Fatum namque est quod fati sunt dii et decreverunt etc. . . . [121r]

### Exemplum lectionis graecae

Ἰλιάδος Α Ὅμηρου ῥαψωδίας

Μῆνιν ἀεῖδε, θεᾷ, Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος  
οὐλομένην, ἣ μυρὶ Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκεν.

Proludium — Paris e Graecia eduxit Helenam. Ob id graeci Troiam obsidione cinxerunt. Illius decennii clades multas et graves complexus est Homerus libris 24, singulis unum graecorum elementum praefigens; A primo etc.

Argumentum primae Iliados — Chryses filiam suam Criseidem a graecis captam redimere volens, repulsus est. Precibus egit apud Apollinem. Deus iniurias sui sacerdotis persecutus est.

### Interpretatio

Ἰλιάδος – Iliadis — Ὅμηρου – Homeri — Α – prima — ῥαψωδία – compositio.

μῆνιν – iram — ὀργήν, χόλον ἐπίμονον.

ἀεῖδε – cane — ἄδε – λέγε – εἰπέ – ἔννεπε.

θεᾷ – dea, musa, Calliope, μοῦσα, Καλλιόπε.

Πηληϊάδεω – Pelidae, Pelei filius – τοῦ Ἡνλέωσ ἡαῖδός. [121v]

Ἀχιλῆος – Achillis.

οὐλομένην – exitiosam, ὀλεθρίαν – πανωλέθριον

ἣ – quae ἦτις μῆνις, ὀργή.

μυρία – infinitos, decies mille, πολλά, παχυπολλά.

Ἀχαιοῖς – Achivis – τοῖς Ἑλλησιν.

ἄλγεα – dolores.

ἔθηκεν – imposuit, inflixit – ἐποίησεν.

### Grammatica

Τλιάς –άδος — Hoc opus, quia bellum gestum apud Ilium continet, quod, quia fuit valde calamitosum, fecit locum proverbio Τλιάς κακῶν etc.

Etymologia — ῥαψωδία a ῥάπτω = consuo et φδῆ = cantio quasi cento carminum seu compositio. Aristarchus enim Homeri carmina consuit etc.

Scantio — μῆνις – ἰδος, ἰος ionice; ira, sed est ira permanens. Virgilius «ira memor» de Junonis odio etc. [Aen. I 4]. Hanc iram memorem seu pertinacem Horatius vocat Peli-dae gravem stomachum, Virgilius Junonis «graves irae» etc.

Differentia — ἄειδε ab ἀείδω, μ π κα facta crasi dicunt oratores ἄδω, subscripto ι; et proprie dicitur de poetis ut λέγειν de oratoribus.

Patronym. — Πηληϊάδεω – Πηλεΰς – ἑως (Peleus), ionicus genitivus Πηληΐος; hinc patronimicum ὁ Πηληϊδης – η[ι]δου – et poetica epenthese τοῦ α – ὁ Πηληϊάδης (Pelides) Pelei filius, τοῦ Πηληϊάδου, ionice Πηληϊάδεω.

Etymologia — Ἀχιλῆος – Ἀχιλεός – ἑως; ionice ἦος – Achilles; ὁ χιλός – ου = pabulum – ἄχιλος = indigens pabuli; hinc ἀχιλεύς, quod medulla cervina altus creditur. [122r]

οὐλομένην – οὐλόμενος – η on factum ex aoristo secundo.

μυρία μυρίος infinitus, innumerus; μύριοι = decies mille.

### Poësis

Scantio — In Πηληϊάδεω brevia et longa miscentur in unam longam per synecphonesin pro Πηληϊάδω.

Quantitas — Ἀχιλῆος pro Ἀχιλλῆος, omittitur una geminatarum consonantium in medio per parellipsin.

οὐλομένην ionice pro ὀλομένην ut producat sicut μοῦνος pro μόνος etc.

Artificium — μῆνιν etc. propositio cum invocatione.

### In libello separatim notanda

1 – Plinius Iliadem potissimum humani animi opus vocat.

2 – Literis aureis in pellibus draconum scriptam Iliadem, servatamque in aureo scrinio Alexandri produnt historiae.

3 – Ut olim et solertissime in angustum coacta Ilias putamini nucis inclusa fuisse fertur.

### Artificium

Orditur a fine Homerus poëtarum more etc., ut Virgilius ab erroribus Aeneae etc.; id notavit Horatius: «Nec gemino bellum Troianum orditur ab ovo – Semper ad eventum festinat» etc. [A. P. 147-48].

Invocat numen deae, quippe in arduo negotio; nam in levibus invocatione opus non est. Hinc Horatius «Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus inciderit» [A. P. 191]. [122v] Sic Virgilius Buc. «Musae, maiora canamus» [IV 2]. – 2 Georg. Mi «Musae . . . caeli-que vias et sydera monstrent» [475 477]. – 4 Georg. «Quis deus hanc, Musae, quis nobis extudit artem?» [315]; Aeneid. «Musa, mihi causas memora» [I 8]; et passim graeci. Homerus Odiss. A «Ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα» etc. – Etiam Theocritus dorice Syracusanae «Ἐκ Διὸς ἀρχώμεθα καὶ εἰς Δία λήγετε, Μοῦσαι» – Ab Iove principium faciamus et in Iovem desinite, Musae. – Hesiodus «Μοῦσαι etc. δεῦτε δὲ ἔννεπετε» etc.

Sed iocatus est Homerus, dum in ludicra ranarum et murium pugna tam studiose musas invocavit «Ἀρχόμενσαν πρῶτον Μοῦσαν etc. – θεὰ – per deam musam intelligit, ut Virg. Aeneidos «Pandite nunc Helicon, deae, cantusque movete» [VII 641]. – Musam vero Calliopen vocat Virg. Aeneid. «Vos, o Calliope, precor, aspirate canenti» . . . et «mecum ingentes oras evolvite belli – Et meministis enim, divae, et memorare potestis» [IX 525 528-29]. Idque ex Homeri imitatione «Ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι, Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι – Ὑμεῖς γὰρ θεαὶ ἐστέ, πάρεστέ τε, ἴστε τε πάντα.» [Iliad. II 484-85].

### Morale

1. Nota, ob contemptum sacerdotem puniri graecos. – 2. Sacerdotis preces ilico exaudita a Phebo sunt. – 3. Ob Helenam decennio pugnarunt etc.; graeci hic ob Chryseidem affliguntur. – 4. Perniciosum est odium principum, ut hic Achilles et Agamemnonis etc.

Alius — Accuratissima quidem et optima videtur haec ratio; sed ut omnia singulis ostendantur lectionibus, quoniam id longum foret, nemo est qui non intelligat. [123r]

### Modus quotidianarum disputationum in classibus inferioribus

Quantum ad disputationes attinet – 1<sup>o</sup> Ut unus cum uno concertet reliquis audientibus. – 2<sup>o</sup> Ut bini, terni vel plures cum pluribus. – 3<sup>o</sup> Ut unus plurium aut omnium vicissim impetus sustineat.

De materia – Certum quaestionum numerum tum ex praeceptis, tum ex auctoribus, qui in ea classe leguntur, praescribet praeceptor; aliquid etiam ex inferioribus ad refricandam auditorum memoriam.

Quaestiones erunt de usu praeceptorum, de auctorum intelligentia et imitatione; de reliquis deinde, quae a praeceptore annotata fuerunt. Verbi gratia de observatione antiquitatis, de exemplis, similibus etc. pro cuiusvis classis ratione.

Mutuas compositiones examinabunt, phrasim, syntaxim, orthographiam et similia observantes.

Praemia victoribus proposita: Locus superior – Imago – Carmen in laudem victoris a victo depromendum. [123v]

### Ratio repetendi studia theologiae et philosophiae

Videntur repetentes toto repetitionis tempore ab onere docendi, vel quovis alio, quod studium praepedire posset, liberi esse debere; neque tamen illis obsesset, quin potius prodesset non parum, dum sua repetunt, aliorum repetitionibus partim philosophiae partim theologiae praesidere. Hebdomadariis ac mensuris philosophiae et theologiae concertationi-

bus interesse ac in iis exerceri perutile foret. Sic enim sibi ad praelegendum viam quandam sternerent et auctoritatem doctori pernecessariam compararent.

Possent hi etiam philosophiae et theologiae doctorum absentias nonnunquam ad tempus supplere. Plurimum etiam illis conduceret versari in illis collegiis, ubi haec theologiae et philosophiae studia florent; vel saltem in quibus aliquis his scientiis egregie instructus degit, quocum conferre repetita possint.

Praeter suorum praeceptorum dictata et S. Thomam quem prae caeteris semper in manibus habere debebunt, legere nonnunquam possent D. Bonaventuram, Scotum et Durandum, illis praesertim in difficultatibus, quae agitari magis solent. Quod si ne his quidem lectis sibi ipsi quis satisfaceret, alios posset auctores consulere, atque etiam ea de re cum praefecto studiorum aut aliis viris doctis conferre. [124r]

Brevissime notanda videntur ea, quae cuique in repetitione notatu digna occurrerunt; non tamen in eum modum ac si quis commentarios conscriberet, sed summatim et quam brevissime fieri poterit, praecipua dumtaxat difficultatum capita annotando.

Et quoniam theologicus cursus multo philosophico est prolixior, satis esse videtur duos dies integros, Lunae nimirum et Veneris in quavis hebdomada philosophiae repetitioni tribuere; ac reliquos 4 dies, quoniam unus fere relaxationi animi concedi solet, theologico studio impendere. Quo in studio antemeridianas horas materiis difficilioribus, ut sunt illae de Deo, de Trinitate, de angelis, de Incarnatione; pomeridianas vero facilioribus posset attribuere, ut illa materiae varietas taedium tollat quod ex eiusdem materiae continuatione irrepere interdum solet. Satis autem erit dies dominicos et festos, quantum per occupationem illorum dierum licebit, partim controversiarum partim Scripturae studio concedere. Casuum vero conscientiae non videtur particularis repetitio necessaria, sed sufficit collationi casuum quae iuxta novam rationem studiorum qualibet hebdomada habebitur, cum praevia aliqua praeparatione interesse. [124v]

#### De ceremonia et modo renovationis studiorum ac distributionis praemiorum

Studiorum apud nos renovatio fit sub finem septembris, in qua haec fere servari solent. Fit primum sacrosanctum missae sacrificium de Spiritu Sancto cum symphonia, in qua discipuli hostiam sacram communicent. Eos enim paucis ante diebus ad conscientiam expiandam, sanctamque synaxim sumendam cohortantur praeceptores. Deinde, insigniores aliquot declamationes habentur, aut pia ac iucunda comedia ad circumfusam plebem recitatur, aut denique disputationes instituuntur. Tertio, fit ascensus ad classes superiores hac ratione: praefectus studiorum, vel magistrorum aliquis a rectore constitutus, conscensa cathedra brevi et accommodata cohortatione usus, per classes singulos ordine, quemque suo nomine evocat, ac decem primos omnium classium diligentiae bravio donat, aut aliud quippiam agit, ut et iuvenes ad studia magis inflammentur, et auditores iucundioris spectaculi voluptate non priventur. Praemia, quae diligentissimo cuique tribuuntur, sunt haec: tribus quidem primis cuiusque classis libelli utiles et ornati; reliquis ad decem usque pia nonnullae imagines; omnia versibus aut insigni sententia, nunc latina nunc graeca, cum ascendente laude insignita. [125r] Ad haec brevi ac lepido versu spectatoribus gratiae ab aliquo adolescente aguntur. Postremo studiosi cum praeceptoribus gratias Deo acturi aedem sacram adeunt, ibique decantato hymno Te Deum Laudamus, sacerdos amictus linteo et stola dicit: Sit nomen Domini benedictum etc. – Domine exaudi orationem meam – Dominus vobiscum etc. Oremus. Actiones nostrae quaesumus Domine. Vario poemate eo maxime tempore collegii parietes vestiuntur, sicut et aula, in qua solemnitas exhibetur, vario tapete ac ramis.

## Provincia Germaniae Superioris

### CAPUT PRIMUM – De paradigmatis accommodatis singulis scholis humanitatis

In scholis grammaticis nihil videtur opus conficere paradigmata. In praeceptis enim sciat praeceptor suum officium esse, sensum verborum regulae perspicue explicare, et regulam ipsam exemplis apposis illustrare. In epistolis declarandis teneat modum, quem cap. 5 num. 2 annotavimus<sup>47</sup>.

### Paradigmata seu modus docendi in scholis humanitatis et rhetoricae

*Generatim observanda in hisce duabus scholis:* I – M. Tullius, poetae, historici, autores denique graeci et latini, in humanitate et rhetorica explanari non debent absque prolegomenis, quae quidem attentionem magnam parant, auditores ipsis auctoribus valde conciliant, et ad totos libros rectius intelligendos mirum in modum conducunt. Capita autem possunt esse ista fere: Vita scriptoris, laudes eius, sive testimonia ab eruditis et magnis viris eidem tributa, ut Virgilio a poetis, oratoribus, imperatoribus, Caesari ab ipso Cicerone et aliis; Sallustio similiter a compluribus; Homero ab innumeris innumera propemodum etc. Inscriptio libri, iucunditas et utilitas, eiusdem generale argumentum. In poetis, grammatici veteres, ut testis est in Aeneidem Servius<sup>48</sup>, ista 6 putabant prius tractanda: vitam auctoris, titulum operis, qualitatem carminis, scribentis intentionem, numerum et ordinem librorum; de quibus nihil pronuntio.

II – Tantum dicendum super verbum aliquod, locutionem aut sententiam, quantum in praesens satis est; verbi caussa: Musa mihi caussas memora etc.: super voce, musa, non erunt adducenda ex Gyraldo<sup>49</sup>, Bocacio<sup>50</sup>, Natali Comite<sup>51</sup> plurima de musis; breviter indicandum id, quod in vulgatis dictionariis invenitur. Interdum tamen, quo lectio sit eruditior et iucundior, per digressionem licebit magistro ex optimis auctoribus aliquando plura quam res postulet, afferre.

III – Non parum gravitatis, suavitatis, addo etiam, commoditatis habet et magnam doctori opinionem parit, si ita auctorum verba pronuntiet, ut eorundem, et personarum quas introducunt, personam inducat, et voce ac vultu sic se gerat, quomodo se illae haec dicentes gessissent. Haec sunt instar alicuius parvi commentarii, et melius possunt intelligi, quam scribi. Cavendum tamen, ne tanquam in theatro histrioniam facere videatur.

IV – Ad docendum utilis est transitio, ut paucis in memoriam tuis redigas, quae proxime dicta fuerunt, et doceas, quid in praesentia dicendum sit. Hactenus communia; nunc de gymnasio humanitatis.

### Paradigmata pro schola humanitatis [*Stud.* 3, f. 224v]

*Praecepta* I – Expositurus magister Cyprianum, initio dicat, quibus et quot de rebus numero in capite auctor disputet. Sic, in hoc primo cap. libri primi Cyprianus quatuor exe-

<sup>47</sup> Vide supra, mon. 23 (Prov. Germ. Sup.).

<sup>48</sup> Servius Honoratus (saec. IV), romanus, grammaticus; cf. PERIN, *Onomasticon* . . . II 618.

<sup>49</sup> Renatus GYRALDUS, gallus, *Selecti ex variis auctoribus dialogi* . . . (Parisiis 1575); *Ouvr. pédag.* . . . 347.

<sup>50</sup> Ioannes BOCCACIUS (1313-1375), italicus, *Genealogia deorum* . . . (Venetiis 1473); *Ouvr. pédag.* . . . 71.

<sup>51</sup> Natalis de COMITIBUS (Conti – ob. 1582), italicus, *Mythologia, sive explicatio fabularum libri decem* (Venetiis 1580); *Ouvr. pédag.* . . . 171.



quitur: 1<sup>o</sup> Definit rhetoricam. – 2<sup>o</sup> Definit artem et probat rhetoricam esse artem, seu explicat partes definitionis rhetoricae, quae sunt duae, ars et bene dicere. Est enim rhetorica ars bene dicendi. – 3<sup>o</sup> Ostendit officium eius. – 4<sup>o</sup> Finem.

II – Unumquodque praeceptum ita explicandum est, ut eius traditi causa investigetur; ut hic: quare definit initio libri totius rhetoricam? quia, ut inquit Cicero in Off., quae a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo disputetur. Si qua vox erit, ex cuius etymologia pendeat praecepti intelligentia, declaretur, ut hic in vocabulo, rhetorica, quod graecum est; pluribus insuper verbis dicendum et evolvendum praeceptum, exempla addenda ubi possunt, ut in tropis et schematis et in locis etc.

III – Si quae inciderint, quae non satis capiant auditores, ea aut levi brachio tracta aut omitte, et mone, alibi commodius de iis disputatum iri. Talia est definitio artis in hoc cap. quam vult Cyprianus convenire in rhetoricam, cum I. de Orat. agitetur quaestio, an sit ars. Et Crassus negat, si artem hoc modo definias, rhetoricam esse artem; causam ibidem adiungit, et postea docet, quanam artis definitio rhetoricae apta sit.

IV – Parce ex Cicerone, Quintiliano, aliisque autoribus similia, vel eadem praecepta copiosius recitari et locupletari possunt, quae sint declaratio dictorum Cypriani. Item moveri leviores et faciliores controversiae; v.g. cum alii definiant rhetoricam doctrinam dicendi, ut Cicero in Partitionibus, utrum illud (bene) sit superfluum. Praeterea, alii dicunt, esse artem persuadendi; ergo definitio illa non fuit bona, vel haec est vitiosa, etc.

V – Ad finem explicatio tota memoriae causa breviter iteranda est.

*Poeta: I* – Ubi perspicue et copiose disserueris argumentum, sume versum aut partem versus, servato ordine, non verborum, sed rerum et syntaxeos, et eam verbis aliis ac pluribus effer, aliquando etiam quo melius percipiat sensus secundo et tertio aliis atque aliis. *Arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris Italiam, fato profugus, Laviniaque venit littora.* Cano arma virumque. Id est, propositum est mihi carmine persequi bella et virum illum, Troiae qui primus etc. Seu, incipio mandare litteris res bello gestas, et errores illius magni et admirabilis viri, Troiae qui primus ab oris etc.; qui non quidem omnino primus, nam *Antenor* antecessit, ut ipsemet dicturus est postea: *Antenor potuit mediis elapsus Achivis.* Sed certe primus fato profugus venit. Quonam venit? Italiam Laviniaque littora. In Italiam venit et in eam quidem Italiae partem, ubi erat urbs Lavinium et regnabat rex Latinus, in Latium scilicet etc.

II – Regressus ad caput explica tropos et figuras poeticas, ut hic, arma pro bello. Item virum, qui primus ab oris Troiae Italiam venit etc., quid est nisi quaedam circuitio, ad exemplum Homeri, qui de Ulyse scripturus, Odysseam similiter auspicatus est: *Dic mihi Musa virum captae post tempora Troiae, qui mores hominum multorum vidit et urbes etc.* [Hor., *Ars Poet.* 141-42] Id est, Ulyssem.

III – Narra fabulas et historias, quae se obtulerint; quas quidem aliquando necesse erit ante expositionem narrare; dicas hoc loco aliquid de Troiana urbe, de Italia, de Lavinio, ut paulo post de Junone.

IV – Sequere magnam partem in Virgilium interpretaiones Servii<sup>52</sup>. Si rhetoribus eundem explanas, Donatum<sup>53</sup>. Ascensius<sup>54</sup> in Vergilio, Cicerone et omnibus explicationibus suis aptior est syntaxistis.

<sup>52</sup> De Servii Commentario in Virgilium cf. PERIN, *Onomasticon* II 618.

<sup>53</sup> C. T. Donati in libros duodecim Aeneidos interpretatio (Neapoli 1535); cf. SCHWEIGER II/ 1 342.

<sup>54</sup> Jodocus Badius (Ascensius – 1462-1535), flander; cf. *Ouvr. pädag.* 41-43.

V – Consule varias lectiones Victori<sup>55</sup>, Mureti<sup>56</sup>, Turnebi<sup>57</sup> et aliorum, apud quos plurimos Virgilii, Horatii, aliorumque insignium scriptorum locos enodatos invenies. [225r]

*Officia seu Tusculanae*: I – *Quaquam te Marce fili annum iam audientem Cratippum idque Athenis* etc. Doce discipulos, quid sibi velit hoc proemio M. Tullius, et distincte doce, non confuse, nec ita breviter.

II – Sume colon, aut totam periodum, si longa non erit, servato ordine syntaxeos et rerum, sicut in poetis, et planioribus aut saltem pluribus declara, si quid inest obscuritatis, insertis quaestiunculis et caussis ac rationibus eorum, quae ab auctore dicuntur. Sic: *Quaquam te Marce fili oportet abundare praeceptis institutisque philosophiae*: debes tu quidem, mi fili, non mediocres iam processus in philosophia morali effecisse. Quare mi pater? *annum iam audientem Cratippum*: quippe, qui excellentem magistrum nactus sis, quem diu satis audieris, principem huius memoriae philosophorum, ut alibi appellat. Estne alia caussa? Immo, *idque Athenis*: urbs quoque, ad quam te velut ad mercaturam bonarum artium misi, ut alias inquit, facere debet, ut institutis philosophiae abundes. Verum ecce ipsemet Cicero clarius hasce duas caussas mox aperit, et semetipsum exponit: *propter summam et doctoris auctoritatem et urbis*. Auctoritas Cratippi et Athenarum facere debent, ut abundes etc.; quae illi contigit ob doctrinam, unde te doctrina augere potest et potuit; huic propter exempla, quae plurima protulit, unde te potest augere exemplis. Visne exempla? Lege Plutarchum, Aemilium, Probum, alios.

III – De personis et locis aliquid dicendum, ut hic de M. filio, quam degener fuerit, et locus communis de eruditorum et magnorum hominum liberis, de Cratippo, de Athenis.

IV – Declaranda verborum quorundam vis, et locutiones insigniores aut rariores ac difficiliore latius explicandae. Notent hic adolescentes illud: *audire Cratippum*, audire aliquem, dare alicui operam, se tradidisse in alicuius disciplinam idem sunt, pro quibus semilati nostri semper: ego sum discipulus M. Nicolai, Ioannes est meus praeceptor. Item audire dialecticam, rhetoricam, grammaticam, latina non sunt, etiamsi valde trita et communia sint; eleganter Gellius: auditiones obire, pro quo barbari: visitare scholas.

*Historia*: I – Legamus, si qui eandem historiam sunt persecuti, aut iisdem de re rebus agunt, ut si habemus in manibus coniurationem Catilinae, Catilinae Ciceronis. Si Iustinum, Herodotum, Diodorum, Curtium etc. Inde suppleamus, quod noster omisit, locos conferamus, controversias dirimamus, quod probabilius videbitur, id sequamur; hoc primum.

II – Si quid fuerit obscurius in vocibus et sententiis, enucleetur. Similia dissimilia ex Valerio<sup>58</sup> et aliis adducantur. In concionibus artificium paucis explicetur. Chronologia etiam non negligatur.

De graecis idem intelligatur. Si fuerint poetae, explicentur ut poetae. Si oratores ut orationes Tullii, si historici, ut Livius, Sallustius etc. Verborum tamen et locutionum maior ratio habenda, quia lingua graeca tam nota et familiaris nobis non est.

Omnia porro ista ita accipi volumus, ut prudenti et docto praeceptori libertatis aliquid relinquendum, et paucas ac solidas praeceptiones in hoc genere conscribendas putemus.

<sup>55</sup> Petri Victorii explicationes suarum in Ciceronem castigationum (Lugduni 1552); cf. SCHWEIGER II : 1 278.

<sup>56</sup> M. A. MURETUS (1526-1585), gallus, *Variarum lectionum libri septem* (Venetiis 1559); *Ouvr. pédag.* . . . 466.

<sup>57</sup> Hadrianus TURNEBIUS (1512-1565), *Commentarii in Ciceronis libros tres de Legibus* (Parisiis 1552).

<sup>58</sup> Cornelius VALERIUS (Wouters – 1512-1578) *In universam bene dicendi rationem tabula, summam artis rhetoricae complectens* (Basileae 1545); *Ouvr. pédag.* . . . 642.

### Paradigmata pro schola rhetoricae [225v]

Cum haec schola sit caput et regina scholarum humanitatis, ac proinde etiam principes et reges nostrarum litterarum, hoc est, nobilissimos rhetores, oratores, historicos, poetas, eosque graecos iuxta ac latinos, auditoribus aetate, iudicio, doctrina, supra caeteros eminentibus interpretetur, danda est opera, ut interpretandi ac docendi ratio ipsius scholae auctorumque dignitati et discipulorum iam praecultis atque ad uberiores satus accipiendos praeparatis ingeniis et eorundem etiam expectationi respondeat.

*Praecepta sive ars:* I – In praeceptis ergo meminerimus, quid Cicero in extremo Partitionum dicat. Expositae sunt tibi, inquit, omnes oratoriae partitiones, quae quidem e media illa nostra academia floruerunt, neque sine ea aut intelligi aut tractari possunt. Hoc ibidem probat. Alibi autem saepe affirmat, sine philosophia oratorem effici non posse. Si non potest effici, an sine ea institui poterit? sine dialecticis, inquam, et moralibus; physica enim tantopere oratori necessaria non sunt. Quare Aristoteles rhetoricam dialecticae germen, et Cicero civilis scientiae partem vocat. Quapropter, qui usum dialecticae nullum habet, et in morum doctrina hospes est, ad tradendam rhetoricen ne adhibeatur, ne tanquam psittacus ea solum cantet, quae in commentariis invenerit, a se promptum nihil addere queat. Multum utatur dialectica, quae est astrictior eloquentia, et rhetoricae ex altera parte respondet; multum praeterea ethicis, nec aristotelicis tantum, verum Ciceronis quoque, Plutarchi, Senecae etc.; horum omnium usus quoque non mediocris erit in orationibus explicandis.

II – Studiose evolvamus veteres illos praesertim dicendi magistros, Ciceronem, Aristotelem, Quintilianum, Hermogenem, Demetrium, ne, quasi epistolas explicaremus, a solis commentatoribus pendeamus, quos plerique paucos habemus, et, quamvis multos, tamen interdum optimis caremus. Ita artis longe intelligentiores evademus, et in docendo solidiores, copiosiores, graviore erimus. Hoc fere negligitur a nostris rhetoribus, qui interdum Aristotelem, Hermogenem, Quintilianum adducunt illi quidem, sed ut theologi Virgilium aut Livium, quos auctores ipsi non solent legere, citatos aliquando, cum invenerint, etiam citant.

III – Cum docuerimus igitur, quid sit partitio, idque ex dialecticis, et ostenderimus, recte hunc libellum Partitiones nominari, proemium item *Studeo mi pater* etc. quam brevissime explanaverimus, prolata videlicet eius sententia, veniemus ad initium doctrinae, quod est distributio rhetoricae. C.F.: *Quot in partes distribuenda est omnis doctrina dicendi?* C.P.: *in tres.* C.F.: *cedo quas?* C.P.: *primum in ipsam vim oratoris, deinde in orationem, tum in quaestionem.* Docebimus principio, definitionem artis huius, a quo exordiri tractationem conveniebat, non esse praetermissam (*doctrina dicendi*) eamque latius explicabimus. Producemus Aristotelis aliam definitionem, ostendemus utramque, immo plures, si plures attulerimus, esse veras et quo pacto sint verae, nec pugnantes. Quaeremus insuper, an sit ars, et de officio oratoris ac fine disseremus; quoniam hic videtur locus esse, ubi de definitione agitur. Scimus porro, quid de his per aliquot capita disputet Fabius<sup>59</sup>, eum refutabimus ex Cicerone; cuius de rhetorica libros omnes legisse nos oportet; et ex aliis nostris doctoribus.

IV – Probabimus postea recte Tullium prius distribuisse rhetoricam, quam de ea praeciperet. Accurate autem ipsam hanc distributionem examinantes, indicabimus, quid per vim, per orationem, per quaestionem sibi velit, et quonam modo tandem possint esse tres partes, cum prima contineat reliquas duas. Continet enim inventionem, dispositionem,

<sup>59</sup> Marcus Fabius QUINTILIANUS, *Institutionum oratoriarum libri duodecim*.

elocutionem, memoriam et pronuntiationem. Hae totam rhetoricam complec-[226r] tuntur, ergo illas duas quoque. Quid, quod Fabius in artem, artificem et opus rhetoricam dividit? Si vera est divisio, quinam cum hac nostra consentit? Si non est, quare non est? Hoc modo per totum librum, seu per totam artem te geres; nimirum, ut caussas inquiras, quare detur praeceptum, et cur hoc loco. Quis sit sensus, quae mens auctoris; sitne recte traditum, an secus. Inseres opportune mediocres aliarum rerum tractationes, ut supra de officio et fine dicebamus; magnam exemplorum copiam tibi comparabis, ut rem tanto dilucidior efficias.

*Orationes:* I – Argumentum, genus caussae, status, partes orationes proponantur tanquam προλεγόμενα. Sciat tamen magister non veteranus, non omnes Ciceronis orationes, nedum omnia, quae ab oratore dicuntur, tribus illis caussarum generibus contineri, neque ad ea facile posse revocari. Tres Catilinae priores nec demonstrativae sunt, nec deliberativae, nec iudiciales. De constitutione etiam non est in omnibus laborandum, nec de partibus semper curiose quaerendum. Aliae plures, aliae pauciores, et aliae distinctius eas, aliae confusius habent. In I. Catilinaria frustra quaeras exordium. Iam, quae partes continet quarta Philippica? quot denique Marcelliana?

II – Duplex artificium investigandum est, rhetoricum et dialecticum. De rhetorico prius. In exordiis ostendendi loci benevolentiae, attentionis, docilitatis. In narratione probabilitatis, perspicuitatis, brevitatis. In confirmatione loci exornationis, deliberationis, iudicii. Et quia iudiciale fustum ac varium est, loci coniecturarum, aequi et iniqui, et quaestionis legitima. In peroratione enumerationes, amplificationes, loci miserationis. De dispositione, sitne artis an prudentiae servata, ut in Miloniana refutatio praecedat confirmationem; de quo genere plura Cornificius in 3<sup>60</sup>. Notare autem metaphoras, synecdochas, aliosque tropos et observare sollicite figuras verborum, repetitiones, conversiones, gradationes etc., eiusmodi est, quod per se fere videant discipuli; monendi tamen et non raro urgendi, ut etiam in hac parte Ciceronis artificium scriptionibus suis expriment. Sententiarum lumina non ita patent; quae proinde accuratius demonstranda. Admonendi etiam de periodis et numeris rotundioribus, de affectibus, de locis ex Demosthene, Isocrate, Platone expressis. Indicandae etiam theses, ad quas cum possunt, oratores hypotheses suas revocare solent. Huc refero explicationem rerum romanarum et antiquitatis, quam qui ignorat, Ciceronis orationes ne attingat. Adiuvabunt magistrum hac in re Sigonius<sup>61</sup>, Plutarchus et qui de rebus romanis ac de republica scripserunt.

III – Quod ad dialecticum artificium attinet, colligenda sunt argumenta in propositiones, indicatis locis ac sedibus, unde ducantur, redigendaque vel ad enthymemata, vel ad syllogismos. Exempla et inductiones per se satis apparent. Deinde ostendendae probationes maiorum et assumptionum, vel antecedentis aut consecutionis. Hoc qui recte fecerit, is suam industriam et acumen discipulis maxime probabit, et Ciceronem admirabiliorem reddet. Cavendum porro, ne Ramistas<sup>62</sup> quosdam videamur imitari, qui nimis dialectice tullianas orationes explicant, cum magis rhetorice debeant explanari, ut faciunt Manutius<sup>63</sup> et Muretus<sup>64</sup>. Adde quod discipuli, cum sint adhuc expertes dialecticae, illas spinosas in-

<sup>60</sup> De Cornificio, grammatico, qui scripsit de ethymis deorum, cf. PERIN, *Onomasticon* . . . I 425.

<sup>61</sup> Carolus Sigonius (1520c-1584), italicus; cf. MP V 125.

<sup>62</sup> Petrus Ramus (\* 1515), gallus; cf. *Ouvr. pédag.* . . . 537-47.

<sup>63</sup> Aldus Manutius sen. (1449-1515), italicus; cf. supra, mon. 16 adn. 20 et passim.

<sup>64</sup> De Mureto vide supra. adn. 22.

terpraetationes non capiunt. Nimis longum ac laboriosum sit, haec tum multa, recitata orationis magna parte, quasi digito demonstrare, et cum omnia putemus esse planissima, non est necessarium.

CAPUT SECUNDUM – De modo quotidianarum disputationum parandi copiam, repetendi studia etc. [226v]

1 – De ratione quotidianarum disputationum non inutilia quaedam tradita sunt cap. 6 num. 265. Subinde etiam in divisione horarum quaedam afferuntur<sup>65</sup>, quae ad eam pertinent. Illud minime praetereundum, ineptas saepe quaestiones proponi solere a pueris atque obscuras potius, quam utiles. Exempli gratia: Da verbum tertiae coniugationis, quod habet avi in praeterito et atum in supino. Quam quaestionem vix doctus solvat. Eiusmodi tamen est verbum: sterno. Sed obscura quaestio, nec ita utilis. Quanto utilior et simplicior: sterno qui habet in praeterito? Huc pertinent multae aequivocationes sane sophisticæ, ut: edo, qui habet in praeterito? Item: recense omnia verba, quae postulant dativum; postulatio molesta potius, quam utilis. Simile huic vitium est, quod fere rara quaedam et peregrina in disputationem introducunt, et in maxime quotidianis ac usitatis, quae in primis terenda essent, labuntur et haerent. Caetera praeceptorum et praefectorum iudicio committantur.

2 – De copia paranda egimus in cap. 8 de libris<sup>67</sup>.

3 – Qui repetent studia theologica, sint in collegiis, ubi ea studia tractantur, quoad eius fieri poterit. Ita enim opportunitatem habebunt exercendi ea etiam, quae repetent, et quae didicerunt; nimirum disputando, defendendo, praesidendo etiam disputationibus seu repetitionibus aliquibus domesticis etc.

4 – Praeterea in universum loquendo iis materiis privato studio repetendis et digerendis melius incumbant, quas in scholis audiverunt, atque etiam aliquid temporis dabunt lectioni Patrum et Scripturae et sacrorum canonum, ut in Constitutionibus praescribitur<sup>68</sup>. Sed ut in his studiis utilius versari possint, diligenter a superioribus ex informatione praefecti et praeceptorum, dispiciendum est, ad quod genus ministerii in Societate obeundum unusquisque sit aptior. Utrum ad docendum, vel ad concionandum etc. Nam animadverso imprimis scopo, ad quem praecipue unumquemque dirigere expediet, oportebit unumquemque, ex praescripto praefecti, in eo studio atque lectionis genere diligentius versari, quod erit ad eius talentum magis accommodatum. Quod si quis theologiam scholasticam docturus sit, nominatim expediet eas etiam materias cognoscere, quas forte non audivit, vel quae a professoribus praeteriri solent in Summa D. Thomae; ut ita totum theologiae corpus perspectum habeat; et simili modo si quis docturus sit Scripturam vel aliquid aliud etc.

Philosophi vero eo tempore, quod ad repetitionem ipsis dabitur, nihil utilius videntur posse facere, quam recognoscere atque repetere privato studio et observatione totum curriculum auditum, eaque ratione sese ad theologiam fructuosius audiendam comparare.

Poterunt etiam aliquos actus habere et repetitionibus domesticis philosophorum praesidere, et si quos forte libros utiles non audierunt, iis privatum studium impendere, ut Meteorologicis, Parvis naturalibus, etc.

CAPUT TERTIUM – De renovatione studiorum et praemiis

Pronuntiatur aliquando oratio sola, aliquando cum carmine graeco vel latino, aliquando latina et graeca, nonnunquam haec tria simul, carmen videlicet, cum duabus ora-

<sup>65</sup> Vide supra, adn. 22.

<sup>66</sup> Vide supra, p. 416-17.

<sup>67</sup> Vide supra, p. 366.

<sup>68</sup> Vide *Const.* P. IV c. 6 § 16; MP I 255.

tionibus. Poterit institui aliquod iudicium, ut sint tres: accusantis, defendentis, sententiam dicentis. Item dicantur duae orationes controversae, et iudicium auditoribus relinquatur, pro litteris, contra litteras etc. Aliquando habeatur oratio et disputatio typis excusa. Agatur interdum dialogus, alias comaedia sive tragedia. Introducatur per prosopopoeiam labor, gloria, honor, iustitia, eruditio, diligentia, quae ubi carmen longius sola recitaverit, praemia distribuat. Sacrum solenne de Spiritu Sancto fiat, leges Academi-[227r]cae seu scholarum de superiore loco legantur. Qui ascendunt, per praefectum e singulis scholis deducantur, qui, quae sint in rem manentium et ascendentium, brevi oratione disseret.

De praemiis dandis plurium examinatorum suffragia valeant, sicut dictum est cap. 7<sup>o</sup>. Iudicandum porro est collatis praeceptis et scriptionibus; quamvis aliquanto magis spectanda sit scriptio. Donandi autem non tantum libelli, verum etiam, praesertim inferiorum scholarum pueris, aliae res, quae ad pietatem vel studia pertinent, et a nostro vitae statu non abhorrent, ut sunt bella rosaria, pulcherrimae pictae et maiores sanctorum imagines, clepsydrae elegantes, scite facta atramentaria. Possunt item parvulis coronae imponi etc.

Dentur uni plura praemia, si meretur.

Ei, qui paulo ante ad nos venit, et aliunde eruditionem suam affert, non detur praemium, sed illi, qui apud nos supra commilitones profecit.

Affectus semel praemio, si manet in eadem schola, afficiatur sequenti renovatione rursum, si egregie studuisse ac seipso doctior evasisse videbitur.

Singulis, qui praemia capiunt, versiculi a pueris delectis recitentur.

Ornati praemiis loco certo et eminentiore sedeant, ut ab omnibus conspiciantur.

In rhetorica dentur minimum quatuor, duo solutae orationi latinae, unum graecae, unum versibus.

In humanitate superiore similiter quatuor, duo poeticae scriptioni, unum solutae, unum graecis. In reliquis singulis tria.

CAPUT QUARTUM – De ritu et modo promovendi ad licentiam

Suscepturis in theologia aut philosophia licentiae gradum, si volunt etiam ad doctoratus aut magisterii gradus eodem tempore promoveri, conferatur licentia extra scholam publicam in aliquo alio loco privatim coram paucis aliquot, eodem ipso die, quo ad doctoratum aut magisterium promovendi sunt; idque ad minuendum promotorum laborem, et parcendum tempori, ne illud lectionibus detrahatur etc. Sin autem velint post adeptam licentiam, aliquanto tempore doctoratum vel magisterium expectare, aut etiam nolint ad hos gradus progredi, conferri poterit licentia in publica schola solennius.

Modus autem, quo licentia conferetur sive privatim sive publice, erit iste: 1<sup>o</sup> Petat gradum candidatus vel pro se solo, vel etiam pro sociis, cum erunt plures. 2<sup>o</sup> Respondeat promotor se collaturum, ubi fuerit a candidato vel candidatis edita professio fidei. 3<sup>o</sup> Edatur professio, porrigente illam notario. 4<sup>o</sup> Conferatur gradus. 5<sup>o</sup> Fiat aliqua gratiarum actio.

In hoc autem modo et ordine conferendi licentiam hoc solum erit discrimen, cum privatim et cum publice conferetur, quod privatim non nisi brevissime a candidato fiet petitio, et similiter a promotore responsio. Publice autem oratio longior et accuratior de aliquo argumento habebitur ab [227v] utroque una cum petitione et responsione.

CAPUT QUINTUM – De insignibus rectoralibus in universitate, immatriculatione etc.

I – In rectorum insignibus habenda est ratio tum consuetudinis cuiusque provinciae, tum etiam religiosae simplicitatis, quae deceat nostrum institutum; et iuxta haec retineri

<sup>69</sup> Vide supra, p. 361.

aut etiam institui poterit moderatus aliquis usus sceptri et cappae rectoralis, ubi alioqui scholastica huiusmodi insignia tanti ab externis fieri solent (quemadmodum accidit in his transalpinis locis), ut sine illis vix reputetur aliquis rector academiae.

II – Ratio servanda in immatriculatione satis praescripta videtur in Constitutionibus 4 p. c. 17 num. 3. Litt. D et E<sup>70</sup>.

III – Cancellarii officium satis colligi poterit partim ex 4 p. Constit., praesertim c. 13 et 17<sup>71</sup>, partim ex regulis ipsis, quae de ratione tota studiorum praescribuntur<sup>72</sup>. Officium enim illius erit curare, ut omnis eiusmodi ratio studiorum servetur. Et quidem si cancellarius ipse per occupationes potest, omnia quae praefecti sunt, obeat, neque in eo collegio alius sit, qui praefectus studiorum sit aut dicatur. Ubi vero per se omnia facere is non potest, ita res dividatur, ut quae studiorum propria sunt, ea cancellarius per se tractet; quae vero ad disciplinam et mores academiae et scholasticorum pertinent, ea per alium praestentur, qui non praefectus studiorum, sed praefectus potius scholarum vel studiosorum vel morum appelletur. Curet etiam affigi suis temporibus mandata, quae varias ob res affigenda occurrunt, iuxta academiae consuetudinem.

IV – De ministris iustitiae vix aliud occurrit, quam quod in Constitutionibus dicitur p. 4 c. 11 § 3 Litt. B<sup>73</sup>.

V – Regulae et officium bedelli. – 1<sup>o</sup> – Sciat pedellus academiae ministrum iuratum se esse; ac proinde rectori, gubernatori et studiorum praefecto, in rebus omnibus academicis, obedientiam praestare debere; quin et professorum imperata in rebus scholasticis noverit diligenter sibi esse facienda.

2<sup>o</sup> – Intelligat, praecipuam suis muneris partem esse, ut vitam et mores studiosorum diligenter observet et notet; atque eorum nomina, quos in universitatis leges peccare intellexerit, ad rectorem vel praefectum fideliter deferat, omni privato affectu vel odii vel amicitiae posthabito.

3<sup>o</sup> – Qui ad studia ad academiam nostram primo mittuntur, et ultra triduum se praefecto non sistunt ad examen et inscriptionem, eos pedellus praefecto significabit. Similiter intelligat, agendum esse cum iis, qui ex academia discesserunt, et postea revertuntur, si intra triduum scholas non frequentent. Itemque, si qui discessuri, post acceptum testimonium suum, ultra triduum in urbe commorentur.

4<sup>o</sup> – Nisi iustas ob causas fieri nequeat, pedellus omni die rem divinam cum studiosis in templo academico audiet, ut simul etiam observet, qui ante tempus discedant, vel in templo non accedant, garrientes et nugas exercentes; et, si qui honorati viri, vel novi studiosi accedunt, ut eis loca debita attribuat. Si quorum immodestiam vel negligentiam singularem in templo deprehendat, praefecto significabit.

5<sup>o</sup> – Praecipuis diebus festis coram rectore comparebit mature, ut eunti ad templum sceptrum praeferat.

6<sup>o</sup> – Quotiescunque ad lectiones priores signum datur et ante et post prandium, adsit, et prae foribus scholarum praestoletur, si quid a praefecto vel professoribus mandatum fuerit, ut exequatur.

7<sup>o</sup> – Si noverit, in civitate aliquem, non studiosum illum quidem, sed studiosorum vel quoad mores vel quoad religionem perturbatorem, de eo rectori vel praefecto mature significabit.

<sup>70</sup> Vide MP I 317 319.

<sup>71</sup> Vide *ibidem* 293 et 317.

<sup>72</sup> Regulas praefecti studiorum, quae habentur in Ratione studiorum anni 1591 et 1599, vide in MP V. 249-67 et 374-79.

<sup>73</sup> Vide MP I 279.

8<sup>o</sup> – Sine consensu rectoris et praefecti peregre ne abeat quoquam. Ubi fuerit dimissus, ad tempus praescriptum adsit. Domi etiam significet, ubi in civitate ipsa reperiri statim possit, quando eius opera a rectore vel praefecto requiritur.

9<sup>o</sup> – Scholas, atrium, aulam academicam verret, quoties opus fuerit. Scholas inferiores quidem octavo, superiores decimo quinto quoque die. Atrium et aulam singulis mensibus. A parietibus, a cathedris, a sedilibus et pulpitis sordes et pulveres et araneorum telas accurate excutiat per se vel per suos; quibus tamen ipse adsit, ut dirigat, ne plus incommodi quam commodi rebus illis adferant. Sin in his locis aliqua reficienda forent, de iis praefectum monebit.

10<sup>o</sup> – Quos in carcerem abducit et includit, eis nec plus nec minus, quam a rectore vel gubernatore aut praefecto fuerit ordinatum, inferat, neque per suos inferri patiatur. Ultra ordinarium precium a nullo studiosorum amplius exigat, quasi debitum.

11<sup>o</sup> – Integritate vitae bono exemplo sit studiosis, et quoties ipsis confitendum de peccatis et communicandum est, et ipse pie idipsum faciat, ut minimum quater in anno.

12<sup>o</sup> – Quando actus publici futuri sunt, ut in bacculaureatu, licentia, magisterio, vel solenni disputatione etc., ipsius erit ornare locum ad arbitrium praefecti.

13<sup>o</sup> – Debet autem ante omnia edere professionem fidei catholicae et iurare fidelitatem et obedientiam rectori, gubernatori et praefecto in his omnibus supradictis, quantum noverit et poterit; et si qua in re delinquat, quod ad arbitrium rectoris puniri velit, vel carcere academico, vel alia paena conveniente.

VI – De gubernatore haec occurrunt: 1<sup>o</sup> Ut in academiis Societatis is adhibeatur ad causae studiosorum civiles et criminales, quas a nostris Constitutiones loco iam citato remonent<sup>74</sup>. – 2<sup>o</sup> ut is sit iurisperitus et non exiguae alioqui eo in loco auctoritatis. – 3<sup>o</sup> ut Societas ius habeat eum praesentandi principi vel magistratui academiae protectori. [228v] Cum enim gubernator adiutor sit rectoris in multis, vir esse debet, qui cum nostris ac nostro procedendi modo valde consentiat. – 4<sup>o</sup> ut eo nomine honestum illi stipendium a principe assignetur. – 5<sup>o</sup> ut non adeo alienis negotiis occupatus sit, ut raro adsit parumque academicis negotiis attendere possit. – 6<sup>o</sup> ut apud gubernatorem rectoris auctoritas et sententia plurimum valeat in causis studiosorum, neque quem rector punit, gubernator in eius causae cognitionem se immisceat, nisi rogatus. – 7<sup>o</sup> ut gubernator promittat, primo, se requisitum a rectore officium suum diligenter ac fideliter praestitutum. Secundo, se extra causas civiles et criminales, nihil in rebus academicis usurpaturum.

VII – Carceris usus in academiis nostris necessarius est. Etenim studiosi, in septentrione praesertim, exempti sunt ab ordinariis iudiciis et soli rectori subiecti. Quae res scholasticorum numerum vehementer allicit, neque unquam permittent studiosi se ad carcerem civitatis duci; id enim insignis est infamiae apud studiosos, sicut et a lictoribus civitatis attingi. Neque ea in re, ulla est cum ordinario magistratu difficultas, qui optime haec et novit et patitur et defendit; alias enim violator privilegiorum universitatum et studiosorum haberetur, pessimeque audiret. Est igitur in separato aliquo academici aedificii loco carcer pro studiosis, in quem coniici moderata paena est. In eum carcerem rectoris iussu per pedellum studiosi coniiciuntur; nec ulla vi, sed sola promissione eundi ad carcerem rectori facta. Hic carcer si tollatur, vix ullus superest coercendi studiosos grandiores modus. Ut vero magistratus alius, quam academicus invocetur, id, ut supra dixi, nunquam ferent neque studiosi, neque eorum parentes. Quin vero, si nostri studiosi pugnare deprehendantur a magistratu civico, is eos non ad suum carcerem, sed ad academicum ducit, aut rectorem monet de re

<sup>74</sup> Vide *Const. P. IV c. 11 lit. B; MP I 279*.



tota, quid acciderit. Quod si rector suum carcerem non habeat, ad carcerem civicum studiosi sontes ducentur; quae res illos a nobis vehementer et alienaret et abigeret; neque facile ad nos venirent, aut qui academiam talem agnoscerent, reperirentur. Quare Constit. 4 P. c. 11 litt. B<sup>75</sup> intelligenda videtur, ubi magnus est horror et infamia carceris, et ubi magna vis adhibenda est; qualia sunt certe in Italia. Ubi vero res est lenior, ut explicatum est, opus est in academiis nostris et collegiis nostrorum convictorum carcere. Id enim est de more patriae apud omnes usitatum, parentibus consentientibus et volentibus. Quin vero nobiles adolescentes, atque etiam canonici cathedrales in eiusmodi carcerem sine ulla vi, aut nimiae asperitatis nota coniiciuntur. Quod de studiosis dicitur, idem intelligitur de famulis academiae vel collegii convictorum; qui iure et more patriae soli rectori academico et suo regenti subiecti sunt.

Quos si quis studiosus rebellis omnino esset et contumax, is per magistratum civicum, a [229r] rectore invocatum, in carcerem academicum vi trudi aut civitate pelli posset; qua ratione Constitutioni citatae satisfaceret.

VIII – Mulctarum nullus sit usus in nostris scholis<sup>76</sup>, ubi aliis rationibus scholastici satis coerceri poterunt. Quod si alicubi necessarius iudicio P. Provincialis videatur, cedant eiusmodi pecuniae in usus ipsorum scholasticorum, ut ad ligna, ad praemia, aut etiam ad eleemosynas; neque accipiantur pecuniae per manum nostrorum.

IX – Ad correctionem scholasticorum constituatur ubique, quantum fieri poterit, corrector externus iuxta Constitutiones<sup>77</sup>. Idque, an possit obtineri, tentent ubique provinciales, et rursus rem experiantur. Quod si res tentata alicubi non succederet sine magnis incommodis, modus in hoc genere consuetus in unaquoque schola servetur, quam honestissime poterit.

X – Iuramentum nullum in scholis nostris exigatur, praeter illud, quod est in professione fidei, quae editur in promotionibus. Satis autem erit a candidatis requirere aliquas promissiones, de quibus supra diximus in cap. de promotionibus ad gradus<sup>78</sup>; item etiam ab iis, qui inscribuntur, iuxta Constitut. P. 4 c. 17 § 3 litt. D<sup>79</sup>.

CAPUT SEXTUM – 1<sup>o</sup> Leges communes scholasticorum quoad mores<sup>80</sup>

Quia omnis vera sapientia a Deo procedit, prima studiosorum cura sit in conquirenda mundicie et puritate mentis.

Credant simpliciter, quicquid Sancta Mater nostra Romana Ecclesia credendum proponit; execrando et abiurando omnes sectas et errores, ab eadem Ecclesia damnatos, praesertim qui his temporibus vigent. Eaque caussa abstineant lectione librorum prohibitorum et consuetudine hominum in religione suspectorum.

Confiteantur singulis mensibus sacerdoti de peccatis, et in praecipuis anni solennitatibus sacram Eucharistiam congrua pietate suscipiant.

Sacrificium missae quotidie, et concionem diebus festis audiant, tempore et loco constitutis.

Doctrinae christianae summam omnes teneant, eiusque explicationi intersint, iussique memoriter eam reddant, praesertim inferiorum classium discipuli.

<sup>75</sup> Vide *ibidem*.

<sup>76</sup> De mulctis pecuniariis cf. MP II 81 III 143 172 IV 554-55.

<sup>77</sup> Vide *Const.* P. IV c. 16 n. 5; MP I 311 313.

<sup>78</sup> Vide cap. IV *De ritu et modo promovendi ad licentiam*; supra, p. 461.

<sup>79</sup> Vide MP I 317 319.

<sup>80</sup> Vide *Regulae iis omnibus observandae, qui Societatis nostrae scholas frequentant* (1569); MP II 230-31; et *ibid.* 224-25.

A iuramentis, iniuriis verbo vel facto inferendis, ludis prohibitis et illiberalibus, larvis, vestitu profano et sumptuoso, cibi et potus intemperantia, societate prava, libris parum honestis, ab omni demum dissolutione et turpitudinis specie vel occasione, cum domi tum alibi abstineant. [229v]

Cum pugione, gladio, vel quovis telo, nemo gymnasium ingrediatur, vel per civitatem vagetur.

Superioribus ac nominatim praefecto studiorum, suisque praeceptoribus omnes obtemperent, studiorumque ordinem ab eis praescriptum diligenter servant.

Iis in classibus et sub iis praeceptoribus sint, non quos ipsi elegerint, sed quos praefectus studiorum ipsis post examen iudicaverit.

Serio et constanter animum ad studia applicent. In audiendis et repetendis lectionibus sint assidui et in praevidendis diligentes. In repetitionibus autem si quid sit, de quo ipsi dubitent, praeceptorem interrogent.

Sciant, tam eos qui in studiis negligentes fuerint, quam qui contra bonos mores peccaverint, pro delicti ratione castigandos. Qui vero eiusmodi castigationis capaces non erunt, nec emendationis spem dederint, aliisque offendiculo esse viderentur, a scholis esse removendos.

### Leges litterariae communes

1. Praeceptorem tuum amabis et observabis ut parentem.
2. Preces Deo ad impetrandam scientiam assidue adhibebis; sed interim studiose disces, quasi ille nihil daturus sit, nisi multum laboranti.
3. Quod hodie potes addiscere, in crastinum ne distuleris.
4. Non te putabis eruditum antequam sis, neque plus quam sis.
5. Non patieris te opificum antelucana vinci industria, et illius saepe recordaberis: Aurora musis amica.
6. Diem in certas horas distribues, ut quid quoque tempore tibi faciendum sit, definitum habeas.
7. Quos libros ab Ecclesia catholica interdici, aut a magistro improbari intellexeris, eos cavebis legere.
8. Nihil praetiosius tempore; proinde curabis, ne qua pars illius sine fructu tibi effluat.
9. Studiis longioribus et difficilioribus honestam recreationem interpones.
10. A mensa ad libros mox redire periculosum est valetudini. Itaque, minimum semihoram aut ambulatiunculae, aut musicae, aut iucundis colloquiis aut moderato lusui tribues.
11. A studio in multam noctem abstinebis; diligenti namque dies sufficit.
12. Non solo corpore, verum animo quoque praesens eris in gymnasio, in eoque modesto assidens id tantum ages, cuius caussa venire consuevisti, reliquas cogitationes et motiones turbidas valere iubebis.
13. Non venies in ludum serius, ne tanquam servus in pistrinum extrudi videare, sed ante tempus, si fieri potest, ut te ad audiendum pares, et tuus inde proficiendi amor colligatur.
14. Ascultationem quotidianam magistri docentis privato studio antepones, atque idcirco nisi coactus, nec semel a schola abesse voles. [230r]
15. Dormire in gymnasio, confabulari, nugari, contendere, doctorem obturbare germano discipulo indignissima sunt.

16. Nisi cum liber inspiciendus aut scribendum est, aures atque oculos, et maxime animum in magistrum defiges.

17. Non modo attendes doctore quam diligentissime, verum etiam candidissime accipies, quae ab ipso dicuntur, nec aliter interpretaberis, quam ille voluerit.

18. Ut nemini caena, sic neque tibi longior lectio videatur, multoque malis doctrina mentem, quam epulis ventrem explere.

19. Dabis operam, ut verbis ac sermone tum praeceptorem tum auctores optimos, qui tibi explicantur, effingas.

20. Neque cum iis, qui latine loqui norunt, aliter quam latine loqueris.

21. A schola digressus, non statim omnem curam rerum auditarum abiicies, sed aliquid temporis in iis facile, vel cum alio repetendis mox consumes.

22. Quae retinere memoria non potes, cum audis, chartis manda; quae autem commode annotare non potuisti, domum mox ut veneris, adscribito.

23. Si quid non satis intellexeris, aut si qua de re dubitas, magistrum interroga.

24. Domesticum studium auditiones scholasticas adiuvet; ante omnia tamen leges et releges, quae exposita fuerint.

25. Non iis solum laboribus, quos magister praescripserit, te exercebis; sed tute tibi alios legendi, scribendi, ediscendi (ex magistri tamen sententia) iniunges. [232r]

### Appendix ad totum librum

*De institutione magistrorum* – Rationis studiorum duae sunt partes, una docendi, altera discendi; illa ad praeceptores, haec ad discipulos pertinet, atque a priore ita dependet, ut necesse sit tam discipulum aut bene aut male suo fungi munere, quam magister recte aut secus suo perfunctus fuerit. Cera fitoris manum sequitur. Si imperite ficta est, non illa, sed tu in vicio poneris. Quae cum ita sint, magnum nobis operae pretium futurum videtur, ut in regulis, quae mittentur, plena et perfecta nobis doctoris informatio proponatur. Revera enim beatus et felix gymnasiolorum nostrorum status inde aptus est, si professores suum munus probe intelligant et rite exequantur. Quocirca praeter ea, quae in hoc libro sparsim de officio praeceptorum dicuntur, visum est etiam haec capita adiungere, et in ea sententias aliquas seu materiam aliquam ex nonnullis de ratione studiorum doctissimum virorum libris colligere, ut occasionem daremus iis, qui provinciarum censuras censebunt, et scholasticas institutiones conficient, ex his paucis plura cogitandi, et in praeceptorum regulas conferendi.

*De cognoscendis ingeniis* – Non potest mederi membris corporis, qui ea non cognoscit; non agrum colere, quem non noverit; nec ingenia puerilia recte informare, qui ea non prius exploraverit; quae, quo praestant rebus corporeis, hoc magis danda opera, ne cum re tempus sine fructu perdatur. Laudatur Alabadensis Apollonius<sup>81</sup>, I<sup>o</sup> de Orat., qui non patiebatur eos, quos iudicabat non posse oratores fieri, operam apud se perdere, sed dimittebat, et ad quamcunque artem putabat idoneos, ad eam impellere et hortari solebat. Nos quidem, et dum recipimus pueros, non valde in coniecturis de ipsorum ingeniis et indole occupati sumus, et receptos quotquot voluerint annos in nostris scholis frustra, immo etiam cum detrimento parentum non mediocri scamna conterere sinimus. Lege Quintiliani<sup>82</sup> cap. 3 libri 1, qua ratione puerorum ingenia dinoscantur, et quomodo tractanda sint.

<sup>81</sup> De Apollonio Alabadensi cf. PERIN, *Onomasticon* I 145.

<sup>82</sup> De Quintiliano cf. supra, adn. 25; et MP I-V passim.

*De discipulis pro ingenio, captu et natura tractandis* – «Sunt quidam, nisi institeris, remissi; quidam imperia indignantur, quosdam continet metus» etc. Quintilianus<sup>83</sup>. Quomodo equi cursores meliores censentur, qui dato signo protinus exsiliunt, nec calcarium stimulos, aut flagellorum plagas morati subsistunt, sic adolescentes, qui constitutis horis ad solita studia alacres sine monitore redeunt.

Imbecillibus ingeniis obsequendum, ita, ut tantum in id, quo vocat natura, ducantur. Sic enim, quod solum possunt, melius efficient.

Ne tentes, quod effici non potest, hoc enim dementiae tribuitur; nec ab eo, quod quis optime facit, eum transferas; quod malignitati assignatur. Adhibe autem fraena cui opus fraenis, et calcaria, cui calcaribus, ut Isocrates<sup>84</sup> in Ephoro et Theopompo fecit.

Ubi singulorum ingenia exploraveris, acutiores ab obtusioribus secerne, et pares cum paribus iunge; illos lauda, hos hortare, sic illi gaudebunt extolli pro meritis, et hi ad aemulationem accenduntur. Qui nullis signis ad litteras idonei deprehenduntur, nullis hortationibus, precibus, promissis excitari possunt, hebetissimi, absurdi, furiosi, stulti, impostores, magistrorum contemptores, reddantur parentibus aut maecena-[232v]tibus, sive amicis.

Ad intellectum audientium te accommoda, ut qui parvulos manu ducunt, ipsi gressum suum illorum gressibus attemperant, et vascula angusti oris ne obruas humoris copia, sed instilla paulatim, ut Quintilianus iubet<sup>85</sup>.

Male quidam, ante grammaticam graecam aut latinam vix perceptam, adolescentes disciplina iuris civilis et dialecticis instituunt, et cum alphabeto propemodum Hesiodum et Homerum tradunt. Considera potius, quid discipulum audire et discere opus sit, quam quo pacto tu magnus magister haberi possis.

*De discipulis diligendis* – Cum cognoveris ingenium discipuli, paternum in ipsum affectum sume; et cogita, imitanda tibi hac in re quoque sanctorum exempla. In primis Pauli, cuius sunt illae voces: «Facti sumus parvuli in medio vestri, tanquam si nutrix foveat filios suos<sup>86</sup>; tum SS. Ambrosii et Basilii, quorum ille in Officiis, iste in concione ad adolescentes, non secus erga suos discipulos et auditores se affectum ait, quam si eos genuisset. Similia de se fatetur Chrysostomus. Nam qui docet, quem non amat, vel cui ipse odio est, bis stulte facit: ipse inanem laborem capessit, et auditori nihil affert praeter molestiam. Amor utrinque enim necessarius.

*De praeparatione ad docendum* – Quicumque aut imparatus, aut male paratus venit ad docendum, hunc necesse est, etiamsi doctus sit, male docere. Cunctatibus identidem et haerebit tum in verbis tum in rebus, perperam quaedam et false explicabit, aut imperfecte et non satis dilucide explicabit, non erit tam alacer et securus, in suspicionem veniet, aut ignaviae, aut superbiae, aut temeritatis. Deficietur saepe materia, et longitudinem horarum accusabit. Cavendum igitur primo, ne praeceptores alienis a suo munere occupationibus nimium graventur; alioquin fieri non poterit, ut non saepe male parati ad lectionem veniant; secundo, ne ipsimet aliis se, quam eorum professio postulet, negociis occupent, ne, quod saepe fit, alii cursus repetant, alii mathematicis incumbant, alii ingentia orationum et carminum volumina sibi describant, alii pingant aut sculpant aliquid; atque in universum professorum inferiorum scholarum quicquid legendi, quomodocunque oculi consumendi licentia (quam non raro cernimus) cohibenda; cuius rei tam in praeceptorum ipsorum, quam superiorum regulis mentionem fieri expediret.

<sup>83</sup> *Institutiones oratoriae* I cap. 3.

<sup>84</sup> De Isocrate, rhetore graeco, v. MP I-IV 100 adn. 29 et passim.

<sup>85</sup> *Institut. orat.* I cap. 2.

<sup>86</sup> I Thess. 2 7.

*De ratione explicationis* – Cum tempus est docendi, neminem exspectes; fiet enim hoc ipso tardiores, et incommodabis praesentibus. Contra, si non exspectes, maturius venient ad audiendum.

Lectio verborum auctoris sit virilis, et cum suavitate quadam gravis, non similis carmini, cum prosa, nec prosae, cum carmen.

Probant eruditi consilium Iustiniani<sup>87</sup> ex Institutionibus, idque in tota ratione docendi servandum statuunt: Ita disciplinas commodissime posse tradi, inquit, si primo levi ac simplici via, post deinde diligentissima atque exactissima interpretatione singula tradantur. Alioqui si statim ab initio rudem adhuc et infirmum animum studiosi, multitudine ac varietate rerum oneraverimus, duorum alterum: aut desertorem studiorum efficiemus, aut magno labore eius, saepe etiam cum diffidentia (quae plerumque iuvenes avertit), serius ad id perducemus, ad quod, leviori via ductus, sine magno labore, et sine ulla diffidentia, maturius perducere potuisset. [233r]

Ostende diligenter oeconomiam, decorum rerum et personarum copiam, brevitatem etc.

Historia seu fabella si inciderit, non eam ab ovo ordieris, sed quantum auditoribus ad praesentis loci intelligentiam sufficere iudicaveris; si prius illam audierint, paucis tantum admonebis. Quae enim non suo loco et tempore dicuntur, praeterquam quod insuavia ingrataque sunt, iactantiae suspicionem habent.

Sint apta omnia, et suo quaeque loco accommodata, neque in unum locum comportes omnia, neque ostendas simul quicquid usquam legeris et videris.

Ne longis lectionibus eneces auditores, et dissipata constringe, confusa distingue etc. Interdum licet amaena diverticula ad taedium levandum quaerere ex historia, aut fabella aliqua.

Dictionaria historica et poetica saepe consulenda.

Si quid obscurum nimis et difficile, ut pleraque sunt in poetis, sibyllinis foliis similia, quae ne ipsi quidem, qui scripsere, satis forte intellexerunt, non insistemus, sed monebimus, locum esse obscurum, vel nullius frugis. Nam hoc vitium summopere vitandum est (ut docet Cicero), ne nimis magnum studium multamque operam conferamus in res obscuras atque difficiles, easdemque non necessarias.

Pro instituta brevitate satis multa, et in paradigmatis<sup>88</sup> etiam nonnulla diximus, quae huc pertinent.

*De actione magistri in schola* – Venustos corporis motus inter docendum tantum valere ait Fabius, ut frequenter famam eruditionis et ingenii concilient. Et actio bona altius res ipsas in animos auditorum imprimit. Ea est in gestu, voce et vultu, de quibus videnda rhetorum praecepta. Ducenda etiam in hoc discipulorum ratio, qui quod assidue aut rectum aut pravum viderint, facile imitabuntur. Non est hic locus contemnendus; nam praeter utilitatem, magnam quoque dignitatem habet.

*De ordine, perspicuitate, brevitate* – In methodo et ordine veteres philosophi maximam institutionis et doctrinae partem versari arbitrantur. Siquidem et ad percipiendum, quae proponuntur, et ad memoriae retinendum, et ad eadem repetenda valet plurimum. Ordine carens oratio tumultuetur necesse est, ac velut sine rectore fluat, et nec cohaereat sibi; multa iam satis dicta repetat, transeat necessario explicanda, et tanquam nocte in locis ignotis errans, nec initio nec fine proposito, casum verius quam consilium sequatur; ac, qui praecipuus eius finis esse debebat, non doceat auditorem, sed perturbet, et tam ingenia hominum, quam res ipsas confundat. Nemo bonum pictorem dixerit, qui omnia quidem seorsim

<sup>87</sup> F. A. I. Iustinianus, imperator (527-565).

<sup>88</sup> Paradigmata vide supra, cap. I p. 455.

membra utcunque exprimere norit, iungere autem ea recteque disponere, ut certam aliquis rei imaginem referant, ignoret. Sic nec is statim bonus magister erit, qui multarum rerum scientia praeditus, ea quae recte invenerit, quaeque ab aliis tradita acceperit, certo quodam ordine collocare, ut auditores percipiant, non didicit. Nec rebus tantum percipiendis plurimum affert adiumenti ordo, sed nonnunquam fides earum hinc pendet. Vera enim, turbato ordine, incredibilia aliquando, et falsa, congruentur disposita, vera videntur.

Perspicuitas autem prima et maxima virtus oratoris est, et satius est mutum esse, inquit Cicero, quam loqui quod nemo intelligat; nec debet lumen aliunde illatum requirere, quae caeteris rebus illustrandis adhibetur. Constat autem rebus et verbis. Rerum perspicuitas ordine potissimum efficietur. Verbis perspicuus erit magister, [233v] si non impropriis, obsoletis, antiquis, sed propriis, usitatis, in medio positis utatur. Sed de his legendi rhetores et magistri linguae latinae.

De brevitate tenendum est praeceptum Horatii. «Quicquid praecipies, esto brevis, ut cito dicta percipiant animi dociles, teneantque fideles. Omne supervacuum pleno de pectore manat» [Ars Poetica 335-7]. Hanc assequemur, si non res singulas a primis initiis, sed quatenus instituto sufficit, ordiamur, si nihil extra rem dicamus, nec nimis multa complectamur, nec ingenii ostentandi causa aliena afferamus etc. Cavendum tamen diligenter, ne minus dicatur, quam vel rerum ipsarum amplitudo et difficultas, vel auditorum ruditas requirit. Monet enim idem Horatius, contingere interdum, ut dum nimis breves conamur esse, obscuri fiamus [Ars Poetica 25-6].

*De examinandi ratione* – Idem fere modus erit interrogandi, qui fuit docendi et interpretandi, sive de praeceptis grammaticae, sive de dictatis, sive de auctoribus, qui praeleguntur, percunctari placet. Principio ex ordine, quo traduntur, praecepta interrogabis; deinde paulatim permiscebis; postmodum, ut idipsum quispiam sequentium et inferiorum noverit, hic in illius, ille in huius locum transire debet. Hoc genus exercitationis saepe iterandum est; nam quo frequentius percunctatus eris discentes, eo maturius pervenient ad frugem.

*De diversitate thematicum in utraque oratione, soluta et ligata, et unde petenda sint* – Capite quinto huius libri agebatur de thematis<sup>89</sup>, neque tamen aliud praecipiebatur, quam ut breviter et perspicua sint, cum ratio exercitationis varietatem argumentorum, varietas locos complures et tanquam fontes unde hauriantur, desideret. Iudicabamus igitur de multiplici tam ligatae quam solutae orationis exercitatione adiungi posse huic loco; ac debere etiam tale quippiam, quale nos adiungendum censuimus. Quod autem genus cuique scholae imprimis conveniat, nisi romani voluerint decernere ac distinguere, praefecti aut praeceptores constituent. Ex poetis tum heroicis, tum dramaticis, item ex historicis sacris et profanis argumenta accusationum, defensionum, suasionum, dissuasionum, exornationum, vituperationum, gratulationum, gratiarum actionum, legationum, consolationum, deplorationum sive conquestionum etc. sumi possunt ad rhetores exercendos. Iam ad nostra veniamus.

*In soluta oratione – De epistolis*: I. Contexamus epistolas frequentissime quidem praeceptis epistolarum scribeandarum accommodatas, aliquando tamen liberas omnino, cum praeceptor tribus verbis argumentum proposuerit. Proderit etiam sine ullo argumento scribere, ut videlicet haec sit epistolae sententia: non habeo quod scribam.

<sup>89</sup> Vide Rat. stud. (1586) de studiis humanitatis, cap. 5 § 4; MP V 130-31.

II. Sumemus sententiam sive argumentum, sive rem totam epistolae alicuius optimae notae auctoris, quam dictabimus discipulis. Deinde epistolas cum illa alia conferentes, docebimus eos, quid agere aut quomodo loqui debuissent; laudabimus, si quid recte extulerint, si prope accesserint, si conatum multum adhibuerint.

*De fabellis et historiis* – Nonnunquam ex Aesopo, aut ex poetis lepidam fabellam depromemus, quam eandem discipuli nunc [234r] brevissime ac simplicissime, nunc copiose, cum commendatione auctoris auctorumve cum affabulatione, cum colloquiis aliorum et nominibus interpositis tractent. Item historiolas, seu narrationes non ita longas, ex theatro vitae humanae correcto ex Valerio Maximo<sup>90</sup>, ex aliis scriptoribus quos voluerimus, novas, antiquas, falsas, commentitias (nihil enim interest) petemus, quas similiter aut paucis verbis et sine ornamentis, aut pluribus et ornatiore, affectibus quoque admistis, exponant. Utilius porro censeo, si vernacula lingua historiam ipsis semel atque iterum narremus, non autem latine dicemus.

*De apophthegmatis, sententiis, proverbii* – Non mediocrem praeterea copiam ad exercitationem scribendi suppediunt apophthegmata, quae argumentis excogitatis, ubi breviter comprehensa fuerint, aut confirmari aut refutari poterunt. Laudari item aut vituperari auctores eorundem, similia aut dissimilia adduci. De sententiis et proverbii (sive sententia sacra sive profana fuerit) idem statuendum. Possumus vero sententiam a Stobaeo, Cicerone, Platone, aut aliunde etiam παραφραστικῶς dilatare, et tanquam locum communem tractare.

*De dialogis* – Non ad stylum modo exercendum, verum etiam ad inventionem iudiciumque, ad decori quoque discendam rationem (quanquam id est iudicii) vehementer proderit, dialogos breves et varios scriptitare, materia et occasione sumpta ex poetis, historicis, oratoribus, quos vel legunt, vel explicari audiunt. Inest etiam in huiusmodi exercitatione non parva delectatio, quam cum rerum tum personarum varietas offert.

*De conversionibus*: I – Proponemus argumentum vernacula lingua, quod vel ipsi fecerimus meditati, vel quod ex aliqua latina epistola converterimus. Et cum scriptiones puero- rum emendabimus, utriusque linguae idiotismos, proprietatesque et elegantias ostendemus, ut probe intelligant, quid sequi, quid vitare, quid melius facere debuerint.

II – Poterimus item carmen mediocris poetae alicuius dictare, quod ipsi ad solutam orationem transferant; qua in parte monendi sunt, ut diligentem phraseos rationem ducant.

*Appendix* – Component exempla illustrium figurarum, ut distributionis, subiectionis, frequentationis, similitudinum, comparationum. Aliquid breviter laudent aut vituperent, eandem sententiam variatis verbis ac figuris efferant saepius, eandem graece ac latine, metro et prosa variant.

*In ligata oratione*: I – Quamvis initio duntaxat, idque semel, ex illustri poeta versus dissoluti, verborumque ordine perturbato studiosis praescribi consueverunt, quos suis numeris restituant, tamen arbitror hoc saepius, et id quidem in diversis carminum formis esse faciendum. Quoniam in ista re maxime exercetur et perspicitur iudicium, quod quisque de poeticis numeris et de concinnitate habet; cum interdum carmen, ut constet pedibus necessariis, tribus aut quatuor modis redintegrari possit, nec tamen poeta suos ibi numeros agnosceret, cum verba alio ordine collocata appareant. Eiusmodi poetam oportet esse venustum [234v] et egregium, pueris ignotum. Quo autem magister carmina magis perturba-

<sup>90</sup> De Valerio Maximo cf. MP II 534 et passim.

verit, et unius verba in alterum coniecerit (modo rem et sententiam subiectam fideliter et diligenter eos doceat), eo pluris ingenium et iudicium eius faciam, qui mihi disiunctissima coniunxerit et dissipatissima in suos unumquodque locos revocaverit.

II – Unam rem aut sententiam eodem genere carminis, bis, ter, quater diversis nimirum verbis atque locutionibus et figuris explicemus. Videas licet in appendice Virgiliana tanta varietate et tot modis auroram, quatuor anni tempora, amnem glacie concretum et alia nonnulla descripta elegiacis, ut nihil possit esse iucundius.

III – Quid si etiam eandem rem tribus aut quatuor carminum generibus mandemus? ut hexametro, elegiaco, iambico. Virgil. in 8. Aeneid., Ovid. in 9 Metam., Ausonius labores Herculis hexametro, Ovid. rursum in epistola Deiarinae elegiaco, Seneca in Hercule furente iambico inclusit.

IV – Solutam orationem, sive dictum elegans et grave, sive historiam, sive fabulam in carmen convertemus et poetica libertate usi, flores et fucos, et luxuriam quandam verborum atque rerum non omittamus.

V – Unum genus carminis apud auctorem aliquem inventum, ipsis numeris mutatis, ad aliud redigamus, hexametrum ad elegiacum, et hoc ad phaleucium, et istud ad sapphicum. Sciamus tamen uniuscuiusque generis suam ac propriam ideam esse.

VI – Dictabit aliquando praeceptor versus alienos, quibuscum nos certemus. Aut sententiam alicuius poematis nobis proponet, ac postea labores nostros cum illo comparabit, sicut supra in epistolis faciendum dicebamus.

VII – Centonum, parodiarum scriptio in primis iucunda et frugifera est, et adolescentes apum exemplum imitari cogit, quae ex diversis flosculis succos ad mel gignendum colligunt. Quomodo fiant centones et parodiae, cum multis exemplis optime docebit Henricus Stephanus<sup>91</sup>, libello super hoc argumento iampridem publicato.

VIII – Satis autem erit sex, septem, octo communiora seu usitatiora carminum genera pueros usurpare; illa alia vel omnino relinquunt, vel ubi multum scribendo profecerunt, assumant.

Scriptio ipsi inter se aliquando emendent vicissim, et qui aut non emendat vitium, aut male emendat, non aliter habeatur, quam qui peccavit.

Maxime mihi videmur incitaturi discentes ad progressus, si exemplo huiusmodi exercitationum ipsis praeiverimus, ut nos revera doctos esse credant, et non praecipere et exigere ab ipsis ea, quae ipsimet praestare non possimus.

*De emendatione scriptorum* – Quia operae pretium videtur, magistros in emendatione ita versari, ut documenta dent eruditionis alicuius et iudicii, praeter ea, quae cap. 5 n. 4<sup>92</sup> iam dicta sunt, quam brevissime etiam haec subiiciemus, quae ex doctissimorum virorum praeceptis de ratione docendi collegimus.

1 – In emendando ne sit acerbus, neve contumeliosus magister.

2 – Si quis irascatur emendatus, nihilominus emendet; habenda est enim caeterorum quoque ratio, qui recta censebunt, quae magister inemendata reliquerit.

3 – Ad quaedam vitia propter aetatem connivendum, dum ingenium et iudicium confirmantur, ne ob severitatem emendationis deficiant, desperent, doleant, oderint, et dum omnia timent, nihil conentur. Teneris frondibus non adhibent falcem rustici. [235r]

4 – Sit hilaris et iucundus in emendando, ut remedia alioqui aspera leniantur, laudet aliqua, ferat quaedam, mutet nonnulla, rationem reddat, alia illuminet, sua interponat.

<sup>91</sup> H. ESTIEN (Stephanus – 1528-1598), gallus, *Parodiae morales in poetarum veterum sententias celebriores* . . . (Parisiis 1575); *Ouvr. pédag.* . . . 270.

<sup>92</sup> Vide mon. 23 (Prov. Germ. Sup. – n. 4); supra, p. 342-43.



5 – Quae recte dicta, aliquando coram omnibus laudet; ut et ipsi gloriola ista deliniti pergant alacrius et alii exemplo et spe honoris incitentur.

6 – Etiam tardiores emendationibus hyperbolicis interdum excitet, ut medici quaedam in aegrotis commendant, non quia talia sunt, sed quo facilius talia fiant.

7 – Dum emendat, nonnunquam alios ex improvise de scriptione, quam habet sub manu, interroget, ut et iudicium ipsorum experiatur et attentos reddat; eademque opera consequatur, ut interim ipsi in suis scriptionibus aliquid emendent.

8 – Nihil afferat in emendatione, in quo possit erroris convinci a discipulis; nam et alii idipsum usurpabunt, et eius auctoritas minuetur.

9 – Si quis tam negligenter et male scripserit, ut emendari non possit, iubeat eadem de re denuo scribere, cum significatione spei, illum posse melius, si diligentiam adhibeat.

10 – Quaedam vitia in adolescentulis non debent displicere magistris, ut sublimior spiritus, verborum luxuries, nimis exquisitae voculae, versiculi, aut hemistichia sublecta, apertior imitatio, parva quaedam furta, compositio curiose numerosa etc. Dicendum, laudare nos ita adhuc, venturum tempus, quo eadem non permitteremus. Ita ingenio gaudebunt et iudicio non fallentur.

11 – Seu quid laudes, seu reprehendas, utrumque et cum modo et varie facito. In hoc sermonis puritas, in illo perspicuitas, in isto lepos, in alio inventionis acumen, in quibusdam argumenti subtilitas, in nonnullis gravitas, in quibusdam dispositio vel extollenda vel depri-menda. Ita non desperabit de se quisquam, nec alium despiciet.

12 – Quorundam putidis ingeniis et rustico pudori privatis et blandis admonitionibus succurrendum.

13 – Ne celeritas in compositione exigatur, constituendum est primum, ut quam optime scribamus, celeritatem dabit consuetudo. Et cito scribendo non fit ut bene, bene scribendo fit ut cito.

*De discipulis puniendis* – Si pueros desides, petulantes et immorigeros, postquam verbis nihil effecerimus, virgis percusserimus, non moriuntur. Sic tamen id agendum, ne hoc facere videamur irati, sed ut ad secandum et urendum, sic et ad hoc genus castigandi raro invitique veniemus; si videlicet alia nulla medicina reperietur. Adhibenda item moderatio in verberibus, ne nimis severitate offensi, prius incipiant odisse litteras quam discere. Si quis magister ex verberatione voluptatem capit, is a schola amovendus est.

*De concordia et consensione praeceptorum* – Bonarum artium et virtutum, quae in scholis iuventuti proponuntur, mirabilis consensio est atque concordia; sic necessitudine quadam coniungi earum professores oportet, ut communicatis consiliis, eadem studia sint, eadem voluntates. Ne sint opiniones contrariae de ratione proficiendi, ne studeat alius convellere et refutare, quod alius docuit, alter alteri, ut in republica inferiores magistratus, subserviat in suo munere superiori, ad unum eundemque finem. Quod nescis, ab alio te doctiore discas [235v] interrogando. Unusquisque alterius auctoritatem tueatur etc.

Ad hoc valde conducet, si praeceptores cum praefecto aliquoties in anno, ut praeci-piunt magistri rerum istarum, ad consultandum in locum certum conveniant. Consultant autem de disciplina servanda et corrigenda, de ingeniis et progressu puerorum, et similibus, quae ad bonum totius scholae pertinent et sunt magni momenti. Non autem afferantur nugae, de quibus quilibet separatim agere cum praefecto debet; v.g. si quid in sua schola fractum sit, ut reficiatur; si iste vel ille saepius abest etc.

*De libris quos legant professores* – Utilissimum foret, si tum generatim studiosis humanitatis bonorum auctorum catalogus praescriberetur, tum particulatim grammaticae, humanitatis, rhetoricae magistris. Nesciunt plerique quid legant, et tempus misere in quibus-

dam ineptis libris consumunt, unde nihilo fere doctiores evadunt; neque possunt aliis dare de bonis libris emendis legendisque consilium, cum ipsi eos haud noverint. Quod ad explanationem attinet, ibi quoque laborant, et facilius arripiunt deteriores, quam meliores interpretes. Res postulat delectum cum iudicio. Nobis generales indices videntur Romae posse conscribi, quibus addi poterunt libri in Hispania hispanis, in Italia italīs, in Germania germanis noti, ad iudicium tamen professorum illius provinciae praecipuorum. Et haec hactenus. Breviores fuimus, quod ista non docendi, sed admonendi tantum gratia diximus. Et occasionem similia cogitandi praebuimus eruditīs patribus, quorum sententiae omnes omnium censurae et animadversiones subiiciuntur. . . [238r]

### Oeconomia dialogicae scriptionis<sup>93</sup>

De necessitate utilitateque dialogorum dictum est, opinor, satis in cap. 8 cum de libellis quibusdam edendis ageremus<sup>94</sup>. Quoniam vero RR.PP. Provinciales voluerunt me ad dialogos componendos incumbere, et ego iam aliquam huius, quantumvis laboriosi muneris partem absolvi, ut plane cognoscatur, quid propositum habeam, et quae sint cogitationes atque conatus mei, seu potius, quid alium quempiam ingenio, doctrina, iudicio excellentem, cuius robustioribus humeris istius oneris magnitudo imponenda esset, sibi proponere haud immerito posse existimem, explicabo meam omnem de scribendis dialogis sententiam.

I – Dialogorum istorum scopus ac finis praecipuus hic mihi videtur constituendus, ut per eos quasi quaedam sementis fiat latini sermonis, et via adolescentibus muniatur ad intelligentiam et usum bonae latinitatis. Iam, cum sermo latissime vegetetur, non recte faciunt dialogographi, qui unum genus rerum, aut solum, aut maxime pertractant; exempli gratia, rem litterariam, sive scholasticam; quam videas ferme huiusmodi libellorum materiam; nec eam aliquando graviolem, et eruditione aetatibus accommodata hinc inde conditam, sed puerilem semper; ut quamvis bene loqui discant, tamen eadem opera (quod possent) eruditiores non evadant. Quid si loquendum aut scribendum fuerit de bonis et malis rebus, de his quae accidunt quotidie? Ad Ciceronem scilicet ire iubebimus, et in eo quaerere parvulos, quod grandes natu non sine labore inveniunt.

II – Afferunt auctores dialogorum, de quibus caeperamus dicere, etiam de moribus, sed neque adeo multa, neque distincta uti oportebat. Ut taceam, immisceri ab ipsis quosdam dialogos, qui melius omitterentur, etiamsi nullam impietatem doceant. De plurimis rebus aliis, quae in sensus incurrunt assiduo, praesertimque de opificiis tam variis nihil habent. Si igitur sermocinandum de illis, undenam verba et phrasim petent? Cicero caret plurimis, atque ut non careret, praebet ille magis solidum cibum quam lac; nec ex locutionibus, quas dictabunt praeceptores, etiamsi grande volumen impleverint, necessariam hisce sermonibus suppellectilem comparare poterunt.

III – Ego igitur immensam prope rerum multitudinem ac diversitatem in tres libros includi posse arbitror. In primo agatur de litterariis atque scholasticis, de quibus frequens est studiosis oratio. Sint dialogi 50 aut 60. In secundo de moribus civilibus et christianis atque catholicis, de virtutibus et vitiis. Quam ingens hic campus aperitur! Sint dialogi 60 aut 70. Tertius complectatur argumenta praecedentium dissimilia; imprimis autem opificia, et sit

<sup>93</sup> De historia huius *Oeconomiae dialogicae scriptionis* et de Patre Pontano, eius auctore, vide *Introd. gen.*

<sup>94</sup> Vide mon. 26 (Prov. Germ. Sup.: *De dialogis*); supra, p. 368-69.

miscellaneus. Dialogi autem quot in secundo vel plures etiam. Denique 200 dialogis non pauca explicabuntur. Ex his alii sint breviores, alii longiores, alii faciliores ac simpliciores, alii graviore et doctiores, qui in syntaxi praelegantur. Quanquam eiusmodi librum privatim legere ad doctrinam et latinitatem fortasse prodesset ipsis quoque humanistis et rhetoribus. Haerent enim saepius, unde per dialogos expedirentur.

IV – Et quia summam varietatem apparet fore, et id necessarium est, sequitur ut etiam multi ac variarum rerum scriptores sedulo volutandi sint, e quibus et res et verba suppetent. De re rustica cum agetur, Varro, Columella; de militari Vegetius; de metallica, venatoria, equestri, nummaria, medica etc. qui de iis scrip-[238v]serunt<sup>95</sup>. Nec volo plus decerpi ex hisce auctoribus, quam quod ad colloquium familiare sufficit. Diligenter item pervolutandi erunt oratores, historici, poetae, ac magistri latinae linguae tum veteres, tum novi, et inde opes ad usum nostrum congerendae. In quo tam negligentes fuisse mihi videntur, qui hactenus ediderunt dialogos, ut Ciceronem, Plautum, Terentium, Sallustium et alios vix credam aliquando ipsos legisse; et tamen decebat scatere omnia horum verbis, loquendi formulis, sentiis, leporibus etc. Apparet ex his, rem laboriosam fore, sed hic labor non mediocrem fructum pollicetur.

V – De quibusdam thematis, quo plus verborum ac locutionum in eo genere suppetat, duo aut tres dialogi scribantur.

VI – De re culinaria coci, de piscatoris piscatores, de nautica nautae, de fabrilibus fabri loquentur. In secundo quoque libro, qui erit de moribus, praeter pueros, loquentes inducantur alii quoque, ut res postulabit. Subiiciam hoc loco catalogum thematum primi libri; duorum praeterea sequentium; verum non ita digestos, et in tantum numerum diductos, quantum supra posui, cum dixi, et secundo posse dari ad 70, et tertio non multo pauciores. Cum enim ad hosce libros faciendos nondum accesserim, et in progressu scriptionis magis occurrat, quid et de quo dicendum sit, non potui tam longos catalogos texere. Tamen perspiciet prudens aestimator id quod volo, etiam ex his paucis.

*Index progymnasmatum latinitatis seu dialogorum libri primi:* Deductio pueri ad magistrum et primum examen – Euntes in ludum – Tarde ludum petentes – Redeuntes a ludo – Excusatio absentiae – Elementorum conformatio – Dimissio improvisa – Serus in ludum adventus – Silentium et attentio – Suggestio – Cantus musicus – Graecae literae – Auditio – Industria discendi – Pensum diurnum – Observator – Formulae petendarum facultatum – Bibliotheca – Certamen copiae – Descriptio gymnasii – Absentes – Accusationes – Petitio lusus – Nox transacta – Virgae – Confabulatio in schola – Emendatio scriptionis – Arma scholastica – Invitatio magistri – Ludimagister defensio – Dies remissionis – Ascensus – Praemia – Repulsam passi – Variationes – Paedagogi – Praeceptores – Ductores scholastici – Concertatio scriptionis – Exercitationes – Formulae salutandi et valedicendi in congressibus atque literis – Recitatio – Repetitio – Disputatio – Examen – Cupiditas proficiendi – Mundities librorum – Academiae – Honores academici – Depositio. [239r]

*Index libri secundi:* *Cubiculum* – Aliquot dialogis docebuntur pueri, quid faciant euntes cubitum, quid rursum, cum mane surgunt, quo pacto videlicet se civiliter et pie gerant.

*Moderatio corporis* – Hoc caput valde multos dialogos complectetur; docendum quippe erit, quomodo honestatem et elegantiam secundum omnes partes corporis et in tota actione consequent.

*Vestitus* – Etiam hic non pauca sunt, quae ad bonos ac probatos mores pertinent et quae laudanda ac vituperanda sint.

<sup>95</sup> De M. T. Varrone, L. I. M. Columella et F. Vegetio vide MP II 641.

*Templum* – Facilis est coniectura, quinam futuri sint in hoc capite dialogi, et quam sanctis de rebus.

*Triclinium* – Omnis circa mensam modestia, honestas et civilitas explicabitur, admiscebitur etiam multa rerum verborumque iucunditas.

*Congressus* – Instituetur adolescentia, quid agat, si quis in via occurrat, si quis alloquendus, qualis sermo adhibendus, a quali abstinendum, etc.

*Varia officia* – Sunt alia quaedam munera honestatis et morum laudandorum, quae ad superiora capita revocari non possunt, de quibus etiam docendi sunt pueri, quaeque vel senibus commendantur.

*Lusus* – Ad mores referimus lulum; de eo generatim disseretur; et speciatim quoque, nempe de pila, lucta, cursu, saltu, iactu disci, turbine, deambulatione, equitatione etc.

Denique ut planius intelligatur, quid hoc libro agendum sit, aio, eius materiam fore libellos de civilitate morum, de educandis liberis, institutiones christianas, Officia Ciceronis, scriptores rerum moralium, etc.

*Index libri tertii:* – Certum est, hoc libro res ad opificia et artes illiberales pertinentes nos imprimis persecuturos. Disputabimus de agricultura, militia, chirurgica, de fabrilibus, pastoriis, de re pictoria, sutoria, culinaria, nautica, medica, piscatoria, aucupatoria, de sexcentis aliis. De quibus apud alios magnum silentium, cum tamen miserabiliter haereatur et peccetur cum de ipsis loquendum est, ut est quam saepissime.

Nunc, quoniam id gratum futurum spero, ex dialogis a me confectis tria quatuorve subiiciam de libro primo, in quo de scholasticis et literariis rebus agendum dicebam; quibus extrema manus nondum est imposita, imponetur autem pro virili, si superioribus videbitur, qui ut alium huic labori, ut maximo ita utilissimo destinent, etiam atque etiam opto. Non enim potero effectum dare, quod animo informavi, et verbis adumbrare quoquomodo conatus sum. Cum praesertim aliis quoque assiduis nec levibus occupationibus distinear, et haec res tempus ab omni negotio vacuum desideret, ac vires plane athleticas. Interim afferro, non malum uti spero consilium, et me communis boni cupidum ostendo. [239v]

### Deductio pueri ad magistrum et primum examen

*Pater – Magister – Puer:* Pater – Salute plurima doctorem te literarum impertio. M. – Habeo gratiam vir optime. Quid est negotii, quamobrem me velis? Pa. – Si non gravis dare operam mihi, paucis exequar, qua causa ad te accesserim. M. – Adverto animum. Pa. – Ergo pro germani patris officio parvulum hunc, quem cernis, filium meum honestissimis doctrinarum studiis, et virtuti a primordio aetatis deditum esse nimis quam cupio. M. Laudo desiderium; quamprimum enim, et quam diutissime discendum puto, quod nunquam perdiscitur, et prodest in perpetuum. Praeterea, multum refert, quibus odoribus testa recens imbuatur<sup>96</sup>. Pa. Est ita, ut dicis. Hunc igitur puerum tibi in manum do, tibi committo, et tuae mando fidei. Tua institutione ac disciplina probitatem ac scientiam (quanta quidem in istam aetatis teneritudinem cadit) adipiscatur. M. Equidem haud repugnanter in album discipulorum ipsum referam, si, ut est in more positum, ingenioli eius et processus, quem in literis ante hoc tempus effecit, periculum prius fecero. Pa. Teneas licet solenne tuum, et exquiras quibuscunque tibi exquisito opus videbitur. M. Age, mi fili, ede nomen tuum. Pr. Iacobo mihi nomen est. M. Quotum agitas annum? Pr. Hic, opinor, nonus incipit. M. Ele-

<sup>96</sup> Cf. HORATIUS *Epist.* I 2 69-70.

menta conformare nostin? Pr. Maxime, etsi non admodum venuste. M. Quid? Num calles rudimenta grammaticae? Etenim in hoc meo gymnasio illa non traduntur; instructum iam ab iis venire ad me audiendum oportet. Pr. Spero didicisse me illa praecepta, quantum potuerim. M. Cuius vero grammatici erant illa tua rudimenta? Pr. Emmanuelis Alvares, lusitan<sup>97</sup>. M. Emmanuelis? Visne, explore, quam diligens fueris? Pr. Explora, si placet. M. Inflexiones nominum quot sunt? Pr. Quinque. M. Haec vox *sensus* quota declinatione comprehenditur? Pr. Quarta. M. Cedo. Quo casu effertur? Pr. Nominandi, generandi, vocandi singulari; et rursum nominandi, accusandi, vocandi multitudinis numero. M. *Bonus* cuius generis? Pr. Masculini. M. Certumne istuc tibi? Pr. Certissimum. M. Eius faemininum? Pr. Bona. M. Neutrum? Pr. Bonum. M. Da comparativum et superlativum. Pr. Melior, optimus. M. Cur non dicis, bonior, bonissimus, perinde ut doctior, doctissimus? Pr. Quia est anomalum, sive inaequale; ut illa quoque: malus, peior, pessimus; parvus, minor, minimus. M. Probe respondet puer. Iam pronominis definitionem recita. Pr. Quod loco nominis positum, certam finitamque personam adsignificat. M. An emendate sic loquemur: Salvum te advenire gaudemus? Pr. Prorsus emendate. M. Undenam hoc intelligis? Pr. Ex praeceptione quarta. M. Audiamus. Pr. Verbum personale infiniti modi postulat ante se accusandi casum. M. Pernosco et admiror sane diligentiam tuam. Eam si in posterum similiter ad discendum attuleris, promitto ac recipio huic parenti tuo, te hominem eruditum aliquando evasurum. Pa. Confidat Magister; ego item quo minus illi cessare sit integrum, curabo sedulo. Pr. Non ero ignavus. M. Macte indole, sic facies, mi Iacobe, et cras, postquam luxerit, cum libellis tuis armisque scholasticis ad sextam in ludum hunc meum itare, Divis bene iuvantibus, occipies. Tu interim filium domum reducito, eumque propter ingenii bonitatem multo commendatissimum et charissimum mihi fore, ne dubita. Pa. Liberalis ista et humanitatis plena pollicitatio, vir doctissime, omnibus necessitudinibus me tibi obstringit. Bene vale. M. Et tu. [240r]

### Euntes in ludum

*Antonius – Marcellus:* Antonius – Securusne et timore expeditus in scholam vadis, Marcelle? Marcellus. Quid tibi ista percunctatione vis? Explicandum; non enim satis assequor. An. Fabor ergo apertius. Contextuisti epistolam, quam a nobis hodie requiret praeceptor? M. Contextui et descriptam porto mecum. An. Diligentior me es. Quanquam non tam pigritia me, quam chartae penuria, qua conflictabar, remorata est, ut meam non totam descripserim; serius quippe adeptus sum papyrum. M. Quid facturus es, si poposcerit? An. Dum vestras emendat, interea, quod reliquum est, perfacile describam, hoc spero concessurum; siquidem aliis alias concessit. M. Ostende, sodes, tuam scriptionem. A. Hem. M. Quam foede pingis literas! Gallinam scripsisse arbitror. Quam item vacillant versus! A. Dummodo legi queat scriptura, parvi duco, venusta an invenusta sint elementa. Versus directos ad amussim nequeo facere, quantumvis coner. Atqui non tam valde me utraque laude superas. M. Iudicium caeci. A. Aliter doceat me praeceptor, si ipsi displiceo cum istis illepidis characteribus. M. Abhorrent istae partes ab eius munere. A. Unde discam? M. Aliquem peritum adolescentem pacta pecunia conducant parentes tui, cuius institutione erudiariis. A. Attamen doctrina quoque clari homines plerumque inscite et indecore efformant literas. M. Non idcirco sunt docti, et multi eorum decenter eas pingunt. A. Parentes mei

<sup>97</sup> Emmanuel ÁLVARES S.I., *De institutione grammatica libri tres*; cf. MP II-V 472 adn. 31 et passim.

sunt attenti et amantes pecuniae: vereor, ut illis persuadeam. M. Adhibe procuratorem magistrum, cuius unum verbum plus ad eam rem valebit, quam centum tua. A. Rogabo, ut hanc mihi opellam navet. M. Caeterum, quae heri explanata sunt in Cicerone, si forte te nominaverit, poterisne declarare? A. Nisi me ipse adiuvet, parum bene; oblitus enim sum quorundam, et quem domi interrogem, habeo, praeter parietes, neminem. M. Adiuvabit. Ego insuper, quod sine eius offensa potero, tibi opem feram. A. Mi optime Marcelle. M. Sponden' idem te mihi praestitutum auxilii, si necessitudo postulaverit? A. Spondeo firmiter.

### Petitio lusus

*Philippus – Magister – Puerorum turba:* P. Habeo in memoria, praeceptor, dixisse te aliquando nobis, necessariam esse in rebus vicissitudinem, nec durare posse, quod alterna requie careat. M. Quid tum postea? Quam ob causam tu id mihi nunc subiicis? P. Haud equidem inconsulto ac temere tuam usurpavi sententiam. M. Ergo cur usurpas, dic. P. Quoniam res quaedam est, quam me a benignitate tua impetrare volo. M. Memora. P. Si moleste non es laturus, dicam. M. Nisi tu iniustum quid a me petas, indigne non feram, quicquid petiveris. Nam ut iusta ab iniustis petere insipientia est, sic iniusta a iustis impetrari non decet. P. Pone istam suspicionem. M. Eloquere, quid est, quod obtinere gestis? P. Paulum est. M. Quid igitur est? P. Iam dies effluxere complures, ex quo libris semper affixi fuimus. M. Tralibis clavis opinor; subolet, quorsum evasurus sis. Pertexe telam, sed apte, ut ne cogam te retexere. P. Et exercitationibus auditionum, scriptionum, recitationum, concertationum paene exhausti sumus. M. Itane vero, exhausti? O me crudelem. P. Nec unquam nobis vel ad momentum respirare, viresque fessas reparare datum est. M. Ut res suas exaggerat! Quodque proverbio iactatur, ex musca elephantum. P. Quare vehementer etiam atque etiam te rogamus, praeceptor noster, pomeridianis horis ad ludum remissionemque animi descendere tuo concessu licitum sit. M. Aequisimum postulas. Verum ego his conditionibus hanc potestatem indulerim, ut absque tumultu et rixa ludatis; ut ante quintam ad libellos redeatis; ut deinceps manibus pedibusque cum hasta, cum scuto, quod aiunt, ad vestra studia incumbatis. P. Iustae conditiones; accipimus, ut pro tota schola respondeam. M. Vade curriculo, et condiscipulos [240v] affice tam bono nuntio. P. Gratias magnas, ingentes tibi agimus, humanissime atque optime praeceptor. Heus, heus pueri. PU. Numquidnam apportas novi? Non frustra frontem exporrexisti. P. Ego vester hodie orator et exorator fui apud magistrum. PU. In quo? Ph. In ludendi venia. PU. O factum bene. Deus te bene amet. Ludemus igitur. Ph. Nisi mavultis inhaerere libris. PU. Valeant libri, ludamus socii, euge, ludamus. Ph. Silete, non permisit gratis ludere. PU. Qua mercede? Ph. Ut absque inconditis clamoribus, absque strepitu, crepitu, fremitu; sic enim interpretor, quod dicebat de tumultu et rixa vitandis. PU. Fiet. P. Ut ante quintam ad libros nos recipiamus. PU. Fiet. P. Ut deinceps omnibus nervis discamus. PU. Hic melius est respondere, fiat, quam fiet, optare quam promittere.

### Graecae litterae

*Dorotheus – Matthias:* D. Quid libri manu geris? M. Nicolai Clenardi *Institutiones linguae graecae*<sup>98</sup>, quas nunquam intueor, quin propemodum illachrymer, certe quidem

<sup>98</sup> De Clenardi grammatica graeca vide mon. 22 adn. 7 et passim.

suspiro. D. Hui egregium virum et immortalī virtute praeditum! Num spicula vibrant, quibus te convulnerent? Num lapides contorquent in faciem? M. Telis non aspectabilibus sauciant pectus meum. D. Quī istuc fieri potest? M. Fieri sentio et excrucior. D. Abhorres maiorem in modum a lingua graeca; hoc illud est, haec illa sunt suspiria. M. Non Pythium magis verum est reponsum, quam quod dixisti; etiam abhorreo. D. Et quibus tandem compulsus rationibus? Ne cela. M. Ob inexplicabiles summasque difficultates, quae me potissimum impediunt et deterrent ab hoc studio; myriades contractionum in nominibus et verbis in totidem partes distrahunt animum meum. Tot sunt declinationes, tot coniugationes, tot anomala, quot Athenis noctuae. Quis vel abundantissimus otio ista penitus memoriae commendaverit? D. Praeclare Terentius, opinor: Nulla est tam facilis res, quin difficilis fiet, quam invitus facias. Contra, Mantuanus Homerus: Labor improbus omnia vincit<sup>99</sup>. Et alius: Amanti nihil difficile. Tuum ingenium, quod suspicor, non capitur, non oblectatur hac principe et regina linguarum. Hinc invitus, hinc, quod proximum est, minore cum diligentia, nulla cum navitate ad hasce praeceptiones discendas incumbis. Haec una res difficultatem exaggerat, ubi est aliqua difficultas; ubi autem nulla est, ibi eam progignit. Sicuti ex altera parte, amor et desiderium rei alicuius adipiscendae efficiunt, ut quamvis onerosus magnusque labor, aut parum aut minime sentiatur. M. Omnes facile cum valemus, recta consilia aegrotis damus. Tu si hic sis, aliter sentias. Scienti ac perito non videtur laboriosa scientia. Iam tu haec abligurivisti et concoxisti, in quibus ego tam sudo, quam si molares efoderem. D. Fatebor, per somnum et iocum haec disci non posse; veruntamen minui, vel potius minus sentiri aio laborem, si generosa cupiditas discendi affuerit, quae frigidam suffundat. M. Tam stolidum et insanum non invenies, qui nolit graece nosse. D. Cum de voluntate loquor, non illam plane desidem et nihil agentem intelligo, qua cupiunt quidam ditescere, cum soluti negotiis domi sedeant; qua honoribus augeri, cum honore dignum nihil moliantur; qua eruditione praestare, cum se docendos nulli magistro tradant. Nimum insipienter vult, qui ita vult. Atque ut hoc tibi largiar, magnam inesse in his praeceptionibus difficultatem, tamen istuc ipsum cum multis praecellentibus rebus iis commune est, de quibus usurpare illa solemus: difficilia, quae pulchra. M. Enimvero labore ac studio me tantum non eneco, nec tamen inhaerescunt in mente mea illi canones. D. Non pauci affirmant se hoc facere, nec faciunt. M. Quomodo? D. Quia cum a M. Tullio studium definiatur his verbis: «Est vehemens et assidua ad [241r] aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio»; ipsi aut non vehementer, aut non assidue, aut si utrumque, non adeo cum magna voluntate occupationem ad graecas literas applicant. Tu tacitus temet interroga, ecquid ita te geras. Si geris, nisi bardus aut truncus sis, praeterque figuram hominis nihil habeas, utique discas graecam grammaticam. M. A tempore subsecare nihil possum, quod dem graecis quotidie. D. An tu non potes minimum semihoram tribuere? M. Latina etiam hoc, quicquid est temporis, sibi vendicant. D. Attende paulisper animum. Si nostrorum studiorum moderatores vidissent non sufficere nobis ordinarium tempus ad graeca cum latinis perdiscenda, nunquam in catalogis librorum explicandorum, qui in annos singulos typis aeneis describuntur et publicantur, ullum auctorem libellumve graecum nominassent; nec magistri, homines considerati et prudentes, hoc pensum a nobis exigerent. M. Argumentatio tua non me conturbat; ambo curare non possum. D. Tu vero potes et poteris, si voles. Aliorum exempla, quos vides utrumque coniungere, tibi persuadeant. M. Pollent ingeniis. D. Do hoc de aliquibus; voluntate quidem pollent ac diligentia, nec adeo sunt imbelles ut tu. M. Postquam remis equisque contendero, non consequar tamen consummatam grammaticae

<sup>99</sup> VIRGILIUS, *Georg.* I 145-46.

notitiam. D. Desperatio quoque mater est ignaviae, et plurimos pessumdedit. Extermina hanc pestem literariam ex animo tuo, speraque te adepturum omnia. Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis. Ferrum assiduo usu atteritur, et quid ferro durius? Aquae guttae cavant marmor, et quid aqua mollius, marmore solidius? Qui ergo assiduo impensa cura, continuumque studium doctiorem te non reddant, etiam minus valentem ingenio, quo antestas compluribus? M. Quae, per Deum, est tanta huius linguae necessitas? D. Multiplex et praecipua. Ea, uno verbo, ut ipsa ignorata, nemo ad doctrinae perfectionem ullo in genere literarum aspiret. M. Paradoxa mihi narras; doctissimos viros ego novi, et te novisse multos arbitror, qui alphabetum non teneant, et graeca legere, cum occurreret aliqua vox, nescirent. Sunt qui in commentariis a se editis ita loquantur: graecum est, non legitur. Item: graecum hoc totum omitte. D. Commemini hac ipsa de re audire a praeceptore meo, qui insuper scriptorem nominabat, a quo haec incitis doctissimorum illorum hominum et ignorantiae apertissima confessio notata, ac scriptis mandata esset. Caeterum ego tantus adhuc non sum, ut uberius hac de re mihi agendum putem. Cum legimus, quae ab eruditis de huius linguae laudibus prodita sunt ad posteritatem, tum rationibus firmissimis et bene multis demonstrari cernimus, quam sit ad omnem disciplinam utilis et necessaria graecarum litterarum cognitio id nos credere oportet tantisper, dum re ipsa experiamur; quemadmodum morbis impediti credunt medicis, ad sanitatem bonitatemque valetudinis profuturam sibi potionem, et alia quae ab iisdem dantur pharmaca atque antidota. M. Sed Clenardus iste perturbatus atque confusus est, et docendi viam ac methodum nullam videtur custodivisse. D. Hoc ipsum iudicarunt quidam docti homines. Quocirca, quod in rem communem esset adolescentum, in ordinem certum ac facilem eius praecepta redegerunt. Eum librum in Galliis editum mercare; de tuis condiscipulis quidam emerunt. M. Ante vesperam adibo ad librarium, empturus, uti suades. Quaeso autem te etiam atque etiam, ne deneges mihi operam tuam, si quando te interrogavero. Statui enim fervidius discere. D. Nihil cum malim, quam te graece vel optime nosse, non detrectabo tua caussa pusillum hunc laborem. Tu modo fac animo firmo constantique sis. M. Ero, ne diffidas.

### Provincia Rhenana

#### De disputationibus in humanitate

Disputationes in humanitatis classibus esse deberent triplices: quotidianae, hebdomadicae, menstruae. Quarum primas secundae dignitate et apparatu, secundas tertiae superarent. Ac istae quidem posteriores modo a libro praescripto fierent<sup>100</sup>, primarum vero ratio haec fere esset: 1<sup>o</sup> Scamnum aliquod disputaturi conscenderent, vel alio quopiam loco conspicuo, aperto capite, ipsi adversi pugiles starent. Tum, signo crucis facto, congregarentur. Omnes autem congressus istius quaestionis aliquando de propriis cuiusque classis praeceptionibus, aliquando de latinitatis vel graecismi, qui praelegitur, authore. In omnibus inferioribus classibus prima quaestio catechistica esse potest, uti solet. Postrema vero vel de vocabulorum, de quibus post, nomenclatura, adagionibus et id genus aliis in superioribus classibus. In praeceptionum vero concertatione, tria haec proponi queant: 1<sup>o</sup> praeceptiones e memoria recitentur. 2<sup>o</sup> exempla ex grammatica vel praeceptoria admonitionibus exigantur. 3<sup>o</sup> exceptiones et siquae a praeceptoribus notata sint. In authoribus vero classicis superiorum classium auditores poetae et rhetores primo de re ipsa disserere; tum ad exa-

<sup>100</sup> De disputationibus in humanitate vide MP V 133-35 § 3.



men praeceptionum in authore observatarum; etiam earum, quae inferiorum classium sunt, descendere; et postremo ad phrases ex authore petitas convertendas vernacule, vel latine vernaculas. In graecis vero disputationibus latina graece et contra. In inferioribus vero classibus rerum examen praetermitti potest. Graeca etiam multo magis, quoad istam conversionem. Possent etiam aliquando meditatae scriptiones et variationes examinare. Notarius vero unus vel plures erratorum esse debent. Sunt autem in praeceptorum industria duo posita, quae disputationes omnes insigniter excitare et inflammare possint: Unum, ut quae subinde in disputandi ardorem et impetum incurrunt vitia barbarismorum, procacitatis, iracundiae, coërceantur. Alterum, ut laudatione et aliis quibusdam quasi crustulis et praemiolis, qui vinctur, accendantur. Huiusmodi esse possunt honestioris loci adeptio, nominum in tabellis, quae publice in schola prostent, uncialibus literis denotatio; quaedam in scholasticis quibusdam operibus praerogativa; v.g. unum ab iis, qui vapulant, ictum deprecentur, etc.

### De verborum et rerum copia

Ad verborum rerumque copiam comparandam valeret plurimum, si Rev. Pater Noster eam rem superioribus, et hi praeceptoribus commendaret; et rursum, si ab humanitatis ii studio non abstraherentur, qui vixdum primoribus, ut aiunt, labris, eam degustarunt. Sic enim fieret, ut qui supellectilem hanc instruant et exornent, libros illi libentius coëmerent; hi coemptos familiaris ac diutius evolverent. Magna enim huius rei pars ex praeceptorum ingenio, diligentia, humanitatisque peritia pendere videtur. At sine libris, sine tempore quis ista? Alioqui sane canes e Nilo; neque praedari quicquam aut reconditi ex humaniorum literarum arcibus unquam deprompserint. Sed quia, via et ratione huc etiam perveniendum, eos, qui ad iuventutem locupletandam occurrerunt, modos proponemus. Ac de verbis primo. Ea vel singula sunt vel coniuncta. Horum copia cum illorum inopia nunquam erit; ideoque et de eorum amplissima semente cogitandum. Potest autem fere istiusmodi cogitari: Certae vocabulorum [*Stud. 3, f. 252v*] classes colligantur, quae singularum classium pueris, ab ima iam ordiendo, proponantur. In iis autem colligendis et proponendis ea porro cautio adhibenda: 1<sup>o</sup> ut infimi ordinis puerulis facillima quaeque et ea fere, qui passim iis in sermonem veniunt, quaeque eorum in pedes quotidie incurrunt, dictentur; aliis vero alia deinceps ordine quodam. Deinde, ut ista in libellos, quasi ephemeridas pueri referant. 3<sup>o</sup> Observent praeceptores classium superiorum, quid in infimis ordinibus iam propositum; partim ne eadem crambes nullo cum progressu, saepius; partim ut ea semper in usum ac consuetudinem scribendi et loquendi traduci curent. 4<sup>o</sup> Dictare quotidie in singulis classibus parergos et aliud quasi agendo tria quatuorve vocabula possent; vel certe ea uni alicui discipulorum a praeceptore darentur, qui illa in classicam tabulam referret, ab omnibus vero exscriberentur. Et hoc forte fieri queat non singulis diebus, sed hebdomadibus tantum, ut 24 vel 30 vocabula denotentur. 5<sup>o</sup> Quo vero pueri memoria ea certius custodiant, et cum usus feret, in promptu habeant, essent: 1<sup>o</sup> in scriptiones domesticas et scholasticas, seu temporales inducenda. Eae vero in inferioribus classibus maxime per pueriles dialogismos et colloquia instituendae. Deinde in disputationibus omnibus exigenda; in quotidianis, quae eius diei propria sunt; in hebdomadicis, quae hebdomadis; in mensibus, quae mensis. In eorum, qui ascensuri sunt, examine exigenda etiam plurima forent, non ut ea pueri ordine recitent; sed ut cuiuscunque rei vernaculo vocabulo nominatae latinum nomen seu tesseram ederent. Ex his vero magna sane messis; sed in primis es, ut rem quamlibet pro-

prio verbo significare, animorum sensa omnia et cogitata efferre possint; in quorum utroque a plerisque, dum vel balborum instar haerent, vel hiantem pro-vocabulis nescio quibus sermonem ferruminant, perinepte peccatur. Non est tamen ad coniunctorum verborum copiam hoc satis. Sunt igitur ad orationis flumen incitandum etiam haec opportuna: 1<sup>o</sup> Ex Tullio, aliisque eiusdem notae authoribus optimae quaeque phrases excerpantur, et in rhetorico maxime gymnasio varie a magistro commutentur, varieque cum ipsas tum alias commutandi praecepta indidentur; dictentur etiam discipulis aliquae, quibus novas ipsi formas et vultus eadem commutando arte effingant. Omnia porro haec a praeceptore non immemore observentur, et ut in adolescentulorum progymnasmata et certamina scholastica crebro inferantur, efficiat. Ad utrumque porro verborum genus adiungendum iuverint non parum Iunii Nomenclatura<sup>101</sup>, Manutii Phrases<sup>102</sup>, P. Frusii de copia libellus<sup>103</sup>, et quae a doctissimis viris eam in rem elucubrata.

Iam rerum copia ex rerum cognitione potissimum existit. Sed quia non philosophos, sed rerum naturae ignaros instituimus, statuendum primo res a nobis hic appellari, quae vel orationem, vel eruditos doctorum congressus et epistolas quibusdam veluti stellulis exornant; cuiusmodi sex ista sunt, insignia virtutum et vitiorum exempla, gnomae cum versu astrictae tum solutae, apophthegmata, adagia, similitudines, fabulae et apologi. Et horum quidem non infaecunda seges in classicis, quos perdocemus, authoribus existit; in historia maxime, quae propter exempla recte a quodam magistra vitae dicitur<sup>104</sup>. Sed in eo praeceptoribus etiam connitendum, ut hisce flosculis suas nonnunquam lectiones, quae quidem id ferunt, aspergant; ipsis vero vocabulorum catalogis aliquando apophthegmata, aliquando duas tresve paroemias, vel simile quoddam in hebdomada minimum semel attendant, quorum in stylo, concertatione, diario ratio etiam habeatur. Possent paenae alicuius loco istiusmodi nonnunquam humanitatis [253r] lautitiae delinquentibus iniungi, ut cum festi dies, vacationes, otiave alia inciderint, aliquas colligant, ediscant, pronuncient; quin etiam fieri aliquando puerulis quibusdam copia posset, coacervatas in memoriae thesauris vocabulorum opes ostentandi; v.g. festorum dierum horis aliquibus pomeridianis. Sic vero inflammarentur, et pronunciare et quodammodo declamare consuescerent. Ut autem istae vocabulorum classes et sententiarum, quae cuique classi maxime convenirent, praeceptoribus in promptu quamplurimae essent, neque per omnium authorum saltus et regiones venari necesse foret, operae precium patribus videbatur, si libellus ea de re a nostrorum aliquo alicubi conficeretur.

### De philosophici cursus et theologici repetitione

Philosophiae cursus ita repeti posse videtur: 1<sup>o</sup> Praescriptus a Constitutionibus annus medius<sup>105</sup> in tres partes dividatur, quarum 1.a logicae, 2.a physicae, 3.a metaphysicae tribuatur.

2<sup>o</sup> Singulis diebus ita se repetentes exerceant, cum ii plures sunt: 1<sup>o</sup> Iis diurni temporis ab eorum praefecto, quisquis ille sit, divisio distribuatur, quod in ea philosophiae parte,

<sup>101</sup> De *Nomenclatura* Iunii vide supra, mon. 26 adn. 21.

<sup>102</sup> A. MANUTIUS, *Elegantiae seu phrases latinae linguae*; vide supra, adn. 10.

<sup>103</sup> Andreas FRUSIUS S.I., *De utraque copia, verborum et rerum praecepta* (Romae 1556); cf. MPI I-V 169 et passim.

<sup>104</sup> Cf. M. T. CICERO, *De Oratore* II c. 9 36.

<sup>105</sup> Cf. *Const.* P. IV c. 15 § 2; MP I 303.

quae mensium illorum propria est, ponatur. 2<sup>o</sup> Habeant sesquihoram quotidie, qua conveniant. Et eorum unus ab eodem praefecto constitutus, per horam mediam materiam repetitioni praescriptam e cathedra doceat. Reliqua hora eandem caeteri disputando oppugnent, hic propugnet. 3<sup>o</sup> Unam tamen quotidie privati studii horam in ethicorum et mathematicorum repetitione collocent, quo et fastidium levetur, et ista, quae utilissima sunt, non negligantur. Quod diebus etiam festis liberius facere licebit. 4<sup>o</sup> Horum etiam bis in hebdomade eo modo lectionem et disputationem habeant, quo de aliis philosophiae partibus iam ante dictum. 5<sup>o</sup> Si in academiis adhuc morentur, publicas disputationes adeant. 6<sup>o</sup> Commentarius iis aliquis, praeter ea, quae collegerunt, scripta, detur. 7<sup>o</sup> Ab occupationibus aliis et convictu liberi sinantur.

Theologiae vero cursus sic: 1<sup>o</sup> Praescriptum biennium dividatur in studii privati horas 6; et sesquihoram praelectionibus et disputationibus tribuatur, uti de philosophis dictum. Sex autem illae studii privati horae aliter anno priore, aliter posteriore transigendae viderentur. Anno priore, singulis diebus horae 4 in scholastica theologia, in qua controversiarum recognitio semper implicata, duae in Scriptura, et eius aliquo facili et quasi paraphrastico interprete, cui aliqua hebraeae linguae repetitio cohaeret. Posteriore anno, duae tantum in schola theologica, duae in veterum patrum, conciliorum, iuris canonici seu casuum evolutione. Caetera in caeteris modo iam dicto. Si quid ocii supererit, id in complectendis aliquibus Scripturae partibus, v.g. D. Pauli epistolis, memoriarum in compendiis, notationibus, locis communibus, ecclesiasticis historiis utilissime collocaretur. Hae tamen historiae diebus festis in manus omnino sumantur. Si in academia sint, uti et philosophi, disputationes publicas adire deberent. Sed, quia biennium hoc iis tantum, qui maioribus a Deo dotibus cumulati sunt, conceditur, per regulam provincialis 52<sup>106</sup>, petunt patres, quando et quomodo illi conformandi, de quibus Constit. p. 4 c. 8<sup>107</sup>.

### De praemiorum distributione

Fuit hactenus apud nos distributionis praemiorum et renovationis studiorum unus idemque actus; sicque ad occupationes et distractiones nimias declinandas faciendum deinceps [253v] videbatur. Disputationes vero ante studiorum renovationem cum fiunt, post humanitatis classium vacationem fieri deberent. Catalogus impressus videretur praelatis, abbatibus, consulibus, doctoribus, honestioribus etiam dominis et amicis nostris communicandus. Communicari autem potest maioris dignitatis dominis, v.g. praelatis, per nostros aliquos maturos, prudentes; ut etiam quandoque cum iis de studiis nostris et aliis utilibus agendi occasio capteretur. Aliis autem per pueros lectiores, uno vel epigrammatio, vel alia chartula, quam tradant, instructos. Sed omnia prout superiori loci et personarum perito commodum videbitur. De catalogorum vero impressione putabant patres, a R.P.N. aliquid statuendum, propter eas, quae irrepere possent, abusiones. Interim tamen haec patribus videbantur: 1<sup>o</sup> imprimendum esse; 2<sup>o</sup> cum principum insignibus, et nomine Jesu et patronorum imaginibus; 3<sup>o</sup> praefationes, citra necessitatem (quae esse potest, dum recens collegium institutum, novae classes, aut alia aliqua nova ratio accedit) non adhibendas;

<sup>106</sup> Vide in *Regulae S.I.* (Romae 1582) p. 35; et in *Institutum S.I.* III 78.

<sup>107</sup> Quod caput est: *De scholasticis instituendis in iis, quae ad proximos suos iuvandos pertinent*; vide in *MI Const.* III 131.

4<sup>o</sup> ut aliqua sit varietate, aliquando nihil esse scribendum, aliquando aliquid; et hoc a nostris compositum, vel a bonis authoribus mutuatum, vinctum vel solutum, graecum vel latinum, sacrum vel prophanum.

Videtur e re provinciae, ut uno eodemque tempore tota provincia, v.g. post Omnium Sanctorum festum, ascensus celebretur, ita scilicet, ut si uno eodemque die fieri non possit, ab eo tamen non multum discedatur. Iudicio tamen P. Provincialis relinquatur, si difficultas aliquo in collegio sit; v.g. herbipolensi propter vindemiam, quae tunc incurrit. Solent autem ad sacram communionem adolescentes a praeceptoribus invitari, quae vel festo die Omnium Sanctorum, vel prout oportunum foret, alio die suscipitur. Ipso ascensus die, mane sacrum fit de Spiritu S., aliud ante prandium nihil. A prandio alternis annis vel oratio actione aliqua iudicialis, vel dialogus aliquis. Debet enim quiddam eo die fieri, quo velut illecebra quadam viri principes et civitatum ordines, quorum praesentia et conspectu mire iuventus excitatur, invitentur. Neque enim ubique homines doctissimi sunt, quos sola disputationum lycea ad scholas pertrahant. Quidam putabant dialogismum vel comaediolum semper, eundem ob finem, habendam. Distributio vero esse deberet quam ornatissima; hoc scilicet modo, ut pueri, splendidissime vestiti, libellos primis dent, cum uno vel altero laudationis disticho. Musica etiam cum vocom, tum nervorum adhiberi posset, ubi libet et licet. Scholae etiam parietes, peristromatibus et aulaeis vestiendi, lectissimis etiam et correctissimis puerorum scriptionibus, epigrammatibus, aenigmatibus, griphis aliisque quibusvis artificiis graecis et latinis. Postero die tardius hic ad scholam mane venire solent, sacrum audire, ad classes suas, gratis antiquo praeceptori officiose actis, a praefecto deduci, studendi modum accipere. Proximo, post renovationem studiorum festo die, scholarum leges a studiorum praefecto, declamationis loco, classibus omnibus praelegendae et breviter explicandae forent. [255r]

### De paradigmatis

Quid paradigmatum et exemplorum Romam mittendum esset, vix patribus satis intellectum. Aliquid tamen, cuiusmodi hoc esset, mittere visum est.

*Paradigma grammaticae praeceptionis* – In grammatica praeceptione tria haec observanda viderentur: – 1<sup>o</sup> Ipsa tota praeceptio clare vernacula lingua exponatur, vel certe, in syntaxeos classe, latinis aliis verbis. – 2<sup>o</sup> Exempla proponantur. – 3<sup>o</sup> Quod expositum fuerit, aliquoties aliis atque aliis positus exemplis, a pueris exigatur; maxime in duabus inferioribus grammaticae classibus. V. g. 1<sup>o</sup> Omne viro soli etc. Omnia virorum nomina sunt generis masculini, seu declinantur sicut dominus, poeta, quae in rudimentis.

2<sup>o</sup> Exempli gratia, Petrus, Ioannes, Andreas.

3<sup>o</sup> Cedo puer, cuius generis Nicolaus? Ubi responderit, caussa quaeratur. Quare generis masculini? Ubi dixerit, quia viri nomen est, si ita videatur, collaudetur; et simile ab alio quaeratur. Sic in aliis grammaticae classibus, nisi quod in syntaxi tam crebra minutissimarum rerum interrogatio non interponenda; continentior tamen oratio, et quasi declamatoria praeceptori semper fugienda.

Rudimenta memoria tantum indigere videntur.

*De graecis* – Par graecarum praeceptionum cum latinis ratio, nisi quod in graecis ea tantum, in quibus a latinis discrepant, inculcanda. Sunt tamen paucula quaedam a quibusdam observata, quae ad promovendos graecae linguae tyrunculos faciant. 1<sup>o</sup> Esset in classibus tabula, in qua dum legere pueruli discunt, alphabetum describeretur, et unum alterumve pedetentim vocabulum, quod illi exscribendo imitarentur; v. g. θεός, ἄγγελος etc.

2<sup>o</sup> Lectioni assuescerent legenda oratione dominica, symbolo apostolorum, et id genus aliis; quae etiam, peritioris aliquo voce praeunte, recitare aliquando possent. Sic enim ista magna cum parentum voluptate memoriae infigerent.

In secunda vero classe plures ex catechismo partes graece perdiscerent, v. c. praecepta decalogi, opera misericordiae etc.; et brevia de rebus puerilibus colloquia, uno alterove sacerdotum nostrorum praesente, aliquando recitarent, septies aut octies in anno scilicet. In prima vero grammaticae classe, et fortassis poetica, pridie festorum et dominicorum una vel altera e graeco evangelio sententia festis ipsis ediscenda, praescribi queat.

3<sup>o</sup> Si, ut graece procliviores interrogationes forent, is quem patres petierunt, graecus grammaticus unam alteramve paginam in nomen et verborum accidentibus graece proponendis collocaret.

*Ex latino authore* – In 3.a et 2.a grammaticae classibus sic author latinus, v. g. Cicero-  
nis epistolae explicandae viderentur: 1<sup>o</sup> Tota una periodus aut duae vernacule conver-  
tendae. – 2<sup>o</sup> Singula verba, lectiona maxime indicanda et notanda. – 3<sup>o</sup> Phrases breves excer-  
pendae. – 4<sup>o</sup> Verba simplicia per casus, tempora inclinanda; phrases vero, ubi ex syntaxi  
aliquid iam gustassent, ad syntaxin trutinandae. Alias satis fuerit ad generum, praeterito-  
rum et supinorum regulas. V. c. in epistola nona lib. 14, ubi exposita fuerit, notari possunt  
[1<sup>o</sup>] miseria, dolor, valetudo, consilium. – 2<sup>o</sup> Consilium capere, valetudinem curare. Tum  
inclinantur verba capio, ut lego, curo et amo; et nomina posita, miseria, dolor, etc. In syn-  
taxi vero, vel etiam etymologia phrases paullo maiores contexti possunt; v. c. 1<sup>o</sup> Ad caeteras  
meas miseriae e patris valetudine, discessu, morte dolor accessit. – 2<sup>o</sup> Ad caeteras meas oc-  
cupationes hoc etiam negotium accessit. – 3<sup>o</sup> Omnino de omnibus rebus, nec quid consilii  
capiam, nec quid faciam, scio. Notari etiam potest usus particularum: omnino de omnibus,  
nec quid, nec quid. Et: velim hoc vel illud agas, pro germanismo: mea est integra opinio, ut  
hoc vel illud facias etc. [255v]

*Ex graeco authore* – V. c. Isocrate, in extrema paraenesi ad Demonium. Ubi latine ex-  
positus fuerit, vel totus vel in poetica magna ex parte (faciliora enim et usu iam contritiora  
non semper explicanda) notentur: 1<sup>o</sup> Verba simplicia μέλιττα, βλάστημα. – 2<sup>o</sup> Phrases  
κατιζάσκειν ἐπὶ τό – ἄπειρος ἔχειν τοῦ ἢ τοῦ. – 3<sup>o</sup> πανταχόθεν χρήσιμα συλλέγειν. – 4<sup>o</sup>  
τινὰ ἐπικρατεῖν.

In poetica vero, praeter egregiam Isocratis ipsius sententiam, possunt etiam similes de  
apum diligentia, de vitiositatis naturalis correctione aliunde notari ex Phocylide<sup>108</sup>, Salo-  
mone etc.

*Ex poeta* – Primo totius lectionis summam dicere. 2<sup>o</sup> Eam in authore ipso proponere,  
verba et sententias authoris latine interpretando. 3<sup>o</sup> Si quid in authore rei praeclarum, aut  
memoria dignum, sive illa vera, sive ficta sit et fabulosa, breviter et latine narrare. 4<sup>o</sup> Iudi-  
care in authore:

1<sup>o</sup> Quae ad orationis dignitatem spectant. – 2<sup>o</sup> Quae ad quantitatem pertinent, potius  
examinando et interrogando dicere, quam singula dicendo perorare:

1. Quae verba singula ornata, grandia, poetica, tralata etc. – 2. Quae insignes et poeta-  
rum propriae phrases, et harum aliquas aliquando variare.

V. c. e 6.a Aeneide principium: Sic fatur lacrymans etc. Ubi expositum fuerit libri to-  
tius argumentum, et huius cum superiore connexio, dicendum: hoc principio, quod iam ex-  
plicabitur, Aeneae in Italiam tandem aliquando adventum proponi.

<sup>108</sup> Phocylides (cc. a. 540 a. Chr.), poeta Milesius.

<sup>2o</sup> Sic fatur lachrimans, id est, ubi Palinuri mortem Aeneas deplorasset, suae ad ulterius navigandum classi laxat habenas, eamque incitat etc.

<sup>3o</sup> Omnibus ita percursis, dici breviter potest, ubi Cumae, unde Cumaea Sybilla, quid Cumaeum carmen, et id genus plura, quae magistri diligentia notarit. Monstrari etiam descriptio appulsus navium ad littus, gaudium et ardor vectorum, post tot casus totque discrimina, Italiam contingentium, eorundem studium in igne excitando, lignis colligendis, aquis indagandis; et postremo, quomodo hic Odysseae Δ Virgilius innitetur.

<sup>4o</sup> In verbis singulis notari potest: Fari, quod apud Virgilium tam crebrum est, sicut apud Ovidium in elegiaco loqui et dicere. Ostendantur etiam quae ad nauticen pertinent, hic a Virgilio proposita: classis, navis, prora, puppis, anchora; quibus addi alia possunt: fori, malus, carchesia, remi etc. Hinc ad phrases:

Immittere habenas ut lib. 5. Furit immissis Vulcanus habenis [662]. – Allabi oris. – Obvertere proras pelago. – Quomodo naves anchora fundet et quidem dente tenaci. – Quomodo curvae puppes littora praetexant. Et harum aliquae aliquoties variari possunt e Virgilio vel aliis.

*Ex Oratione Ciceroniana pro rhetorica* – In omni ciceroniae lectionis oratione duo eloquentiae magistro proposita esse debent: <sup>1o</sup> in Cicerone ostendere ipsas rhetoricae partes et artificia. <sup>2o</sup> Auditoribus nonnulla quasi promere ac suppeditare, quibus eorum oratio cum verbis tum sententiis augeatur. Prius illud consequetur, si duas maxime partes semper ostendat: inventionem et elocutionem; non quidem minutissima quaeque et pervulgatissima semper (infinitum enim hoc foret) repetendo, sed quae sunt egregia magis, grandiora et utiliora, prout ipsa temporis, auditorum et Ciceronis ratio tulerit. Inventio igitur patefiet, si quae ample et copiose a Tullio dicuntur, breviter et astrictè proponantur. Nam ut in anatomicis, homine, quem σκελετόν vocant, perspecto, totius statim corporis constructio, species ac dignitas perspicitur; ita in oratoris alicuius oratione nudis ipsius argumentationibus, quibusdam quasi ossibus et nervis consideratis, omnis dico totius orationis succus, splendor ac maiestas elucescit. [254r] Elocutio vero complectitur quaecunque de verborum modis, orationis schematibus, numero et ambitu a rhetoribus traduntur.

Ad inveniendum, quod e duobus propositis alterum erat, iuvabuntur auditores, si quae occurrerint historiae, leges, reipublicae instituta, vitia, virtutes, apophthegmata, sententiae indicentur, et ex vetere memoria similes depromantur. Elocutio vero eorundem etiam auditorum locupletabitur, si verborum synonymiae aliquarumque phrasium commutationes adferantur. V.g. sumatur ille ex Miloniana locus: Negant intueri lucem etc. In toto isto loco indicetur: <sup>1o</sup> Ciceronis inventio, tum dispositio.

Inventio sic: Ubi syllogismus ille, quo tota oratio continetur, repetitus fuerit, ostendatur, quomodo Cicero istum «insidiantem et vim adferentem occidere licet», pertractet. Primo quidem eam ad latissime patentem istam revocando: Licet aliquando aliquem interficere. Deinde eam ipsam iam definitiorem: Licet insidiatorem, Licet eo tempore, quo insidiae struuntur. Priorem illam confirmat: <sup>1o</sup> A iudicio. De Horatio. – <sup>2o</sup> A consuetudine iuris, qua caedes in iure facta defenditur. – <sup>3o</sup> Ab exemplis 6: Africani, Halae et caeterorum. – <sup>4o</sup> A mythologia: Orestiani iudicii. – <sup>5o</sup> A duodecim tabularum auctoritate. Posteriorem propositionem: <sup>1o</sup> Ab absolutione militis ab imperatore Mario. – <sup>2o</sup> A consequentibus vel causis; latronis nex iniusta non est. – <sup>3o</sup> A fine stipatorum et armorum quae gestantur. – <sup>4o</sup> A lege naturali. – <sup>5o</sup> Ab incommodo: Si se defendere non liceat. – <sup>6o</sup> A lege 12 tabularum.

Singulae historiae et instituta breviter aperienda erunt; et tunc totus Ciceronis locus relegendus, in quo omnis oratoris ars et ornatus sponte quasi sua sese totum clarissime ostendet, et ipsa etiam interspersa variorum argumentorum semina, id est amplificationes.

Verbi causa: In argumento primo prioris argumentationis amplificatio prima a loco: In qua tandem urbe? 2.a a tempore: nondum libera civitate; 3.a ab absolutionis modo: Comitibus populi romani, non ab uno, scilicet, iudice; 4<sup>o</sup> a caedis modo: sua manu.

Dispositio. Non in praecipuis tantum orationis partibus, sed in argumentorum etiam acie indicari aliquando etiam potest, ut scilicet cohaereant, ut unum prioris quasi ratio et firmamentum sit.

Iam, quae ad Ciceronis elocutionem spectant, alia in verbis singulis monstrentur, ut animata illa et vehemens gladiatorum a legibus porrectio, earundem postea silentium etc. Alia in coniunctis verbis ut: Variatis hominum sententiis. – Gladium ad hominem occidendum a legibus porrigi. – Aliquem scelere solutum periculo liberare. – Lex nata-scripta. – Legem ex natura ipsa arripere, haurire, exprimere, discere, accipere, legere. – Ad legem aliquam fieri, imbui, doceri, institui. Vide, quomodo dicit: e lege naturali didicimus, scilicet per synonymiam istius phraseos, contrariorum negationem, etc.; quae omnia orationem sane copiosam, grandem et incitatam efficiunt.

Ad inveniendum vero iuvabuntur auditores, si quae in communes locos referent, ex iis quae in Cicerone iam dicta sunt, aliqua subiiciantur; v. c. 1<sup>o</sup> Quomodo lex naturalis de vi repellenda in christianis locum etiam habeant. – 2<sup>o</sup> Quis usus fabularum sit, et quis easdem aliquando citandi modus. – 3<sup>o</sup> Exemplum de laude pudicitiae in isto milite, cui ex historiis simile aliquod adiungi potest; vel insignis aliqua sententia. – 4<sup>o</sup> Gnome: Silent leges inter arma. Ad eloquendum vero iuvabuntur, si phraseon ante notatarum aliqua varietur? v. c. Variatis: hominum sententiis. Omnia tamen haec pro temporis opportunitate, et eius qui explicatur loci dignitate, intelligenda sunt, ut una scilicet lectione insignis et paulo longior aliqua pars in Cicerone praelegatur. [254v]

*Historiae paradigma* – Historia vel ex aliquo autore vetere, uti hactenus, docebitur; vel eo modo, quo in Praxi patres notabant. Si ut hactenus, tria tantum facienda viderentur: 1<sup>o</sup> Historiae, si quid utile videatur, addere vel quod historicum sit vel sententiosum et morale, quo rerum lectissimarum auditoribus copia sit, et antiquitas pernoscat. Absurdum vero videtur in singulis virorum, urbium nominibus propriis omnia quae de illis usquam sunt, coacervare, sicque vix testudineo gradu unum alterumve toto anno historiae librum absolvere. Possent tamen aliquando loca, urbes, flumina in geographicis tabulis monstrari, sed ubi maioris alicuius non nominis tantum, sed utilitatis etiam forent; et temporum aliqua ratio, excellentiorum tamen, haberi. 2<sup>o</sup> Diligenter rerum gestarum causae, consilia, progressiones, eventa, cum ad prudentiam, tum ad vitam expendenda. 3<sup>o</sup> Si auctor classicus sit, in eo quae ad phrasim historicorum propriam faciunt, indicare. Vix aliud faciendum videtur, sed quamplurima semper legenda.

V. c. sit lib. 8 Justini. Ei duabus ad summam lectionibus imponi finis potest. Cognitis enim civitatum graecarum dissensionibus, ostendendum, quomodo sit Philippus dux a Thebanis dilectus, quam ob causam, quomodo Laureatus phocenses vicerit, quantum inde laudis adeptus sit, quantum contra dedecoris athenienses.

Notari deinde possunt: 1<sup>o</sup> Salustiana sententia: Concordia res parvae crescunt etc. 2<sup>o</sup> Ratio qua plerique populorum bella et discordias alunt: Ambitio scilicet. 3<sup>o</sup> Quomodo secunda fortuna plerosque impellit; Luxuriant animi rebus etc. 4<sup>o</sup> Quod Graeciae commune concilium? 5<sup>o</sup> De Apolline Delphico, eius insignibus, fano etc. 6<sup>o</sup> Locus communis de sacrilegio.

Sin vero historiae docendae modus in Praxi a patribus optatus et declaratus<sup>109</sup> probeatur, res paulo forsitan operosior, sed multo utilior fuerit. Sic autem faciendum videretur: Ac-

<sup>109</sup> Vide mon. 30 (Prov. Rhen.); supra, p. 399.

cipiat noster historiae lector prima v.c. mundi saecula, seu primos mille annos. Narret breviter, quae in iis gesta videntur, et ea fere ex sacris litteris. Et hinc inde quae dignitatis aliquid habent, observet. Pergat ad consequentia saecula; et ubi iam prophanorum historiae inchoantur, eos una cum sacris litteris certis quibusdam temporibus percenseat; ostendat mundi progressionem, gentium multiplicationem, urbium exstructionem, bellorum principia, monarchias institutas, immutatas, eversas, translatae. Eoque modo ad Christum usque Salvatorem, uno scilicet anno veniat. Altero anno, quae a Christo sunt, ad hunc usque diem persequatur. Ex variis scilicet historiis optima quaeque et clarissima tam in veteribus, quam novis monumentis, delectu semper et iudicio adhibito; commemorando ita ut nulla sit lectio, qua rerum varietate et dignitate auditorum animos non capiat; nulla qua bene maleque gestorum exemplis non erudiat, prudentiores melioresque faciat. [256r]

### De licentia

Quatuor ante susceptam licentiam fieri debere videbantur: disputatio, examen, admissio, invitatio. De quibus ordine: 1<sup>o</sup> Ante licentiam quinque disputationes. Ubi tres sunt gradus baccalaureatus et tres disputationes, post baccalaureatum duae tantum; ubi duae tantum ante baccalaureatum, tres post, sine praeside.

Disputationibus istis examen praecurrere maior pars volebat; alii vero postponi. Illorum rationes erant: 1.a Quia si male quis responderet, ipsius et honori et facultatis dignitati consuleretur. Ad disputandum siquidem privato illo examine non admittetur, nisi eruditus. 2.a Quia doctorum labor minueretur. Nam deberent disputationibus interesse, et nihilominus postea in examine illum non admittere. 3.a Quia ita liber sentire videretur c. 10 de Scholast. § 3.a 4.a<sup>110</sup>. Veniunt aliunde viri magni et nobiles, qui si disputarent, neque se satis probarent, aliquo cum dedecore et ipsorum offensione repellerentur.

Horum vero rationes erant: 1.a Quia disputationes fiunt, ut eruditionis specimen edatur et ingenii. At eo perspecto, melius et certius de omnibus doctores iudicant. Et propterea verius et gravius examinant; maxime, cum iam etiam, quodnam de illorum responsis auditorum sit iudicium, adverterint. 2.a Quia illorum honori commodius et facilius consulitur. Si enim disputationes absolvant, neque tamen licentiatu honore digni doctoribus videantur, suaviter a doctoribus monentur, ut promotionem differant, et tum eam sponte differre videbuntur. 3.a Augeretur labor doctoribus et ipsis etiam disputantibus propter actus iterationem. Fieri siquidem potest, ut in antecedenti examine videbatur quis aptus, disputando tamen vacillet. Si promoveatur, magna erit spectantium, quibus in disputando se minime probavit, commurmuratio. Si non promoveatur, omnia postea erunt iteranda, et examineribus, quorum approbatione in arenam rudis descenderat, dedecus erit; ipsis vero, qui repelluntur, et dedecus et dolor. Dedecus, quod examinati, luceque publica digni iam habiti, gradu prohibeantur; dolor, quod post examinis sudorem, doctorum approbationem, disputationumque celebritatem. Si vero examine nullo antegresso disputent, suae tantum inscitiae, ambitioni et temeritati, quod eo loci se rudiores ingesserint, ascribent et ipsi et alii omnes. 4.a Plerumque academiarum ea consuetudo est. A facultate vero iam admissus, per nominatum aliquem doctorem, cancellario offertur, ut licentiae dandae diem praefiniat et eam ipse dare postea dignetur. In invitatione idem faciendum, quod antea notatum. Schola igitur die praefinito adornata, doctor nominatus suggestum superius con-

<sup>110</sup> Vide MP V 81 § 3 et 4.



scendit, licentiandus inferius. Ille quaestionem aliquam utramque in partem disputat. Disputatam huic diiudicandam et illo consensu explicandam proponit. Tum orationem aliquo de argumento insigni doctor ille pertractat. Iste fidei professionem catholicae subiungit, et theologicae facultatis iuramenta. Ille e suggesto licentiam publice petit, ad quam consequendam licentiandum ducit pedellus ad cancellarium. Ad huius pedes ille accidens, benedictionem et licentiam accipit; et, eodem pedello duce, ad suggestum suum revertitur. Postremo vero, Deo, caelitibus, domino cancellario (cui tamen iam ante singulares propter concessam licentiam actae fuerant), doctoribus et aliis omnibus gratias agit doctor. Posset unus et alter puer novum dominum licentiatum uno vel altero latino et graeco versu salutare.

*De insignibus doctoralibus in universitate* – Universitatis rector externum aliquod insigne, quo academiae magnificentiam et auctoritatem tueatur, habere debet: 1<sup>o</sup> Quia ipsius et academiae totius, apud academias alias, veterrimas et celeberrimas, nulla plane auctoritas esset. 2<sup>o</sup> Quia ea in veteribus academiis rectorum dignitas est, ut principes viros antecendant. 3<sup>o</sup> Aequum est, ut a doctoribus aliis insigniore aliqua nota secernatur. Ea vero esse potest epomis aliqua prolixior atri coloris. Sed interiori substamine, coloris alterius, ut distinguere possit.

### De immatriculatione

In universitatis album ceu matriculam referendi videntur studiosi, non aliter tamen cogendi, quam universitatis privilegiorum praemiis, et incommodis, quae nisi referantur, incurrerent. Eiusmodi sunt: exemptione non frui; ad honores academicos non admitti; residentiae, propter ecclesiasticum beneficium, in academia testimonium non assequi. Ad hoc autem, cum fieri potest, illis dandum mensis, quo inscribuntur, et dies notandi. Caetera omnia ut in Const. P. 4 c. 17 § 3 D<sup>111</sup>. [256v]

### De cancellarii, qui in universitatibus nostris idem studiorum praefectus est, officio.

Cancellarii officia sunt: 1<sup>o</sup> Examinare novos adventantes per se vel socium sibi adiunctum. 2<sup>o</sup> Classem assignare. 3<sup>o</sup> Iudicare, auditis examinatorum sententiis, qui classem mutare debeant. 4<sup>o</sup> Iudicare de studio linguarum ut P. 4 c. 13 § 4<sup>112</sup>. 5<sup>o</sup> Reliqua etiam facere, quae ibidem. 6<sup>o</sup> Adesse consultationibus omnibus de studiis 7<sup>o</sup> Discernere, an sufficiens doctrina eorum qui ad gradum admittendi. 8<sup>o</sup> Dirigere disputationes in actibus publicis. 9<sup>o</sup> Gradus conferre, ut est in libro c. 10 § 8, f. 149<sup>113</sup>. Licentia non censetur gradus, et ita eam cancellarius etiam non promotus dare potest. Gradus vero non nisi promotus conferre potest, philosophicos magister, theologicos doctor. Alioquin a non promotus promotus, his in partibus nullus est. 10<sup>o</sup> Studia ordinare, qui scilicet libri explicandi sint. Quod hactenus in triennali provinciae congregatione, in totum triennium pro collegiis omnibus constitutum est<sup>114</sup>. Fit enim unus generalis librorum toto triennio explicandorum catalo-

<sup>111</sup> Vide MP I 317 319.

<sup>112</sup> Vide MP I 293.

<sup>113</sup> Vide MP V 82-83.

<sup>114</sup> Vide Catalogum librorum provinciae rhenanae, anno 1573 confectum, in MP IV 242-43.

gus: 1<sup>o</sup> Quia collegia quae typographis carent, libros explicandos habere vix poterant. Hic autem catalogus uni alicui typographo datus, ut libri haberentur, efficiebat. 2<sup>o</sup> Quia cum uno eodemque anno in omnibus provinciae collegiis iidem libri legerentur, studiosis de collegio in collegium migrantibus consulebatur. 3<sup>o</sup> Praeceptores, qui in provinciae seminario apparantur, commodius, quos professuri sunt, libros praevidebant. 11<sup>o</sup> Officium praefecti est, praemia in studiorum renovatione distribuere, ut huic actioni scilicet praesideat. Si tamen aliquando ita videretur, posset id inferiori praefecto ad auctoritatem et benevolentiam humanitatis studiosorum, quibus praest, ei conciliandam, deferri. 12<sup>o</sup> Singulis mensibus praeceptores omnes convocare, singulis quindenis omnes, quoad eius fieri potest, convenire, singulis diebus inferiorem praefectum audire. 13<sup>o</sup> Singulis quidenis superiores scholas visitare; et singulis mensibus inferiores, docentesque praeceptores audire; nam inferiores decimo quinto die visitat inferior praefectus. 14<sup>o</sup> Nomina eorum, qui admittuntur, in catalogum referre. In universitatibus curandum, quod in Constitutionibus P. 4 c. 17 § 3<sup>115</sup>. 15<sup>o</sup>. Curare, ut omnes tam praeceptores, quam discipuli regulas suas, quas habere debent, observent. 16<sup>o</sup> Quae omnibus classibus observanda sunt, loco publico affigi curare; quae pro singulis praescribuntur, in eisdem, ita ut commode legi possint. 17<sup>o</sup> Habere curam studiorum domesticorum, eorum qui student. 18<sup>o</sup> Quae publice exhibentur, curare, ut cum Societatis dignitate et existimatione fiant, et assertiones omnes recognoscere. Lib. c. 7 § 4 de scholis, fol. 138<sup>116</sup>. 19<sup>o</sup> Monere ut, quae publice sic exhibentur, in librum referantur, ut est in regula illa bibliothecarii<sup>117</sup>. 20<sup>o</sup> Authorum qui erunt in scholis interpretandi, nomina in classium valvis ut inscribantur, curare, et ut annuus librorum catalogus imprimatur vel publicetur. Deberet in omnibus actibus publicis insigne aliquod habere, v. g. epomidem, qua ab aliis distinguatur, coloris alicuius substamine. Aliquando tamen, in licentia scilicet danda et sacra benedictione, etiam superpellicio uti posset, ut alicubi fit.

Rogant patres, ut R.P.N. ex Collegii Romani praxi vel constituere vel monere digne-  
tur, quaenam inter inferiorem et superiorem praefectum subordinatio esse debeat<sup>118</sup>. Pos-  
sunt enim ex utriusque praefecti parte difficultates subinde oriri. [275r]

### Pedelli officium

Fidelitatem universitati iurare. Omnibus publicis actibus, qui academici sunt, interesse, rectorem cum pedito antecedere, domum ex actibus publicis reducere. Notarii potestatem et officium habere, quia testimonia omnium rite factorum ab eo danda sunt. Iuramenta iis, qui gradus excipiunt, praelegere et excipere. Ad actus publicos et caetera invitare. Scholas in actibus publicis exornare, ut promotionibus, studiorum renovatione. Theatrorum aedificatio, ut illi imponeretur, quibusdam placebat, aliis non, propter sumptus, labores, magnamque plurium dierum iacturam. Collocare suis locis eos, qui ad actus publicos veniunt. Si qui ad consilium externi vocandi, eos vocare P. 4 c. 17 § 6<sup>119</sup>. Actus publicos promulgare vel voce in scholis, vel chartulis affixis. Rectoris mandata ad gubernatores, senatum, studiosos etc. deferre, ut sit eius in academicis negotiis internuncius. Sine rectoris

<sup>115</sup> Vide MP I 317.

<sup>116</sup> Vide MP V 78.

<sup>117</sup> Vide *Regulae praefecti bibliothecae* in *Regulae S.I.* (Romae 1582) p. 195 § 11; et in *Institutum S.I.* III 146 n. 11.

<sup>118</sup> Subordinatio praefecti studiorum inferiorum statuta est in Rat. stud. (1599); vide MP V 402 § 2.

<sup>119</sup> Vide MP I 321.

facultate ab urbe noctu non abesse. Ad rectorem quotidie venire, vel, ut alii malebant, semel aut bis in hebdomade. Praescriptas a facultatis decano testimoniorum formas non immutare.

De sustentatione pedelli – Sic omnibus fere patribus visum est, ut R.P.N. perpendat, an ex iis, quibus testimonia dantur, disputationibus, promotionibus, et scholasticis omnibus, trimestri quolibet, accipere aliquid possit et quantum. Illud enim in academiis omnibus, quod Constitutiones etiam concedunt 4 P. c. 17 F<sup>120</sup>. Hoc postremum in quibusdam tantum observatur. Optandum tamen, ut a fundatoribus eidem provideretur.

### Ministri iustitiae et gubernator

De his aliud nihil occurrit, quam ut cum academiarum fundatoribus vel potestate suprema agatur, ut magistratum ministri statim iubeantur exequi, quod illis a rectore suggeretur, et ad hoc, aliaque similia, «huiusmodi facultatis scriptum habere testimonium oportebit» (P. 4 c. 11 B)<sup>121</sup>. Ideoque inter caetera iuramenta, quae isti principibus praestare assolent, unum etiam aliquod de academicis rebus adiungendum esset, ut Ingolstadii et alibi<sup>122</sup>.

*Carcer* – Agendum est cum fundatoribus, ut sicuti iustitiae ministri, sic etiam carcer ab iis constituatur; a maleficorum tamen aliorum carcere distinctus, in quem coniiciantur a iustitiae ministris, qui capti fuerint. Eorum vero paena, tractatio, punitioque ex rectoris arbitrio et sententia pendeat, ut scilicet universitatum privilegia serventur; executio per alios fiat.

*Multae* – Pecuniariae multae propter aliqua delicta publica vel privata imponi possunt in classibus superioribus; et in aliis iis tantum, qui iam maiores sunt, quos virga cadere pudor prohibet. Propter delicta vero maiora, quae aliter corrigi nequeunt, possent in philosophicis virgae usurpari, ubi quidem id mos tulerit. Multae porro illae studiosis pauperibus, qui aderunt, tota classe conscia distribuentur. Theologi, qui hoc tempore alliciendi potius quam cogendi sunt, a praeceptoribus multandi [257v] non videntur; sed optandum foret, ut sibi ipsis aliquas leges et multas imponerent, quibus ad disputationes et lectiones sese perpererent. Omnino vero faciendum, ne qui eas saepe neglexerint, ad gradus testimonium accipiant. Absentiarum vero aliquarum multas pedello ipsi, iidem promovendi, pendere possunt.

*Correctio* – Correctoris dispensatio, nobis hactenus concessa<sup>123</sup>, retinenda videtur. Nam ferunt adolescentes correctionem animo aequiori a praeceptore, quam ab ullo alio; immo, patrio more, dextera data, gratias corrigenti praeceptori correcti agunt. Correctionis instrumentum virga, non orbicularis et solida ferula. Ictuum numerus non ultra senarium, sine studiorum praefecti consensu. Locus in scholis angulus aliquis retrusior, sed aliquando tamen, propter gravia quaedam, aula publica. Tempus: extremum scholae, vel quocunque praeceptori videbitur accommodatissimum. Sed cavendae longae altercationes, ne lectionis tempus ista correctione deteratur. Modus vero is a corrigente adhibendus, quem ratio et regulae nostrae<sup>124</sup> praescribunt, ne irate, ne contumeliose; et ne solus, cum privatim aliqui corriguntur; ne caput petat, ne aures vellat etc.

<sup>120</sup> Vide MP I 319.

<sup>121</sup> Vide MP I 281.

<sup>122</sup> Cf. HENGST, *Jesuiten* . . . 86-99.

<sup>123</sup> De qua dispensatione cf. MP IV 358 et 382.

<sup>124</sup> Cf. MP I-V in Indice: *Correctio*.

*Iuramenta* – Dum in matriculam referuntur studiosi, solent in plerisque academiis iurare: 1<sup>o</sup> obedientiam in licitis et honestis; 2<sup>o</sup> conservationem iurium, consuetudinum etc. pro viribus; et alicubi religionis catholicae. At non esse iurandum patres putabant propter P. 4 c. 17 D<sup>125</sup>. Examinum vero, pro philosophicis gradibus, initio et secretorum celationem et, si repulsam patiantur, animi moderationem iurare solent. Sed ne hoc quidem necessarium. Ne vero gradum, quem ulla in facultate ineunt, iterato alibi repetant, eos vel iurare vel promittere consultum esset, ad academiae, in qua illum inierunt, dignitatem et auctoritatem conservandam.

Iuramentum ante licentiam exigendum videbatur, in festo magisterii non expensuros ultra 3000 turon. argenteorum iuxta Clem. de Magistris C. «Cum sit nimis»<sup>126</sup>, quia universitatum etiam ea consuetudo est, et Constitutiones P. 4 c. 15<sup>127</sup>, licet omnes sumptus improbent, aliquos tamen permittunt. Verum, quia hi perexigui sunt, causa pontificiae illius legis cessare quibusdam videbatur; ideoque, ne ius iurandum quidem necessario exigendum, sed iusiurandum vel promissio, fore ut quemcunque ad statum devenerint, universitatis iura, privilegia etc. pro virili tueantur.

Promittere etiam deberent facultatibus earumque decanis obedientiam, iisdemque et doctoribus omnibus reverentiam. Iurant, qui theologicum gradum ascendunt, se quos haeretica dogmata suspecta, cum bonis moribus pugnantia, piarum aurium offensiva docere adverterint, cum rogati fuerint, facultatis decano intra 10 dies patefacturos; et, si lapsu linguae huiusmodi erratum in actibus publicis exciderit, se in eo vel revocando vel interpretando et exponendo facultatis ordinationi obtemperaturos. Omnibus autem fidei professio ante gradum quemcunque philosophicum et theologicum facienda; ipsique etiam pedello, et si qui alii academiae ministri sint, dum officium capebant. Quaerebant patres, an professoribus nostris satis sit semel aliquando catholicae fidei professionem edidisse, an ea singulis annis repetenda sit<sup>128</sup>, et quo tempore secundum bullam<sup>129</sup> et Concilium Tridentinum<sup>130</sup>. [258r]

### Leges scholasticae

Omnibus scholis *communes* eae nobis probantur, quae Roma missae<sup>131</sup> hactenus observatae sunt, et incipiunt. «Qui litteras discendi gratia». In iis tamen haec patribus occurrebant:

Primo. In tertia regula tolleretur «et praesertim pueri», propter causam ante positam cum de catechismo ageretur<sup>132</sup>.

Secundo: In sexta regula correctoris mentio non fieret, propter causam ante positam<sup>133</sup>.

<sup>125</sup> Vide MP I 313.

<sup>126</sup> *Clementinae constitutiones*; vide *Encicl. Catt.* IV 618-22: *Corpus Iuris Canonici*.

<sup>127</sup> Vide MP I 307.

<sup>128</sup> Cf. MP II 140 § 15.

<sup>129</sup> De bulla Pii papae IV vide supra, adn. 29.

<sup>130</sup> Decretum secundum sess. 25 Concilii Tridentini vide in *Conciliorum oecumenicorum decreta* (Herder 1962) 761.

<sup>131</sup> Regulas communes scholarium externorum, anno 1569 Roma ad provincias missas vide in MP II 229-32.

<sup>132</sup> De catechismo memoriae mandando vide supra, mon. 28 (Prov. Rhen.), p. 379.

<sup>133</sup> Vide cap. *Correctio*, ubi de dispensatione correctoris, concessa provinciae rhenanae; supra, p. 490.

Tertio. Ordo mutaretur, ut ea quae de pietate et religione sunt, coniungerentur; prima scilicet, quinta et undecima seu postrema.

Quarto. Ut quaedam etiam adderentur, vel generalibus verbis involuta clarius evolverentur, verbi gratia: de reverentia sacerdotibus, religiosis, magistratibus, praeceptoribus omnibus et senio canitieque venerandis facienda; vestium modestia, studiosis pro cuiusque statu conveniente servanda; prohibendis vero evagationibus nocturnis ita ut, si fieri possit, etiam absque praeceptorum vel hospitum propriorum facultate alibi non pernotent; armorum extra scholas, nisi cum alio proficiscuntur, gestatione; librorum impurorum et cantinelarum usurpatione; nuptiarum, nisi forte consanguineorum vel hospitum, aditu; gladiatorum vel saltatorum gymnasio, fluviali et lacustri natatu, glaciali cursu et lubricatione; deambulationibus in templis, et omni denique in sacris locis lusione ac levitate.

*Facultas theologica* – Facultas theologica merito patronum aliquem e sanctorum doctorum numero habere debet, ut in Germania, quo maior facultati dignitas et existimatio sit, moris est; cuius festo die sacrum solenne et oratio de sancti illius laudibus, aut utili alio aliquo argumento, a theologiae auditore habeatur. Quorum utrunque a facultatis decano chartula scholarum et templorum valvis affixa, indicendum erit.

Aequum vero foret ut condiscipulorum suorum funera exsequerentur, sed per pedellum a D. Decano admoniti. Quod aliis etiam in classibus, pro more plerisque in locis recepto, permittendum videretur. Nam et ea res civitatem aedificat, et senatorem totus senatus, artificem tabernarium tota contubernia et collegia officii et pietatis ergo comitari solent.

Quod de vestitus modestia, statui cuiusque conveniente, ante propositum<sup>134</sup>, id in theologis multo magis servandum. Speciatim tamen, ut in disputationibus, quae pro gradibus suscipiuntur, gravi et honesto habitu, verbi gratia, ecclesiastico, vel pallio longo utantur. Ipso vero baccalaureatus actu, citra dubium, toga ecclesiastica, et eadem de habitus honestate diligentius admoneantur, qui baccalaureatum ipsum adeunt.

Ratio et facultatis huius honestas praescribit, ne quis infamis aliave graviore aliqua nota, quae quidem publice constet, aspersus, ad gradum ullum admittatur. Ideoque iis elaborandum, ut quae studiosis omnibus communes leges praescribunt, ea omnia ipsi accuratius observent; verbi gratia, de reverentia praeceptoribus facienda, sacro audiendo etc.

Debent autem merito sacro aliquo ordine initiati esse, qui theologicis laureis initiari volunt; hoc fere modo: baccalaurei essent ordinibus minoribus affecti, vel minimum tonsura sacra. Licentiati diaconatu vel hypodiaconatu, doctores sacerdotio. Est in Germania consuetudo, ne quis eadem theologiae insignia capiat, regularibus exceptis, quos professio excipit, nisi artium magister. Alias in academiis loco nullo sunt, et per saltum promoti dicuntur. Quod et patribus placebat.

*Philosophiae et humanitatis leges* – Nihil praeter communes leges occurrit, nisi quod e scholae totius pietate et dignitate videretur, ut unus aliquis e sanctorum numero praeses deligeretur, quem sacro et oratione aut versu aliquo politiore humanitatis et philosophiae auditores celebrarent, eo, quo de theologis modo dictum est. [258v]

<sup>134</sup> Vide cap. *Leges scholasticae* § 4; supra, p. 491-92.

## De quibusdam a libello praeteritis

Praeter ea sex capita, quae libello excuso adiuncta sunt, quaedam alia etiam patribus in mentem veniebant, quae ad studiorum praxin et commune Societatis bonum pertinere videbantur. Sunt autem ista sex.

Primum – Cuperent patres certas testimoniorum formulas, quae in philosophia vel theologia promotis, studiosisque classium omnium tribui possent, praescribi; pro diversa tamen studiosorum ipsorum varietate. Aliqui enim optimi, aliqui mediocres, tertii etiam infra istos.

Secundum – Cum tres decani parte quarta Constit. cap. 17 § 5 et 6 designentur<sup>135</sup>, quodnam eorum in universitate officium? Nam quae in hisce universitatibus decani obeunt munera, cancellarius a nostris Constitutionibus descriptus<sup>136</sup> omnia praeripit.

Tertium – De pronuntiatione, quatenus ea scilicet a nostris legendo aut loquendo tenenda esset, et ista tam generali studiorum quasi renovatione vel partu aliquid statueretur, admodum cordi patribus erat. Magna enim in verbis plurimis efferendis varietas, magna plurimorum dissimilitudo. At ea dissensionum et altercationum mater esse consuevit sane quam fecundissima. Ut enim res parva sit, quia tamen a doctrina et ingenio pendet, quorum utroque, qui cedere velint, raros poëta quidam dixit, magnas in recreatione, aliisve locis et temporibus quandoque turbas concitavit. Aliter enim hic, aliter ille, et uterque quidem doctus, verbi causa, mensae lector et corrector, poeta et rhetor, pronuntiandum indicat; ideoque aliquid omnino decernendum videretur. Sed hoc cuiusmodi esse debeat, omnium optime romani patres statuerint. Si quae tamen rhenanorum sententia sit, audire libeat, ea duobus capitibus constat; quorum prius in difficultatis quasi fontem digitum intendit; alterum quo modo idem fons obstrui posse videatur, ostendit.

*Primum caput* – In latinum igitur sermonem aut lectionem duplicis generis vocabula incurrunt, mere scilicet latina aut vero peregrina, graeca nimirum et hebraea. Nam de aliis dicere vix necesse est. Iam in mere latinis alia vetus pronuntiatio, alia recens statui potest. Nam ex veterum monumentis plurima docti quidam homines colligunt, quibus vel omnia, vel plurima certe aliter priscis illis romanis, aliter nobis pronuntiari commonstrant. Inter caeteros est P. noster Emmanuel<sup>137</sup> initio libri tertii de syllabarum dimensione, in commentario; et Justus quidam Lipsius<sup>138</sup> Variarum lectionum libro 2<sup>o</sup>. Verum, quoniam veterem illam penitus revocari neque necessarium neque promptum est, de ea, quae nunc viget, cogitandum. Duo sunt igitur rerum genera, quas, qui latine legunt aut loquuntur, spectare solent; syllabarum scilicet accentus et quantitas. Qui vero accentum seu vocalationem solam spectent, nulli, de quibus quidem constet, omnino sunt. Qui solam quantitatem, plurimi; qui quantitatem in quibusdam, in aliis accentum, nonnulli; verbi causa, propter quantitatem dicunt illi Ambrosi, prima scilicet elatiore, secunda depressiore; hi vero propter accentum Ambrosi secunda elatiore; illi calefacis, aliquando, mulieris etc.; hi calefacis et aliquando, mulieris. In meris ergo latinis vocibus pronuntiandis hae tres hodie quaestiones existunt. Prima: An sola syllabarum quantitas in pronuntiatione spectanda sit, an vero etiam in quibusdam accentus? Secunda: Si hic spectandus, quae sint ea vocabula, in quibus

<sup>135</sup> Vide MP I 321.

<sup>136</sup> Vide Const. P. IV c. 17 § 2; MP I 317.

<sup>137</sup> E. ÁLVARES S.I., *De institutione grammatica*; vide MP II-VI 520 et passim.

<sup>138</sup> Justus LIPSIUS (1547-1606), brabantus eruditus, *De recta pronuntiatione latinae linguae dialogus* (Antverpiae 1576); cf. *Ouvr. pédag.* . . . 398.

haec accentus ratio spectanda? Tertia: Quenam sit plurimarum vocum latinarum in syllabis mediis quantitas? De quibus grammatici nostri vel nihilum praeceperunt, vel minus bene, uti ante, cum de Patris Emmanuelis prosodia tractaretur, de Despauterio dictum est<sup>139</sup>. In graecis vero et hebraeis una tantum quaestio est: An cum latinis litteris scripta leguntur vel in sermone usurpantur, maxime si latine inclinentur, latinorum more pronuntiari debeant? An vero graecorum vel hebraeorum? Nam cum hi accentuunculas fere semper intueantur, illi quantitatem, multa in multis dissonantia est; verbi causa: philosophia, academia, philosophiae, académiae, Basilius, Melchisedech, Melchisédech. Atque haec fere sunt, e quibus pronuntiandi varietas emergit.

*Caput secundum* – Huic porro varietati occurreret, ut quidem videtur, non difficiliter, si Societate tota unus aliquis omnium istorum modus et canon praescriberetur. Hic enim efficiet, ut non nostri tantum inter se, sed externi etiam, qui nostris in scholis adolescent, [259r] ubique consentiant. Quis vero canon hic esse queat, facile fortassis fuerit constituere. Nam vel ipse usus, vel grammatica praeceptio sit, necesse est. At usum nunc removendum esse videtur. Primo, quia uti iam patuit, is inter doctos varius est. Secundo, quia non in diversis tantum provinciis, sed in una eademque saepe diversus est, ideoque cum ex provinciis in provincias, ex collegiis in collegia nostri proficiscantur, si locorum, in quibus sunt, usum sequi debeant, eos linguam frequentissime mutare, vel aliorum aures perpetuo quasi verberare oportebit. Tertio, quia usum omnes sibi vendicant, pro arbitrio fingunt ac refingunt, ita ut ex usu certi haberi nihil possit. Licet enim a Quintiliano hic usus in eruditorum consensu ponatur, quia tamen et eruditi hodie dissident, et multi aliarum artium peritissimi, grammaticae minus periti, in hoc eruditorum numero reponuntur, periculosissimum sane, ut idem Quintilianus ait, usus hic pronuntiationi praeceptum dederit, omninoque anceps et litigiosum. Quarto, quia licet Horatius penes usum, loquendi arbitrium, ius et normam esse [A. P. 71-2] statuatur, de iis temporibus loquitur, quibus vulgo latine omnes loquebantur, ita ut ipsa etiam theatra auctore Tullio exclamarent, si syllaba una brevior aut longior aliquando fuisset. Nam, non grammatici populum tum loqui, sed grammaticos populus docebat. Et licet ipsa quandoque ratio populo adversaretur, eius tamen auribus morigerari oratores debebant. Alia vero nunc ratio est. Ex solis litterarum ludis, qui latine loquantur, prodeunt. Ideoque non ex usu populi iam latine loquendum, sed litteratorum praeceptis, quae si omnium uniusmodi essent, iam confecta res foret. Unus enim etiam omnium usus esset. Quia vero, uti dictum est, haec apud varios varia sunt, alterum illud efficitur, ut pronuntiationis canon sit praeceptio grammatica, sed una eademque per totam Societatem longe lateque diffusa. Quod hoc tempore negotio nullo effici posse videtur, cum una ubique grammatica, unus Emmanuel<sup>140</sup> futurus sit. Nam si hasce difficultates ea grammatica constituerit, una ubique norma fuerit. Optarent igitur patres, hanc in latinorum pronuntiatione concordiam diligenter ac firme constabiliri; eaque omnia removeri, quibus de non magni momenti voculis, magno saepe convitio decertatur.

Quia vero res ista plerisque initio molestior fortasse accidet, non omnibus statim praecipendum videretur, ut has grammaticae nostrae praeceptiones observarent, sed primo, ut eos qui observarent, carperet aut rideret nemo. Deinde, ut ex iisdem praeceptionibus mensae lectio corrigeretur. Tertio, ut praeceptores in grammaticae et humanitatis classibus maxime, ad eas sese totos conformarent, sic ipsi docerent, sic discipulos loqui, recitare, declamare consuefacerent. Quarto, ubi tamen alia aliorum doctorum hominum loquendi con-

<sup>139</sup> Vide mon. 21 (Prov. Rhen.); supra, p. 326-27.

<sup>140</sup> Emmanuel ÁLVARES S.I., *De institutione grammatica*; vide supra, adn. 103.

suetudo esset, qui aliquarum forte vocum pronuntiatione nostra offendi queant, iis facti ratio modeste initio significaretur. Hisce rationibus futurum videtur, ut paucorum annorum spatio, una tota Societate pronuntiatio et ut una mens, sic os etiam unum sit. Imo, et omnium maxima doctorum hominum pars, si non omnes, unam [259v] eandemque nobiscum pronuntiationem sequantur. Nam vel ex nostris illis scholis existent, vel a nobis propter eius in grammatica propositas rationes, eam non inviti accipient. Haec igitur de pronuntiatione proponenda videbantur, licet quae pronuntiatio esse debeat, eorum doctissimorum hominum iudicio relinquatur, quos eam ad rem adhibere admodum Reverendus Pater noster dignabitur, sive ei, quam his in partibus iam sequimur, congruat, sive non.

Quartum – De graeca etiam pronuntiatione, propter quorundam vel diligentiam vel novitatis alicuius studium, qui alios litterarum graecarum et dyphthongorum sonos afferunt, quaeri posse visum est; sed quia in latinis etiam veterem loquendi rationem magna ex parte iam evanuisse fatemur, et graeci hodie universi communi nostra pronuntiatione utuntur, nihil necessario dicendum videbatur, nisi forte in illa una grammatica graeca, quam ante patres rogarunt<sup>141</sup>, aliquid ea de re breviter notaretur.

Quintum – In orthographia etiam latina tot hodie lapides, numi et variae variorum lectiones et praeceptiones difficultatis aliquid faciunt, de quo a grammatico etiam nostro aliquid forte censi possit. Omnium etiam iudicii est ad eiusdem iudicium ac diligentiam totam de latina oratione interpungenda rationem spectare. Quam breviter quidem, sed utiliter alicubi Manutius<sup>142</sup> et Benedictus Herbestus<sup>143</sup> tetigerunt.

Sextum – Haberent in votis patrum nonnulli, ut dum promissus ille de dicendi ratione liber conscribitur, aliquid interim, quod ad declamatorum nostrorum gestus recte formandos et componendos valeret, vel ex artis ipsius magistris, vel ex declamatoria romanorum consuetudine breviter annotari et has in partes transmitti. Multi enim declamantes adolescentulos non tam arte quam naturae quodam impetu vel imitatione consuetudineve non optima gestum agere docent.

### Provincia Franciae

Visum est patribus deputatis oportunitate hoc loco agere de quatuor postremis capitibus ex sex illis missis extra volumen studiorum<sup>144</sup>. Nam de primo capite et priori membro capitis secundi agetur infra, ubi de humanioribus literis<sup>145</sup>; de posteriori membro iam dictum est in capite decimo de gradibus baccalaureatus magisterii et doctoratus<sup>146</sup>, quod locus ille visus fuerit opportunus, licet posset illud membrum et eius definitio adiungi capiti de repetitionibus<sup>147</sup>.

De tertio ergo capite, hoc est, de ceremonia et modo renovationis studiorum et distributionis praemiorum haec visa sunt. Primum, omnes professores tam philosophos quam theologos et humaniorum litterarum debere sua studia eodem die instaurare. Deinde, ritum

<sup>141</sup> Vide cap. *De graecis*; supra, p. 283-84.

<sup>142</sup> Aldus MANUTIUS iun. (1547-1597), italus, *Orthographiae ratio* (1561); cf. *Encicl. Univ. Illustr.* XXXII 1067.

<sup>143</sup> B. HERBESTUS S.I. (1531c-1598), polonus; cf. *Catal. Prov. Austr.* I 688-89; cuius tamen opus de orthographiae non recensetur nec ap. SOMMERVOGEL (cf. vol. IV 289-94), nec ap. ESTREICHER (cf. vol. 18 p. 118-24).

<sup>144</sup> Sex illa capita, quae extra volumen de Rat. stud. (1586) ad provincias missa sunt, vide in MP V 159.

<sup>145</sup> Vide mon. 18-30 (Prov. Franciae); supra, p. 298 et sequentes passim.

<sup>146</sup> Vide mon. 12 (Prov. Franciae), supra, p. 210-16.

<sup>147</sup> Observationes Provinciae Franciae de cap. 10: *De repetitionibus*, vide supra, mon. 12.



et modum renovationis studiorum huiusmodi esse oportere: Imprimis die dominica, praecurrente proxime renovationem studiorum, habeatur oratio pro more Societatis ab aliquo e nostris, professore rhetoricae, aut alio in dicendo bene versato, quo auditores ad officium excitentur; tum vero disputetur duabus diebus sequentibus 1.a in theologia, 2.a in philosophia, propositis conclusionibus generalibus in iis facultatibus; vel posset fieri promotio aliqua in universitatibus. Ad haec, die 3.a cantata missa de Spiritu Sancto nisi 1.a die praemittenda videretur, fieri posset professio fidei tum a professoribus omnibus iuxta bullam Pii quarti<sup>148</sup>, tum etiam, si videtur, ab auditoribus. Praeterea, posset haberi dialogus aliquis, aut ecloga, vel interdum etiam comedia aut tragedia, si auditores essent, qui exercerentur, aut declamationes; et claudatur publica recitatione nominum auditorum ascendentium ex inferioribus classibus ad superiores; aut distributione praemiorum, si fiat, recitatis carminibus, quibus excipiantur praemia meriti; affigantur a scholasticis primae classis et 2.ae carmina, epigrammata, aenigmata et emblemata, orationes et id genus alia, tragediae, comediae, odae, epopeiae etc.

De distributione praemiorum ita senserunt omnes: ubi iam consuetudo est, retineri posse; in aliis locis, ubi non est consuetudo, non esse eam introducendam, sed hoc relinquendum esse liberum, tum quod exiguus sit fructus; nam vix excitantur eorum studia ea re, aut ingenia, nisi eo die aut exiguo tempore antea, cum fere pueri sint et vix cogitent de futuris aut praeteritis, sed tantum de praesentibus; tum quod non suppetunt semper sumptus aut expensae, nec nobis licet per Constitutiones ex nostra paupertate sumptus facere<sup>149</sup>; nec inveniuntur externi, qui huiusmodi sumptus suppeditare [*Stud. 3, f. 349r*] volunt; tum quod male hac de re audimus multis in locis, et invidiae atque calumniae saepe obnoxii sumus apud parentes auditorum, quasi non pro meritis, sed pro favore distribuamus praemia; et alii interdum abusus hinc sequuntur.

De quarto capite, ritu scilicet et modo promovendi ac licentiam, visum est omnibus sufficere ritum promovendi ad licentiam praescriptum in libro statutorum et promotionum, quae fiunt Dilingae<sup>150</sup>, quem hactenus observavit academia mussipontana<sup>151</sup>. Nec aliud addendum aut detrahendum, nisi ut fiat seorsim a doctoratu, etiam aliquo intervallo ante.

De quinto capite placuit omnibus, insignia rectoris debere esse epomidem panni levis violacei coloris in humerum pellibus albis suffultam et cappam oblongam, seu pallium eiusdem coloris et fila serica alba in pileo, et duas clavas argenteas, quas bidelli duo praeferebant ante ipsum. Non defuit, qui putaret, posse etiam epomidem esse ex serico etiam, modo rubei coloris, modo caerulei, modo violacei, aut saltem panno eorundem colorum suffulto pellibus albis pro varietate temporum et festorum, ut alicubi fit.

Immatriculatio videtur debere fieri coram praefecto, notario et bidello atque testibus aliquot; auditorum quidem inferiorum classium seu humaniorum literarum coram praefecto inferiorum classium; superiorum classium, ut philosophiae ac theologiae, coram praefecto superiorum classium seu cancellario; et posset interesse cuiusque facultatis bidellus scholasticorum illius facultatis immatriculationi, ut humaniorum literarum studiosis bidellus linguarum, philosophiae artium bidellus, theologiae bidellus illius facultatis. In

<sup>148</sup> De qua bulla vide supra, adn. 95.

<sup>149</sup> Cf. *Const. P. IV c. 15 § 4*; *MP I 307*.

<sup>150</sup> Liber statutorum universitatis dilinganae nobis non innotuit. Ritus tamen promotionis ibi adhibitus breviter describitur supra (Prov. Austr. – Cap. IV – De ritu et modo promovendi ad licentiam) p. 442.

<sup>151</sup> De academia Mussipontana cf. DELATTRE, *Établissements* . . . IV 79-180.

huiusmodi autem immatriculatione debent auditores promittere obedientiam rectori universitatis et aliis eiusdem officialibus quandiu in illa manebunt, atque etiam se servaturos statuta, leges et regulas universitatis et scholarum; se praeterea futuros assiduos in lectionibus, repetitionibus atque disputationibus et aliis exercitiis scholae et in divinis officiis; et potissimum in sacro missae sacrificio, quod quotidie audire debent. Librum vero, in quo scribuntur nomina eorum, qui immatriculantur, habere debet notarius universitatis; et quicumque immatriculantur, aliquid pecuniae solvere debent pro sustentatione bidellorum et aliorum ministrorum universitatis. Quid vero et quantum solvere quisque debeat pro immatriculatione, P. Generalis erit definire atque statuere.

Praeter rectorem debet etiam esse cancellarius, qui idem sit praefectus studiorum superiorum classium. Et licet eius officium peti possit ex officio et regulis praefecti studiorum<sup>152</sup>, videtur tamen maxime ad eius officium spectare, ut rectorem in promotione studiorum iuvet, curetque, ut studia recte progrediantur, gradus omnes in quacumque facultate conferat et maxime licentiam; utque artes et scientiae vigeant, diligentem operam navare; eiusdem praeterea munus esse videtur, ut theses omnes et quaecunque publice exhibebuntur in universitate, videat antequam publicentur, ut cum quaque facultate de gradibus in illis conferendis et actibus constituat.

Sed et praeter cancellarium, debent esse tres decani: unus theologiae, alter artium et tertius linguarum seu humaniorum literarum, ut monent Constitutiones<sup>153</sup>. Et quamvis forte expediret decanum theologiae diversum esse a cancellario, tamen, si id fieri non potest commode, posset idem esse decanus theologiae et cancellarius; siquidem Constitutiones [349v] permittunt, eundem esse rectorem et cancellarium<sup>154</sup>, quod minus decere videtur, quam eundem esse cancellarium et decanum theologiae. Decanum vero artium putarunt omnes, debere esse alium quempiam, diversum a professoribus philosophiae, et quidem antiquiorem in ea facultate. Quod si id fieri nequit, sit semper professor metaphisicae, qui caeteros praecedat; etsi hinc illud incommodi sequi videtur, quod quotannis mutabitur, cum praestaret esse perpetuum aut certe diuturnum, si fieri posset. Decanum demum linguarum seu humaniorum literarum existimarunt, debere esse praefectum inferiorum classium, si fieri possit, aut certe professorem rhetoricae, et hunc debere esse magistrum artium ac philosophiae ad maiorem auctoritatem.

Quoad bidellos attinet, visum est omnibus, debere esse non infimae conditionis aut notae homines, neque omnino illiteratos et ignaros. Et maior pars iudicavit, debere esse quinque: tres pro tribus facultatibus, sacrae theologiae, artium seu philosophiae, et linguarum seu humaniorum literarum, ut monent Constitutiones<sup>155</sup>; duos vero pro rectore. Incedant togati toga nigra usque ad talos, et gestent epomidem in humerum atque pileum quadratum, et habeat quisque sceptrum argenteum et inserviant illi, quisque suae facultati et eius decano; hi vero rectori ad nutum. Aliis tamen visum est, sufficere tres, ut habent Constitutiones<sup>156</sup>, nec plures esse necessarios.

Quod spectat ad ministros iustitiae, visum est, debere esse aliquem conservatorem privilegiorum universitatis; et huiusmodi debere esse non nobilem aliquem saecularem, ut nunc fit Mussiponti, penitus illiteratum, sed praelatum aliquem episcopum aut cardina-

<sup>152</sup> Regulas praefecti studiorum, quae habentur in Rat. stud. anni 1591 et 1599, vide in MP V 249-67 et 374-79.

<sup>153</sup> Vide *Const. P. IV c. 17 § 5*; MP I 321.

<sup>154</sup> Vide *ibid.* lit. C; MP I 317.

<sup>155</sup> Vide *ibidem*.

<sup>156</sup> Vide *ibidem*.

lem. Praeterea, quidam putavit, oportere proprium esse aliquem iudicem pro scholasticis in causis civilibus et criminalibus seu capitalibus, praeter iudices ordinarios civitatum et locorum, in quibus est universitas. Nam gubernatoris duntaxat erit illos punire pro criminibus scholasticis. Caeteris tamen visum est, non esse necessarium huiusmodi iudicem, sed illos in huiusmodi subiectos esse oportere ordinariis iudicibus civitatum et locorum, quemadmodum et alii sunt.

Quoad gubernatorem attinet, iudicarunt omnes expedire, imo plane necessarium esse, ut in omnibus universitatibus nostris sit aliquis gubernator et promotor, qui exercent iurisdictionem in scholasticos, si non in delictis civilibus et criminalibus, saltem in delictis scholasticorum, quam nos per nosmetipsos exercere Constitutiones nostrae prohibent<sup>157</sup>. Deberet huiusmodi habere publicum aliquod stipendium sibi designatum a principe, et expediret esse virum aliquem literatum ac nobilem, et eligi atque amoveri a rectore universitatis pro nutu suo, ut fit Dilingae. Oporteret praeterea, illum habere apparitores aliquot, qui scholasticos rebelles et inobedientes ad rectorem adducant et in carceres ad illius nutum coniiciant. Iudicarunt omnes praeterea, oportere esse quaestorem universitatis, qui pecunias accipiat et colligat ab his, qui immatriculantur, seu gradus recipiunt et mulctas, si sint, et persolvat sua iura bidellis et aliis officialibus universitatis. Sint quoque oportet duo bibliopolae iurati, aut plures; unus item nuncius iuratus scholasticorum, aut etiam plures, si necesse sit.

Quod attinet ad carceres, iudicarunt omnes, carcerem esse necessarium, et quidem distinctum a carcere civitatis atque universitatis proprium; nam infamia esset, scholasticos coniici in vincula civitatis. Verum convenerunt omnes, huiusmodi carceres non debere esse vel in nostro aut etiam convictorum collegio, sed iuxta nostrum aut illorum collegium in aliquo universitatis loco; atque in hunc coniiciendos esse [350r] scholasticos discolos et perditos, iudicio rectoris et consultorum suorum, a gubernatore, vel promotore aut eius apparitoribus.

Quod ad mulctam spectat, visum est quibusdam, non esse retinendam aut inducendam mulctam pecuniariam, quod sit res suspecta et invidiosa, et quod multi ob paupertatem et inopiam illam persolvere non poterunt, sed luendas esse scholasticis paenas in corpore, magis quam in crumena. Maior tamen pars iudicavit, retinendam esse mulctam, ubi iam in usu est; atque etiam introducendam, ubi non est, tum pro quibusdam criminibus in moribus, tum pro absentibus a divino officio, lectionibus, repetitionibus, disputationibus et scholis ac aliis exercitiis scholae; nam hac ratione continentur melius in officio; sed exigendam esse, non per nostros, sed vel per bidellos aut quaestorem. Quod attinet ad correctorem et correctionem, omnes iudicarunt, retinendum esse correctorem externum in nostris scholis et modum correctionis hactenus observari consuetum<sup>158</sup>.

Quod denique ad iuramenta pertinet, iudicarunt omnes, non esse exigenda ulla iuramenta; nisi in professione fidei<sup>159</sup> tantum et in promotionibus in theologia, quando iurant se nullum dogma contrarium fidei aut scandalosum, vel quod repugnat antiquis patribus, introducturos aut defensuros, vel interpretationem Scripturae contrariam universis patribus; sed in caeteris sufficere promissiones loco iuramentorum.

Exagitata hoc loco fuit quaestio: Num scilicet scholastici in nostris universitatibus debeant aliquid pecuniae solvere pro gradibus et immatriculatione ad alendos officiales aca-

<sup>157</sup> Vide *Const. P. IV c. 11 § 3*; MP I 277 279.

<sup>158</sup> Vide instructionem, anno 1579 a P. Maldonado, visitatore in gallia, in collegio burdigalensi datam; MP IV 448.

<sup>159</sup> De professione fidei vide supra, adn. 95.

demiae, bidellos et alios, seu ad illorum stipendium? Et iudicarunt omnes expedire maxime, ut principes et fundatores universitatum assignarent stipendia pro universitate eiusque officialibus. In locis nihilominus, ubi non sunt huiusmodi foundationes assignatae, posse scholasticos aliquid pecuniae pendere quando immatriculantur et quando gradus recipiunt, huiusmodi officialibus pro stipendio. Quid vero et quantum pendere debent, hoc relinquendum esse arbitrio R.P.N. Generalis, cuius erit hac de re statuere. Optandum praeterea esse, ut in posterum nullae universitates admittantur, quae non habeant stipendia assignata aut foundationes pro suis ministris et officialibus ... [365r] ...

*Circa sex capita quae extra volumen de ratione studiorum missa fuerunt, praeter ea ad quae iam responsum est in theologia, in qua responsum est ad illa capita, quae theologiam attingunt, haec occurrerunt circa humaniores literas et quae has attingunt* – Ad primum caput paradigmata et exempla pro singulis scholis eisdem accommodata et proportionata, adiunguntur his seorsim<sup>160</sup>, collecta a praeceptoribus cuiusque classis et in hoc genere versatis et assuetis.

Modus autem explicandi praecepta et auctores ex captu discipulorum etiam ex parte traditus est in ipsa ratione studiorum cap. 5 de studiis humanitatis<sup>161</sup>, et saepe aliis in locis, et facile colligi potest ex paradigmatis et exemplis singulis scholis propriis, quae his adiunguntur. In genere tamen et universim videtur posse esse huiusmodi: Si quis auctor enarrandus est in classe rhetoricae et humanitatis, explicari debet, quisnam is fuerit, qua occasione scripserit, qua aetate quove tempore, et cur hoc vel illo modo. Postea dilucide declarandum totum argumentum, et indicandum, a quibus auctoribus idem tractetur. Et distribuendus liber perspicuitatis gratia in capita vel partes, et aperiendum, quid in quaque contineatur. Deinceps in singulis lectionibus mens auctoris aperienda, et rerum connexio, et multa ex antiquitate proferenda, uti praescriptum est in ratione studiorum; et maxime (pag. 297 n. 59)<sup>162</sup>. Tum vero contextus synonymis ac phrasibus selectioribus illustrandus, praecipua quaeque breviter annotanda. Universum rhetoricae artificium aperiendum cum tropis et figuris. Denique stylus ad imitationem auctoris componendus. Horum autem, quae iam dicta sunt, nonnulla sunt observanda etiam in classibus grammaticae, veluti explicatio contextus, phrases selectiores et alia huiusmodi. In explicandis rhetoricae praeceptis in classe rhetoricae variorum auctorum sententia proferenda erit. Sed in compendio rhetoricae et aliis praeceptionibus explicandis satis erit mentem auctoris declarare et exemplis illustrare.

Ad secundi capitis priorem partem: Quotidianae disputationes recte instituentur per decurias, si quotidie media pars unius decuriae disputet contra aliam medietatem alterius. Et ulterius tota decuria contra aliam, ut prima contra secundam, tertia contra quartam et vicissim; atque ita consequenter, ut tota classis simul disputet omnibus decuriis pariter adversus se mutuo concertantibus, et interdum etiam ordine et per vices, audiente praeceptore ceu iudice et arbitro, lacescentibus sese invicem aut integris decuriis, aut mediis earum. In his disputationibus lectio vel thema examinabitur iuxta omnia praecepta quae tradita fuerunt, synonyma quoque et phrases exigentur ad copiam parandam, seseque mutuo interrogabunt de auditis omnibus, de omnibus partibus orationum, nominum declinationibus atque generibus, et verborum coniugationibus, praeteritis ac supinis et aliis annexis, et de verborum generibus, de constructione tam intransitiva quam transitiva, concordantiis et syntaxi, prosodia, figuris, quantitate syllabarum et omnibus, quae ad suam quisque clas-

<sup>160</sup> Quae tamen paradigmata invenire non potuimus.

<sup>161</sup> Vide mon. 23 (Prov. Franciae); supra, p. 346-47.

<sup>162</sup> Vide MP V 155 § 5.

sem pertinere iudicabit et audierunt; quin et de auditis memoriter recitandis. Proponant etiam sibi mutuo aliquid vulgare reddendum latine, et contra latinum aut graecum reddendum vulgare aut graecum. Iubeant etiam solutam orationem pedibus astringi et vicissim ligatam solvi.

Modus autem parandi copiam verborum et rerum est, ut habeant in promptu multas phrases et diversas, atque synonyma eiusdem rei, et varient per figuras et regulas diversas atque casus. Habeant etiam in rerum copia locos communes in certa quaedam capita digestos, ad qua omnia, quae legunt vel audiunt, revocent. Legant etiam assidue et frequenter auctores, qui optime de huiusmodi rebus scripserunt, aut ad parandam copiam seu rerum seu verborum conferunt, ut phrases Pauli Manutii<sup>163</sup>, Indicem Erithrei<sup>164</sup>, dictionarium poeticum et historicum, Thesaurum linguae latinae<sup>165</sup>, Nizolium<sup>166</sup>, Officinam Ioannis Ravisii Textoris<sup>167</sup>, Nomenclaturam Adriani Junii<sup>168</sup>, Iulii Pollucis Onomasticon<sup>169</sup>, Bayfium de re nautica et vestitaria<sup>170</sup>. Et denique auctores illos, qui ea scripserunt, quae sunt cuique arti propria, et rerum nomenclaturas.

Ad posteriorem partem huius capituli, scilicet de modo repetendi studia, finitis cursibus philosophiae et theologiae, iam supra responsum est in 10 capite de theologia<sup>171</sup>, quemadmodum et ad tria consequentia, caput scilicet tertium, quartum et quintum, et responsa iam dudum missa sunt.

Ad sextum caput in primis convenerunt omnes congregati, scribendas esse aliquas leges et regulas pro scholasticis. [365v] Nam et hoc initio propositum fuerat: An nimirum id expediret? Et praeterea huiusmodi leges ferendas esse tam de his, quae ad literas pertinent, quam quae ad mores spectant, omnes consenserunt. Demum, huiusmodi leges et regulas fere ex Constitutionibus nostris atque earundem Declarationibus ea ex parte, quae de scholasticis et eorum disciplina decernunt ac statuunt, decerpendas esse, plerique iudicaverunt; nec facile illis quidpiam addendum detrahendumve iudicaverunt. Praestat enim paucas ferre leges ac regulas habere, et operam diligenter dare, ut observentur, quam multas, quae non servantur; et paucae melius servantur ac longe facilius quam multae. Constitutiones vero 4.a parte cap. 7 et cap. 13 ac cap. 16 et 17<sup>172</sup> multa praescribunt de scholasticis, ex quibus colligi possunt leges et regulae scholasticorum externorum; et ex capite decimo supra pag. 268<sup>173</sup>, de tuenda puerorum disciplina ac pietate. Quod caput videtur totum collectum ex Constitutionibus et earundem Declarationibus, locis citatis. Atque etiam ex regulis communibus scholasticorum<sup>174</sup>, quae nunc passim habentur in collegiis et impressae sunt Parisiis, atque desumptae videntur ex nostris Constitutionibus, locis commemoratis; quibus pauca admodum videntur vel addenda, substraenda, aut etiam immutanda. Eamque ob rem regulae huiusmodi communes perlectae atque examinatae fuerunt. Atque haec quae sequuntur circa illas observata fuerunt.

<sup>163</sup> De A. Manutio vide supra, adn. 10.

<sup>164</sup> Valentinus Erythraeus (1522-1570), germanus; cf. *Ouvr. pédag.* . . . 256.

<sup>165</sup> De *Thesaurus linguae latinae* cf. MP II-VI 461 et passim.

<sup>166</sup> De M. Nizolio vide mon. 24 adn. 9.

<sup>167</sup> Ravisius Textor (ob. 1524), gallus; de eius *Officina* vide *Ouvr. pédag.* . . . 551-52.

<sup>168</sup> De Hadriano Junio vide supra, mon. 26 adn. 21.

<sup>169</sup> De Iulii Pollucis *Onomasticon* cf. PERIN, *Onomasticon* II 509.

<sup>170</sup> Lazarus Bayfius (ob. 1547), gallus; cf. *Ouvr. pédag.* . . . 50-52.

<sup>171</sup> Vide mon. 12 (Prov. Franc.); supra, p. 196 et ss.

<sup>172</sup> Vide MP I 161 et ss.

<sup>173</sup> Vide MP V 141-43.

<sup>174</sup> Regulas communes scholarium externorum, anno 1569 ad provincias missas, vide in MP II 229-32.

*Circa communes scholasticorum externorum regulas, haec occurrerunt* – Praeambulum regularum omnes probaverunt, nisi quod quidam putavit, addendam, esse clausulam aliquam, qua scholastici intelligant, se ad regularum huiusmodi observationem astrictos, quaque ad id etiam ipsi sese adigendos cognoscant, et earum observationem promittant; sciantque, non diutius se permittendos esse in nostris scholis morari, quam regulas hasce et leges observent. Primam probarunt omnes; secundam quoque, nisi quod omnibus visum est, huic regulae coniungendam esse quartam regulam ex statutis Dilinganis, qua obligentur omnes quater cum minimum in anno communicare, scilicet in Paschate Resurrectionis, in Pentecoste, in Assumptione Beatae Virginis et in Natale Domini<sup>175</sup>. Id quod ordo studiorum cap. 10 de studiis humanitatis agens de tuenda puerorum disciplina et pietate n. 40<sup>176</sup> monet tantum et ad id hortatur, sed non praecipit. Tertiam omnes etiam probarunt, nisi quod, ubi iubentur missae sacrificio quotidie interesse, addatur «religiose et reverenter». Quarta omnibus probata est. Quintam probarunt quoque universi, nisi quod quidam prohibendum putavit, ne usquam studiosi portent arma, aut domi etiam aut in urbe; quod tamen aliis non est, propter necessitatem, quae aliquando esse posset, id agendi. Post quintam regulam duo praeciendum putarunt, ut omnes scholastici togati incedant et praesertim in scholis. At duo alii, tantum generatim praeciendum esse senserunt, ut omnes honesto utantur vestitu, quique scholasticos decet. Duobus item visum est, nihil praeciendum hac de re, tum ob pauperes, qui id praestare non possunt, tum quia in regulis sacerdotum cavetur, ne nostri certum genus vestitus ullis poenitentibus suis praescribant<sup>177</sup>. Omnes tamen iudicarunt, clericos et maxime ecclesiasticos atque religiosos, qui nostras scholas frequentant, cogendos esse, ut habitum suo statui convenientem ferant; illi quidem clericalem et tonsuram, hi vero sui ordinis; nec aliter in nostris scholis permittendos esse. Sexta omnibus placuit, nisi quod huic regulae adiungendum censuerunt «ut abstineant a spectaculis praesertim obscaenis et choreis atque tripudiis»; atque unus tollendum putavit «a detractionibus», quia hoc nimirum tangit conscientiam et forum secretum. Septima cunctis probata est et octava quoque, nisi quod huic addendum putarunt omnes ex prima regula collegii turnonensis<sup>178</sup>, atque etiam ex statutis dilinganis<sup>179</sup> ut prius se praesentent praefecto, quam ad scholas accedant, qui nomen et patriam, atque parentum etiam nomina et statum quaerat. Atque non habitent in aedibus suspectis, maxime vero ob turpitudinem aut haeresim, nec etiam in cauponis. Quidam etiam putavit, omnibus praeciendum esse, ut faciant fidei catholicae professionem, ubi primum accedunt, antequam admittantur, quemadmodum praecipitur cum in statutis dilinganis, tum etiam in regulis turnonensibus<sup>180</sup>. Aliis tamen visum est, non esse cogendos ad professionem fidei catholicae in Italia aut Hispania, quia id minime necessarium; at in regionibus transalpinis ad eam compellendos esse. Reliquae omnes regulae cunctis sunt probatae, sed ad illas addendas esse senserunt sextam regulam turnonensis collegii, qua iubentur pueri, cum inter se tum cum praeceptoribus et pedagogis latine loqui; secundam quoque regulam statutorum dilinganorum de libris prohibitis et suspectis non habendis, et de exhibendo catalogo suorum librorum rectori, praefec-

<sup>175</sup> Vide *Statuta ab iis omnibus observanda, qui studiorum gratia ad academiam nostram dilingensem accesserint*; in SPECHT, *Geschichte* . . . 617 et 620 § 24.

<sup>176</sup> Vide MP V 142.

<sup>177</sup> Vide *Regulae sacerdotum* (Romae 1582) n. 25; et in *Institutum S.I.* III 16.

<sup>178</sup> Vide *Academiae Turnonensis Statuta*; ARSI, *Tolos.* 22, f. 43. – Cf. DELATTRE, *Établissements* . . . IV 1407-35.

<sup>179</sup> Vide SPECHT, *Geschichte* . . . 616.

<sup>180</sup> De professione fidei facienda vide supra, adn. 95 et 125.

to studiorum, aut praeceptoribus et eisdem ad illos afferendis, ut visitentur. Quintam praeterea dilingensis academiae, ne absint a classe absque facultate praeceptoris; quae addi potest ad nonam communem, ne nocte discurrant per urbem aut vagentur, ne incedant larvati, nec cum instrumentis musicis urbem obambulent; et ne gladiatoribus operam dent, secundum quosdam; licet alii hoc cavendum non putaverint. Ad haec, quotquot latine loqui norunt, aut latinum sermonem intelligunt, iubeantur interesse declamationibus, quoties illae habebuntur, ut omnibus visum est, quia ita iubent Constitutiones 4.a parte cap. 6<sup>o</sup><sup>181</sup>. Atque hae sint communes omnibus classibus leges.

Particulares leges ex singulis facultatibus desumendae videntur ex iis, quae sunt propria singularum facultatum et singulis scholis accommodata. Nam theologis praecipendum videtur, ut semper in locis publicis ferant vestem talarem et pileum quadratum, et epomidem in actibus addant; et intersint semper disputationibus et actibus. Aliqui tamen iudicarunt, haec potius optanda esse, quam praecipienda. Philosophis etiam praecipitur, ut intersint omnibus lectionibus et repetitionibus, ubi habentur, atque disputationibus omnibus et actibus, quando habebuntur. His etiam regulis addantur etiam regulae praeceptorum et praefecti studiorum, quae conficiendae et scribendae sunt iuxta hunc ordinem studiorum<sup>182</sup>, et desumendae tum ex Constitutionibus, tum ex hoc libro.

### Provincia Lugduniae

*In sex capita manu scripta in fine impressae methodi* – In cap. 1 – Exempla singulis scholis accommodata de modo explicandi praecepta et auctores pro discipulorum captu.

In 3.a classe grammaticae p<sup>o</sup>, explicentur mane et vesperi lingua vernacula praecepta grammaticae cum auctore aliquo, Cicerone aut alio. Deinde iubeantur singillatim multi pueri repetere; 3<sup>o</sup>, a se invicem percontari, quae explicata sunt; 4<sup>o</sup>, phrases dentur ad usum praeceptorum. 5<sup>o</sup> Sequenti die memoriter recitentur eadem praecepta cum iisdem exercitiis, et ita deinceps. Diebus sabbathi recitetur hebdomada et aliquando de suggestu ad animandos pueros; et dictetur thema pro eorum captu longiusculum. Doceantur hic graecae linguae elementa.

In 2.a idem quod in 3.a, sed praeter phrases dentur etiam themata singulis diebus, et doceatur declinare et coniugare graece.

In 1.a idem quod in 2.a, et praeterea explicetur ruditer ars conficiendi versus; et bis in hebdomada dictetur materia carminum ex poeticis phrasibus, ex quibus facile possint carmina confici. Doceantur partes orationis graecae, quid sit nomen, verbum etc.

In classe humanitatis accurate poëtae et poetica doceantur; tum quae ad historiam, fabulas, mores pertinent; deinde componantur graviora carminum genera, quantum tempus feret. Huius classis auditores [*Stud. 3, f. 397v*] graecas lectiones graece repetere debent; quod facillime fiet, si partes in p.a grammaticae didicerint. Praeterea rhetoricae praecepta a Paschate.

In classe rhetoricae, quae ad omne genus orationis et styli pertinent, exacte debent doceri, tum exercitationes graviores praescribi; cuiusmodi sunt diebus sabbathi (praeter ea, quae praescribuntur huius classis propria p. 253 et 254 n<sup>o</sup> 3)<sup>183</sup> disputare more oratorio et contrariis orationibus meditationis quaestionem aliquam vicissim et continenter agitare; lec-

<sup>181</sup> Vide *Const. P. IV* c. 6 § 13; *MP I* 247 249.

<sup>182</sup> Vide *MP V* 41.

<sup>183</sup> Vide *MP V* 133-34.

tiones graecas et latinas habere; recitare orationes descriptas; quarum censores tum sint condiscipuli, qui audiunt; arguantque iudice preceptore, si quid in inventione, dispositione, elocutione aut alia rhetoricae parte peccatum sit. Eadem in poematibus statuatur exercitatio singulis diebus; praeter solitas exercitationes alternatim decernere ex aliqua decuria duos aut tres, qui auctoris hesternam lectionem alio genere orationis vertant, orationem in versum aut versum in orationem solutam, vel sententias aliquas tribus aut quatuor periodis explicatas in sublimi aut mediocri aut infimo genere dicendi. In hac classe debent adolescentes graecas lectiones graece repetere. Id quod in nonnullis huius provinciae collegiis iam fit magno adolescentum fructu; quibus tam facile est suas lectiones graece explicare et partes orationis percurrere, quam latine. Caeterum multae sunt proponendae exercitationes, e quibus utiliores pro tempore et loco a praeceptoribus in praxim revocentur.

*In cap. 2 – De modo quotidianarum disputationum, parandi copiam verborum et rerum, repetendi cursum philosophiae, theologiae.*

De modo quotidianarum disputationum non alia videntur dicenda quam quae praescribuntur pag. 252<sup>184</sup>. Unde, quae quotidie fieri deberent in disputationibus classium, possunt excerpti.

Ad comparandam autem verborum copiam utilissimus est ille modus variandi per omnes casus et tempora unam et eandem rem, ut: diligitur a me Cicero; Ciceronis mihi grata est voluntas; Ciceroni omnia debeo; Ciceronem imprimis magni facio; o Cicero, omnium amantissime; in Cicerone legendo [398r] et diligendo sum totus; diligo Ciceronem; diligendus est mihi Cicero; semper a me dilectus fuit; iustum puto a me diligi Ciceronem. Multa possunt seligi praecepta ex Erasmo, et libro *De copia verborum et rerum*<sup>185</sup>.

Ad comparandam vero rerum copiam, praeter doctrinam locorum rhetoricorum, praesertim quae ab Aristotele 2<sup>o</sup> Rhet. pro singulis causarum generibus assignantur, cap. 6 et 7 pro deliberativo, capite nono pro demonstrativo, cap. 10 pro iudiciali.

Multum valent p<sup>o</sup> chriarum exercitationes ex Aphthonio<sup>186</sup>; 2<sup>o</sup> sententiarum amplificationes ut fere in methodo praescribitur; 3<sup>o</sup> ut praeceptores doceant varios usus versuum, sententiarum, axiomatum, apophthegmatum, hystoriarum; exempli gratia: qui usus esse possunt in omni facultate illius versus: «Tantae molis erat etc»<sup>187</sup>, nimirum ad concludendum aliquem de re difficulter perfecta sermonem; ut in moribus: Tantae molis erat illum adolescentem corrigere, illud peccatum profligare, illam maculam eluere; in theologia: Tantae molis erat coeli ianuas aperire; in medicina: Tantae molis erat illam pestem, illum morbum depellere; in nautica: Tantae molis erat illos fluctus vincere; et ita in caeteris. In hac dicendi copia Plutarchus excellit, a quo exempla multa peti possunt. 4<sup>o</sup> ut tandiu auctorum, qui explicantur, sententiae et praeclarissima quaeque inter dicendum variis temporibus repetantur et inculcentur, ut ab auditoribus retineri possint. Experientia docet, haec duo postrema genera exercitationis magnam doctrinam et copiam adolescentibus peperisse. Possunt etiam nonnulla ex Erasmo seligi ad hunc finem non inutilia praecepta loco supra citato<sup>188</sup>.

Sex menses philosophiae cursui repetendo videntur esse tribuendi et annus theologiae, quo tempore publicis exercitationibus et privatis debent diligentissime exerceri.

<sup>184</sup> Vide MP V 134.

<sup>185</sup> Vide supra, mon. 26 adn. 22.

<sup>186</sup> Vide supra, mon. 23 adn. 4.

<sup>187</sup> VIRGILIUS, *Aeneidos* I 33.

<sup>188</sup> Vide supra, adn. 151.



*In cap. 3 – De ceremonia et modo renovationis studiorum et distributionis praemiorum.* – Pro renovatione studiorum videtur consentaneum haberi disputationes [398v] philosophicas et theologicas magno apparatu, ubi hae scientiae docentur; et praeterea orationes a rhetore aut alio praeclari alicuius argumenti commode possent actus in illud tempus reservari.

Praemia in quibusdam locis in theatro post aliquod poema recitatum solent distribui a persona aliqua facta Iustitia, Calliope aut alia, quae coronam ex lauro aut hedera capiti imponat. Tum aliqui epigrammate victori gratulentur; tandem omnes victores in templum coronati deducantur, ubi pro gratiarum actione aliquid musice cantetur. Hic modus non videtur reiiciendus.

Possunt vero distribui in ipsa renovatione studiorum, ubi graviores exercitationes non fiunt eo tempore; aut, ubi sunt disputationes theologicae et alia maiora impedimenta, ineunte Quadragesima, aut post Pascha; quibus tempus commodissimum, caeteris paribus, videtur esse. In renovatione studiorum adolescentes illo actu ad studia totius anni magnis animis capessenda oportune ab ipsis curricula comparibus excitantur.

Leges praemiorum mittimus hic inventas<sup>189</sup>, si forte aliquae ad exemplar conficiendum usui esse possint.

*In cap. 4 – De ritu promovendi ad licentiam.* – Promoveantur ad licentiam magno concertationum apparatu iustissimoque examine, nec ulli nisi maxime apti et capaces admittantur. Quae vero ad pompam externam attinent, ut simphonia, convivia, quae multum valent ad perdendam disciplinam Societatis et fastum augendum; atque ideo plane tollenda sunt.

*In cap. 5 – De insignibus rectoralibus in universitate [399r].* – Vestis nigra paulo laxior et ad antiquitatem accedens, pelliculis candidis suffulta, si ita videtur, in more aliarum academiarum; item epomis et in medio pileo flosculus sericus, non magnus et coloris violacei, non candidi. Alia insignia non vidi Turnoni introducenda.

De immatriculatione et aliis nihil habemus, quod dicamus, nisi ut, quae iam constituta sunt, servantur. Id tantum monemus, gubernatores universitatis aut promotores non valde videri utiles, quod cum scholasticis nocentibus colludant saepissime praemio aut gratia corrupti; quod Mussiponti docuit satis longa et molesta experientia; nec alii videntur introducendi ministri aut carceres, sed utendum iis, qui iam sunt constituti in civitatibus; sic enim odium vitabimus et plus proficiemus. In iuramento sequenda est Bulla Pii IV<sup>190</sup>.

*In cap. 6 – Leges mittimus, iam pridem Parisiis impressas<sup>191</sup>, communes omnes scholarum, quae amplificari aut corrigi poterunt. Particulares non admodum videntur necessariae, si hae bene servantur.*

### Provincia Poloniae

Iam ut ad ea quoque capita respondeatur, quae in chartula seorsim examinanda proposita fuere, de iis hoc fuit congregationis iudicium:

Primum, de penultimo pauca admodum occurrere, nisi generatim dicenda; cum pleraque quae eo continentur, hactenus in his locis in nullo usu esse potuerint. Itaque, quod petitur iudicium congregationis de insignibus rectoralibus in universitate, de immatriculatio-

<sup>189</sup> Procul dubio leges praemiorum, a P. Perpinyà S.I., anno 1564 ad usum Collegii Romani conscriptas; eas videsis in MP II 638-40.

<sup>190</sup> De professione fidei vide supra, adn. 146.

<sup>191</sup> De legibus scholarium externorum vide supra, adn. 140.

ne, de officio cancellarii, bidellorum, ministris iustitiae, gubernatore, carcere, mulctis, correctione iuramentis, respondetur.

Pro rectoralibus insignibus, quia hîc hactenus de simplici et plano processu est, sola epomide usus est promovendus et promovens, sive ille rector fuerit sive alius ex doctoribus; expectabimus interim, si quid aliunde opportunius suggestum fuerit. Videbatur tamen congregationi, ut hac in re in quovis fere regno nostri attenderent, quid academiae aliae catholicae antiquiores in illa provincia faciant, ut secundum id nostri sese accommodent, quantum fieri possit, ad usum patriae.

Immatriculationis melior non occurrit modus quam qui 4 par. Constit. c. 17 § 3 et D<sup>192</sup>. praescribitur. Ita de officio cancellarii placent ea quae partim ibidem [*Stud.* 2, f. 164v] in Constitutionibus habentur, partim in praxi iam communi in regulis praefecti scholarum, qui in universitatibus est simul cancellarius<sup>193</sup>, partim in ipso hoc novo studiorum ordine passim continentur.

Bidellorum hic nullus est alius fere usus, quam in publicis actibus promotionum; in quibus clavam vel sceptrum portat et praeit pompam doctorum euntium et redeuntium cum promoti; et ad promissiones quasdam porrigit sceptrum promovendo ut illo tacto iuret vel promittat; denique, denuntiat varios actus, affigit conclusiones, distribuit et alia huiusmodi, quae incident pro re nata. Sed non parva incidit dubitatio, unde salarium ei praeberi debeat; quod itidem et de notario similibusque officialibus accidit; de quo aliquid certi statuendum esset.

De carcere visum est necessarium esse, ut esset ad coërcendos petulantes; sed tamen rarius adhibendum esse. Sed de ministris iustitiae ac gubernatore maior pro his partibus difficultas occurrit, ubi summa nobilitatis est libertas, et maior fere studiosorum pars est nobilium. Itaque nihil hactenus in hoc genere aptum reperiri hic potuit. Expectabimus, quae aliunde constituentur, ac si quid aptum fuerit partibus hisce, libenter accommodabimus. Mira enim libertas est ac licentia nobilitatis in hoc regno, cum etiam homicida liber incedat ab omni periculo, et ipsum cadaver occisi usque ad proxima comitia reservari debeat, ut inibi praesentetur et causa cognoscatur et sententia feratur.

De mulctis omnino visum est instituendas [165r] esse ad eos coërcendos, qui virgarum capaces non sunt et iis similes. Ubi, ut tollatur suspicio omnis sordidi quaestus, modus statuendus esset, ut ab ipsis studiosis colligerentur asservarenturque, superintendente et unam clavem cistae habente praefecto, et deinde in publicum scholarum bonum conferentur.

De iuramentis visum est, in sola promotione ad gradum aliquem exigenda. Ac tum duo iurare debere: Primum de non oppugnanda academia nec iuribus aut privilegiis eius; alterum de non recipiendo eodem gradu in aliis academiis. Alia, si qua sint requirenda, sub solam promissionem cadere debere. Haec de 5.to puncto. Iam de aliis ordine.

De primo, ubi petuntur pro singulis scholis humanitatis paradigmata et exempla singulis scholis proportionata de modo explicandi praecepta et authores ex captu discipulorum, respondetur.

<sup>192</sup> Vide MP I 317 319.

<sup>193</sup> Vide *Regulae praefecti studiorum* (1569); in MP II 218-23.

## Paradigmata explicandi autores et praecepta

*In scholis grammaticae* – Authorum explicandorum modus, qui praescriptus est cap. 5 numero 2<sup>o</sup> pag. 241<sup>194</sup>, cum sit communissimus et puerorum captui accommodatissimus, retinendus videtur. Vix tantum aut melior aut commodior excogitari possit. In classe vero syntaxeos, quoniam dictari a plerisque solet etiam artificium [165v] rhetoricum, et ea pueris proponi, quae nec audiverunt nec tam cito postea sunt audituri, videtur ad pompam magis quam ad utilitatem comparatum. Proinde ab huiusmodi rebus dictandis supersedendum erit; sufficiet enim in principio epistolae argumentum paucissimis verbis aperire; deinde sententiam mentemque authoris in locis obscurioribus apertius explanare, et phrases elegantiores modosque loquendi peculiare in lectione observatos demonstrare.

Praeceptorum explanandorum ratio illa est optima, si detur opera, ut discipuli probe vim praecepti regularumque percipiant, quod subinde exemplis, primum quidem ab authore propositis, deinde etiam aliunde, praesertim vero ex lectione, quae prae manibus est, petitis, illustretur; praemissa tamen partium distributione, si quas regula seu praeceptum habere videatur. Atque haec sit communis ratio omnibus praeceptis grammaticae explicandis.

*In humanitate* – Quod ad humanitatis classem attinet, si quae in posterum prosodiae institutiones, quae mediarum syllabarum exactiorem cognitionem contineant, in lucem edentur, abstinendum praeceptoribus omnino videbitur ab annotationibus. Cum autem Soarii<sup>195</sup> rhetorica legenda erit, quoniam angustiis trium mensium vix cum aliquo fructu discipulis proponi possit, satis fuerit iudicio praeceptoris praecipua capita duorum priorum librorum proponere, ut eorum vel mediocrem habeant cognitionem auditores; in postremo autem plus operae collocet, qui et copiae comparandae et ornatui orationis maxime servit. Quamquam optandum esset, ut aliquod compendium rhetoricae conficeretur, [166r] quod loco Isagoge<sup>196</sup> in humanitate aspirantibus ad oratoriam praemitteretur. Nam Soarius neque ita brevis est, neque ita facilis in locis plerisque, ut sine commentariis possit intelligi. Quamobrem difficile erit, ut tam brevi tempore discipuli ex eo possint optatum emolumentum reportare. Tum vero posset Soarius paulatim reformari in illud rhetoricae corpus seu cursum, qui describitur in lib. pag. 296<sup>197</sup>.

Historiae explicandae ratio optime praescripta est pag. 292<sup>198</sup>; poetarum autem explanatio duplici via institui potest. Quarum alia pulcherrima quidem et non inutilis esse videtur; sed longius tempus rhetoricae praeceptionum non vulgarem desiderat cognitionem; altera faciliior et minoris operae ac utilitatis. Prior praeter poetae sententiam omne etiam artificium tam oratorium quam poeticum pervestigat, propter maiestatem rerum, decorum personarum, orationum, quae saepe, praesertim a Virgilio, interseruntur, gravitatem; quae si cum ea, qua par est, dignitate non explicantur, et frigide reddentur et imitationis recta forma auditoribus nulla proponetur. Atque hinc fit, ut nullus in eos utilitatis fructus promaneat. Caeterum, haec explicandi forma non videtur quadrare tempori praescripto praelegendo poetae pag. 293<sup>199</sup>. Posterior solam duntaxat sententiam poetae aperit; antiquitatibus et poeticis narrationibus non neglectis et reliquis, quae pag. 291<sup>200</sup> habentur. Et haec aptior classi huic, prior potius rhetoricae conveniret.

<sup>194</sup> Vide MP V 129.

<sup>195</sup> Cyprianus SOARES S.I., *De arte rhetorica* . . . (Conimbricæ 1560); cf. MP II-V 156 et passim.

<sup>196</sup> De Isagoge Porphyrii vide MP I-IV 11 et passim.

<sup>197</sup> Vide MP V 154.

<sup>198</sup> Vide MP V 152-53.

<sup>199</sup> Vide MP V 153.

<sup>200</sup> Vide MP V 152.

Idem etiam dici possit de iis, quae ex Cicerone in hac schola legenda sunt: Officiis videlicet, Laelio, Catone etc. Quia tamen id et operosius videtur, quam ut temporis patiantur angustiae, et discipulorum captui parum accommodatum atque utile, posterior illa ratio, quae tantum auctoris investigat sententiam, hîc maxime [166v] tenenda videtur. Itaque operis explicandi pro loco summa sive argumentum praemittatur; deinde totum opus in suas partes distribuatur, ut auditor iam inde ab initio, quid in toto opere expectare debeat, praecognoscat. Tum singulae partes ita explicentur, ut mens Ciceronis plane innotescat; id autem cum in capitibus tum vero in periodis singulis locis obscurioribus illustrando ac modis dicendi usumque indicando.

*In rhetorica* – Oratoria facultas, quoniam ut plurimum Ciceronem sibi vendicat, huius autem vel praecepta vel orationes sunt praelegendae, in praeceptis exponendis idem tenendus ordo videtur, qui in eiusdem philosophicis. Primum enim operis summa et partes aperiendae sunt; deinde capita partium et quae in iis praecepta continentur, singillatim excutienda, et ita interpretatione et exemplis illustranda, ut in eorum non solum cognitionem discipuli veniant, sed ad praxim (quandoquidem eo omnia ista sunt dirigenda) assuescant deducere. Porro inter explicanda praecepta Ciceronis utile fuerit discipulis brevissime indicare ea, in quibus Cicero vel a seipso vel ab aliis discrepat, ut hac ratione et auditoribus ansa praebeatur ingenii acuendi et artis ipsius magis probabiles constent praeceptiones. Cavendum autem est, ne hinc inde corrasis sive disceptationibus sive sentiis ac praeceptis diversorum auctorum inutiliter tempus protrahatur et discipuli obruantur.

In orationibus autem interpretandis, quia [167r] praeceptionum usus debet declarari, operae pretium est praeter sententiam (quo omnis etiam antiquitatis et historiae etc. ad praesens negotium spectantis expositio pertinet) totum etiam rhetorices artificium, cum in genere primum, tum deinde in singulis partibus, demonstrare. Itaque antequam ipsam aggrediatur orationem, praeter argumenti et occasionis comprehensionem, aperienda est orationis quaestio, status, firmamenta praecipua, quibus tota innititur oratoris dictio, partes, genus denique ipsum dicendi. Hanc ipsam orationem in partes disceptatam ita explicet, ut sententia totius partis exposita, suum in quaque parte proprium artificium demonstretur; idque quoad singula oratorii muneris officia, quae vulgo quinque putantur. Et quidem inventionis fontes aperiendo praeceptor, non solum ex quo loco dictum sit quodvis argumentum ad fidem faciendam, sed etiam ad motum in animis excitandum deberet indicare; nec solum haec, sed quomodo tractatur ab oratore, quibus nimirum ratiocinationis oratoriae partibus, ut iam non confusam, sed distinctam omnium auditor habeat cognitionem, quo ipse possit quid simile seorsim tentare. Idem de caeteris officiis oratoris intelligendum. Quod in Cicerone difficile non est utcumque versato praeceptor (licet non sine labore et molestia) praestare.

Videantur illa, quae pag. 297<sup>201</sup> de praelegendi ratione in classe rhetoricae praescribuntur.

De secundo, ubi de modo quotidianarum disputa-[167v]tionum petitur, de parandi copiam verborum et rerum, repetendi studia, finitis cursibus philosophiae et theologiae, respondetur.

*De modo quotidianarum disputationum* – 1<sup>o</sup>. Existimatum est, hîc non quaeri de theologicis aut philosophicis disputationibus, de quibus copiose tractatum est in ordine studiorum<sup>202</sup>; nec de iis quae de humanioribus literis in scholis institui possunt<sup>203</sup>, quae non

<sup>201</sup> Vide MP V 155.

<sup>202</sup> Vide MP V 71-77: cap. 6 – *De disputationibus*.

<sup>203</sup> Vide MP 133-38: cap. 6 – *Quibus adiumentis adolescentum studia . . . excitari atque inflammari possint*.

tam disputationes, quam repetitiones lectionum vocari debent; de quibus sufficienter quoque actum est in libro; sed de domesticis repetitionibus humaniorum literarum, tam in collegiis, ubi nostri humanioribus student, quam in domibus convictorum et alumnorum.

2<sup>o</sup>. Hae ergo repetitiones domesticae deberent esse quotidianae de lectionibus omnibus qualibet die auditis, et durare debere videntur per integram horam, sicut theologorum et philosophorum.

3<sup>o</sup>. In priori horae parte dimidia circiter hora repetendae viderentur lectiones singulae, eo modo et ordine, qui praescribitur in ordine studiorum fol. 243 § 3 in scholis servandus<sup>204</sup>. Reliqua dimidia hora proponenda dubia. Nec aliae tunc disputationes viderentur instituendae.

4<sup>o</sup>. Repetitioni (si fieri potest) deberet interesse saltem aliquando proprius praeceptor, aliquando alius quispiam idoneus.

5<sup>o</sup>. Tam ad repetitionem quam ad proponenda dubia deberent semper omnes esse parati; nec solus unus [168r] tantum repetere debet omnes lectiones, sed vel singulas vel partem aliquam singularum singuli discipuli, prout repetitor huic vel illi ex tempore iusserit.

*De verborum rerumque copia comparanda* – Huius rei exemplum difficile est vel indicare vel praescribere. Requirit enim negotium hoc artem etiam quandam, qua ingenium iuvenitur. Legi possunt de hac re Simon Verepaeus<sup>205</sup>, Erasmus<sup>206</sup>, Macropedius<sup>207</sup>, Frusius<sup>208</sup> etc., qui docent, quo pacto id praestari possit. Verepaeus quidem accomodatus admodum videtur huic exercitio esse posse.

*De repetendis studiis, finitis cursibus philosophiae et theologiae* – 1<sup>o</sup>. Supponitur ex Const. pag. 4 c. 15 § 3, quod concedantur theologis post 4 annorum cursum absolutum duo anni ad repetitionem eius, et philosophis ibidem § 2 medius annus<sup>209</sup>.

2<sup>o</sup>. Commune utrisque et theologis et philosophis, ut ubi ex ore professoris dictantis integras lectiones non exceperunt, sed iuxta Const. par. 4 cap. 6 § 8<sup>210</sup> rapsodias tantum quasdam collegerunt, eas per id tempus biennii aut dimidii anni brevius, distinctius et accuratius in scripta et libellos ad id paratos redigere possint, ut ibidem habetur § 16<sup>211</sup>. [168v]

3<sup>o</sup>. Dubitabatur, an qui repetunt, illo semestri aut biennii tempore, deberent simul convenire quotidie certis horis ad cursus suos repetendos; et iudicatum est, quod non simul debeant convenire, sed singuli privatim temporibus concessis aut assignatis studia sua repetere.

4<sup>o</sup>. Iam quod ad utrosque attinet, cum theologis integrum biennium concedatur ad totum cursum repetendum, philosophis sex menses, videbatur valde commodum futurum, si theologi cuiuslibet anni lectionibus repetendis impenderent dimidium annum, dimidia eius temporis parte unius professoris, reliqua parte alterius lectiones repetendo; philosophi vero cuiuslibet anni lectionibus repetendis tribuerent duos menses; verbi gratia (secundum distributionem nuper factam) logicae et primo libro Physicorum primum et secundum mensem, reliquis libris Physicorum de Coelo et Generatione, tertium et quartum; et libris De anima et Metaphisicis postremos duos.

<sup>204</sup> Vide MP V 130.

<sup>205</sup> S. Verepaeus; cf. supra, mon. 21 adn. 24.

<sup>206</sup> De hoc Erasmi opusculo vide supra, adn. 9 et passim.

<sup>207</sup> Georgius MACROPOEDIUS (Van Langeveld – 1475c-1558), flander, *Epitome de copia verborum* (Dillingae 1567); *Ouvr. pédag.* . . . 411-12.

<sup>208</sup> De opusculo A. Frusii S.I. vide supra, adn. 69 et passim in MP I-V.

<sup>209</sup> Vide MP I 301-05.

<sup>210</sup> Vide MP I 239.

<sup>211</sup> Vide MP I 255.

5<sup>o</sup>. Ac ne mutum sit studium hoc totum, sed fructus illius rei aliquis constet, necessarium videretur, ut etiam qui facturi non sunt actus publicos propter gradus, aliquod tamen exercitium frequens domi habeant eius materiae, quam tunc repetunt sive praelegendo sive disputando, sive praesidem repetitionum agendo et huiusmodi.

De tertio, ubi quaeritur de ceremonia et modo renovationis studiorum ac praemiorum distributione, [169r] respondetur.

*Ordo renovationis studiorum* – Videntur renovationes studiorum commodius et utilius institui non posse, quam quales hactenus fuerunt, ut quatuor potissimum complectantur: examen studiorum, disputationes, comaedia (si exhibenda est) vel dialogum, et praemiorum distributionem.

De ratione examinis instituendi copiose tractatur in ordine studiorum fol. 261<sup>212</sup>.

Circa disputationes haec visa nobis sunt observanda: 1<sup>o</sup> ut in renovatione studiorum non solum disputationes instituantur de theologicis et philosophicis rebus, sed etiam in collegiis minoribus de rhetoricis, humanioribus et linguis; et quidem hoc ordine, ut leviores praecedant, graviora sequantur. Postremo omnium exhibeatur comaedia seu dialogus, in cuius fine distribuuntur praemia. Ratio, cur sequi potius, quam praecedere debeat dialogus cum distributione praemiorum ipsas disputationes:

1<sup>o</sup> Ne sit necesse secundam quasi actiunculam institui ad praemia cum dignitate aliqua distribuenda. [169v]

2<sup>o</sup> Cum ad dialogos et comaedias dandas bonus numerus selectorum studiosorum requiratur, quibus plerumque praemia debentur, nisi distributio praemiorum coniungatur cum comaedia aut dialogo, et nisi postremo loco exhibeantur, non tam alacriter agentur et frigeant omnia in actibus sequentibus.

3<sup>o</sup> Prae se fert maiorem maiestatem tota renovatio, dum a levioribus et minoris momenti iucunditatis, celebritatis capit initium, et de die in diem procedit ad graviora, iucundiora, celebriora et magis grata auditoribus, tandemque in gratissima desinet.

Caeterum, initio renovationis una aut altera hora tribuenda esset declamationibus graecis et latinis, et stricta et soluta oratione compositis. Deberet autem praecipuam ex iis noster aliquis professor, theologus aut philosophus quispiam, recitare; aut saltem externus aliquis, qui alterutri facultati operam daret. In subsequentibus vero disputationibus semper initio et fine uniuscuiusque recitandum videretur breve aliquod et lepidum carmen, quo excitarentur ad disputandum, et gratiae agerentur auditoribus; simulque denunciaretur, qualis futura sit proxime sequens disputatio. [170r]

*In distributione praemiorum visa sunt sequentia observanda* – 1<sup>o</sup>. Ut in distributione praemiorum nulla sit acceptio personarum, sed rigide servetur iustitia. Ex ea enim pendet tota ratio eius actionis.

2<sup>o</sup>. Tria in singulis classibus distribuuntur praemia, sed a syntaxi usque ad infimam tertium detur ei, qui catechismus melius novit.

3<sup>o</sup>. Praemium non detur diligentiori tantum aut ei cui examen melius successit; nec ei, qui tantum in compositione excelluerit; sed ei, qui in omnibus his vel in praecipuis caeteros superaverit; qua in re, caeteris paribus, virtutis et pietatis habeatur ratio.

De quarto: De ritu ac modo promovendi ad licentiam, respondetur: [170v]

Ritum seu modum promovendi ad licentiam, cum alius melior non occurrat, mittimus quo hic utimur.

<sup>212</sup> Vide MP I 138-39.

Creantur licentiati in ultima disputatione philosophica vel theologica de thesibus impressis hoc pacto:

1<sup>o</sup>. Recitatur oratiuncula vel carmen aliquod breve de materia celebri.

2<sup>o</sup>. Mox sequitur disputatio, in qua non argumentantur, nisi professores vel promoti theologi aut magistri artium, vel qui ex nostris non minorem eruditionem praeseferunt.

3<sup>o</sup>. Disputatione finita descendit ex cathedra praeses et paucis verbis commendata eruditione candidati, petit a cancellario, ut illum in licentiarum ordinem admittere velit.

4<sup>o</sup>. Cancellarius pauca praefatus, nec fidei professione nec ullo iuramento exacto, promovet illum formula sequenti:

Ego N. N., huius academiae cancellarius, apostolica et regis autoritate vos artium liberalium et philosophiae (vel s. theologiae) baccalaureos earundem artium et philosophiae (vel eiusdem s. theologiae facultatis) licentiatos [171r] decerno et in hoc frequenti literatorum hominum consensu renuncio; tribuens vobis potestatem ac licentiam petendi et accipiendi gradum et insignia magisterii philosophici (seu doctoratus theologici), usurpandique et exercendi omnia ad hunc gradum spectantia, secundum privilegia, iura constituta et consuetudines huius et cuiuslibet academiae catholicae. In nomine Sacrosanctae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

In fine recitatur gratulatorium aliquod carmen, fiunt gratulationes et disceditur.

De sexto: De legibus scholarum, respondetur:

De legibus – Hic nihil novi occurrit praeter ea, quae in legibus iam conditis continentur; quae si a scholasticis nostris sancte servarentur, nihil in illis reliquum desiderari possit neque in moribus neque in literis. Caeterum, quia leges condere et executioni non mandare perinde est ac si non condantur, summopere enitendum esset et a praefectis et a praeceptoribus, ut iis quam maxime discipuli parerent.

Nisi forte de paedagogis lex nova aliqua addi videretur; nimirum, ut ii nostrae subsint disciplinae, [171v] et ex praescripto legum nostrarum et ipsi vivant, et suae curae commissos ad id praestandum quasi manu ducant. Permulum enim mali faciunt paedagogi, si vel non subsint nostrae disciplinae, vel iuxta leges non vivant.

Ioannes Blesius S.I.

*De sex capitibus extra volumen missis* – Ad 3: De more pridie renovationis oratio videtur habenda a rhetoricae professore.

Ad 4: Nihil occurrit ab iis, quae cap. 10 de scholastica afferuntur<sup>213</sup>, quae ad licentiam accommodari possunt, et statutis nostris diligens<sup>214</sup> diversum, nisi quod tum ut discrimen aliquod sit inter licentiam et doctoratum, tum ne tam saepe distrahantur professores, vellem tolli solenne illud sacrum et praesentatoris orationem, licentiamque dari in fine disputationis.

Circa 5: Expedit rectoris insignia a reliquorum doctorum multum differre, ut minimum cappa uti possit violacea et seorsim in eminentiori cathedra sedere. Necessario immatriculatio retinenda est.

Officium cancellarii, si de Societate sit, ex praefecti studiorum officio petendum est; eius item proprium est, quod in aliis universitatibus servatur, gradus conferre; si vero externus sit, nostrum non est ei praescribere regulas.

<sup>213</sup> Cap. 10 de scholastica theologia Rat. stud. (1586) vide in MP V 80-85.

<sup>214</sup> De statutis dilinganis vide supra, adn. 116 et 141.

In bidellis curandum est, ne prorsus inepti, cuiusmodi solent esse, ignari et infimae conditionis homines seligantur, eosque rectori et decanis facultatum, quarum sunt bidelli, in omnibus optemperare decet.

Ministri iustitiae, ubi gubernatoris usus est, non magnopere desiderantur. Horum enim vices supplebunt designati a gubernatore, qui ut munere suo bene fungatur, auctoritate valeat, Societatis et boni communis amantissimus sit oportet.

Carceris usus non videtur reiiciendus, neque enim Constitutionibus repugnat<sup>215</sup>, et multum confert ad malos corrigendos et bonos in officio continendos.

Mulcta pecuniaria Mussiponti odiosa et avaritiae plena quibusdam visa est<sup>216</sup>, ideo ad eam constituendam expedit scire, an in aliis Societatis collegiis eius sit usus et quo modo succedat.

Corrector retineri debet; certum autem est cum aedificatione et fructu munus suum exercere non posse, nisi sit matura aetate, pius, gravis, scholasticis minus familiaris, in studiis provectus, superioribus obtemperans, ac domi ordinarie manere contentus.

Si iuramentum, quod in licentia et doctoratu theologorum fit, circa doctrinam (ut habetur in statutis dilinganis) excipias, nullum videtur introducendum; sufficit enim communiter omnibus studiosis professio fidei<sup>217</sup> et promissio de legibus servandis. [*Stud. 3, f. 373r*]

#### Ioannes B. Gonzales S.I.

Quod attinet ad 6 cap. extra volumen missa, quia longa indigent deliberatione, id tantum nunc censeo, ut severiores potius condantur leges examinis disputationis et actuum, qui debent fieri in promovendis discipulis, quam nimis faciles; atque ut severius servantur, ni velimus non serio haec agi, nec pro dignitate, et eo loco esse nostra gymnasia apud omnes nationes, quo nunc sunt multa alia, in quibus et collapsa est disciplina et omnia fiunt ridicule. Faxit Deus o. m. ut ita omnia statuantur, ut qui viderint, fateantur, digitum Dei hic esse, non hominum. [*Stud. 3, f. 373v*]

#### Nicolaus Clerus S.I.

Philosophiae et theologiae studia ita videntur optime repeti ac recoli posse: 1<sup>o</sup>, si scripta accurate atque attente relegantur a capite ad calcem. 2<sup>o</sup>, si in his notentur praecipua rerum principia atque axiomata, ex quibus quoque in genere maxime caetera pendeant. 3<sup>o</sup>, si item praecipuae difficultates et veluti salebrae. 4<sup>o</sup>, si utraque haec etiam seorsim descripta habeantur peculiari commentario, quo identidem repeti et velut ob oculos versari possint. 5<sup>o</sup>, si in his etiam, quae minus satisfaciunt, diligenter notentur, deturque opera, ut sive praeceptoris opera sive aliorum tandem eximatur omnis scrupulus atque omnis causa dubitandi. 6<sup>o</sup>, si in Aristotelis, aut contextu Scripturae notata etiam sint obscurissima quaeque, ut interpretatio in promptu esse possit. Quo in genere multum conduceret non solum id agere, ut Scripturam percurramus, quod longum est, nec modicum otium exigit, sed etiam ut neglectis facilioribus, solum ea, in quibus plus aut utilitatis aut obscuritatis esse possit. Nam ita uno atque altero die percurri fere potest quidquid in Bibliis maxime obscurum est.

<sup>215</sup> Cf. *Const. P. IV c. 16 § 5*; *MP I 311*.

<sup>216</sup> Vide supra (*Prov. Franciae*), p. 498.

<sup>217</sup> De professione fidei vide supra, adn. 125.



Quod attinet ad ceremoniam et modum renovationis studiorum, ita videtur fieri posse: 1<sup>o</sup>, si de more oratio publica habeatur de studiis fortiter instaurandis, aut alio eiusmodi argumento tempori accommodato.

2<sup>o</sup>, si instituantur celebriores disputationes, aut etiam actus quippiam solemnes, v.g. licentiae in theologia, aut doctoratus.

3<sup>o</sup>, si tragoedia agatur palam, aut simile aliquid, quod claudat exhortatio ad capessenda litterarum ac pietatis studia.

4<sup>o</sup>, si praemia auditoribus distribuuntur, quo in genere videtur optima illa ratio, si prius scholastici vel suo quisque in genere componere iubeantur, vel etiam iidem in vario, aut etiam si prius examinentur non solum scriptione, sed et interrogatione et maxime dignis praemia distribuuntur. Quae praemia comparari possunt vel ex multis collectis, vel sumptu ipsorum scholasticorum, ad eam rem collato, vel ex pecunia academiae; puta ex ea quae penditur, ubi quis albo inscribitur, vel ex ea, quae superest convictoribus. Videtur autem ratio illa optima, ut ex turba evocetur quisque ad scenam, atque ibi palam praemium accipiat, ante disticho ornatus, nisi forte hoc magistro gravius est.

Promovendi ad licentiam: ritus ac modus Dilinganus<sup>218</sup> videtur satis consentaneus, si paucula mutantur, ut fit Mussiponti, et si uno saltem die res conficiatur. Quamquam fortasse nihil opus est praesentatore neque oratione ab eo recitanda; praesertim cum id tempus extrahat, et facile evenire possit, ut hoc genus hominibus nostris plus laboris et molestiae afferat, quam aliquid gravius atque utilius v.g. disputationes ipsae. Hic dispici velim, sitne professio fidei<sup>219</sup> facienda stando, an flexis genibus. Videtur autem posterius magis consentaneum.

Rectoralia insignia videntur esse debere imprimis sceptrum argenteum unum aut plura a bidellis praeventibus gestanda; tum vestis aliqua insignis ac propria; v.g. pallium caeruleum oblongum cum epomide eiusdem coloris, sed alba pelle aut serico suffulta; nec sine pileo atro cum filamine sive filis sericis candidis.

Immatriculatio videtur facienda a quoque scholastico, ubi examinatus, fecerit professionem fidei, et sic ut prius promittat, se universitatis rectori fore obedientem. Nec secus quemquam ad scholas admittendum.

Cancellarii videtur officium esse debere, ut gradus conferat; et sit praefectus studiorum, saltem philosophiae ac theologiae, ut theses cudendas, aut alioqui palam disputandas exponendasque prius examinet, et ubi in disputationibus nodus difficilior est, aut etiam alii monendi officii, suas partes interponat.

Bidellorum officium, ut praesto sint ad nuncia rectoris et facultatum, ut antecant rectori in actibus publicis et, si fieri potest, etiam ut scholasticos vagos ad rectorem aut magistrum sistant, ac detrudant etiam in carcerem, ubi opus erit. Certe audio Dilingae ita fieri<sup>220</sup>. [*Stud.* 3, f. 369r]

Gubernator videtur plane necessarius, qui more dilingano multa in academiae administrationem gerat nomine ac mandato rectoris. Verum non facile hic impetrabitur, tum quod Ballivus ita putaret suae auctoritati detrahi, tum quod idem sit conservator; sed sic ut nihil gerat accommodate ad politicae rationem. Porro gubernatori opus esset administris, quorum opera pleraque exequeretur.

Carcere videtur plane opus ad cohibendos eos, qui excesserunt ex ephebis, ut quos nec vapulare decet, nec ferulis subiici.

<sup>218</sup> De quibus vide supra, adn. 116 et 141.

<sup>219</sup> Vide supra, adn. 125 et 183.

<sup>220</sup> Vide SPECHT. *Geschichte* . . . 621 § 17.

De corrigendis scholasticis plurimum laboramus. 1<sup>o</sup>, non semper est copia correctoris, 2<sup>o</sup>, non admodum nostros decet punire, cum ad flagra veniendum est. 3<sup>o</sup>, plerique haec detrectant discipuli. 4<sup>o</sup>, multa plerique non continentur in officio, alii etiam hoc poenae genus tribuunt cupiditati nostrorum.

Iuramentum non videtur facile exigendum, nisi in abiuratione haeresis, professione fidei, actibus nonnullis.

Leges peculiares theologis esse possunt, ut utantur veste oblonga et epomide suis temporibus, ut certo loco sedeant, ut pileum gestent quadratum domi et foris.

#### Laurentius A. Faunteus S.I.

Ad chartulam adiunctam respondeo paucis

Ad 1.am – Paradigmata explicationum et exemplorum placent admodum, quae auctores Rationis studiorum praescribunt.

Ad 2.am – Ratio quotidianarum disputationum ab auctoribus praescripta et usitata videtur optima.

Ad 3.am – Ceremonia renovationis studiorum et praemiorum placet, quam in Germania et Polonia servari vidi.

Ad 4.am – Ritus promovendi ad licentiam Dilingae<sup>221</sup> placet.

Ad 5.am – Insignia rectoralia, officia cancellariatus etc. placent, ut Dilingi [!] vidi servari, nisi forte in cappis rectoris nimius splendor videatur. [179v]

Ad 6.am – Leges scholarum Romae et Dilingae valde bonas vidi.

#### Alfonsus Pisa S.I.

*Praxis studiorum philosophicorum et humaniorum* – Quae habentur in libro, mihi placent omnia. Restat, ut scribam de sex capitibus manu scriptis et nobis propositis.

*Primum caput* – Pro singulis scholis humanitatis ponere paradigmata, et exempla singulis scholis proportionata de modo explicandi praecepta et autores ex captu discipulorum. Haec exempla poterunt poni ab iis qui actu docent in his scholis, idque ad praescriptum libri; in ipso enim libro satis bene modus iste traditur.

*Secundum caput* – De modo quotidianarum disputationum, parandi copiam verborum et rerum, repetendi studia finitis cursibus philosophiae et theologiae. Hoc caput habet tres partes.

Prima pars secundi capitis – De modo quotidianarum disputationum. Liber cuius praescripta in hoc genere dixi mihi placere, nullas habet quotidianas disputationes nec pro philosophis, nec pro humanioribus. Si quotidianae hic vocantur quae in libro humanioribus indicuntur frequentes, modus ibi praescribitur satis bonus cap. 6 pag. 250 et<sup>222</sup> deinceps.

Secunda pars secundi capitis – De modo repetendi studia, finitis cursibus philosophiae et theologiae. Nullus occurrit modus commodior quam ut, qui audivit cursum, eo finito doceat. Antequam autem docere [*Stud.* 3, f. 289v] incipiat, praeparet se ad docendum. Ad praeparationem autem hanc concedatur ei tempus quod putat sibi esse necessarium. Alius enim indigebit maiori tempore, alius minori. Alium modum repetendi studia ego non vidi in Societate; et Societas ita occupare cogitur fratres in officiis aut domesticis aut cum externis proximis, ut non possit concedere tempus privato studio melius quam hoc modo.

<sup>221</sup> De quo cf. supra, adn. 116.

<sup>222</sup> Vide MP 133-35.

*Tertium caput* – De ceremonia et modo renovationis studiorum et distributionis praemiorum. Hunc modum puto bene describet R.P. Vicerektor noster<sup>223</sup>.

*Quartum caput* – De ritu et modo promovendi ad licentiam. Sum ego bis factus licentiatius. Ritus vero in academiis fuit ille, qui describitur in libro pag. 148 et deinceps n° 7 et 8<sup>224</sup>; nisi quod lectio et argumenta, quae liber praescribit facienda publice, fiebant tantum coram examinadoribus. In die vero promotionis ad licentiam tantum habetur oratio, qua illa petitur, et altera, qua conceditur a promotore, qui promovet, aut pro eo quod habetur in libro, confero tibi s. theologiae doctoratum, dicat, creo te atque declaro s. theologiae licentiatum. Hoc facto, quando fiet doctor, nullum praecedat examen, neque disputatio, sed tantum petitio gradus et concessio; et tunc astat bidellus cum insignibus, pileo, libro etc. Haec enim insignia non dantur in licentia, sed tantum in doctoratu sive magisterio.

*Quintum caput* – De insignibus rectoralibus in universitate, immatriculatione, officii cancellarii, pedellorum, ministris iustitiae, gubernatore, carcere, mulctis, correctione, iuramentis. – Hoc caput multa comprehendit et plura quam prima fronte videri possunt. Ad quae hoc sit meum responsum: Sex patres autores libri dicunt, se tantum proposuisse generalem quamdam studiorum formam, ex qua postea regulae sint conficiendae; aliae pro auditoribus, aliae pro professoribus, aliae pro cancellariis et aliis officialibus<sup>225</sup>. Crediderim igitur expedire, ut isti patres, qui generalem rationem studiorum tradiderunt, convocentur iterum Romam, et conficiant alterum tractatum, magis particularem, ubi compleant haec, quae in hoc libro videntur polliceri. Regulas scilicet pro omnibus academiae officiis, et postea illae poterunt mitti per provincias, ut missus est hic liber, ut alii in provinciis dicant suas sententias.

*Sextum caput* – Praescribere communes leges scholae et forte etiam particulares ex singulis facultatibus, de moribus praesertim. – Extant leges iam praescriptae a maioribus nostris pro auditoribus scholarum nostrarum<sup>226</sup>, et pro convictoribus<sup>227</sup>, et pro congregatione B. Virginis studiosorum nostrorum<sup>228</sup>; si quae vero adhuc desiderantur, confici poterunt ab iis, qui conficient pertinentia ad quintum caput praecedens.

<sup>223</sup> Ioannes Leopoltanus S.I., collegii calissiensis vicerektor; cf. *Pol.* 6, f. 131v-32r. – Vide supra (Prov. Poloniae) – Ordo renovationis studiorum et de distributione praemiorum; p. 512.

<sup>224</sup> Quem ritum promotionis vide in MP V 82-83.

<sup>225</sup> Vide MP V 41.

<sup>226</sup> De regulis scholarium externorum vide supra, adn. 157.

<sup>227</sup> Vide *Leges convictorum collegii braunsbergensis S.I.* (1580); in MP IV 141-44.

<sup>228</sup> Vide *Regulae congregationis Collegii Romani* (1587); in MULLAN, *The Sodality of our Lady* 24\*-42\*.

## APPENDIX

### NICOLAUS ORLANDINI S.I.<sup>1</sup> ORDINE DELLE SCUOLE PER IL COLLEGIO DI NAPOLI Ad annum 1582-1583

TEXTUS: Romae, Biblioteca Nazionale Vittorio Emanuele II, Mss. Gesuitici 1433 (3560), f. 403r-18r; originale, manu nobis ignota exaratum. De codice cf. MP II 57\*-59\*. Exemplum nostri documenti, luce depictum, invenitur in ARSI, *Stud. 1/b*, f. 403-18.

EDITIO: Mon. Paed. (1901) p. 247-80; doc. 28.

AUCTOR ET TEMPUS: In codice Mss. Ges. 1433 (fol. 279v) habetur elenchus documentorum, quae in eo locum obtinuerunt. In quo P. Brunelli (qui exeunte saeculo haec documenta, Patre Generali mandante, collegit) nostrum documentum hunc in modum recenset: «Ordine de le scuole del P. Nicolò Orlandini per il collegio di Napoli, secondo l'uso d'allora, circa l'anno 1582». Quae assertio confirmatur epistola quadam Patris Acquaviva, praep. gen., qui die 19 aug. 1581 haec scribebat nostro Nicolao, nondum sacerdoti: «Mi son rallegrato che l'andata vostra a Napoli sia riuscita con utile non solamente vostro, poichè vi ci trovate meglio di sanità, ma insieme a cotesti studi di humanità, industriandovi di raddrizzarli. Desidero non di meno che questa vostra occupatione sia tale che serva et non impedisca o ritardi il fine per che fuste mandato costà; voglio dire che sia moderato et vi sia come per trattenimento o recreatione» *Neap. 2*, f. 92r.

SUMMARY: I – Della scuola di humanità. II – Della prima scuola di grammatica. III – Della seconda e ultima scuola.

#### [I – Della scuola di humanità<sup>2</sup>]

##### La distributione dell'hore nell'humanità

La prima hora della mattina si metterà da un quarto e mezzo in far recitare, et il resto in far ripetere la lettione precedente. Et mentre la prima mezz'hora li scolari recitano alli suoi decurioni, il maestro può privatamente rivedere qualche compositione.

La seconda hora si metterà parte in leggere, parte in repetere quel che s'è letto. Et leggerà il maestro mezz'hora larga; ma non arriverà a tre quarti, acciò vi sia tempo per esercitar' li scolari.

La terza mezz'hora si spenderà in dar la compositione et leger l'arte metrica; et se vi sarà tempo, in farla ripetere.

Dopo pranzo – La prima hora del dopo pranzo si spenderà tutta in veder privatamente le compositioni. Et nel fine dell'hora ne vederà il maestro alcune pubblicamente. Et mentre che si vegono le compositioni, gli scolari s'occuparanno in far qualche cosa simile agl'esercitii che sono proposti nel capo degli exercitii in commune.

<sup>1</sup> N. Orlandini S.I. (1553-1606), florentinus, Societatem ingressus est anno 1572 Romae; absolutis ibidem studiis philosophicis et partim theologicis, medio anni 1581 missus est, salutis recuperandae gratia, Neapolim; ibique per quatuor annos docuit litteras humaniores, egitque praefectum studiorum inferiorum. Romam reversus, per tres annos conscripsit litteras annuas totius Societatis. Est etiam auctor operis: *Historiae S.I. pars prima (Ignatius)*. Obiit Romae, die 17 maii 1606. Cf. SOMMERVOGEL V 1934-35.

<sup>2</sup> Scriptum Nicolai Orlandini conferri potest cum ea *Rationis studiorum Borgianae* (1569) parte, quae est: *De studiis humaniorum litterarum*; quam videsis in MP II 233-53.

La seconda hora, fatto brevemente ripetere la lettione passata, si legerà di nuovo l'altra, procurando che avanzi tempo per farla ripetere, et dar l'argomento di versi, quando bisogni.

L'ultima mezz'ora si leggerà greco. Ma se il maestro di greco fusse diverso, e tornassi più comodo al maestro del latino che si leggesse greco la prima mezz'ora del dopo pranzo, si potrebbe fare. Et all'ora gl'altri esercitii andranno mezz'ora più tardi, non facendo altra mutatione.

Il mercordì o giorno di vacanza non si muta niente, acciò li scolari non habbino causa di lasciar la scola, vedendo che non si fanno li soliti exercitii.

Il sabbato si mette la prima hora, così della mattina, come della sera, in recitare parte in privato, e parte in publico; l'altre hore in ripetere le lettioni della settimana, o in dispute; eccetto che l'ultima mezz'ora della mattina si dichiara la dottrina cristiana.

### Circa il modo de legger dell'humanità

Perché questa scola abbraccia più sorte di lettioni et compositioni, poichè il primo semestre ha differenti exercitii da quelli del secondo, per questo andremo discorrendo per tutte le lettioni et compositioni, quali devono essere. Et saranno queste: [403v]

*Circa le lettioni* – Nel primo semestre si legge la mattina qualche cosa di Cicerone in genere temperato, come sarebbono gli Officii et altri opuscoli che vanno congiunti insieme, le Tusculane, qualche libro De finibus et altri simili.

La sera si legge Virgilio. Et si va alternando con qualche historico, come Cesare o Sallustio, o altro simile; talché un giorno si legga il poeta, l'altro l'historico.

Nel secondo semestre si legge la mattina la rettorica di Cipriano<sup>3</sup>, et la sera l'oratione di Cicerone.

Et a queste lettioni, così del primo, come del secondo semestre, s'aggiunge la lettione del greco, parte di grammatica, parte di qualche oratore et scrittore greco, oltre all'arte metrica.

*Circa le compositioni* – Nel primo semestre s'esercitano li scolari in comporre epistole o discorsetti brevi, et in far versi esametri et pentametri. Nel secondo in far orationcelle, et imparar a far' qualch' altra sorte di versi.

Di tutti questi essercitii tratteremo in particolare, acciò si sappia, come s'habbino da fare; et prima della lettione di Cicerone, che si fa il primo semestre. Nella quale ci fermaremo di proposito, per contener' quella il modello et molte cose simili all'altre.

La lettione di Cicerone nel primo semestre

Il legger' con utilità nella scola dell'humanità consiste in far bene queste cinque cose: Prima, nel dir l'argomento et senso della lettione. – 2. Nella dichiarazione del testo. – 3. Nella eruditione delle cose. – 4. Nella proprietà delle parole. – 5. Nell'osservatione della lingua.

*Circa l'argomento* – L'argomento et senso della lettione debbe haver queste conditioni: Prima, che connetta quel di sopra col presente o seguente, per far conoscere meglio l'ordine et dispositione, et la mente dello scrittore. – 2. Debbe esser breve il più che sia possibi-

<sup>3</sup> Cyprianus SOARES S.I. (1524–1593), *De arte rhetorica*; cf. supra, mon. 10 adn. 211 et passim.

le, acciò si possa tener a mente. – 3. Debbe esser fatto con parole succose che abbracciano tutto quello che s'ha da interpretare, o almeno uno periodo. – 4. Si debbe cavar' in modo che ci serviamo delle parole dell'autore sì perché sono più belle, sì perché [404r] viene ad esser cavato più fidelmente.

Et questo modo di cavar il senso della lettione insegna alli scolari a saper fare estratti delle lettere, come si suole nelle segretarie; che non è piccola utilità.

A questo ancora giova haver letto tutta l'opra che si piglia ad interpretare, et tener l'economia et architettura dell'autore, per saper sempre dove si trova, et così agevolmente si cava il senso di qualsivoglia parte dell'opera.

*Circa la dichiarazione del testo* – Aiuta per dichiarare bene il testo: Prima, dire in particolare il senso de seguenti periodi, quando la cosa lo richiede così, come s'è fatto in universale di tutta la lettione.

2. Quando l'oscurità nasce dalla troppo legatura del parlare, giova disfare la constructione e fabrica delle parole, acciò come per via analitica si scuopra meglio quel che stava nascosto. Ma, quando nasce dall'insolentia delle parole, si devono dichiarare le parole insolite con le solite et più conosciute. Et quando viene da cose d'antichità non conosciuta a tutti, o de qualche uso recondito della latinità, si fa la cosa chiara con le altre tre parti proposte nel principio; cioè per mezzo dell'eruditione, proprietà et osservatione. Delle quali poco dopo diremo. Suole ancora procedere l'oscurità dal dir presto et mozzo. Et all'hora con aggiunger qualche parola di più, si viene a dichiarare il testo. Parafrasi comunemente non è ben fare, se non rare volte per necessità di render più chiara la cosa; perchè rari sono quelli che la possono far bene, et trovar' parole equivalenti, come quelle del testo, et spese volte in farle, si raccoglie molta paglia.

3. Aiuta ancora all'espianar il testo portar luoghi simili dell'autore, dove habbia trattato l'istessi concetti. Et questo è un interpretar l'autore con l'istesso autore, avvertendo d'haverli pronti, per non perder tempo in cercarli.

S'ha da avvertire poi circa il testo di non scorrer troppo, né troppo poco. Et non si dovrebbe passar 15 o 20 righe, né dichiarare manco di dieci, accioché et si possa imparar commodamente dalli scolari, che il giorno seguente l'hanno da recitare, et si faccia qualche progresso. Et in questo si regolerà secondo che il testo serà fecondo o arido di belle cose. – 2. S'ha da avvertire di non lasciar passar l'occasione di mover gl'animi alla pietà, quando il testo la porge, acciò ci sia un poco di differenza tra il leger religioso et secolare, essortandoci ancora a questo le nostre Constitutioni nella quarta parte, al cap. 8<sup>a</sup>. – 3. Quando occorre qualche luoco poco honesto, è ben passar inanzi, et non si curare d'altra [404v] esplicatione, come si dice nelle Constitutioni, P. 4 c. 5<sup>a</sup>. Et similmente, quando occorreno aperti errori contro la fede, come della mortalità dell'anima, il far vendetta delle ingiurie, et altri simili contro la religione, et contro l'unità et perfetion di Dio, doverà il maestro con bel modo ridersi della cecità de' gentili, o mostrarne compassione, acciò gl'animi teneri delli scolari comincino a bon hora a pigliar odio contro le loro falsità et si stabiliscano nella fede. – 4. Quando vi sia diversità di parere tra gl'interpreti circa qualche luoghi del testo, non debbe il maestro vantarsi d'haver trovato il vero senso, come fanno alcuni molto vanamente, o immodestamente dar adosso agl'altri.

*Dell'eruditione* – Convieni che il maestro nell'humanità si mostri erudito et infarinato di molte cose, sì per tener la scola in grado et reputatione, come anco per necessità di render

<sup>4</sup> Vide MI *Constit.* III 132 lit. A.

<sup>5</sup> Vide MP I 223 lit. E.

più chiaro (come di sopra accennammo) il testo. Ma bisogna contentarsi d'una mediocrità d'eruditione, acciòché non si lasci quel che più importa per li scolari, che è attendere bene alla lingua. Et per questo il prudente maestro si debbe guardar di queste cose:

Prima, che non sia longo in raccontar historie et cose d'antichità; ma più tosto le tocchi et rimetta lo scolare alli suoi fonti, notando brevemente gl'autori et luoghi, donde son cavate.

2. Che dica le cose a tempo, et non le vadia stirando per gola di dir assai; et quel che può serbarlo per un' altra volta, meglio è.

3. Che non faccia digressioni fuor di proposito, donde mostri poco giudicio et perda tempo inutilmente, come sogliono far alcuni in tirarci qualche trattato filosofico.

4. Che non porti gran citationi di diversi autori, per mostrarsi versato, perché questo, oltre che ha del vano, non serve a niente, et li scolari se ne scordano subito.

5. Che non porti in scola molti libri per esplicar qualche libro dell'autore, se non fusse rare volte. Et in quelli non si trattenga, come sogliono far alcuni con pochissima utilità, et habbi li luoghi signati, sì che subito li trovi nella rettorica.

*Della proprietà delle parole* – Il maestro dell'humanità debbe attendere più presto ad insegnar la proprietà delle parole, che l'eruditione delle cose, perché questa si può più agevolmente imparare da sé, che quella, che ha bisogno d'indirizzo particolare. Et l'utile del scolare consiste tutto in saper la lingua, et questa non si può ben sapere, senza intendere quel che è proprio di ciascuna parola. Ma perché questa parte ancora ha li suoi vitii, il maestro si guarderà: [405r]

Prima, di non voler mostrare la proprietà di ciascheduna parola che occorra, ma d'alcune et più speciose, et men conosciute, o da quelle che tolte dalla loro casa, sono trasferite altrove, come forastiere, in far intendere qualch'altra cosa.

2. Che, pigliando a spiegar la proprietà di qualche parola, non dirà tutti gli usi et significati di quella, che per aventura harà dal Tesoro<sup>6</sup> raccolti, ma dirà solo il suo significato nativo et anco l'uso, confirmandolo con qualch'autorità di buoni autori. Et di poi, se la parola è translata, mostrerà come si sia trasferita, perché occorre ben spesso che una parola serve a vinti significati, et chi li volesse raccorre tutti, non finirebbe mai. Ma basta saper dire l'analogia d'un principale, donde dipendono tutti gl'altri.

3. È ancora vitio grande, quando si piglia a scoprire la proprietà et translatione di qualche parola, servirsi delle medesime parole del Calepino<sup>7</sup>, o di qualche grammatico poco elegante; sì, perché il maestro dimostra di non haver simile scienza di propria pratica, ma d'haverla imparata da fresco dal Calepino o Tesoro; sì, perché, standosene alla fede d'altri et non alla sua esperienza, si mette a pericolo di pigliare de cranchi, come li stessi Tesori, che tal volta fanno una regola generale di qualche proprietà, per alcuni pochi esempi male intesi; sì ancora, perché debbe procurar di dire, più latinamente che può, tutto quello che dice, et pigliando le cose così crude come trova ne' libri, spesse volte mescola della paglia.

*Dell'osservatione della lingua* – L'osservatione o è di parole semplice, o accoppiate, et consiste in haver osservato come l'une et l'altre s'usino così nella lingua latina, come in particolare in Cicerone o altro auttore che s'interpreti. Et questa suppone un homo pratico in buoni auttore, che con suo studio et fatica habbia osservato quel che sia buono et cattivo, quel che sia meglio o peggio, quel che sia usato o disusato; talché sicuramente possa dar la sentenza di tutto questo senza paura che li sia contradetto. Ma perché questo non è

<sup>6</sup> Marius NIZOLIUS, *Thesaurus Ciceronianus*; v. MP II-V 462 et passim.

<sup>7</sup> Ambrosius Calepinus, *lexicographus*; de quo cf. MP II-V 554 et passim.

di tutti, se bene si suppone che il maestro dell'humanità sia molto versato nella lingua, con tutto ciò si guarderà delli seguenti viti:

Prima, che da pochi particolari non faccia una osservatione universale, con dir che Cicerone sempre dice così, o non usa mai questo in questo modo, o non si trova questo; perché spesse volte avverrà che li scolari stessi haveranno letto il contrario et trovare quel che il maestro non si pensava. Anzi, il maestro stesso con successo di tempo si avvederà della sua imprudenza, et troverà in uso quello che non havea trovato prima. Per questo [405v] è ben sempre moderare con qualche aggiunta simili osservazioni, con dire, che per ordinario la tale e tal cosa si suole così usare, e la tal è poco in uso, in cambio di dire che non s'usa mai, o che è errore il contrario.

2. Quando sono osservazioni non più udite, non bisogna che si contenti il maestro della sua sola autorità, ma provi quel che dice con più esempi et autorità.

3. Non bisogna che simili osservazioni siano molte, ma poche et scielte; perché chi ne vuole ragunare ogni giorno molte, oltre che non haverà poi altre volte che dire, è forza che dica dell'inetie, et cose che non stiano a martello.

4. Se ben ripetere spesso le medesime osservazioni, con accennar' che si sono dette et non venderle come nove, suole esser di non piccola utilità alli scolari, che han bisogno che li sia più volte inculcata la stessa cosa; non di meno s'hanno da fugire gli estremi, et non generar noia sempre con la medesima canzona. Et certe osservazioni poco recondite, et che hanno più del grammatico che dell'humanista, si possono più lodevolmente lasciare che recare.

5. Et essendo che l'osservazioni consisteno anco hor in elocutioni, hor in varietà, hor in belle figure et metafore, le più recondite son quelle che consisteno in parole semplici, o in particole, o in nodi dell'oratione, o in epiteti et altre cose minute, che non tutti le notano, se non quelli ch'hanno gran pratica della lingua. Et queste, come sono manco conosciute, devono esser tenute in maggior prezzo.

Con tutto ciò una bella eloquutione, una bella metafora, una bella figura che fa risplendere l'oratione, sempre s'ha da notare et raccomandarla alli scolari, che non sanno ancora far tanta stima di simil ornati, et spesse volte gioverà, anzi si doverà voltare qualche bel modo di dire in volgare, per far conoscere il suo prezzo, massime quando la cosa è difficile a dirla in latino. La varietà ancora sempre s'ha da notare, perché con quella vengono li scolari ad arricchire la lingua. Altre cose più communi si possono lasciare.

6. È d'avvertire che per provar qualche cosa oratoria, meglio è sempre servirsi dell'autorità degli'oratori più tosto che de poeti. Ma quando non si trovasse negl'oratori cosa a proposito, all'hora non si fa ingiuria al decoro, se in aiuto dell'oratore soccorre il poeta. Ma essendovi copia d'autorità, tra simili han maggior efficacia li simili, che l'autorità de dissimili; poichè ogni autore ha le sue osservazioni particolari et proprie, che meglio si provano con l'autorità di loro stessi, o de loro simili, che dell'alieni.

Et questo basti circa la lettione di Cicerone. Et li maestri, circa il far questo, avertano di parlar bene [406r] et in modo che lo scolare possa dire αὐτός ἑφη, et servirsi etandio nelle compositioni delle parole loro; tanto debbono esser pure et latine. Et per questo giova haver in casa scritto tutto quello che s'ha da leggere.

Né però si deve avezzar il maestro a guardar a ogni poco li scritti mentre che lege, perché questo, oltre che lo scredita molto nella riputatione, dà noia a quelli che lo stanno a sentire. Habbia avvertenza che, se li scolari sono deboli, s'accomodi quanto più può alla loro capacità, leggendoli etandio in volgare, quando sia di bisogno.



## Dell'historico

Se li scolari sono introdotti a sufficienza nell'historia, si può scorrere un poco più che nella lettione di Cicerone. Perché l'historico si legge parte per imparare qualche cosa d'antichità, parte per imparar il modo di tesser l'historia. Ma oltre alle cose sopradette nell'interpretar Cicerone, le quali in gran parte serviranno a questa lettione, massime se li scolari non saranno tanto introdotti che basti, si potranno notare nell'historia le cose sequenti, acciò questa lettione sia utile et habbia il fine che si pretende: Prima, la qualità della frase et modo di dire, come è differente dall'oratoria et poetica. - 2. Le virtù et vitii et legge dell'historia. - 3. Li colori et lumi che admette l'historia. - 4. La varietà delle descrittioni. - 5. Le digressioni tempestive. - 6. Le concioni rette et oblique. - 7. L'ordine et continuatione d'una cosa con l'altra, et d'un tempo con l'altro. - 8. La mutatione et vicissitudine delle cose, li casi varii, le riuscite inaspettate et cose simili che tengano sempre desto chi legge. - 9. Lo scompagir per l'opera una maraviglia, hor un'altra, per renderla uniforme et vaga d'ogni intorno. - 10. Lo sparger di quando in quando qualche moralità per insegnar a vivere, giaché l'historia est magistra vitae. - 11. Lo sparger semi di dottrina, donde si conosca la qualità dell'historico. - 12. Et finalmente la prudenza dell'historico in tacere quel che non può giovare, et dire quel che si debbe dire, in colorire le cose, in far riflessione sopra le cose humane, sopra consigli de prencipi, in refutare l'opinione degli altri scrittori circa la verità dell'historia, et simili altre cose. [406v]

Ma se li scolari fussero (come io dico) poco introdotti, bisognarebbe occuparli tutto nella lingua, et dichiararli la lettione anco in volgare, giaché ad altro non s'ha d'haver l'occhio che all'utile.

## Della lettione del poeta

Quel che s'è detto intorno all'interpretar Cicerone, debbe servir secondo il suo genere et proportionare all'interpretatione del poeta. Ma qui in particolare si noterà prima la frase poetica, et si volterà nell'oratoria, acciòché nel medesimo tempo il scolare et intenda meglio il poeta, et impari l'una et l'altra frase, sapendo qual serva per prosa et qual per verso. - 2. La differenza dell'humile verso et sublime, et delle frasi che si convengono all'uno et all'altro. - 3. La virtù del verso che s'interpreta, o sia lirico, o heroico. - 4. Le descrittioni poetiche. - 5. Le differentie delle comparationi et similitudini poetiche et oratorie. - 6. Gli affetti et figure di dire, le licenze poetiche et simili cose, secondo la capacità delli scolari. Et così averrà che senza perder tempo in lunghe historie, il maestro sempre harrà che dire in queste lettioni con grande utilità della scola.

## Delle lettioni del secondo semestre, cioè della rettorica et dell'orationi

Modo di legger la Rettorica di Cipriano<sup>8</sup>

Il modo di leggere la Rettorica di Cipriano è dichiarar' sommariamente quel che sta li senza aggiunger altro o molto poco. Perché far trattati o stendersi troppo in discorsi de rettorica, non l'admette il grado della scola, né la capacità delli scolari, et si perde tempo infinito. Ma si potrà dar un compendio delle cose più necessarie che serve per fare veder meglio la fabrica nella rettorica, o per via di dialogo, o per capi, non ponendovi del suo.

<sup>8</sup> Cyprianos Soares S.I.; vide supra, adn. 3.

2. Il secondo, che non si trattenga in capi poco utili o di poca importanza, come sono li primi cinque del primo libro, perché l'utilità vera consiste dove si incomincia a trattar dell'invention. Alla quale servono gli argomenti topici, che cominciano al cap. 16. Et in quelli bisogna esercitar gli scolari, che non possono haver molta materia di trattar una cosa. Similmente nel secondo libro sono capi, dall'undecimo inclusive sin'al 16, che appartengono a giuditii, et hoggidì non servono a niente. Et in questi capi non si dichiara altro che la sentenza [407r] del capo, et così è bene scorrerli, come quelli anco de argumentatione che appartengono a dialettici. Nel terzo ancora si può scorrere dal 52 sin'al fine del libro, dove si tratta della memoria artificiale et pronunciatione, cose o molto facili, o di non tanta necessità, come le tre parti passate. Il maestro ancora avvertirà che tutti gli scolari habbino il Cipriano d'una editione<sup>9</sup>.

3. È ben mostrar l'oeconomia di tutta la rettorica, così nel principio, come nel progresso, acciòché la resti più facilmente nella mente degli scolari, et sappino sempre, dove si trovino.

4. Non è riputato cosa utile per li scolari istituire dispute di rettorica a guisa di filosofi; perché la esperienza ha insegnato che, oltre che li figliuoli non trovano cosa buona per argumentare, vanno ancora imbastardendosi la lingua col parlar' male et senza cura. Per questo il maestro non le introdurrà, ma li farà interrogare tra di loro della rettorica di Cipriano, o di qualche dubbio che gl'occorressi, più per modo d'interrogatione che di argomento.

5. Debbe il maestro far fare continuamente essercitio di rettorica, hora in occupar li scolari in un precetto, hor in un altro, così in scola come in casa, et farli inventivi, aportando altri luoghi simili di Cicerone.

6. Al fine della lettione debbe sempre fare una recapitulatione di tutto quel che ha letto, che serva per repetitione. Et faccia intender meglio quel che s'è detto, et avezzi insieme li scolari a saper far simili recapitulationi, quando bisogni. Et qui si potrà, dar il compendio delli capitoli che si saranno letti.

#### Modo di leggere l'orationi di Cicerone

Se li scolari saranno mediocrementemente introdotti, oltr'alle cose notate nella lettione del primo semestre, potrà il maestro dir cose più proprie per l'orationi. Et per aprir la strada a cose utili, s'osservaranno in generale li precetti della rettorica, mostrandoli in pratica nell'oratione.

In particolare si mostrerà l'artificio di tutte le parti dell'oratione, con li precetti et conditione di ciascuna. – 2. Si mostrerà non solo nel principio, ma anco nel progresso la traccia et ordine dell'oratore. – 3. La differenza delle frase oratorie et non oratorie, voltando tal volta un modo di dir sublime con un temperato et più basso. – 4. La copia et varietà del parlare. [407v] – 5. Le figure delle sententie et de verbi, gli epifonemi, gli sali. – 6. Lo scompartir de periodi ineguali. – 7. Il numero più segnalato, et varietà di quello, massime nel fine de periodi. – 8. Il modo di connettere una cosa con l'altra, et un periodo con l'altro, et la varietà di passaggi et transitioni. – 9. Il modo di fugir il tedio et la satietà nel longo parlare, per via di premunitione et con rinovare l'attentione. – 10. Il modo d'abassar' le cose grandi et inalar le piccole, et accomodar' sempre lo stile alla materia, che s'ha per le mani. – 11. Il modo et artificio di provar le cose. – 12. Il modo di mover gl'affetti. – 13. Et finalmente la

<sup>9</sup> De editionibus variis opusculi Patris Cypriani Soares S.I. cf. SOMMERVOGEL VII 1331–37.

prudenza dell'oratore nelle reticentie et dissimulationi in cattivarsi gl'animi de quei che odono, in declinar' l'invidie, in nasconder l'arte, et in usar' a tempo qualche motto et qualche gratia per far più attento chi ode, et mitigar la severità di qualche cosa triste et melanconica.

#### Dell'arte metrica

La lettione dell'arte metrica, per esser' lettione quasi per accidens, et che non par' che importi tanto, li scolari non vi s'applicano con quella attentione che doverebbono; massime che sono già stracchi o distratti dalla lettione et esercitii precedenti. Per questo bisogna che il maestro la lega di proposito, et mostri di farne conto, et ne dimandi ancor conto con diligenza, et non faccia esente nessuno de questa lettione, se bene li padri delli scolari non se curassero che attendessero al verso, perché uno è causa poi che l'altri facciano il medesimo, né si può conservar con rigore la disciplina commune.

2. Nel dichiarar' li precetti dell'arte, vadia il maestro dicendo la somma, precetto per precetto, perché così li scolari vengono l'istessa cosa a udirla due volte: l'una per theorica, l'altra per prattica, et l'una fa intender l'altra.

3. Perché l'universale tanto meglio si conosce, quanto che si mostra in qualche particolare, per questo il maestro, dichiarate ben le massime o regole proposte dall'autore, le dimostrerà negli esempi che quello arreca, et ne porterà ancor de sua, se la cosa lo richiederà.

4. Non si debbano esplicare troppi precetti, ma al più due o tre; massime dove sono molte eccezioni et appendice, perché la moltitudine delle cose per ordinario con-[108r]fondono la memoria, et di qua nasce che lo scolare (che non può arrivare per la fretta del maestro che va scorrendo) diventa pusillanime, et perde l'affettione d'attendere al verso.

5. Debbe far una ricapitulatione breve di tutti li precetti che ha letto, come si disse nel legger la rettorica, che serva per repetitione et per far intenderli meglio, quando si propongono così nudi, et non perder tanto tempo in ripetere tutte le stesse parole dell'autore.

#### Della lettione greca

Nella lettione greca s'ha d'osservar' in buona parte quello che si dirà della lettione di Cicerone nella prima di grammatica; talché: Prima, si dirà in due parole latine il contenuto del testo greco. – 2. Si dichiarerà il testo, seguendo l'ordine del scrittore; et si volterà in latino parola per parola. Et dove l'uso della lingua latina non comporta la frase greca, dopo d'haver reso il puro suono della parola greca, s'esplicherà il suo concetto con altre parole accomodate all'uso della latina, come si dirà della lingua latina et volgare nelle scole di grammatica. – 3. Si tornerà da capo per notare la grammatica, et trovar li tempi con qualche proprietà di lingua, ma lo studio principale debbe esse nella grammatica et lingua. – 4. Si dichiarerà il testo di nuovo, come si fece nel principio. Et si doverrà leggere ad summum otto versi, acciò avanzi tempo per esercitar' la gramatica et far ripetere a molti quel che s'è letto. Et una volta la settimana si può dar'alli scolari tre o quatro righe latine da voltar in greco, avezzandoli a questo pian piano, se li scolari saranno idonei. Et se nel principio li scolari sono poco atti a sentir lettione d'auttori, il maestro si trattenerà in Clenardo<sup>10</sup>. Il qual per tutto l'anno si leggerà, ancorché s'interpreti qualche autore, et s'avezzaranno li scolari a poco a poco ad intender qualche cosetta da loro. Et se li farà scrivere spesso de nomi et verbi in greco, et portarli sotto la compositione del latino, et s'esercitaranno in leggere et scrivere correttamente.

<sup>10</sup> Nicolaus CLENARDUS (Cleynaerts), *Institutiones linguae graecae*; vide supra, mon. 22 adn. 7 et passim.

Il maestro non debbe far esente nessuno da questa lettione, se bene allegassero la volontà de lor padri; ma si faranno capaci li padri, col mostrar loro, quanto l'esempio d'uno può nocere a gl'altri, et l'utile della lingua greca, et come in scuola, quel tempo che si legge greco, lo scolare lo perdereia. [408v]

#### Della repetitione

Dopo la lettione, seguita il far ripetere quel che s'è letto. Et questo exercitio non si deve mai lasciare, perché li scolari tanto stanno attenti, quanto che hanno paura che non li tocchi a ripetere. Per questo il maestro dell'humanità non occuperà quel tempo che è destinato a questo exercitio, in dettar quel che lui haverà letto, ma se sarà stata qualche cosa degna d'esser notata, li scolari, mentre che il maestro legge, lo doveranno haver fatto. Et è bene avezzarli a questo, sì perché li tiene più desti et attenti, mentre che da loro vanno notando qualche cosetta; sì perché quando sperano haver l'annotatione dal maestro et di dovere esser imboccati, s'addormentano al tempo della lettione et non curano de star attenti; sì ancora perché il maestro perde multo tempo in dettare; et poi li scolari, fidatosi che hanno la cosa in scritti, come se l'havessero nella mente, non la riveggono mai; et scribono male, et fanno poco honore al maestro delli suoi scritti et fatiche. Et questo è il primo ricordo che circa il far ripetere si dà al mastro, massime dell'humanità.

2. Il secondo è che, dopo d'haver fatto ripetere tutta la lettione a uno o dua, facci leggere ad alta voce ad un solo il testo dell'autore, et secondo che quello va leggendo, egli vada interrogando hor questo, hor quello, massime delle cose che appartengono a proprietà di parole o osservation' di lingua. Perché così la cosa ha più del grave et del specioso che s'il maestro stesso dal suo libro interrogassi. Et in questo modo si essercita tutta la scola.

3. Nel ripetere s'avezzino li scolari a pronunciare bene et proferir bene le sillabe et accenti, acciocché poi, quando debbano recitare in publico, si trovino inviati; et acciocché tutta la scola sia partecipe di quello che si dice.

4. Il maestro debbe metter in pratica quel che haverà insegnato nella lettione, con dar molti latini et imitationcelle sopra li passi più belli della lettione, insegnandoli con simile pratica servirsi di Cicerone et saperlo imitare.

5. Non si debbe perder tempo in aspettar' molto uno che risponda. Et è bene avezzarli tutti a risponder presto. Et quando uno è tanto tardo, meglio è passar' all'altro.

6. Il maestro, dopo d'haver emendato lo scolare in quel che non diceva bene, lo farà ridire come è stato emendato. Perché bene spesso accade che lo scolare sta col cervello altrove, mentre che il maestro l'emenda, et si pensa che, passato quello, non li tocca altro che fare. Et questo ricordo molto più è necessario nelle scuole di [409r] grammatica, dove li scolari hanno manco giuditio et più bisogno. Et questo del far ridir quel che è stato emendato, s'osservarà anco nel dar i latini in volgare, cioè che prima di dir in latino, si ripeta il volgare del maestro, come si fa nella filosofia in ripigliar l'argomento inanzi che si scioglia.

7. Habbia l'occhio il maestro ad interrogare sempre delle cose più utili, et domandar' conto del necessario. Né si curi molto di farli dire gli autori tutti o luoghi che harà citato, perché con tutto ciò se ne scordino inanzi che eschino di scuola, et il saperli così esattamente, poco giova.

8. Non si faranno ripeter sempre li medesimi o quelli che possono far più honore al maestro. Ma si variaranno ogni dì nuovi, acciocché tutti piglino animo, né habbino materia di lamentarsi del maestro, che usi partialità.

9. Debbono ripetere con l'istesse parole del maestro, quanto sia possibile, sí per averzarli a ridir fidelmente et quel che hanno udito; sí perché le parole del maestro sono migliori et più significanti, et vengano a imparar' meglio la lingua. Né si farà ripetere la lettione ad un solo. Siano sempre apparecchiati li adversarii et correggersi l'un l'altro. Et si tengano in gara, quanto si potrà. Et questi avisi di ripetere saranno communi a tutte le scole inferiori, secondo la materia di ciascuna, poiché nell'ultima et penultima bisogna esercitar' gli scolari in cose più minute, et domandandoli conto de preteriti et farli declinar qualche nome, o congiugar qualche verbo, et cetera.

10. Nell'humanità così nel repetere, come in ogni altra occorrenza bisogna far parlar li scolari sempre in latino, perché, facendo da questa scuola passaggio alle scienze et studii più gravi, è necessario che habbino fatto un poco d'habito in parlar' latino.

11. Nel far ripetere le lettioni del giorno precedente, acciuché li scolari habbino causa di studiarle, ordinerà il maestro che tra di loro si diano delli latini sopra di quella, massime nell'humanità, che non ha tra il giorno altra sorte di disputa come l'altre scole.

12. Nel ripetere nell'humanità il maestro dichiari alli scolari le cose più difficili in volgare, se non l'harrà fatto nella lettione; et facci ripetere una volta tutto il testo pur in volgare, supponendo che vi sono sempre di fiacchi, che hanno bisogno di simil' aiuto.

Delle compositioni così di prosa come de versi

Le compositioni di prosa che si daranno, debbono essere molto meditate et degne di comparire in presenza di qualsivoglia bon giudicio, perché ben spesso avviene che li padri delli scolari riveggano i conti alli lor figlioli, et dalla compositione fanno giuditio della qualità et dottrina del maestro. Per questo sempre si porterà fatta in scuola, et non s'indugierà a farla ex tempore, quando si debbe dare. Et questo ricordo tocca a tutti li maestri dell'altre inferiori.

Il mastro dell'humanità essercita gli scolari nel primo semestre in far buone epistole. Et queste per ordinario le farà lui, acciocché siano come esempio et forma, donde la imparino da fare gli scolari. Altre volte le farà fare di proprio marte alli stessi scolari.

L'epistole saranno sempre di diversa materia, esercitando li scolari in ogni genere d'epistole, talché hora conterranno una querela, hor una congratulatione, hora essortaranno, hora sconsolteranno, hor daranno parere, hor consuleranno, hor chiederanno qualche cosa, hor ringratiaranno, hor consoleranno, hor metteranno d'accordo quelli che stanno in disgratia tra sé, hor finalmente risponderanno a tutte queste cose. Et con questo veranno li scolari a sapere scrivere et rispondere a qualsivoglia sorte di lettere. Et il maestro potrà con sua commodità insegnar loro il modo di far l'epistole secondo tutti questi generi et specie.

Alcune volte la compositione sarà qualche discorsetto, o morale o di lettere, purché né sia in modo di predica, come fanno alcuni, né troppo filosofico.

Altre volte sarà farli mettere in prattica qualche virtù dell'istoria, conforme a quello che haranno sentito nella lettione; come qualche piccola concione, qualche descrizione o di paese, o di fiume, o di battaglie, o di tempeste, qualche narratione et altre cose simili; avvertendo di non eccedere nella lunghezza. Se però li scolari saranno tanto atti, che il maestro li possa occupare in simili compositioni.

Il secondo semestre si faranno comporre orationi; et il maestro darà loro l'argomento. Ma prima che gli insegni a far tutto il corpo dell'oratione, a guisa d'un bon pittore, gl'insegnerà a far le parte, et qualsivoglia membro a poco a poco. Talché hora gli faccia fare un'esordio, hora una narratione, hora una confirmatione, et hora un epilogo et peroratione. Et

poi finalmente tutta una oratione intera, dandogli per avven-[410r]tura da voltar in latino qualche orationcella molto breve in volgare che li serva per esempio. Alcuna volta gli essercitarà in comporre delle figure, in trovar delli argomenti, et servirsi de luoghi dell'invention in muover qualche affetto, o sia di misericordia, o d'amore, o d'odio, o di speranza etc.

Circa li versi

Nel primo semestre s'esercitaranno in far versi esametri et pentametri, et in questa sola sorte di versi si perfettionaranno. Et a questo fine se li può leggere tra la settimana, quando parrà al prefetto, *Selecta poetarum*, o altra cosa simile, donde si possino aiutare.

Il secondo semestre si esercitaranno in far qualch' altra sorte di versi, aprendoli la strada pian piano ad ogni sorte de versi con leggerli qualche cosa a questo proposito. Et si darà loro da far versi due volte la settimana; cioè avanti la vacanza et la domenica, per haver più tempo.

Il maestro alcuna volta darà lui l'argomento de versi masticato; massime quando è nuova sorte de versi. Altre volte, propostoli brevemente l'argomento, li farà far' da loro. Alcuna volta ancora voltariano una sorte de versi in un'altra; v. gr. se il maestro legge un epigramma de versi exametri et pentametri, lo farà poi voltare alli scolari in verso iambico, o il iambico in endecasillabo, o questo in lirico. Et così non mancherà mai materia varia in che occuparli, et se li alleggerisce la fatica al maestro con molto utile.

Dell'emendar' la compositione

Circa l'emendar la compositione in tutte quante le scole, s'osservaranno le cose seguenti: - Prima, il maestro spenderà un hora intera (cioè la prima del dopo pranzo) in riveder le compositioni; tre quarti o poco più privatamente, et l'ultimo in publico, come poi diremo. Il riveder privatamente si fa con chiamar' li scolari ad uno ad uno, et mostrarli et correggerli dove hanno fatto errore.

2. Mentre che rivede le compositioni in privato, tenghi li scolari occupati, acciò non perdino tempo, o in tradurre qualche cosa volgare, o in acconciar qualche verso guasto, o qualche periodo oratorio spezzato, o in altra cosa simile. [410v]

3. In questo stesso tempo quelle compositioni che non rivede, le distribuirà agl'adversarii, acciò si trovino gl'errori l'un l'altro; perché così si vengono a rivedere più compositioni, et s'avezzano li scolari a conoscer gl'errori.

4. Nel emendar' faccia molto conto dell'ortografia, acciò li scolari s'avezzino a scriver correttamente. Medesimamente faccia far buona lettera, acciò questa sia testimonio della loro diligenza et cura usata nel comporre.

5. Non lasci passar' parola barbara o impropria che non la censuri; perché tanto ne fanno conto li scolari, quanto veggono che ne fa il maestro. Et gli avezzi a non mettere in carta cosa, che non l'habino trovata in Nizolio o Calepino<sup>11</sup>.

6. Dia animo alli debboli, lodandoli dove fanno bene. Et per il contrario, in quelli che troppo presumano, habbia sempre che dire et che notare. Et secondo la scola s'inalza, così debbe esser esatto il maestro in emendare i piccoli errori, et secondo la capacità delli scolari, come si dirà nell'altre scuole.

7. Si faccia render conto dal scolare, perché habbia fatto così o non così, acciò vegga, s'ha fatto bene a caso, o per scienza, et stia accorto che non si faccia inforcicare il latino.

<sup>11</sup> De quibus vide supra, adn. 6 et 7.

8. Mandi subito ad acconciar quel che haverà corretto allo scolare, et tal volta lo ri-vegga di novo. Et ad alcuni che han composto molto male, giova assai farli comporre un'altra volta l'istessa cosa, perché fanno maggior riflessione sopra gl'errori.

9. Non perda molto tempo in uno, per poter ancora veder bene l'altre compositioni. Et per questo, havendo lo scolare bisogno di correttione, la differirà a tempo suo, col farlo metter in nota, acciò non passi. Et a quelli che hanno fatto tanto male, che vi bisognarebbe spender molto tempo, si rivedrà parte della compositione, acciò non si faccia torto agl'altri.

10. Al fine dell'emendar le compositioni, il maestro ne vedrà pubblicamente alcune. Et se fussero delle peggiori, meglio sarebbe, perché le peggiori per ordinario contengono gli errori di tutte l'altre, et tutti sogliono cadere nella medesima fossa. Et forse che questo sarebbe meglio farlo nel principio, acciò quelli che si [411r] riveggono le compositioni l'un l'altro, sapessero meglio l'errori. Dopo domanderà il maestro conto a gl'adversarii de gl'errori che hanno trovati in quelle che gli diede per emendare. Et oltre di questo, farà leggere a due o tre sempre diversi quel che haveranno composto, mentre si sono reviste le compositioni, acciò che sia certo che quel tempo non lo spendano male.

11. Faccia che in capo la settimana habbia rivisto a tutti la compositione almeno una volta, tenendo ordine in rivederle.

12. L'emendatione l'humanità la darà di quando in quando, secondo che si troverà provisto. Ma gl'altri maestri non così spesso. Et quando la danno, vuol esser cosa molto polita et che possa comparire.

#### Del recitare

*Lege quae dicuntur p[ro]osteia.*

Et questo basti intorno gli essercitii dell'humanità. Del recitar' non vi è che dir altro, se non ché debbe tener gran cura il maestro di non far perder la memoria alli scolari col poco essercitio di memoria. Et così la matina, come la sera li farà recitar le lettioni passate, conforme al modo che sta nel capo degl'essercitii in commune. Et il sabato farà recitare da capo della settimana; et quando si leggono l'orationi, da capo di quelle.

## II – Della prima scola di grammatica

#### Distributione dell'hore

La prima hora della mattina si spenderà un quarto in circa in recitare; et il resto in ripetere l'ultima lettione della mattina e far essercitio sopra di quella. La seconda hora si metterà circa mezza in leggere, et l'altra mezza in ripetere la lettione all'hora letta, et dar la compositione. L'ultima mezz'hora in legger et esercitar' la grammatica.

Dopo pranzo la prima hora in emendar' le compositioni. Li tre quarti privatamente, et l'ultimo in publico, se già non paressi al maestro emendar prima in publico et poi in privato. La seconda hora per un quarto in ripetere la lettione all'hora letta. L'ultima mezz'[411v]hora in legger, et quel che resta in ripetere la lettione all'hora letta. L'ultima mezz'hora in legger et esercitar' l'arte metrica o greco, alternis diebus, per un quarto, et l'altro quarto in disputare.

Il sabato la prima hora della matina in recitar parte in privato et parte in publico. La seconda in ripetere le lettioni della mattina di tutta la settimana. L'ultima mezz'hora in dichiarar la dottrina cristiana. Dopo pranzo la prima et seconda hora [repetizione], ma delle lettioni del dopo pranzo. Il resto del tempo si spende in dispute.

Nella prima scola di grammatica – Circa la lettione di Cicerone

Questa lettione conterrà: Primo, l'argomento; 2. la dichiarazione del testo; 3. la proprietà delle parole, con qualche osservation di lingua; 4. il cavar frase.

Primo, circa l'argomento. Il senso et argomento di questa lettione sarà il medesimo che dell'humanità; se non che questo doverà ancora esser un poco più breve. Et, dopo d'essersi detto in latino, si dirà in volgare.

2. Circa la dichiarazione del testo. Il testo si doveria dechiarare tutto in volgare, et s'osservaranno le cose seguenti: Prima, che cominciando a dichiarar un periodo, si volti in volgare parola per parola, conservando l'ordine et collocatione del latino, quanto si potrà.

2º – Perché la frase latina, resa secondo il suono delle parole, spesse volte non s'accorda con l'uso del volgare, per questo il maestro, voltata la frase latina prima secondo il suono delle parole, li darà poi il suo volgare naturale, secondo l'usanza della lingua.

3º – Che occorrendo nel dichiarare il testo qualche cosa d'antichità et eruditione, non si trattenga, ma le tocchi tanto, quanto basti per far intender il testo; perché questa parte d'eruditione è più propria dell'humanità che di questa scuola.

4º – Che dica sempre una cosa del medesimo modo, et in uno solo modo; perché s'una parola latina la va voltando con due o tre volgari, lo scolare non s'afferra a nissuna, et [412r] se ne scorda spesse volte di tutte; et il maestro si mostra poco sicuro, poichè non ha saputo scierre una parola a proposito, ma perché dubita, qual sia buona, va descrivendo la cosa con più.

5º – Circa la proprietà delle parole, dichiarato nel modo predetto il testo, il maestro tornerà da capo per notare la proprietà delle parole, la quale è propria di questa scola. Et osserverà il medesimo di quello che si dice nell'humanità. Dell'osservationi scierrà le più comuni, lasciando da bando le troppo esquisite, poco intese et stimate da figlioli. Et non ne darà più che una o dui, per poter attender meglio a quello che è suo proprio, che per il ponderar' la forza delle parole. Queste proprietà et annotationi il maestro le dirà prima in latino, sì per avezzar li scolari ad intendere latino, sì perchè si notano meglio in parole latine che in volgare. Dopoi dirà le stesse in volgare.

6º – Circa le frase, finito di notare le proprietà delle parole, il maestro cavarà dalla lettione qualche bella frase o modo di dire, et la detterà alli scolari. Et avertisca prima, che non basta cavar la frase nuda et così dettarla, ma la doveria applicare a qualche cosa corrente, che venga in uso, et sia come una maniera d'imitare. – 2º Caverà simili frasi et imitationi dai luoghi più illustri della lettione. Et per questo doveranno esser poche et belle, poichè in una lettione rare volte occorrono molte frase illustre. – 3º Simili imitationi devono esser breve et di cose grave et nobili, et non di cose basse et particolari. Et a questo gioverà applicare la frase a cose universali che habbia come forma di breve sententia, di cui è proprio esser spogliata di vili et basse circonstantie et particolari. Finite tutte queste cose, si tornerà da capo a dichiarar' il testo un'altra volta in volgare. Et tutto si doverà far con somma brevità, per lasciar' tempo d'essercitar li scolari. Tutta la lettione non passerà dodici linee. Et il tempo che si mette a leggerla, non debbe mai passar' mezz'hora.

Circa il legger il poeta

Nel dichiarar' il poeta si terrà quasi l'istesso modo, se non che in quello no vi [412v] è tanta occasione d'attendere a osservatione di lingua, o a belle eloquutioni oratorie, ma poetiche. Et queste si doveranno notare in cambio delle frase che in Cicerone si cavano. Et quel ch'è poeticamente detto, il maestro lo volterà tal volta in frase oratorie, et n'avisarà lo scolare, acciò sappia quel che è buono per scriver in prosa, et quel che in verso.



La seconda volta che torna a notar le parole, può ancora dichiarar il testo in latino, giaché non v'è pericolo di far male le parafrasi, essendo molto diversa la frase poetica dall'oratoria.

#### Dell'arte metrica et greco

L'arte metrica si legge nel medesimo modo che nell'humanità. Se non che qui si legge in volgare et si mastica un po' meglio, et non si va tanto per il sottile in dichiarar' tutte l'appendice et ecceptioni. Questa si leggerà alternis diebus, come anco il greco, un giorno questo, l'altro quello, per non levar il tempo a cose più necessarie.

Il greco consiste in legger li principii di Cleonardo<sup>12</sup>, et far molto essercitio in declinar nomi et coniugar verbi, et essercitar tutti li scolari in questo, come s'è detto nell'humanità.

#### Del ripetere

Il ripeter delle lettioni è il medesimo che nell'humanità; ecetto che qui, come nell'altre scole inferiori, s'hanno più tempo a essercitar li scolari; 2º et in cose più minute; 3º et in volgare.

#### Delle compositioni

Le compositioni in questa scola, come in tutte l'altre che seguono, debbono esser di tal maniera: Prima – Debbono esser breve, accioché siano fatte dalli scolari con maggior cura (avezzandoli sempre a far poco et bene); et accioché nel rivederle si metta manco tempo; et perché li doverrà far portar sempre separatamente qualche essemplio della grammatica fatto da loro, o qualche frase cavata dalla lettione, o altra cosa, acciò li scolari siano bene occupati in casa con sodisfattione de loro parenti.

2º – Non debbono esser di cose leggieri o di baie o secolareschi, ma morali o politici, come s'è detto nell'humanità, o di cose sode et gravi. Né manco debbono essere troppo spirituali, che paiano mezzi di predica, ma piuttosto si lodarà la virtù in comune, o si spargeranno semi di pietà, presa occasione da qualche apotegma de gentili. [413r]

3º – Debbono esser secondo il dir corrente et commune, talché né habbiano dell'affettato, né del barbaro, insegnandoli a parlar bene, etiandio in volgare.

4º – Non debbono essere sempre dell'istessa materia, ma hor d'una, hor d'un'altra, talché venghino li scolari a saper ragionar d'ogni cosa, così in volgare, come in latino.

5º – È bene nelle compositioni dar i vocaboli, et dir in latino qualche bel modo di dire difficile a trovarsi; perché quel tempo che li scolari spendono in cercar vocaboli, lo mettono con maggior utilità in cercar' la grammatica, et in comporre le parti dell'oratione tra se. Oltre di questo, se si fanno trovar li vocaboli da loro, s'attaccano spesso alli peggiori, et non hanno giudicio per far la scielta de più proprii. – 3º Vengono a imparar sempre qualche bella eloquutione o modo di dire, se ogni volta il maestro dice loro in latino qualche cosa simile. Et per ordinario, le cose che servono alla compositione, restano meglio nella memoria.

6º – È ben' ancora che le compositioni siano prese dalli luoghi di M. Tullio per via de imitatione; perché così li scolari vanno imparando ad imitare. – 2º La gola di ritrovar la compositione li fa legger con molta avidità Cicerone; il che è cosa utilissima. – 3º Il dettato spesso riesce meglio. Avertendo però di non accomodar la sentenza alla frase o imitatione, ma questa a quella. Altrimente la compositione harebbe molto del stirato et poco del naturale.

<sup>12</sup> De Clenardo, grammatico graeco v. supra, adn. 10.

7º - Perché la compositione non è altro che una pratica della lettione, doverrà esser fatta secondo le regole della gramatica, che si leggerà, o a proposito della lettione di Cicerone, havendo sempre riguardo di non accomodar il discorso del dettato alli precetti della gramatica, ma questi a quella, talmente che chi legge la compositione del maestro, li paia di leggere una cosa seguita et ordinaria. Et questo avviso è più necessario per l'ultima et penultima scola, dove le compositioni debbono esser fatte per ordinario conforme alli precetti di gramatica, o alla lettione quotidiana di Cicerone.

La materia della compositione nella prima saranno discorsetti brevi o epistole, nelle quali li scolari, particolarmente il secondo semestre, s'essercitaranno secondo [413v] l'arte, acciò si trovino più disposti per l'humanità. Et sotto la compositione se li farà portar' sempre qualche verso, che haveranno per ordine del maestro havuto a racconciar'; o vero qualche nome greco o qualche tempo. Et questo ancora s'intende il secondo semestre, quando si dispongono per l'humanità. Il primo semestre basta insegnarli a scandere et imparar' le regole dell'arte metrica, con acconciar' qualche verso guasto. L'altro poi possono pian piano cominciare farne qualcuno da per loro.

Nella seconda et terza la materia della compositione, come s'è detto poco di anzi, debbe essere conforme alle regole della gramatica, et qualche volta alla lettione di Cicerone.

#### Del riveder le compositioni

Il riveder delle compositioni in tutte le scole seguenti debbe esser al modo che si fa nell'humanità, con queste differenze: Prima, che se vadia dietro alla gramatica, esaminando li latini con li precetti di quella. - 2º Che mentre si riveggono li latini privatamente, s'occupino li scolari in cose più conforme al loro grado, come in cavar frase di Cicerone. Et nella prima in tradurre qualche cosa in volgare, et nell'ultima et penultima in recopiare la lettione letta di Cicerone per imparar l'ortografia; o in far essemplio sopra la gramatica, et metter in pratica qualche precetto. - 3º Il maestro in queste scole rare volte darà la sua emendatione, se non fusse nella prima scola, dove li scolari s'aiutano più dell' essemplio del maestro, che non fanno quei dell'altre scuole. - 4º In queste scole di gramatica, massime nell'ultima et penultima, non si tratterà il maestro in emendar ogni picciolo errore, ma l'errori più importanti contro la gramatica; conforme però alla capacità dello scolare, acciò si possano emendare più compositioni; et perché lo scolare ignorante non è capace d'ogni cosa, et tal volta si sgomenta, quando si vede emendar' tante cose.

#### Del recitar' a mente

Nelle scole più inferiori tanto maggior diligenza si debbe metter in far recitare gli scolari, quanto che l'età tenera è più facile per questo essercitio. Et se non si comincia a bon hora ad essercitar' la memoria, poco giove-[414r]rà quando la persona è più grande. Sono tre utilità d'importanza quelle che apporta il far bene questo essercitio, et alle quali bisogna che il maestro habbia sempre la mira: La prima, come detto, è che la memoria fa crescendo con l'esercitarla spesso, così come l'altre parti dell'anima. - La seconda è che li scolari si servano più facilmente delle frase de gli autori, et quando vogliono comporre, gl'occorrono senza pensarvi. - La terza che s'avezzano per li bisogni et occorrenze di comparir in publico et far orationi et simili cose.

Haverà dunque cura il maestro di farli recitar mattina et sera le lettioni precedenti tutti a suoi decurioni, come si dice nel capo degli exercitii in commune, et li decurioni a un decurione maggiore, et questo al maestro. Et il sabato farà recitare o dal capo del libro, o della

settimana, secondo il consiglio del prefetto. Et metta in gara li scolari tra sé a chi meglio recita. Et avvertisca di farli recitare con voce alta et chiara et adagio, come se veramente dovessero recitare in publico; massime in sabato quando v'è più di tempo, perché con questo vengano a far un bon habito, et acquistar' facilità per comparir in publico, quando bisogni. – 2º Cominci ancor lui stesso d'un capo dell'autore a far recitare; massime il sabato. Et facci seguitar' altri hor questo hor quello, quel che segue di mano in mano. Perché così spenderà manco tempo, et s'avvedrà ben chi ha imparato la lettione. Et tal volta farà recitar alli stessi che hanno recitato ultimamente, acciocché uno non si dia ad intendere, d'esser stato interrogato di fresco, che non li toccherà così presto, et venga ad esser negligente nell'imparar' a mente. – 3º Dia ancor qualche aiuto per imparar a mente facilmente, come in scierre il tempo della mattina, l'intender bene la lettione, il star attento a repeterla, il ricopiarla, et altri simili aiuti. Et nell'humanità aiutano li precetti della memoria artificiale, che sono pur capaci per tutti che li sa ben porgere. [414v]

### Delle dispute

Tra gl'altri essercitii utili che hanno tutte le scole, massime della prima in giù inclusive, sono le dispute o di grammatica, o sopra le lettioni di Cicerone, o sopra l'eleganze et elocutioni, con li quali si disfidano l'un l'altro gl'adversarii; et queste acciocché si faccino con frutto, avvertirà il maestro le cose seguenti: Prima, che li scolari non si diano latini stirati o mal composti o pedanteschi, imparati da pedanti o huomini plebei, ma parlino come si parla comunemente; et habbino li loro themi del civile, et sia una cosa seguita. Et quando fanno il contrario, il maestro li riprenda et gle gli faccia mutare. A questo gioverà far citar la regola della gramatica, sì da quello che interroga, come da quello che risponde, perché a questo modo verranno necessariamente a studiar la gramatica.

2º – Ancora non debbono esser troppo lunghi, che non si possin tener a mente.

3º – Guardi che non si perda tempo in aspettar che l'adversario risponda, et gl'avezzi pronti et spediti che dimostrino veramente di venir apparecchiati. Et per questa causa meglio è avisarli avanti et ordinarli quel che hanno da rivedere per esser interrogati.

4º – Non s'avezzino a parlar barbaro o scorretto o troppo basso, ma latinamente, con proferir bene ogni sillaba, et con voce tale, che tutta la scola possa sentire.

5º – Le dispute debbono esser sempre varie, non solo mutando il disputar di grammatica con le dispute dell'eleganze et elocutioni, ma con variar una parte di gramatica con l'altra, talché hoggi si disputi sopra una parte, et domani sopra un'altra; et così si venga in breve a scorrer tutta la gramatica in pratica et essercitio.

6º – Debbe esser ordine tra quei che disputano, acciocché tocchi a tutti, massime a quelli ch'hanno più di bisogno et sono più negligenti, perché con questo sprone si svegliano un po' più.

7º – Insegni il modo alli scolari di cavar li loro themi da Cicerone, acciò s'avezzino insieme et apparlar bene et riconoscere li precetti della grammatica negl'autori.

8º – Determini quanto s'hanno gl'adversarii da interrogare l'un l'altro, come dir tanti preteriti, tanti dubbii della lettione o di gramatica, tanti latini.

Nell'ultima scola la materia delle dispute debbe essere spesso de preteriti et supini, et coniugare et declinare. Et in cambio delle dispute farà il mastro coniugare a torno qualche verbo anomalo o altro difficile. Et il maestro della prima, in luogo [415r] della prima, può tal volta far dichiarare qualche cosa di Cicerone, dove non habbino udito, mettendo pur gara tra gl'adversarii, di chi intende meglio latino.

### Modo di leggere et esercitar la grammatica

Nel legger et essercitar' la grammatica giova molto per farla capire agli scolari quello che s'è detto circa la lettione dell'arte metrica; cioè prima dir la somma di precetti a regola per regola, et poi dichiarar' l'istessa regola o precetto; perché questo viene ad essere come una doppia dichiarazione. Et la prima viene ad essere come theorica, et la seconda come prattica, che si fanno intendere l'un l'altra.

2º – Deve il maestro dichiarar le parole dell'autore in volgare et far ben intendere le massime che propone, per esser ordinariamente oscure, come tutte l'altre cose universali. Et perché l'universale li fanciulli non lo possono ben capire, se non in qualche particolare, per questo il maestro li farà vedere ne gli essempli che reca l'autore, la massima o precetto proposto.

3º – Non si debbe contentar il maestro de soli essempli dell'autore, ma ne debbe arrecar' ancor egli delli suoi. Et a questo' effetto se gl' apparecchierà in casa, per haverli poi pronti, mentre che legge. Perché non occorrono così subito. Et se li va cercando all'hora, o non li sovviene cosa a proposito, o va perdendo il tempo. Tanto più che, quando debbe essercitar gli scolari in quello che ha letto, bisogna haverne molti et molti, che non si possono partorire all'hora.

4º – Debbe il maestro ripetere più volte l'istesse cose sempre nel medesimo modo, et nell'istesso modo farle ridire alli scolari.

5º – Giova ancor molto andar dichiarando et interrogando, perché spesso accade, che quando si dichiarano molte cose insieme, le prime sfuggono et cascano dalla memoria, et fa più star' attenti li scolari, che facilmente si distraggono per il lungo parlare del maestro.

6º – Quando il maestro dubita, se la cosa è intesa, interroghi li più debboli, perché da quelli potrà far congettura del commune della scola. Il che non si può fare dall'interrogare li boni ingegni.

7º – Li latini che il maestro dà alli scolari, o l'istessi scolari si danno l'un l'altro nelle dispute, debbono essere facili; massime nell'ultima scola, perché la maggior difficoltà è avezzar' li scolari pronti. Et pronti non si possono far con latini difficili et astrusi. Ma bisogna [415v] farli prima rompere il ghiaccio con cose facili. Perché, quando hanno acquistato prontezza nelle facili, la pigliano ancora nelle difficili. Et in questo s'ingannano molti maestri che inviluppano il cervello delli scolari con certi latini, che ci potremmo contentare, che li facessero bene nell'humanità et scole superiori.

8º – Non bisogna dichiarar' molte regole insieme, perché la moltitudine genera per ordinario confusione di memoria; massime nell'intelletti deboli, come quei de fanciulli. Anzi, nell'ultima et penultima non si leggerà ogni giorno novi precetti di gramatica, se non hanno ben appreso li passati. Ma basterà far essercitio sopra di quelli, finché la maggior parte gli habbino bene appresi et siano bene confermati in quelli.

9º – Tra il leggere et ripetere la gramatica bisogna metter un'hora, perché questo debbe essere il proprio et quotidiano cibo delli scolari.

10º – Non in tutte le scole si debbe leggere tutte le cose della grammatica, ma nell'ultima, oltre alli precetti comuni, si leggeranno solo l'appendice del primo ordine; nella seconda l'appendice del secondo ordine; et nella prima quelle del terzo ordine. Poiché non tutte le scole sono capaci di tutte l'appendici.

## [III – Della seconda et ultima scuola]

## Modi di legger Cicerone nella seconda et ultima scuola

In queste due scole tutto si legge in volgare, osservando l'ordine, che s'è detto nella prima; cioè che prima si dica l'argomento et senso della lettione nel modo che si dice quivi. Dipoi si dichiara nel medesimo modo il testo. – 3. Che, tornando da capo, si notino li precetti della grammatica con la proprietà delle parole; ma non così esquisitamente come si fa nella prima, né con tant'apparato de confirmationi et di prove o di citatione. Ma semplicemente si debbe spiegar la forza delle parole ancora comuni et trite, perché s'ha da pensare che le cose comuni a questi scolari sono ancora oscure et non conosciute. Si dichiarerà di novo il testo, et poi anco un'altra volta, se questa non basterà, et giudicherà così il mastro. Il cavar delle frase in queste due scole debbe esser fatto più positivamente. Et nell'ultima basta cavarle, ut iacent, senza applicatione o imitatione, con propor' solo la nuda eleganza, et voltarla in volgare; perché li scolari non sono tanto capaci. [416r]

Li mastri di queste due scole non si debbono trattenere in leggere più che un quarto et mezo d'hora. Tutto il resto s'ha da porre in essercitio. Né passeranno o 8 o 10 righe di lunghezza; massime nell'ultima, dove ancora bisogna che più s'abbassino questi exercitii, discendendo sempre a più minute cose, et più trite. Così le compositioni debbono esser conformi al grado della scola; molto brevi et, come si è detto, secondo li precetti delle lettioni. Et se li farà scrivere separatamente qualche nome o verbo difficile, o trovar' qualche preterito difficile.

Nel secondo semestre la seconda va un po' inalzandosi per disporre soggetti per la prima. Et così si permettono all'hora molte cose simili a quelle che si fanno nella prima nel primo semestre. Et per questo dopo Pasqua se l'insegna a legger greco et scander et legger qualche poeta molto facile in volgare, senza nessuno apparecchio o splendore.

## Distributione dell'hore et exercitii nell'ultima et penultima

La prima hora per un quarto incirca si metterà in recitare. Il resto in ripetere l'ultima lettione della mattina passata, et in essercitar' li scolari sopra di quella. La seconda hora per un quarto incirca si spenderà in leggere; il resto in ripetere la lettione all'hora letta, et in dar la compositione; l'ultima mezz'hora in coniugare.

Dopo pranzo la prima hora si pone in emendar le compositioni per tre quarti d'hora privatamente, et l'ultimo quarto in publico. La seconda hora per un quarto si spende in far ripetere l'ultima lettione del dopo pranzo, et per un quarto incirca in leggere il resto, in far ripetere la lettione all'hora letta, et in essercitar la grammatica; l'ultima mezz'hora in declinare.

Il sabato la prima hora si pone in recitar parte in privato et parte in publico le lettioni della mattina di tutta la settimana; la seconda hora in ripetere le medesime lettioni; l'ultima mezz'hora in dechiaratione della dottrina cristiana, et in farla loro recitare.

Dopo pranzo la prima hora et mezza la si spende come la mattina; ma si fa repetitione delle lettioni del dopo pranzo; il resto del tempo in disputare.

Nella penultima si fa come nella ultima; eccetto che l'ultime mezz'hore si spendeno in disputare. [416v]

## Del gastigare

Se bene di questa materia si è trattato nel capo de maestri in commune<sup>13</sup>, nondimeno, perché all'hora se ne trattò universalmente, ne tratteremo adesso qui in particolare, per esser un essercitio necessario non meno che gl'altri, et difficile a farlo bene.

Debbe dunque il maestro circa il modo di castigare osservar quel che segue: Prima, che sappia che cosa sia degna di castigo o di perdono. Et degne di castigo son tutte quelle colpe che toccano a male creanze. Et queste si debbeno castigar più severamente che qualsivoglia altra colpa, acciocché li scolari intendino a posteriori il conto che si debba far' delle virtù. Le negligenze ancora probabili et di rilievo son degne di castigo, perché la negligenza è segno della volontà. Onde è ancor lei in genere moris, et per questo merita castigo. Di qui si cava che li mancamenti che procedono solo dall'intelletto, perché non sta in poter nostro haverlo bono o cattivo, non sono degni di castigo. Talché solo due sorte di colpe cascano sotto la sferza, cioè mali costumi et negligenze probabili.

2º – Debbe esser prudente il mastro in far che li scolari nuovi nelli principii non s'atteriscano, né con castighi dati ad altri, né con minaccie; perché formano subito un concetto che sempre così si faccia. Et si vengono a confirmar nell'opinione publica che li nostri mastri sono crudeli, et s'allevano con un animo molto servile. Per questo è bene astenersi, quando viene qualche scolare di novo, o quando venisse qualche forastiero straordinario di qualche conto. Perché batter in presenza di simil persone, non è cosa da huomo che voglia haver rispetto ad altri. Come ancor, quando venisse qualchuno de nostri superiori, non è bene usare questa iurisdittione di battere, perché si mostra far poco conto delle persone.

3º – Non debbe castigar solo i poveretti et lasciare la nobiltà intatta; perché così mostra d'esser accettator' di persone, et haver del secolare; et perché da ad intendere di far' più conto della nobiltà che della virtù; et perché è una impietà voler a quelli che la natura ha fatto poveri, aggiunger [417r] questa altra infelicità come propria. Per questo, se bene s'ha d'haver qualche riguardo alli nobili, tuttavia, dove va l'honor' di Dio, s'hanno da castigar come gl'altri.

4º – Non conviene castigar subito dopo la colpa, acciocché non s'interrompano gl'esercitii incominciati; et per non dar luogo alla passione che fa passar' la misura del castigo; et perché allo scolare è parte del castigo starlo aspettando, et esser vergognosamente condannato a quello. Né è pericolo che il mastro col differir il castigo, se ne scordi, o li passi la voglia del castigare, perché alla memoria serve far denotar il delinquente. Et se si pente di dar il castigo, sarà segno che in quel principio non si moveva tanto con ragione, quanto con passione. Et così la dilation giovò a qualche cosa.

5º – Esser troppo rigoroso o troppo giusto, è grand' ingiustitia, et nimia severitas amittit auctoritatem (come dice Seneca). Et così le vergogne come gl'honori, quando sono a buon mercato, non si stimano.

6º – Del non introdurre nove sorti di castigo, et come si debbe procedere con quelli che lo ricusano, n'è stato detto nel capo degl'avisi de mastri in commune<sup>13</sup>.

<sup>13</sup> Has regulas communes magistrorum inferiorum classium non invenimus.

**Index personarum, rerum et locorum  
huius voluminis invenitur, permixtus,  
in indice septimi voluminis.**

Finito di stampare il 28 febbraio 1992  
Tipografia Poliglotta della Pontificia Università Gregoriana  
Piazza della Pilotta, 4 – 00187 Roma











Digitized by Google

Original from  
INDIANA UNIVERSITY









3 0000 004 160 168